


CONCILIA GERMANIÆ,

QUÆ

CELSISSIMI PRINCIPIS

JOANNIS MAURITII,

ARCHI-EPISCOPI PRAGENSIS

SUMPTU

CL. JOANNES FRIDERICUS SCHANNAT

MAGNA EX PARTE PRIMUM COLLEGIT,

ad Canon. DEIN Neustift

P. JOSEPHUS HARTZHEIM S. J.

EJUSDEM CELSISSIMI IMPENSIS

PLURIMUM AUXIT, CONTINUAVIT,

NOTIS, DIGRESSIONIBUS CRITICIS, CHARTA, ET PRÆFATIONE CHOROGRAPHICIS

ILLUSTRAVIT.

Josephus **TOMUS IV.** Abbas

AB ANNO MCCXC. AD MCCCC.



COLONIÆ AUGUSTÆ AGRIPPINENSIUM,

TYPO VIDUÆ JOAN. WILHELMI KRAKAMP, ET HÆREDUM CHRISTIANI SIMONIS, Bibliopolarum.

ANNO MDCCLXI.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

REVERENDISSIMO. CELSISSIMO.
DOMINO. DOMINO.

JOANNI.
MAURITIO.
GUSTAVO.
DEI. GRATIA. ARCHI-
EPISCOPO. PRAGENSI.
SEDIS. APOSTOLICÆ. LEGATO. NATO.
S. ROMANI. IMPERII. PRINCIPI.
COMITI. DE. MANDERSCHEID-
BLANCKENHEIM.
ET.
GEROLDSTEIN.
LIBERO. BARONI. IN. JUNCKERATH.
DOMINO. IN. BETTINGEN. DAUN. ET. ERP.
UTRIUSQUE. SACRÆ. CÆSAREÆ. NEC. NON. GERMANIÆ.
HUNGARIÆ. ET. BOHEMIÆ. REGIÆ. MAJESTATIS.
CONSILIARIO. INTIMO. ACTUALI.
INCLYTI. REGNI. BOHEMIÆ. PRIMATI.
ECCLESIARUM. METROPOLITANÆ. COLONIENSIS. ET.
CATHEDRALIS. ARGENTINENSIS. RESPECTIVE.
PRÆPOSITO. SENIORI. AC. THESAURARIO.
ILLUSTRIS. ECCLESIÆ. COLLEGIATÆ. AD. S. GEREONEM.
PARITER. PRÆPOSITO.
NEC. NON. UNIVERSITATUM. COLONIENSIS. ET. CAROLO. FERDINANDEÆ. PRAGENSIS.
CANCELLARIO. PERPETUO. ET. PROTECTORI. &c. &c.

TOMUM QUARTUM D. D. C.

Servus deditissimus
JOSEPHUS HARTZHEIM S. J.

CATALOGUS ROMANORUM PONTIFICUM

AB ANNO MCCXC. AD MCCCC.

Quorum anni Conciliis Germaniæ præfiguntur.

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis à S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra Petri.*	*Obiit vel abiit à Pontificatu.*
S. Cœlestinus V. *antea Petrus de Murrone, Monachus Italus, Molisinus.*	CXCII.	Anno Christi MCCXCIV. III. Nonas Julii.	Menses V.	Anno Christi MCCXCIV. Idibus Decembris.
Bonifacius VIII. *antea Benedictus, Cardinal. Cajetan. Anaguinus.*	CXCIII.	MCCXCIV. IX. Kalendas Januarii.	Annos VIII. Menses IX. Dies 18.	MCCCIII. V. Idus Octobris Romæ.
Benedictus XI. *antea Nicolaus, ex Ordine Prædicatorum, Tarvisinus.*	CXCIV.	MCCCIII. XI. Kalend. Novembris.	Menses VIII.	MCCCIV. pridie Nonas Quintiles.
Clemens V. *antea Bernardus de Gotto, Archiepiscopus Burdigalensis.*	CXCV.	MCCCV. Nonis Junii.	Annos VIII. Menses X. Dies 8.	MCCCXIV. XII. Kalend. Majas.

Sub hoc celebratum Concilium Generale XV. Viennæ in Delphinatu: Cathedra Romá Avenionem translata ad LXX. annos.

Joannes XXII. *antea Jacobus de Eusa, Cadurcensis, Episcopus Portuensis.*	CXCVI.	MCCCXVI. VII. Idus Augusti Lugduni.	Annos XVIII. Menses IV. minus 2. diebus.	MCCCXXXIV. pridie Nonas Decembris, Ætatis 92. Avenione.

Antipapa Petrus de Corbario, ex Ordine FF. Minorum, electus a Bavaro Imp. anno 1328. Renuntiat Papatui 1330. Obiit pœnitens 1333. extremo Septemb. dictus Nicolaus V.

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis à S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra Petri.*	*Obiit vel abiit à Pontificatu.*
Benedictus XII. *antea Jacobus Furnerius, ex Ord. Cisterc. Tolosanus natu.*	CXCVII.	Anno Christi MCCCXXXIV. XIII. Kalend. Januarii.	Annos VII. Menses IV. Dies 6.	Anno Christi MCCCXLII. Die S. Marci.
Clemens VI. *antea Petrus Rogerius, Lemovicensis.*	CXCVIII.	MCCCXLII. Nonis Maji.	Annos X. Menses VII.	MCCCLII. VIII. Idus Decembris.
Innocentius VI. *antea Stephanus Alberti, Lemovicensis, Episcopus Ostiensis.*	CXCIX.	MCCCLII. XV. Kalend. Januarii.	Annos IX. Menses VIII. Dies 26.	MCCCLXII. Pridie Idus Septembris.
Urbanus V. *antea Guillelmus Grimoaldus, Abbas S. Victoris Marsiliæ.*	CC.	MCCCLXII. V. Kalend. Novembris.	Annos VIII. Mensem I. Dies 22.	MCCCLXX. XIV. Kal. Januar.
Gregorius XI. *olim Petrus Rogerius, Lemovicensis.*	CCI.	MCCCLXX. III. Kalend. Januarii.	Annos VII. Menses II. Dies 27.	MCCCLXXVIII. VI. Kalend. April.
Urbanus VI. *olim Bartholomæus Prignanus, Neapolit. Archiepisc. Barri.*	CCII.	MCCCLXXVIII. VI. Idus Aprilis Romæ.	Annos XI. Menses VI. Dies 6.	MCCCXCCIX. Idibus Octobr.

Clemens VII. Antipapa, electus Fundis in Regno Neapolitano, antea Cardinalis Gebennensis, A. 1378. 19. Septemb. sedit Avenione. Obiit A. 1394. 16. Septemb. apoplexia. Primus à XV. Cardinalibus electus in schismate, protracto usque ad annum 1429. inter Romanos & Avenione electos.

Bonifacius IX. *antea Petrus, Cardinalis Thomacellus, Neapolitanus.*	CCIII.	MCCCLXXXIX. IV. Non. Novembr. Romæ.	Annos XIV. Menses II.	MCCCCIV. Kal. Octobris.

Benedictus XIII. Antipapa, antea Petrus de Luna, Hispanus, electus A. 1394. 28. Sept. exauctoratus in Conc. Pisano A. 1409. 5. Jun.

SERIES

SERIES REGUM ROMANORUM
EX PRINCIPIBUS GERMANIS
Sæculo XIV.



ADOLPHUS NASSOVICUS Comes, F. Walrami Comitis, & Adelheidæ Catimelibocenſis, eligitur *Francofurti* anno 1292. Kalendis Januarii, coronatur Aquisgrani Rex Romanorum cum uxore Imagina, Comitiſſa Limburgenſi, a Sigefrido Archiepiſc. Colonienſi die S. Joannis Baptiſtæ, 24. Junii. Anni 1298. 1. Maji, Feſto Philippi & Jacobi, Gerhardus Archi-Epiſcopus Moguntinus, Wenceslaus II. Rex Bohemiæ, Albertus Dux Auſtriæ, Duo Marchiones de Brandenbourg, Dux Saxoniæ, congregati Francofurti, Adolphum contradicentem, coram populo variis de cauſis depoſuerunt, in ejusque locum 23. Junii elegerunt Albertum Auſtriacum, Regem Romanorum. Contra Boēmundus archiepiſc. Trever., Rudolphus Comes Palatinus, Ludovicus Dux Bavariæ, & pleræque civitates Rhenanæ, Adolpho adhæſerunt uſque ad mortem, uti Regi legitimo & citra cauſam depoſito. Mors ejus accidit 2. Julii h. a. in prælio commiſſo juxta Wormatiam inter pagum Gellheim, & Monaſterium Roſenthal, in quo ab Alberto æmulo vulneratus, ſubinde occubuit.

ALBERTUS Auſtriacus, Rudolphi I. Imperatoris, & Annæ Hohenbergiæ F. Primogenitus, ſecunda vice eligitur 9. Auguſti Francofurti ab omnibus Electoribus: die S. Bartholomæi Wicboldus Archiepiſc. Colon. eundem ſolemni ritu Romanorum Regem Aquisgrani coronavit. Anno 1308. Kalendis Maji prope Vindoniſſam pagum a Patruele, ejusque aſſeclis confoſſus, obiit anno Regni decimo. Uxor Vidua Eliſabetha Comitiſſa Tirolis in loco cædis Monaſterium Königsfeld in Ergovia ædificavit.

HENRICUS VII. Luxemburgi Comes, F. Henrici II. Luxemburgenſis Comitis, & Beatricis, Hannoniæ Comitiſſæ, eligitur Renſe à Rudolpho Comite Palatino Rheni (in quem cæteri Electores compromiſerant) 27. Septembris A. 1308.

Anno 1309. die Epiphaniæ cum Uxore Eliſabetha Brabantina Aquisgrani coronatur Rex Romanorum ab Henrico Virnenburgico, Archiep. Colonienſi. Anno 1310. Legatos ad Papam Clementem V. Avenionem mittit, cujus aſſenſum impetrant, & coronationem poſt Biennium Romæ obtinendam.

Anno 1310. Italiam ingreſſus, pleroſque Magnates & Urbes ſibi devotas homagium præſtare vidit, Mediolani ab Archiepiſcopo in Eccleſia S. Ambroſii 5.

 Janua,

Januarii corona ferrea insignitus fuit, creatis post coronationem ducentis Equitibus. Per totam Italiam, paucis locis exceptis, Vicarios Augustales Imperii creavit. Anno 1312. post multas tricas, die festo SS. Petri & Pauli, in Ecclesia Lateranensi, a se electa, coronatus fuit Imperiali diademate a tribus Cardinalibus, a Papâ Avenione residente ablegatis, Arnoldo Felgnerio Episcopo Sabinensi, Nicolao Pratensi Ostiensi Episcopo, & Luca Flisco. Die prima Augusti Legem Romæ sancivit *de Summa Trinitate* credenda, teste *Tritbemio*. Pisis duas alias Leges edidit Codici juris insertas.

Anno 1313. die S. Bartholomæi, VIII. Kal. Septembris, in Hertruria apud Bonconventum oppidum languore ex Dysenteria dejectus, obiit anno ætatis LI. & diebus XII. Anno Regni V. Imperii I. Mense uno, diebus XXVI. Veneno porrecto sub sacris speciebus Eucharisticis extinctum, fabula est, non tantum ignota Scriptoribus coævis, teste *Tritbemio*, sed testimoniis invictis ipsiusmet Imperatoris, Joannis Bohemiæ Regis, & Balduini Electoris Treverici, & aliorum confutata.

LUDOVICUS IV. BAVARUS, Filius Henrici Severi, Ducis Bavariæ Superioris, Com. Palatini Rheni, & Mathildis Filiæ Rodulphi Habspurgici, nascitur anno 1287. Patre mortuo A. 1294. Frater natu major Rudolphus pueri tutelam sibi attribuebat; sed Albertus Imp. Matrem Matildam Tutricem esse voluit. Ab hac Viennam ad aulam Cæsaris missus, omnibus disciplinis liberalibus & equestribus imbuitur.

Anno 1313. 10. Novembris victor profligat Fridericum Austriacum, qui ambiebat tutelam liberorum Ottonis, Bavariæ inferioris Ducis, sed hic eam Ludovico detulerat: cum eodem devicto pacem init arbitris Wichardo Salisburgensi Archi-Episcopo, Nicolao Ratisponensi Episcopo, & Henrico Carinthiorum Duce.

Anno 1314. 20. Octobris Ludovicum Electores Imperii primo per Nuntium, tum per literas accersitum, eligunt Regem Romanorum. Petrus Archiepisc. Moguntinus, Balduinus Archiepisc. Trevirensis (Frater Henrici VII. Imp. & Patruus Joannis Bohemiæ Regis) Joannes Rex Bohemiæ, Waldemarus Brandeburgicus, Joannes Saxo-Lauenburgicus senior, Decretum Electionis scribunt Summo Pontifici (Sede tunc vacante) eligendo: vacavit autem ab A. 1314. XII. Kal. Maji ad A. 1316. VII. Idus Augusti. iidem 5. Electores suum votum notificant per Senatum Francofurtensem Senatui Aquisgranensi scriptis literis VIII. Kal. Novemb. A. 1314. Die S. Catharinæ a Balduino Trevirensi Archiepisc. una cum Beatrice conjuge coronatur Rex Romanorum Aquisgrani, absentibus, imo recusantibus Henrico Colon. Archiepiscopo, & Rudolpho Comite Palatino Rheni, fratre seniore Ludovici, licet invitati essent ab aliis prope Francofurtum congregatis, nec Procuratores misissent.

Anno 1316. apud Eslingam Fridericum Austriacum æmulum, a tribus electum, prælio prostravit, cæsis peditibus 700, equitibus 600. Inde victor Spiram concedit Ludovicus, ubi Catharinam Amedæi Sabaudiæ Ducis Filiam in thalami sociam ascifcit: ipse Imperiali purpura & corona amictus, conjugi etiam coronam imponi jussit.

Anno 1316. JOANNES XXII. Papa Vicarium Imperii in Italia se gerit, qua declaratione facta, discordiæ pomum inter Imperium & Joannem jactum fuit.

Anno

Anno 1318. Joannes, Bohemiæ Rex, inter Pontificem & Ludovicum inducias pepigerat arbiter: verum Papa, audito Rodulpho Episcopo Curiensi, Legato Friderici Austriaci, pro hoc, tanquam rite electo, contra Ludovicum pronuntiat.

Reditur ad arma, & postquam A. 1320. Fridericus Bavariam multo cum milite invasisset, imo sicarium conduxisset, qui æmulum occideret; hic detecta conspiratione punitus fuit pro merito, & Ludovicus adscitis sibi faventibus Bavaris, Bohemis, Moguntinis & Trevericis, æmulo se opponit A. 1321.: nihilominus primo impetui cessit, declinato prælio, & elusis iteratis insidiis, magno fœderatorum numero stipatus, Anno 1322. Decretorium prælium init, in quo ad 22000. peditum, equitum 1500. numerabat sub suo vexillo.

Fridericus, haud minore agmine cinctus apud Ampfing, pagum vicinum Muhldorff civitati, & ipsus in prælium ruit ante adventum fratris Rudolphi die 20. Septembris. Pugnatum ab initio feliciter a Friderico; sed sub Schwippermanno, Belli Duce, Ludovicus resumptis animis plena victoria potitur: captos æmulos Fridericum Pulchrum, & fratrem Henricum humanissimis verbis, uti cognatos, accepit. Fridericus arci Trausnitz includitur, Henricus frater Regi Bohemiæ custodiendus traditur.

A. 1328. Ludovicus vivis erepta conjuge prima Beatrice, Henrici III Glogoviensis Filia, Margaretham, Wilhelmi Hollandiæ & Frisiæ Comitis seniorem Filiam, Coloniæ festis nuptiis ducit, & Mechtildem Filiam nuptui dat Friderico Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, qui Guzam filiam Joannis Regis Bohemiæ repudiaverat.

Anno 1323. mortuo Waldemario Brandenburgico absque liberis, Ludovicus Cæsar filio Ludovico in Comitiis Norimbergensibus hoc feudum Regno apertum dat, uti & Lusatiæ partem.

Anno 1316. Papa publicavit Edictum, vacante, uti opinabatur, Imperio, omnia Italiæ Dominia ad se pertinere, ac neminem sub pœna Banni Vicarium Imperialem dici, aut scribi posse citra suum consensum; Robertum Neapolitanum Regem Vicarium Italiæ nuncupat, bello invadit Matthæum Vice-Comitem Cæsari Ludovico Regi suo fidum: jamque Gibellinos omnes Italia eliminandos, aut necandos hariolabantur Guelfi Pontificiæ factionis.

Cæterum post mortem Henrici VII. Comes Goritiæ Henricus, erat Vicarius Imperialis Italiæ constitutus. Multis interea fortunæ vicibus turbata Italia. Ludovicus de æmulo suo victor, Imperium Italiæ, a Carolo & Ottone Magnis, Antecessoribus suis acquisitum, restituere Imperio statuit, in quem finem Matthæum Vice-Comitem, a Pontificio exercitu obsessum, suppetiis missis 500. equitum sub Belliduce Bertholdo Neuff, uti & Modoetiam liberat.. Joannes XXII. anno 1322. VIII. Idus Octobris Avenione primum Monitorium Ludovico Cæsari mittit, in quo queritur, quod stante dubia electione, Regni administrationem suscipiat, nondum a Papa confirmatus. 2do. Quod Vice-Comiti Mediolanensi *hæretico* suppe-

tias mittat. 3tio. Quod filio Ludovico Electoratum Brandeburgicum dederit: ſubin comminabatur excommunicationem, niſi intra trimeſtre militem ex Italia abduceret, & ab adminiſtrando Imperio deſiſteret.

Anno 1323. IV. Idus Novembris Norimberga Cæſar Legatos mittit ad Papam, Albertum Teutonici Ordinis Equitem, Eweſtorpium Sibachium Archi-Diaconum Wurceburgenſem, Comites, Bertholdum de Neuffen, Fridericum de Truchendingen, Bertholdum de Greispach cum duobus filiis. Hi Legati Avenionem appulſi nil a Papa, vel Miniſtris impetraverunt, quam prorogationem trimeſtris ſpatii ad duos menſes, intra quos Ludovicus Cæſar ſe Papæ ſiſteret, de criminibus ſe purgaret, ſub comminatione excommunicationis. Intellecta mente Papæ, Ludovicus XV. Kal. Januarii A. 1324. Norimbergæ Comitia indicit, in quibus coram Nicolao Epiſcopo Ratisbonenſi, & multis Epiſcopis & Principibus appellando ad futurum liberum Concilium, proteſtatur 1*mo.* Se plurium Electorum votis legitime electum fuiſſe. 2*do.* Electum nulla Confirmatione indigere. 3*tio.* Id conſtare exemplis Henrici Aucupis, Conradi Franconici, Rudolphi Habſpurgici, a nullo Papa confirmatorum. Vice-Comites & Galeatios eſſe ſuos & Imperii ſubditos: Patere hæc omnia ex literis informatoriis, toto Regno ſparſis.

Anno 1324. Octobri menſe mediantibus arbitris, & pactis juratis, Fridericus Auſtriæ Dux poſt triennalem carcerem liber dimittitur: anno 1325. die Martis ante Natæ Virginis Monachii fuere ſcriptæ Tabulæ Unionis & Societatis adminiſtrandi Imperii inter Ludovicum & Fridericum.

Anno 1327. Cæſar cum valido exercitu, Ducibus, Principibus, & Epiſcopis, ſociis Gibellinis Tridenti Comitia indicit, dein Mediolanenſi in Eccleſia S. Ambroſii a Guidone Tarleto, & Friderico Epiſcopo Tridentino coronam ferream Italiæ ſuſcipit, ac propinati veneni inſidias feliciter evaſit.

Anno 1327. 20. Octobris Excommunicatio Ludovici dudum intentata, vibratur Florentiæ a Cardinali Urſino Legato Papæ, ob cauſas varias in Bulla allegatas.

Anno 1328. VII. Idus Januarii Ludovicus Romam ingreditur auxilio Caſtruccii Caſtracani, Saræ Columnæ, Jacobi Sabelli, & Theobaldi de S. Euſtachio.

In Eccleſia S. Petri a duobus Epiſcopis, Jacobo Veneto, & Ellerano coronam Imperialem ſibi imponi fecit, uti & conjugi Margarethæ, quæ brevi poſt Filium (Romanum dictum) enixa eſt, poſt coronationem Caſtruccium Caſtracanum creat Principem Lucæ, vexilliferum Imperii, & Comitem Palatii Lateranenſis, dein mortuum A. 1329., cum antea Cæſarem deſeruiſſet.

Romæ exiſtens, auditis lamentis civium Romanorum de abſentia Papæ, Avenione hærentis, attentat Papam deponere, varias cauſas prætexens & inani conatu Antipapam ſuſcitat Petrum de Corbario ex Ordine Minorum, cui nomen Nicolai V. imponit, a quo iterum coronari vult.

Joannes XXII. *Collectam* orationem contra Ludovicum quotidie dicendam præſcribit, Decimas de redditibus Eccleſiaſticorum Cameræ Pontificiæ inferendas exigit, & milites cruce ſignat contra eundem.

Anno

Anno 1327. Marſilium de Padua, & Joannem de Janduno, ex Ordine Minorum, Monachium confugientes, & pro Ludovico Cæſare apologetica ſcripta edentes, inſertis craſſiſſimis erroribus, quod Papæ creatio & depoſitio ſit in manibus Imperatoris: quod ad eundem omnia bona ſæcularia ſpectent: Clericos & Religioſos omnis Dominii temporalis incapaces eſſe: Petrum fuiſſe æqualem cæteris Apoſtolis: nullum Primatum, nullam Hierarchiam a Chriſto ſtabilitam: omnia hæc a Cæſaribus manaſſe &c. uti hæreſiarchas damnat, excommunicat, & pœnis hæreſeos ſubjicit Avenione X. Kal. Novembris anno Pontificatus XII.

Anno vero 1329. XVI. Kal. Decembris Michaelem de Cæſena Generalem Miniſtrum Ord. Minorum, & Guillelmum Occamum, Anglum, ejusdem Familiæ Alumnum, ob Paupertatem Chriſto aſſertam ſine jure ullo in rebus, uſu abſumptis, itemque Regulæ S. Franciſci propriam, pertinaciter defenſam, privat officiis omnibus, deponit, excommunicat ut hæreticos, Avenione XII. Kal. Majas, Pontificatus anno XIII.

Anno 1330. Joannes XXII. novum Vicarium Imperii in Italia conſtituit Actium Vice-Comitem, Mediolanenſem, Literis vero ad Joannem Bohemiæ Regem Ludovico Cæſari fidum datis, recitat omnia huic Principi imputata delicta, & eum jam Regno, ac Imperio excidiſſe probare nititur.

Eodem anno Cæſar Italiam intrat egregio cum exercitu: Exercitus Cæſareus adverſo Marte vincitur, & diſpergitur quaquaverſum. Hoc caſu Papa per Bertrandum Legatum ſuum Joanni Bohemiæ Regi omnes urbes devictas poſſidendas cedit, Filium Carolum Romanorum Regem eligendum promittit. Patri Vicariatum Italiæ adjunctis variis Officialibus & Conſiliariis donat.

Hoc animadverſo turmatim Italiæ Principes, Robertus, Florentini, Gonzagæ, Scaligeri, Ateſtini, Vice-Comites pro libertate communi reſtauranda fœdus A. 1331. VI. Idus Auguſti contra Joannem Papam, & Joannem Regem Bohemiæ ineunt, & hoc ſuum conſilium Ludovico Cæſari inſinuant.

Anno 1334. 4. Decembris Joannes XXII. Avenione obiit anno ætatis 90. relictis in Theſauro Pontificio 25. Millionibus auri ſignati, præter aurum rude, & gemmas aliaque cimelia pretioſa. Benedictus XII. ex Ordine Ciſtercienſi Succeſſor eligitur, qui commendas & expectativas Beneficiorum, & Prælaturarum, ab Anteceſſore conceſſas, revocat, & annullat.

Anno 1335. Ludovicus Cæſar mittit Legatos Avenionem, Albertum Epiſc. Friſingenſem, & Canonicum Argentinæ Comitem Hochbergium, hacce cum declaratione, ſe Neapolim, Sardiniam, & Corſicam ſibi non vendicaturum, nec citra Papæ aſſenſum Romam venturum, dummodo abſolvatur ab excommunicatione. Verum Franciæ, Neapoleos, & Bohemiæ Reges, tum Poloni & Hungari, Miniſtros & Papam, propenſum ad abſolutionem Cæſari dandam, inverterunt.

Anno 1336. 5. Martii Ludovicus Cæſar novam Legationem ad Papam miſit cum ampliſſima ſubmiſſione, ut ab vinculo banni abſolvatur: ſed non auditur.

Hæc ex ſelectis Bavaricis informationibus, Diplomatibus Pontificiis & Cæſareis corroboratis, editis Monachii ab anno 1751. *ad* 1752. *per DD. Langium & Blandellum.*

Anno 1337. Renſæ inſtitutis Comitiis acta Joannis Papæ & conditiones, a Miniſtris Pontificiis propoſitæ, caſſatæ, & annullatæ fuere. Declaratum uno ore omnium Procerum: " Electum Imperatorem etſi a Papa nec fuerit confirmatus, " nec unctus, nec coronatus, verum eſſe Imperatorem, & Adminiſtratorem " omnium jurium Imperii. Quicunque aliter docuerit, ſenſerit, factitarit, crimi- " nis læſæ Majeſtatis reum eſſe, hoſtem Reipublicæ, & ab Imperio proſcriptum, " capitis reum: omnia ejus bona Fiſco Regio addicta." In eodem loco & anno ELECTORES primum inter ſe concordiam inierunt (Kurfürſtliches Verein) pro ſuis & Imperii juribus tutandis contra omnes. Idem renovatum in Comitiis Francofurtenſibus anni 1338.

Anno 1342. Imperator articulos Paparum Joannis XXII. Benedicti XII. Clementis VI. Comitiis propoſuit: Status vero Imperii terminum octo dierum a Cæſare fixum prævenientes, Coloniæ congreſſi, decreverunt: " Poſtulatis Pontificum " deſtrui Imperium." Renſæ novo Principum Conventu indicto, Literæ ad Papam exaratæ fuere, quibus articuli propoſiti Ludovico Cæſari, omnino reprobati ſunt.

Anno 1347. V. Idus Octobris Ludovicus apud Fürſtenfeldium in Bavaria ad venationem egreſſus, apoplexia tangitur equo inſidens, & pœnitens obiit anno Regni XXXIII. Imperii XIX., in civitate Monachio Catholico ritu ſepultus. Rumor eſt, ſed incertus, apoplexiam ex veneno, propinato die S. Dionyſii Martyris, ortam; alii aliam cauſam & mortis circumſtantias pro ſtudio partium afferunt.

FRIDERICUS Pulcher, Auſtriacus, Alberti Imp. Filius, Nepos Rudolphi I. Imperat. ab Henrico Virnenburgico Archi-Epiſc. Coloniæ, Rudolpho Comite Palatino Rheni, Rodulpho Juniore Duce Saxoniæ Anhaltino, ab Henrico Carinthiorum Duce (quem Joannes Pater Regno Bohemiæ & voto Electorali privaverat) adeoque a tribus electus, Bonnæ coronatur ANTI-REX Romanorum. Sunt, qui velint, eundem aliquo intervallo temporis diplomata Regia tum ſolitarium, tum cum Rege Ludovico edidiſſe: ſed Bavari Scriptores negant, genuina ulla prolata fuiſſe, contra Lazium & de Roo. *Devictus prælio apud Mühldorff A.* 1322. *Poſt triennium e carcere liber ſub pactis demiſſus A.* 1325. *Interiit ex venenato poculo, ut ajunt, anno* 1330.

CAROLUS IV. Marchio Moraviæ, Joannis Bohemiæ Regis Filius, Nepos Henrici VII. anno 1346. XI. Julii Renſæ apud Confluentiam ab Henrici Virnenburgici Moguntini ſurrogato, Gerlaco Naſſovio, a Balduino Archi Ep. Treverico Propatruo ſuo, a Walramo Juliacenſi Archiep. Colon., Rudolpho Duce Saxoniæ, Joanne Rege Bohemiæ, Patre ſuo, eligitur Rex Romanorum. Reſiſtebant multi electo, præſertim Cives Colonienſes & Aquenſes: unde Bonnæ 26. Novembris coro-

coronatus fuit a Walramo, Electore Colonienſi, cæteris Archi-Epiſcopis & Proceribus Inſignia Imperii offerentibus.

Pragenſem Epiſcopum Moguntinæ Provinciæ & Metropoli ſubtrahit indulto Pontificio, & Regni Bohemici Primatem creat, dato eidem jure, coronandi Regis Bohemiæ.

Anno 1350. Ludovicus, Marchio Brandenburgenſis, Inſignia Imperialia: Lanceam, Claves Domini, gladium Caroli Magni, quæ Monachii aſſervabantur, poſt mortem Ludovici Imp. Patris ſui, tradidit Carolo IV. in Nuremberg: unde Innocentius VI. ſpecialem feſtum diem de Lancea & Clavis colendis Germanis indixit ipſo anno 1354.

Anno 1354. 9. Februarii a Wilhelmo Electore Colonienſi Aquisgrani, loco debito, cum conjuge Anna coronatur denuo Rex Romanorum.

Anno 1355. Mediolani die Epiphaniæ in Eccleſia S. Ambroſii corona ferrea redimitur, qua Rex Italiæ: mox V. Aprilis, die ſacro Paſchatis, Romæ a Cardinali Oſtienſi, Legato Innocentii VI, in templo S. Petri corona Imperiali cingitur.

Inde in Germaniam reverſus, & Comitiis Norimbergæ indictis, Jura Imperii & Electorum per auream Bullam hic cœptam, ſed Metenſibus Comitiis perfectam, articulis XXII. prioribus & poſterioribus XXIV. conflatam edidit & publicavit, uti Legem Fundamentalem Imperii.

Die 25. Decembris, Natali Salvatoris noſtri, Electores, & reliqui Proceres, officia Imperii ſibi attributa, ritu ſolemni apud Imperatorem obierunt prima vice. Anno 1365. corona Regni Arelatenſis Carolus decoratus fuit in ipſo Arelato a Guillelmo loci Archi-Epiſcopo: quo eodem anno adivit Avenionem, amico de ſtatu Imperii colloquio Papam Urbanum V. inviſurus. Inde ad Regem Galliæ Carolum V. ſe contulit, omnibus Imperii inſignibus ſpectandus, ejusque primogenitum filium Delphinum (poſt Carolum VI. Francorum Regem) creavit locum tenentem & Vicarium in Regno Arelatenſi ampliſſimo diplomate.

Anno 1368. Urbanus V. Papa Imperatricem coronavit die Omnium Sanct. in altari S. Petri coram Imperatore conjuge.

Urbano VI. anno 1378. electo Papæ, adhæſit contra Clementem VII. Antipapam a Gallicana factione obtruſum: unde ab illo Wenceslaus Filius, qui jam ante ſub Gregorio XI. Francofurti in Regem Romanorum non ſine magna pecuniæ profuſione electus fuerat, confirmatus, & a Friderico Archiep. Colon. Aquisgrani coronatus fuit Patre vivente.

Anno 1377. Carolus inter multas Leges & Edicta publica Tungermundæ XV. Kal. Julii, de Libertate Eccleſiaſtica Legem ſancivit, qua res & bona Eccleſiarum ſæculari jurisdictioni eximuntur, & omnes, contra Eccleſiam quid attentantes, banno Imperiali coercentur. Hoc Edictum in Concilio Conſtantienſi fuit confirmatum: Feſtum diem Caroli M. quot annis ſolemnem Aquisgrani celebrari præcepit. Generale Studium in Univerſitate Pragenſi (poſt A. 1360.) inſtituit, munifica ſtipendia Profeſſoribus elargitus. Demum A. 1378. III. Kal. Decembris in Caſtro Pragenſi ex morbo diſceſſit.

WENCESLAUS, Karoli IV. & Annæ Duciſſæ Jauravienſis Filius, Francofurti ante biennium electus, & Aquisgrani a Colonienſi Electore Friderico coronatus fuit Romanorum Rex. Clemens VII, Avenione electus Antipapa, Legatos ad Wenceslaum miſit, ejusdem Patrocinium ambientes; ſed non auditus fuit. Hoc defuncto, Gallicana factio novum Antipapam protrahendo ſchismati obtrudunt: qui & ipſus Legatos ad Wenceslaum miſit, ejus ſuffragium exquiſituros: Cæſar Wenceslaus ex Bohemia Remos venit A. 1398, cum Carolo Francorum Rege, Patruo ſuo, de ſchismate tollendo inter tot Romanos & Avenionenſes Papas tractaturus, inde Legatos Romam ad Bonifacium IX., Avenionem ad Benedictum XIII. mittunt, rogaturos, ut uterque de jure ſuo cedat, & novæ, liberæ, unanimi electioni locum faciat. Subinde Wenceslao in Bohemia reſidente, genio & libidini indulgente, & Imperii curam abjiciente, oriuntur diſcordiæ in Germania. Variæ civitates Rheni & Sueviæ ligas & fœdera ineunt inter ſe, & contra varios Duces: quibus Cæſar Wenceslaus accedebat, nunc his, nunc illis. Proceres Germani eum invitant, ut ad Imperium veniat, curam Reipublicæ coram præſens ſuſcipiat; quorum invitationem dum ſpernit, omnium in ſe odia, ipſorum etiam Bohemorum ob perſonalia vitia, ebrietatem, ſævitiam, luxuriam meruit & excitavit.

Bohemi eundem captum anno 1393. ſqualido carceri Pragæ includunt: inde poſt XV. hebdomadas elapſus nudus, ad receptaculum ſuum profugit, & ad priorem ferociam relabitur.

Electores Eccleſiaſtici & ſæculares, comperta Regis Wenceslai captivitate, Francofurti congreſſi, Rupertum II., Comitem Palatinum Rheni, Vicarium Imperii conſtituunt, Legatos in Bohemiam mittunt, pro libertate Wenceslao reddenda. Hac potitus, a fratre Sigismundo, & Jodoco Patruele, Moraviæ Marchione, denuo Pragæ, Crumloviæ, & Viennæ incarceratus, iterum evaſit.

In Conventu Moguntino anni 1399. Joannes Moguntinus, Fridericus Colonienſis, Wernerus Treverenſis, Archi-Epiſcopi: Rupertus Palatinus, Rudolphus Saxo, Electores, die Lunæ poſt exaltatam Crucem unitionem Electoralem inter ſe ineunt de conſervandis Juribus Eccleſiæ & Imperii: *1mo.* Ne quis citra illorum conſenſum, vel Imperium, vel Vicariatum ſibi arrogaret: *2do.* Nulli ullam ab Imperio alienationem concedendam, *3tio.* nec Mediolanenſem alienationem a ſe confirmandam: *4to.* Contra quosvis ſe auxilium mutuum præbituros.

Anno 1400. Die Mercurii poſt S. Urbani Francofurti convenere Electores: Majo menſe diem Comitiis ſtatuunt. Proteſtatur Wenceslaus per Legatos: alius dies Comitiis ſtatuitur. Demum invitatur, ut poſtridie S. Laurentii in *Obern Lanſtein* ſupra Rhenum, ex oppoſito Renſe veniat ad Imperium reformandum; ſin veniat, ſe a juramento dicto liberos fore. Præſtituta die 11. Auguſti conveniunt tres Electores Eccleſiaſtici cum Ruperto Palatino ad locum condictum. Rege Wenceslao per decendium fruſtra exſpectato: eligunt Rupertum ſedentes extra portas 20 Auguſti, in quo loco Wenceslaum, ut Imperio indignum deponunt, cauſis ſigillatim enumeratis.

Sigis-

Sigismundus, literis ad Cardinales scriptis, conqueritur, Fratrem suum, nec auditum, nec convictum, citra causæ cognitionem Imperio exutum fuisse, & multos Germaniæ Proceres Wenceslao, uti Regi adhuc adhæsisse & adhærere cum Clemente VII. & Benedicto XIII. Ipsus Wenceslaus adhuc Regio titulo uti perrexit, ejusdemque Legati in Concilio Pisano A. 1409. admissi præ Ruperti Legatis. Obiit demum anno 1418. ex apoplexia.

Memorandi adhuc quatuor Anti-Reges.

I. *FRIDERICUS SEVERUS, Misniæ Marchio, Friderici II. ex Filia Nepos, gener Ludovici Bavari, cujus Filiam duxerat, eligitur A.* 1348. *in oppido Chamb in Bavaria, ab Henrico Moguntino Archiepisc., Ludovico Brandenburgi Marchione, Ruperto Palatino Saxone (qui paulo ante in Lahnstein Anglorum Regi Eduardo, sed ob bellum cum Franco recusanti, Imperii dignitatem obtulerant) hic Fridericus acceptis a Carolo IV. decem Marcarum millibus juri electionis renuntiat, & suis feudis a Cæsare investitur.*

II. *GUNTHERUS, Comes Schwartzeburgicus, anno* 1349. *Feria VI. post Hilarii Anti-Rex eligitur ab Henrico Archiepisc. Moguntino, Ludovico Marchione Brandenburgico, Ruperto Bavaro Palatino Rheni, ejusque fratre Ruperto, quasi Imperium vacaret, dum Carolus IV. jam tertium annum in Regno agebat. Obiit Guntherus* 19. *Junii anno* 1349. *cum ante transegisset cum Carolo de renuntiando Imperio erga summam XXIV. millium Marcarum.*

III. *FRIDERICUS, Dux Brunswicensis, in Comitiis Francofurtensibus anni* 1400. *aliis eligitur, aliis destinatur ad Imperium. Sed V. Junii ann. h. occiditur.*

IV. *JODOCUS, Moraviæ Marchio, eligitur Francofordiæ a Moguntinensi & Coloniensi Electoribus. Brevi obiit Brunnæ in Moravia, sine Sceptro & Corona sepultus.*

Finis Seriei Regum Romanorum & Anti-Regum Sæculo XIV. electorum.



Digressio ad Sæculum XIII. a pag. 44. ad 66.

FINIS DIGRESSIONIS AD SÆCULUM XIII.

SÆCULUM XIV.

1322.

1554.

DIGRESSIO ad SÆCULUM XIV.

FINIS TOMI IV. CONCILIORUM GERMANIÆ
S. D. H. & G.



INDEX

INDEX ALPHABETICUS CONCILIORUM GERMANIÆ

SÆCULI XIV.

Quo ad Sæculum XIII. XII. X. prætermiſſa, referenda ſint, annus adſcriptus docebit.



A.

B.

C.

No.

FINIS INDICIS ALPHABETICI TOMI IV. CONCILIOR. GERMANIÆ.

FACUL-

FACULTAS REV. P. PROVINCIALIS
CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.



Um Vidua JOANNIS WILHELMI KRAKAMP, & Hæredes CHRISTIANI SIMONIS, Bibliopolæ Colonienses, typis vulgare desiderent Tomum quartum *CONCILIORUM GERMANIÆ, à P. Josepho Hartzheim, Societatis nostræ Sacerdote, elucubratum;* Ego infra scriptus, ejusdem Societatis in Provincia Rheni Inferioris Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi facta ab Adm. Rev. P. N. LAURENTIO RICCI, Universæ Societatis JESU Præposito Generali, Iisdem ad primam hanc duntaxat prædicti Tomi editionem facultatem impertio; simulque communico Jus Privilegii Cæsarei, quo Bibliopolis ac Typographis interdicitur, ne quis Librum ullum à Societatis nostræ Patribus conscriptum, citra consensum Superiorum recudere, aut alibi recusum intra fines S. R. Imperii inferre præsumat. In cujus rei fidem has iis manu propria subscriptas, ac consueto officii mei sigillo munitas dedi. Coloniæ 4. Januarii 1762.



HIERONYMUS DE WYMAR S. J.
mpp.

CON-



CONCILIA GERMANIÆ.

SÆCULI XIII.

TOMO IV. CONTINUATA.

CONCILIUM SALTZBURGENSE

Anno Christi MCCXCI. Nicolai IV. Papæ IV. Rodulphi I. Regis XIX.

De Hospitalariorum, Templariorum, & Teutonicorum Ordinibus conjungendis.



ANNO Millesimo Ducentesimo Nonagesimo primo civitas Akaron, (a) *quam solum habebant Christiani in terra sancta, obsessa est per Soldanem Babylonensem, & per quadraginta dies & noctes sine intermissione impugnata, capta est: & ibidem multa Christianorum millia & capta sunt & occisa: aliqui autem per navigium fugerunt. Et quia multorum erat opinio, quod si fratres domorum ibidem, scilicet:* Hospitalarii, Templarii, & Teutonici, *& reliquus populus omnino concordasset, civitas capta non fuisset: mandavit Papa NICOLAUS omnibus Patriarchis, Archi-Episcopis, Episcopis, & aliis Prælatis, ut Concilia Provincialia celebrarent, & deliberarent, qua ope & consilio eidem terræ possit subveniri. Et per Concilium habitum Saltzburgæ, rescriptum fuit Domino Papæ & consultum, ut prædicti tres Ordines counirentur*

(a) Accaron, Accon, *Ptolemais* ultima & invictissima Palæstinæ civitas, invicta, nisi ambitio plurium Dominorum, & horrenda scelera Christianorum puniri meruissent excidio funestissimo Anno 1291: cui uti & terræ sanctæ recuperandæ Pontifices vehementissime, sed frustra insudârunt.

nirentur ad unum Ordinem, melioribus eorum observantiis in unum redactis: & quod ad succursum ejusdem terræ sanctæ, Rex Romanorum cum Principibus vocaretur. Qui Nuntii antequam venissent ad Curiam, Papa mortuus est: & sic hoc negotium remansit infectum.

Eberhardus Monachus Altaichensis pag. 322. *primæ editionis apud Canisium Tom. I. antiquar. Lectionum. Ex quo Binius, Hardouinus, & Hansiz Tomo II. German. sacræ, qui ad annum* 1292. *Concilium alligat.*

Literas Papæ Nicolai ad Conradum IV. Salisburgensem Episcopum, quas non cancellatas, nec abolitas, nec aliqua sui parte viriatas accepisse se testatur, misit hic Archi-Episcopus ad Henricum Ratisbonensem Episcopum: die Purificationis S. Mariæ: *Eberhardus easdem recitat.*

Alteras Literas Pontificis ad universos Christi fideles de amissa Palæstina post Acconem, seu Ptolemaida captam, pro subsidio terræ sanctæ recuperandæ, *Rainaldus* indicat ad annum MCCXCI. N. 29.

SALTZBURGENSIS CONCILII AD APOSTOLICAM SEDEM RESCRIPTUM,

De calamitatibus Christianorum capta a Barbaris civitate Acconensi in terra Palæstina.

LEctæ luctu plenæ Sanctitatis vestræ Literæ vulnus fecerunt in vulnere, & nova percussio plagam veterem recentavit. Ex eo jam pridem confossum fuit, & saucium cor eorum, qui vivunt in Christi corpore, ejusque spiritu vegetantur, quod locus ille, *in quo steterunt pedes ejus*, perfidorum pedibus conculcatur, quod terra Nativitate Christi florida, conversatione candida, crucifixione rosea contaminatur ab hostibus crucifixi, & sic iterum JESUS ad illudendum & conspuendum traditus est gentibus, dum illi, recrucifigentes sibi denuo Filium Dei & habentes ostentui, Sacramenta sua blasphemant & sacra nequiter execrantur.

Certe quondam terra repromissionis, quæ lac & mel Patribus emanavit, nobis fel amaritudinis lato latice non desinit propinare, dum Christus à propria sede repellitur, dum Christiana fides quantum in eis est, extinguitur, dumque nostræ redemptionis insignia velut quælibet abjecta materia pro nihilo reputatur, illudque Dominicum *Sepulchrum* jacet prorsus inglorium, quod Deus per os Prophetæ fore dixerat *gloriosum.*

Deducant igitur oculi nostri lacrymas per diem & noctem, & non taceant, quoniam contritione maxima contrita est virgo filia populi mei plaga pessima vehementer. Verum mare nostræ amaritudinis nec in hoc terminum suum constituit, sed extendit in latius fluctus diluvii exundantis. Nam civitas Acconensis, in qua multitudo Religiosorum collecta Patriam signis nostræ Redemptionis insignem velut de proximo aspiciens, & salutans vicino ejus recreabatur odore: quæque fuit nihilominus urbs fortitudinis iis, qui prælia Domini exercebant, consolationem spei adhuc non modicam ministrabat desolatis solatio terræ sanctæ: exspectantibus fidelibus cum desiderio & ardore, si quando, favente Deo, facto generali passagio Christiana militia in ea se colligens, & ex ea gressibus processivis successive progrediens *terram desiderabilem* recuperare cum gloria mereretur. Sed heu! corona spei nostræ corruit, dolor crescit, causa gemitus geminatur, captâ ab hostibus & eversa civitate prædicta, quemadmodum scripta vestra lamentabiliter expresserunt, sicque arcâ Dei per diluvium quodammodo suffocatâ columbina fidelium simplicitas non invenit, ubi pes ejus in illo maris littore commode requiescat.

Nunc igitur tanto devotius ad Divinum recurramus auxilium, quanto videmus evidentius omni nos rei ac spei humanæ commodo destitutos, levantes manus ad cœlum, cum Moyse, JEsum dormientem cum Apostolis suscitemus, illos nihilominus, qui acceperunt gladii potestatem, prædicationibus inducentes,

ut cum fortissimis Machabæis pro paternis legibus animas exponere non formident; quia in hoc conflictu amabili nec victor, nec victus mercede frustrabitur. Nam etsi vincens est ex triumpho felicior, victus tamen velocius pervenit & citius ad coronam.

Petzius Codicis Diplomat. Part. 2. pag. 164. Mansi judicat hoc rescriptum a Patribus Concilii Saltzburgensis editum Tom. III. Supplement. pag. 233.

Hæ sunt Constitutiones Domini Chunradi,
Venerabilis Archi-Episcopi Ecclesiæ Saltzburgensis, in hoc Concilio.

I. *De Contractibus Matrimonialibus.*

Contractibus matrimoniorum, qui non nunquam contra eorundem honestatem, ac juris prohibitionem, in grave animarum periculum clandestine celebrantur, salubriter occurrere cupientes, prioribus statutis super hoc editis adjicimus, & de consilio sacræ Synodi statuentes, irrefragabiliter ordinamus, ut quandocunque sponsalia seu matrimonia contrahuntur, non minus quam sex personæ honestæ ac fide dignæ intersint de vicinia & saltem parochia amborum vel alterius contrahentium, aut loci, in quo contractus agitur; inter quas ad minus tres virilis sexus habeantur. Et in ipso contractu debent pro testibus adhiberi, quæ non sunt de contrahentium familia, vel eidem in una domo cohabitantes, seu domus, in qua fit contractus hujusmodi inquilinæ. Quod si secus fuerit attentatum, contrahentes, operam dantes, sive scienter præsentiam exhibentes, & sponte in suis domibus hæc fieri patientes, sententiam excommunicationis, quam & his scriptis in eos ferimus, incidant ipso facto; in quos etiam (*a*) alias, pro justo nostri motus arbitrio, animadverti pœnâ, quæ plus timeatur, volumus & debemus: quam sententiam absolutionis Nobis duximus reservandam. Volumus etiam, ut post contracta quocunque modo sponsalia, vel matrimonia, ipsi contrahentes, vel aliqui de ipsorum mandato speciali, contractum hujusmodi infra mensem, a die ejusdem numerandum, plebano vel plebanis ipsorum contrahentium; seu, si copia ipsorum haberi non poterit, vicariis eorundem, duabus vel tribus personis idoneis præsentibus, debeant publicare. Contra venientes, sententia excommunicationis, quam in his scriptis pronuntiamus, involvi volumus ipso facto: alias, pro excessus gravitate, per nos acrius puniendos: eorumdem absolutione nobis libere reservatâ.

II. *De Clericis Officialibus.*

Juris vestigiis inhærentes, in hac sacra Synodo denuntiamus publice, & sub pæna clericalis privilegii prohibemus, ne Clerici, Religiosi, vel sæculares, cujuscumque ordinis, vel prælaturæ procurationes sæculares, sub quibuscunque Principibus, vel aliis laicis assumant, seu ante assumptas retinere præsumant: ne sub nomine pignoris, vel quocumque colore quæsito, sint actores, Procuratores, Conductores, Justitiarii, Vicecomites, Præpositi, Administratores, Officiales, quocumque vocentur nomine, in civilibus, vel ministri: quia *nemo militans Deo se debet negotiis sæcularibus implicare.* Si qui vero juris & nostræ prohibitionis transgressores, hæc vel aliquid horum de novo assumpserint, seu ante assumpta non deposuerint statim per omnia & in totum, ipso jure sententiam excommunicationis incurrant: absolutione nobis, si digne pœnituerint & satisfecerint, reservatâ. In quâ excommunicatione si per mensem animo perstiterint indurato, ipsos ex tunc a beneficiis, dignitatibus, personatibus, & administrationibus Ecclesiasticis quibuscumque, ac omni privilegio clericali exutos & privatos esse volumus ipso facto, nec ad ea vel similia in posterum aliquatenus admittendos: punitionem illorum, qui ante hanc nostram ordinationem (quam extra Salisburgensem, Gaizensem Archi-

(*a*) *corrige:* alia.

chi-Diaconatus extendi ad præſens volumus) hujusmodi prohibita illicite gerere præſumpſerint, noſtræ diſtrictionis judicio reſervantes.

III. *De Secta vagorum Scholarium.*

Licet contra quosdam ſub vagorum Scholarium nomine diſcurrentes ſcurriles, maledicos, blaſphemos, adulationibus importune vacantes, qui ſe clericos in vituperium clericalis ordinis profitentur, nonnulla pio zelo pro ſalubri eorum correctione emanaverint inſtituta: ex his tamen nullus fructus aut modicus jam provenit. Publice nudi incedunt, in furnis jacent, tabernas, ludos & meretrices frequentant; peccatis ſuis victum ſibi emunt, inveterati ſectam ſuam non deſerunt: ſic ut de eorum correctione nullus remaneat locus ſpei; ideoque prioribus ſtatutis pro ſalute animarum ſuarum, quam quærimus, ſalvis: adjicimus & denuntiamus in hac ſacra Synodo, ſub pœna privilegii clericalis publice prohibentes, ne quis ſectam *vagorum Scholarium* reprobatam aſſumat, ſeu in ea permaneat, vel eam exercere præſumat. Alioquin eos, qui hujuſmodi ſectam ante hanc noſtram conſtitutionem temere aſſumptam, infra menſem, a tempore promulgationis ejuſdem conſtitutionis numerandum, penitus non dimiſerit, & illos, qui nunc aſſumere præſumpſerint; ipſo facto ſtatim omni privilegio clericali exui præcipimus & nudari: volentes, ut quandocumque a Monaſteriis, Eccleſiis vel Clericis, cujuſcumque rei importuni aut violenti fuerint exactores, ipſis eosdem liceat noſtra auctoritate capere, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, brachio ſæculari. Et eos captos nobis vel Archidiaconis noſtris aſſignari volumus, noſtro carceri, ut nobis videbitur, includendos; ut ſic reatus omne excludat privilegium in his, quos vilitas vitæ eo nec frui patitur, nec gaudere.

Hæc ex Gretſero Binius & Hanſiz Tom. III. German. Sacræ pag. 432.

Dupinius ait, hæc tria Decreta, quæ ſine data in MS. extant, referri ad hoc Concilium Saltzburgenſe. *Bibliothecæ novæ Auctorum Eccleſiaſticorum Tomo X. pag.* 197.

Aliud in eodem Concilio publicatum, nempe: Sententia devotionis in Meinhardum Comitem Teriolenſem, Carinthiæ Ducem, propterea, quod caſtra Epiſcopis Tridentino & Brixinenſi erepta, non reſtituerit. *Hanſiz Loco citato.*

Nicolaus Pontifex protervum Principem Maynardum, Tyrolis Comitem, literis dehortatur, ut ne diripiat Chriſti crucifixi opes, ut erepta Brixinenſi Eccleſiæ bona reſtituat, ejusque culpæ ſocium, Comitem Goritiæ, arguit: rogatque Regem Romanorum Rudulphum, atque Albertum Auſtriæ Ducem, ut reddi ablata imperent: Literas recitat. *Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad annum* 1291. §. 66. *pcg.* 451.

CONCILIUM ULTRAJECTINUM

STATUTA X.

Anno Chriſti MCCXCI. Nicolai IV. Papæ IV. Rodulphi I. Imp. ultimus.

Epiſtola I. Canonica ſub Johanne de Zyrich, Epiſcopo Trajectenſi.

JOHANNES, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS TRAJECTENSIS, UNIVERSIS ET SINGULIS TAM CLERICIS QUAM LAICIS NOSTRÆ CIVITATIS ET DIŒCESIS SALUTEM IN DOMINO, ET MANDATA NOSTRA SALUBRITER OBSERVARE.

CUm ſicut fama referente dicicimus plures & diverſi exceſſus graves & enormes & intolerabiles, quod dolenter referimus, in noſtra civitate & Diœceſi

cesi tam a Clericis, quam a laicis perpetrati sint frequenter, & adhuc perpetrentur sæpius; Nos ex nostro officio pastorali aliquibus eorum aliquali remedio volentes obviare, ne impunitatem eorum delictorum homines consuetudini potius, quam emendationi valeant imputare.

I. *In primo* (a) excommunicamus omnes & singulos Clericos & laicos, cujuscunque conditionis existant, aut status nostræ Civitatis & Diœcesis, jurisdictionem Ecclesiasticam de cetero impedientes seu perturbantes qualitercumque, seu litteras rumpendo, aut rapiendo, seu nuncios & portatores earum deludendo, capiendo, detinendo, seu damna, injurias, molestiasque eis inferendo, vel quoquo modo alio dictam jurisdictionem Ecclesiasticam perturbando.

II. Item excommunicamus omnes & singulos fautores & complices (b) eorum, nec non dantes auxilium, & consilium, qualecumque, qualitercumque, publice vel occulte, ut jurisdictio Ecclesiastica perturbetur, impediatur, seu etiam molestetur.

III. Præcipimus etiam omnibus, & singulis, & Presbiteris Ecclesiarum, ut quandocunque aliquis casus prædictorum emerserit, cessetur a Divinis in loco, in quo tale impedimentum, seu perturbatio, seu molestia facta fuerit: etiam ubi dictos malefactores moram facere contigerit, & in prædictis locis & aliis vicinis Ecclesiasticis a Rectoribus & Presbyteris earundem, eidem malefactores tamdiu excommunicati denuncientur publice, quousque Deo & Nobis, ac passis injuriam condignam emendam præstiterint, & ab hujusmodi sententia, sive sententiis, a nobis beneficium absolutionis meruerint obtinere.

IV. *Item* excommunicamus (c) authoritate Apostolica nobis in hac parte commissa, atque nostrâ, manifestos occupatores bonorum ad nos, & Ecclesiam nostram Trajectensem, Canonicos, Capellanos, ac Clericos, ipsius Ecclesiæ communiter vel divisim spectantium, & notorios malefactores nostros & excommunicatos publice nunciari volumus, & mandamus singulis diebus Dominicis & Festivis, nisi infra mensem a die notificationis hujusmodi nostri processus eis factæ, bona occupata hujusmodi restituant, & damno illato satisfecerint competenter. Præcipimusque in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis Decanis ruralibus, & Provisoribus omnibus & singulis, ut nomina dictorum occupatorum; aut injuriam nostrorum detentorum manifestorum, quos præsciverint, & quando sciunt, infra unius spatium mensis a die scientiæ eorum, nobis indicent personaliter per litteras, aut per nuncios, aut revelent.

V. *Item* excommunicamus & excommunicatos denunciamus, & denunciari volumus & mandamus, tam authoritate nostra, quam etiam virtute constitutionis felicis recordationis Domini *Petri*, *Sancti Georgii ad velum aureum quondam Diaconi* Cardinalis, tum temporis in *partibus inferioris Germaniæ Legati* omnes & singulos Presbyteros & (d) Clericos nostræ Civitatis & Diœcesis cohabitatores, & concubinarios manifestos, quousque destiterint, & de hujusmodi sententiis beneficia absolutionum meruerint obtinere. Item cum propter continuationes delictorum necessum sit augeri pœnas in exemplum, districte præcipimus & mandamus omnes excommunicatos ab homine vel a Canone, suspensos, aut irregulares ex quacumque causa effectos, de quibus talia publica sunt & notoria, a cunctis fidelibus Christi vitari. Et si laici per plebanos & Presbyteros eorum in ipsorum Ecclesiis, & si Presbyteri aut Clerici extiterint per Decanos, qui eis præsunt in eorum capitulis tales quales fuerint publice nunciari, alias contra eos temporaliter gravius processuri, pro ut eorum pertinacitas exigerit, aut juris ratio suadebit, quousque super prædictis absolutiones & dispensationes meruerint obtinere.

VI. *Item* (e) præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ omnibus & singulis Decanis & Presbyteris Ecclesiarum Parochialium, & sub pœna suspensionis ab officio, quam in eos, & singulos eorum ferimus in his scriptis, nisi fecerint, quod man-

(a) Excommunicantur jurisdictionis Ecclesiæ perturbatores.
(b) ac eorum complices.
(c) Occupantes bona Ecclesiæ.
(d) Clerici tenentes Concubinas.
(e) Varia præcepta Decanis & Provisoribus lata.

mandamus, quibus nomina beneficiorum, quæcumque vacant, aut vacabunt per noſtram Diœceſim infra tempus, nec non & nomina beneficiornm Eccleſiaſticorum, quæ tanto tempore in noſtra Diœceſi vacaverint, quod eorum collatio ad Nos ſeu ad ſedem Apoſtolicam, juxta *Lateranenſis ſtatuta Concilii* devoluta eſt, nobis ſeu Procuratoribus noſtris, ad hoc deputatis ſeu etiam deputandis, aut Nobis infra unius menſis ſpatium a tempore ſcientiæ eorundem perſonaliter, per litteras aut per nuncios ſtudeant intimare.

VII. *Item* præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, quod nullus Plebanos, Paſtores, & curatos Vicarios, quocumque nomine cenſeantur, ad Eccleſias aliquas noſtræ Civitatis & Diœceſis inſtitutos, deſtituat motu propriæ voluntatis ſine juſta & rationabili cauſa; cum non expediat Eccleſiis & Parochianis eorum Curatos ſeu Vicarios temporales habere.

VIII. *Item* præcipimus & mandamus Decanis ruralibus & Proviſoribus, quocumque nomine noſtræ Civitatis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, quam in eos & quemlibet eorum ferimus in his ſcriptis, niſi fecerint quod mandamus, ut quilibet eorum ſingulas Abbatias, Prioratus, Cœnobia, Eccleſias collegiatas, Conventuales & Parochiales, in Capellas ſeu Decanatus nobis in ſcriptis nominatim, vel infra unius menſis ſpatium, & eorum nomina, & numerum integraliter nobis remittat.

IX. *Item* inhibemus omnibus & ſingulis Decanis ruralibus, Proviſoribus noſtræ Diœceſis, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, quam in eos & quemlibet eorum ferimus in his ſcriptis, ſi contra præſentem inhibitionem venerint quoquo modo, quatenus nullus eorum intromittat de *decimis*, aut quibusl. ad noſtram juriſdictionem & cognitionem ſpectantibus, ſine noſtra licentia ſpeciali: quod ſi fecerint, ſuſpenſionis ſententiam ipſo facto incurrant, & proceſſus eorum nullius penitus ſit momenti.

X. Revocamus etiam quaſcumque commiſſiones, ab officio noſtro curiæ Trajectenſis, ſeu quibuscumque aliis in prædictis factas hucusque, caſſantes, irritantes, & irritos nunciantes omnes, & ſingulos proceſſus de cætero habendos, a quibuscunque virtute commiſſionum hujuſmodi in prædictis, ut præmiſſum eſt, conceſſarum. (*f*) Præſentem autem proceſſum noſtrum hic & in veſtra præſentia tam patenter publicatum, & lectum per omnes & ſingulos Decanos, & Proviſores noſtræ Civitatis, & Diœceſis in ſingulis eorum capitulis, convocatis ad hoc ſpecialiter Confratribus Presbyteris eorundem, publicari volumus, ac ipſius copias proceſſus omnes Rectores, & Presbyteros, & Vicarios noſtræ Civitatis, & Diœceſis recipere præcipimus & mandamus, ut ipſum proceſſum in eorum Eccleſiis diebus Dominicis & Feſtivis ſolemniter; coram omni populo prædicent & diligenter exponant. Et ut nullus impoſterum ipſius proceſſus ignorantiam prætendat, cum non ſit veriſimile remanere incognitum, quod tam ſolemniter, & tam publice omnibus propalatur. Ad certitudinem præſentis, munimen huic modo proceſſui, ſigillum noſtrum duximus apponendum. *Actum & datum Trajecti, anno Domini MCCXCI. feria ſexta*, poſt feſtum Beatæ Agnetis Martyris & Virginis.

Batavia ſacra Heusdenii pag. 166. *& ſeqq.*

(*f*) Per Jurisdictionis fines publicanda.



CON-

CONCILIUM ASCHAFFENBURGENSE
PROVINCIALE
Anno Chriſti MCCXCII. Nicolai IV. Papæ ultimo. Adolphi Regis I.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

GERHARDUS, (a) DEI GRATIA, SANCTÆ MOGUNTINÆ SEDIS ARCHI EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER GERMANIAM ARCHI-CANCELLARIUS; UNIVERSIS CHRISTI-FIDELIBUS PER MOGUNTINAM CIVITATEM, DIOECESIM, ET PROVINCIAM CONSTITUTIS, SINCERAM IN DOMINO CARITATEM.

Noverit veſtra Caritas, quod anno Domini MCCXCII. XVII. Kal. Octobr. in *Concilio Aſchafenburgenſi* celebrato, de venerabilium Fratrum noſtrorum, S. Moguntinæ Eccleſiæ Suffraganeorum, (b) nec non de Prælatorum noſtrorum conſilio & aſſenſu, univerſa ſtatuta a noſtris Prædeceſſoribus edita declaravimus & præſentibus, declaramus per totam noſtram Provinciam fore tanquam provincialia ab omnibus obſervanda, quibus ſubſcripta duximus annectenda ſtatuta.

I. In primis igitur ſtatuimus, ut ſi aliquis Clericus vel laicus utriuſque ſexus cujuscumque dignitatis, Religionis, vel ſtatus exiſtat, auſus ſit præſumptione dampnabili publice prædicare, occulte docere, credere & tenere quod Sacerdos in mortali peccato exiſtens non poſſit conficere Corpus Chriſti, ſeu ſic ligatus, ligare vel abſolvere ſuos ſubditos a peccatis, pro hæretico & incredulo habeatur, quem errorem hujus ſacri approbatione Concilii dampnamus, anathematiſamus & penitus reprobamus, cum ſacræ Scripturæ dicat authoritas quod ſive bonus ſive malus ſit miniſter, per utrumque Deus effectum gratiæ confert: non enim quia ſancta ſunt, coinquinari poſſunt, nec ipſa Sacramenta poteſt hominum malitia profanare: unde quomodocumque Sacerdos pollutus exiſtat, divina non poteſt polluere Sacramenta, quæ purgatoria cunctarum exiſtunt: licite ergo a quocumque Sacerdote ab Eccleſia tolerato, divina myſteria audiantur & alia recipiantur Eccleſiaſtica Sacramenta.

II. *De Sacerdotibus & Campanariis.*

Item quod Sacerdotes & Campanarii, qui Sacerdotibus ad Altare circa Baptiſmum, deportationem Olei Sacri, & Corporis Domini ad infirmos exiſtunt, & juxta quod eorum officium requirit, miniſtrant, ſuper veſtimenta ſua ſuppelliciis Sacerdotes, & Campanarii camiſiis albis utantur, diſtricte præcipimus obſervari, quas quidem camiſias campanariorum, & ſuppellicia Sacerdotum populus cujuslibet Parochiæ, quando & quoties neceſſe fuerit, dent de eleemoſynis, quæ in Parochiis haberi poſſunt; alioquin de ſuis propriis ſumptibus comparabit, auctoritate totius Concilii ſtatuentes, ut Sacerdos, qui poſt publicationem hujus ſtatuti ſuppellicium pro ſe & camiſiam pro ſuo Campanario non habuerint; infra duos menſes poſt eandem publicationem proxime ſubſequentes, tamdiu ceſſet ab officiis divinorum, donec defectus hujus ſuppleatur, & dampnum quod ex tali ceſſatione in oblationibus Sacerdotem contigerit ſuſtinere,

(a) Gerardus de Epſtein, ſecundus hoc nomine, Canonicus Moguntinus, anno 1288. fuit præ Competitore Romæ à Nicolao IV. unctus & conſecratus Archi-Epiſcopus Moguntinus. Obiit 1304. 25. Februarii.

(b) Eyſtettenſis, Bambergenſis, Herbipolenſis, Hildesheimenſis, Auguſtanus, Wormatienſis, Spirenſis enumerantur *a Trithemio in Chronico Hirſaugienſi* ad h. annum, & a *Serario rerum Moguntiæ Lib. V. pag.* 848.

Schateni acerbiorem cenſuram in mores Gerhardi II. *Tom. II. Annal. Paderborn. pag.* 201. improbat *Schannatus* & *Serarius Loc. cit.* bellorum neceſſitatem excuſat.

ſtinere, per populum ſuæ Parochiæ refundatur eidem: Verum, quia plerumque, & maxime in Parochiis ruralibus hoc contigit, ut propter Clericorum defectum Sacerdotes ſolos oporteat celebrare, contra Canonicas Sanctiones inhibentes, ne Presbyter ſine miniſtri ſuffragio Divina Officia, & maxime Miſſarum ſollempnia præſumat celebrare, inhærentes Concilio *Toletano*, ubi dicitur: *Væ ſoli, quia non habet, cum ceciderit, ſublevantem;* provida deliberatione Sacri Concilii decernimus, ſtatuendo, ut omnes Sacerdotes in villis extra oppida celebrantes loco campanariorum illiteratorum, perſonas de cætero habeant fide dignas, legere & cantare ſcientes, quæ quidem perſonæ de ornatu Parochiæ fideliter conſervando ſufficienti præſtita cautione univerſos redditus percipiant, campanariis laicis hactenus deputatos, nec ab illis officiis ſine Archidiaconi conſenſu valeant amoveri, alioquin contrarium facientes per Diœceſanum vel locorum Archidiaconos ad idem faciendum compelli poterunt Eccleſiaſticam per Cenſuram.

III. *De portatione Corporis Domini.*

Et licet omnes Chriſti fideles in deportatione Euchariſtiæ ad Infirmum ſequi conveniat reverenter, præcipue tamen Sacerdotes, dum ipſum Dominicum Corpus in manibus ſuis geſtant, procedere condecet humiliter & devote. Obinde præcipimus ſtatuendo, ut nullus de cœtero Sacerdos in deportatione hujus maximi ac ſaluberrimi Sacramenti, quantumcumque aura mala, via lubrica, vel lutoſa exiſtat in calopedibus ire præſumat: Verum, quod aliqui Sacerdotes ex ſimplicitate, ſive juris ignorantia, quidam ex avaritiæ vitio, qui (*a*) fere omnium oculos excæcavit, dum Euchariſtiam, oleum Infirmorum, & Baptiſma parvulorum, ſepulturam & alia Sacramenta Eccleſiaſtica ſuis ſubditis amminiſtrant, prætium extorquent ab ipſis, pro ſui erroris & reatus defenſione longam illius loci conſuetudinem prætendentes, nec advertentes, quod diuturnitas temporis peccatum non diminuit, ſed augmentat: Nos inhærentes Concilio *Turonenſi*, quod hujusmodi conſuetudinem maxime deteſtatur, ne pro his aut aliquibus Sacramentis Eccleſiaſticis conferendis aliqua de cœtero munia quantumcumque modica per Sacerdotes vel Prælatos a ſuis ſubditis tanquam debitum exigantur, ſub pœna excommunicationis ſententiæ jam latæ, de approbatione hujus ſacri Concilii diſtrictiſſime prohibemus, niſi hujusmodi munia ſponte & caritative a Chriſti fidelibus offerantur; Archidiaconis & eorum Officialibus ſub eadem pœna firmiter injungentes, ut in ſingulis Synodis, ſive Capitulis, quibus ſolent Clerici convenire, de hujusmodi vitio inquiſitionem faciant ſpecialem, & quos in eodem, per probationes legitimas invenerint laborare; ſi Vicarii fuerint, ipſos ſine omni ſpe reſtitutionis a ſuis Archidiaconatibus amovere, Paſtores vero ab officiis & beneficiis tamdiu ſuſpendere non omittant, donec ſuper hujusmodi ſymoniaca pravitate cum ipſis fuerit per ſuos Epiſcopos diſpenſatum: prædicta vero Paſtoris ſuſpenſione durante, Archidiaconi de redditibus Beneficiorum nihil percipiant eorundem, ſed Sacerdotes idoneos in Eccleſiis conſtituant taliter ſuſpenſorum, qui per omne tempus ſuſpenſionis eorum percipiant, & in ſuos uſus convertant univerſos redditus Eccleſiaſticos ipſis Paſtoribus competentes. Dignum enim eſt, ut qui altari ſervit, vivere debeat de altari, & illi proventus Eccleſiaſtici merito ſubtrahuntur, cui Eccleſiæ communio denegatur.

IV. *De Monachis & Monialibus.*

Præterea etſi contra Monachos & Moniales *de ſuis clauſtris propter aliquos enormes exceſſus, aut animi levitatem temere fugientes*, & in ſæculo ſæculariter per aliquot temporis ſpatium converſantes, ac tandem pœnitentia ducti ad clauſtra, de quibus profugere præſumpſerint, humiliter redire volentes, certæ & variæ pœnæ, juxta qualitatem & quantitatem excedentium a ſanctis Presbyteris ſint ſtatutæ, quidam tamen Abbates, & quædam Abbatiſſæ, ac cæteri Magiſtratus pœnis in ſacris Canonibus, ſive in ſui Ordinis Regula contra hujusmodi profugas perſonas expreſſis non exiſtentes contenti, graviores & quaſi importabiles pœnas ipſis in ſui reverſione imponere non verentur, vel quod deterius eſt, easdem perſonas quantumcunque humiliter ſupplicantes vel

(*a*) *corrige:* quæ, *vel* quod.

vel postulantes ad sua claustra, de quibus taliter exiverunt, admittere inhumaniter contradicunt: cum igitur juxta Sacrorum Canonum diversas auctoritates pœnæ non ampliandæ, sed potius sint laxandæ, & longe securius sit de misericordia, quam de crudelitate reddere rationem; cum etiam Dominus per os Prophetæ pollicitus sit, sic dicens: *Peccator, in quacumque hora conversus fuerit & ingemuerit, omnium iniquitatum suarum amplius minime recordatur.* Nos adjicientes, quod ubi Pater-familias largus dispensator existit, non decet famulum esse tenacem; ut peccandi materia & occasio personis talibus præcludatur, provida deliberatione hujus sacri Concilii decrevimus statuendum, & sub pœna suspensionis universis Abbatibus, Abbatissis, & cœteris Monasticis Magistratibus cujuscunque ordinis ac conditionis existant, ac quocunque nomine appellentur, injungimus firmiter & districte, ut suis fratribus & sororibus in apostasiæ labem ex quacunque causa prolapsis, desiderantibus & petentibus cum humilitate ac devotione regressum, sinum misericordiæ, quem alma Mater Ecclesia claudere nulli pœnitenti consuevit, more pii Patris-familias, qui filium prodigum, & postmodum pœnitentem, paterne recepit, liberaliter studeant aperire, ita quod hujusmodi personas redire ad sua claustra volentes, quantumcumque earum excessus graves fuerint vel enormes, juxta cujuslibet Ordinis disciplinam sive regulam in consuetudine observata, sine qualibet conditione recipiant & admittant: ita tamen, quod propter eorum excessus, nec victus, nec vestitus subtrahatur eisdem, sed alias, sicut prædiximus, regulariter puniantur: alioquin prædictam suspensionis sententiam per Ordinarios locorum, seu Officiales eorum in omnes contradictores procedente tempore juxta quod eorum protervia meruit, præcipimus promulgari.

V. *De Testamentis & Legatis.*

Adhæc, quod quædam in quibusdam locis & partibus consuetudo, imo potius corruptela detestabilis observatur: videlicet, quod tam Clericus, quam laicus in lecto ægritudinis constitutus ultra quinque solidorum usualis monetæ, vel aliam summam juxta loci illius consuetudinem limitatam, nec piis locis, nec personis Ecclesiasticis pro animæ suæ remedio & salute, possint ordinare legata: Considerantes prædictam consuetudinem, & sacris Canonibus, & sæcularibus Legibus obviare, cum omnia jura clament, quod ultima voluntas, & ultimum hominis testamentum immobile perseverat, & nihil sit, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis liber stylus existat; eandem consuetudinem Deo odibilem, animabus & bonis moribus inimicam. auctoritate hujus sacri Concilii penitus reprobamus, firmiter statuentes, ut unicuique quem jura a testamentorum non prohibent factione, in sanitate vel in loco ægritudinis constituto, legandi, disponendi, & ordinandi de bonis, a Deo sibi collatis, circa pia loca & personas Ecclesiasticas, dummodo suos hæredes contra legitimas non prætereat Sanctiones, libera sit facultas; volentes & præcipientes districte, ut per locorum Episcopos & cæteros Prælatos jurisdictionem habentes, universi Clerici & laici, impedientes defunctorum legata seu ultimas voluntates, per excommunicationum in personas, & interdicti in loco, sententias, octo dierum monitione præmissa ferendas, ab hujusmodi impedimentis desistere compellantur, ad quarum executiones & debitas aggravationes procedente tempore faciendas, Episcopi & Prælati, ad quos testamentorum defensio utroque jure suadente dignoscitur pertinere, tam benivolos se exhibeant & paratos, ne hujusmodi negligentia de eorum manibus in die districti judicii requiratur.

VI. *De Pastoribus & eorum Vicariis.*

Præterea quorundam Pastorum malitiis, qui singulis annis Vicarios a suis Ecclesiis, in quibus per consensum Diœcesani vel Archidiaconi instituti noscuntur, ob quendam temporalem questum amovere satagunt, obviare volentes, Prædecessorum nostrorum statutis duximus annectendum, ut Vicarius taliter institutus, ab eadem vicaria ad instantiam veri Pastoris Ecclesiæ non amoveatur aliqua ratione, nisi Pastor actu Sacerdos existens suam Ecclesiam velit regere per se ipsum, vel aliquam rationabilem causam

caufam amotionis contra fuum Vicarium coram Diœcefano, vel loci Archidiacono affignare valeat & probare.

VII. *De Ecclefia Parochiali vacante.*

Adhæc quædam confuetudo, imo potius corruptela in quibusdam partibus inolevit: videlicet, quod aliqua Ecclefia parochiali vacante, plures ad eam Clerici a diverfis Patronis in difcordia præfentantur, quibus coram Diœcefano, vel loci Archidiacono fuper ipfa Ecclefia contendentibus, is, ad quem inveftitura vel inftitutio Ecclefiæ talis fpectat, redditus five fructus ipfius fequeftrat, & in fuos ufus convertit, lite coram ipfo durante, imo, quod deterius eft, & merito deteftandum, litem, cui juxta utriusque juris præcepta finem imponere deberet, per diverfos circuitus fatagit prorogare, ut fic de prædictis redditibus fibi magis ac magis valeat inburfare: cum igitur hujusmodi confuetudo animabus perniciofa, & facris Canonibus fit repugnans; hujus facri approbatione Concilii ftatuimus, ut non obftante confuetudine fupradicta, quam penitus reprobamus, per omne illud tempus, quo parochialem Ecclefiam vel Capellam vacare contigerit, is, ad quem inveftitura feu inftitutio illius fpectat, per duos idoneos Presbyteros illius Capituli, in quo Ecclefia vel Capella talis exiftit, univerfos redditus five fructus, qui vero Rectori Ecclefiæ cedere confueverant, faciat, procuret, & mandet colligi & fideliter confervari; ita quod ei, qui evicerit, totaliter affignentur: alioquin fi ille, ad quem inveftitura pertinet, de hujusmodi redditibus occulte vel manifefte fibi aliquid præfumpferit ufurpare, jure inveftiendi ad aliqua beneficia in perpetuum fit privatus, & tale jus ad Superiorem proximum devolvatur, cui etiam duplum ejus, quod per hujusmodi fequeftrationem recepit, irremiffibiliter reftituere teneatur.

VIII. *De Inveftituris, vel etiam Religiofis obtentis.*

Quamquam antiqua Prædecefforum noftrorum ftatuta prohibere inveniantur diftricte, ne aliquis Clericus a laico de Beneficio Ecclefiaftico, in quo jus Patronatus obtinet, inftitui fe permittat, fed potius ab eo præfentatus, ab Epifcopo vel loci Archidiacono inveftituram recipiat, ab altero eorundem, cui id de jure vel de confuetudine competit, approbata; licet etiam Templariis, & Hofpitalariis, & aliis Religiofis in eisdem prohibitum fit ftatutis, ne Ecclefias parochiales, quas de confenfu Diœcefanorum, & Ecclefiarum Cathedralium fuis domibus feu Monafteriis uniri obtinent, per fuos Confratres officiare præfumant, fed Clericos fæculares Epifcopis, five Archidiaconis locorum præfentent, qui ipfos inveftiant tamquam perpetuos Vicarios in eisdem, ordinata ipfis competenti pro fui fuftentatione præbenda: quia tamen pœna fufficiens nondum eft prodita contra hujusmodi transgreffores, confiderantes, quod facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi; facri approbatione hujus Concilii hac pœna præfumptores prædictos duximus puniendos: ut Clericus a Patrono laico, vel etiam Clerico in Beneficio Ecclefiaftico fine Epifcopi vel Archidiaconi loci confenfu & licentia inftitutus, eodem Beneficio in perpetuum fit privatus, & ipfius collatio ea vice ad fuperiorem proximum devolvatur, de quo quidem beneficio fi temeritate propria intromiferit fe Patronus, jure, quod fibi competebat in eo, perpetuo fit privatus: Templarii vero, & Hofpitalarii, & alii Religiofi contrarium facientes non folum Ecclefias ea vice, verum & alias, fi quas habebant, prius ipfis unitas fine fpe reftitutionis ipfo jure per hujus Concilii decretum amittant.

IX. *De Laicis non curantes interdictum.*

Item in quibufdam locis, ut accepimus, in tantum excrevit temeritas & præfumptio laicorum, quod fi Epifcopi auctoritate ordinaria, feu delegata, in terram, villam, aut caftrum interdictum generale ponatur, iidem laici officium Sacerdotum, immo quod tunc temporis Sacerdotibus eft prohibitum, ufurpare conantes, ut Ecclefiaftica per hoc magis cenfura eludatur, apud loca taliter interdicta fepelire præfumunt in cœmiterio corpora defunctorum. Licet autem jam pridem contra præfumptores hujufmodi inter alia fit provifum, ut non refumantur prius divina, quam tumulata fic

cor-

corpora fuerint exhumata: quia tamen per illos, contra quos interdictum ponitur, antequam satisfaciant, frequenter in pactum deducitur, ut exhumationis pœna ab Ordinario, seu delegato ante omnia simpliciter remittatur; ne forte hujusmodi delinquentium temeritas hac occasione impunita remaneat, & per hoc ceteris detur audacia similia præsumendi; sacri approbatione Concilii statuimus & mandamus, ut quicumque ammodo intra cimeterium loci interdicti aliquod corpus seu corpora defunctorum sepelire præsumpserint, aut qui talia præsumentibus opem vel operam quocumque modo adhibuerint, Excommunicationis sententiam incurrant ipso facto, a quo non nisi per solum Metropolitanum, aut cui super hoc vices suas specialiter commiserit, absolvantur: Metropolitanus vero, aut ejus in hac parte Vicarius nequaquam ad impendendum talibus beneficium absolutionis procedat, nisi prius sepultis taliter corporibus exhumatis, Ecclesiæ & personis, quibus ex hoc injuria dignoscitur irrogata, satisfactum fuerit competenter, & nisi super facta exhumatione & satisfactione præstita, Ordinarii, aut si copia ipsius haberi non valeat, Officialium suorum litteras absolvendi ipsi pro testimonio exhibeant & ostendant.

X. *De Discordia Clericorum, & potentum Laicorum attractione.*

Quoniam nonnunquam contingit, quod ad vacantem Episcopatum vel aliam Prælaturam duo in discordia eliguntur, & alter, qui minori jure nititur, ut eum, cui majus est acquisitum, per potentiam, vel per tædium fatigare & exhaurire possit, attrahit sibi favorem potentum laicorum, quibus ut ei mutuent & assistant, promissiones facit de Beneficiis filiis eorum conferendis, & de juribus & libertatibus Ecclesiasticis remittendis: Nos huic morbo occurrere volentes remedio salutari, præsenti statuto hujusmodi Promissores & potentum Laicorum attractores volumus ipso jure Excommunicationis esse sententia innodatos, & nihilominus eum fore ineligibilem ad hujusmodi dignitatem, mutuatores etiam pecuniarum taliter in hoc casu volumus carere actionibus pro mutuo hujusmodi repetendo.

XI. *De Judicibus delegatis, & interdicto.*

Ad hæc plerumque contingit, quod judices delegati, seu subdelegati ipsorum ad quos supplices commissiones sub forma communi, a sede Apostolica diriguntur, auctoritate litterarum ipsarum ultra quam patiantur fines Rescripti Papalis per sententias procedentes, Terras, Civitates, Oppida & Villas occasione privatæ personæ, seu privatarum personarum Ecclesiastico subjiciunt interdicto, invocantes etiam super hoc Brachium sæculare: Nos igitur volentes hujusmodi iniquis processibus obviare, præsenti scripto declaramus de Fratrum nostrorum consilio & consensu quod Sacerdotes nostræ Civitatis, Diœcesis, & Provinciæ ad observationem seu publicationem sententiarum hujusmodi interdicti minime teneantur, nec etiam invocationi Brachii sæcularis, si quam faciunt, aliquatenus pareatur.

De Confessione facienda suo Plebano.

Insuper statuimus, ut si quis de plebe ad minus semel in anno & maxime tempore quadragesimali suam confessionem illi, qui eidem plebi per Diœcesanum vel loci Archidiaconum est præfectus, vel de ipsius licentia alteri confessiones generaliter audiendi potestatem habenti non fecerit Sacerdoti, huic si illo anno decesserit, quamvis confessionem faciat in extremis, nihilominus auctoritate hujus Concilii Ecclesiastica denegabitur sepultura, nisi forte aliqua legitima causa suadente locorum Archidiaconi, aut Officiales Diœcesanorum sepulturam hujusmodi duxerint indulgendam; ut alii hac pœna deterriti ad tam salubris Sacramenti remedium ferventius studeant convolare.

XII. *De Reverentia Prælatorum.*

Præterea in quibusdam Ecclesiis Conventualibus talis consuetudo invaluit ex antiquo, quod Prælatis earundem Ecclesiarum in assurgendo, & in aliis prærogativis a Canonicis exhiberi consuevit Reverentia specialis, ut per hujusmodi insignia ipsi Prælati, qui Columpnæ Ecclesiarum censentur, ab aliis simplicibus Canonicis possint discerni: sed quidam Canonici immemores juramenti in

eorum receptionibus præſtiti de Eccleſiarum conſuetudinibus obſervandis, nec advertentes, quod ſicut Legum ſic antiquarum conſuetudinum transgreſſores juxta utriusque juris præcepta non immerito ſunt plectendi, contra hujusmodi conſuetudines rationabiles juri conſonas, & præſcriptas ex quadam arrogantia vel etiam ſimultate, motu proprio venire præſumunt, propter quod non eſt dubium inobedientiæ notam, debitam Prælatis reverentiam ſubtrahendo, & perjurii reatum contra ſuarum Eccleſiarum conſuetudinem veniendo, prædictos incurrere transgreſſores: conſiderantes igitur, quod tunc Eccleſiaſticus Ordo confunditur, cum unicuique honor debitus non ſervatur, & antiquas honeſtates, & approbatas conſuetudines, & omnia Eccleſiarum jura illibata ſervari volentes, Prædeceſſorum noſtrorum Concilio annectendum duximus ſtatuendo, ut quicumque Canonicorum reverentiam Prælato ſuo debitam, juxta conſuetudinem in ſua Eccleſia approbatam, proprio motu ſubtraxerit terna vice, & de hoc per duorum de Capitulo juramenta ipſi Capitulo fuerit facta fides, a conſortio ſui Capituli, & perceptione proventuum ſuæ Præbendæ, tamquam inobediens & perjurus ad arbitrium ſui Epiſcopi, ipſo facto, auctoritate hujus Concilii ſit excluſus, per ipſum Epiſcopum, ſi ejusdem præſumptoris meruerit pertinacia, gravius puniendus. Si qui vero Prælati vel Canonici præſumptores hujusmodi diſpenſatione a ſuo Epiſcopo non obtenta, ad Capitulares Tractatus, vel ad perceptionem ſuarum ſe admiſerint Prebendarum, excommunicationis ſententiam, quam ex nunc de conſenſu hujus ſacri Concilii ferimus in eosdem, ſe incurrere noverint ipſo facto: quod ſi præſumptores præfati Tractatibus Capitularibus ſe ingerere: aut ſuarum Præbendarum proventus ante diſpenſationem ſuper prædicta ſua inobedientia & perjurii nota, a ſuo Diœceſano ipſis impenſam, temeritate propria contingere præſumpſerint ullo modo, ex tunc in illa Eccleſia, cui talis contumelia fuerit irrogata, octo dierum per ejusdem Eccleſiæ Capitulum monitione præmiſſa, ceſſetur ab Officiis Divinorum usque ad prædictorum exceſſuum ſatisfactione condigna juxta Diœceſani & læſæ Eccleſiæ Capituli arbitrium imponenda: ſi autem iidem præſumptores poſt ceſſationem Divinorum infra duos menſes plene non ſatisfecerint de commiſſis, vel ſaltem non inceperint emendare, per ſuos Diœceſanos Beneficiis Eccleſiaſticis ſpolientur.

XIII. *De Captivatoribus Clericorum.*

Præterea cum in Prædeceſſorum noſtrorum ſtatutis per pœnas contra Captivatores Clericorum proditas adhuc nec Eccleſiis, nec Eccleſiaſticis perſonis ſufficienter proviſum exiſtat, conſiderantes, quod pro unius delicto ſacri Canones interdum puniri præcipiunt totam terram, & nonnunquam propter parentum peccata in tertiam & quartam generationem filii puniuntur: Nos de ſimilibus ad ſimilia procedere cupientes provida deliberatione hujus ſacri Concilii Prædeceſſorum noſtrorum ſtatutis duximus annectendum, irrefragabiliter ſtatuentes, ut non ſolum eorum filii, qui Canonicos etiam in minoribus Ordinibus conſtitutos, & cæteros Clericos pro Clericis ſe gerentes, ac alias perſonas Eccleſiaſticas captivare, captivatas detinere, occidere, mutilare, aut lethalibus ſive nimis atrocibus vulneribus, quibus per medicorum nequit induſtriam ſubveniri, vulnerare præſumunt, ſed & omnis eorundem ſacrilegorum utriusque ſexus ab ipſis deſcendens poſteritas uſque ad quartam generationem, nec ad ſacros Ordines, nec ad aliqua Beneficia Eccleſiaſtica, nec in Clauſtris aut Cœnobiis cujuscumque Ordinis admittantur: quod ſi contrarium factum fuerit ex malitia vel etiam ex ignorantia ordinatos ab executione Ordinum perpetuo volumus eſſe ſuſpenſos: receptos vero ad beneficia Eccleſiaſtica ſæcularium Eccleſiarum pro non receptis haberi decernimus ipſo facto, ſed ne perſonis in Monaſteriis ſive Clauſtris receptis detur materia ad ſæculum redeundi, eas in ipſis Monaſteriis ita volumus remanere, quod in Conventu ultimi reputentur & nunquam ad officia vel dignitates aliquas aſſumantur: de illis autem perſonis, quæ in Eccleſiis Conventualibus aut Monaſteriis ante hoc noſtrum ſtatutum inveniuntur promotæ, auctoritate hujus ſacri Concilii hoc diſtricte præcipimus obſervari, ut ſi parentes eorum aliquid commiſerint præmiſſorum, prædictæ per-

personæ ob hujusmodi suorum parentum delictum nunquam ad dignitates aliquas assumantur, sed in suis gradibus persistentes ad ulteriores efficiantur ineligibiles ipso facto, omnibus aliis pœnis contra ordinantes, præsentantes, & recipientes personas hujusmodi, in priori Concilio constitutis, in suo robore duraturis, & quia de Canonicis & ceteris Clericis conviciatoribus & percussoribus per Prædecessorum nostrorum statuta nulla certa forma vel pœna præter eam, quæ in jure communi comprehenditur, invenitur expressa: nos attendentes, quod plus timeri solet, quod specialiter injungitur, quam quod generaliter imperatur, approbatione totius Concilii necessario duximus statuendum, ut Canonicus, qui suæ vel alterius Ecclesiæ Canonicum verbis probrosiis affecerit manifeste, per quartam; si vero convicia manifesta dixerit in Prælatum, per mediam partem anni a perceptione fructuum suæ præbendæ penitus sit exclusus: si quis autem Canonicorum in prædictas personas, etiam citra sanguinis effusionem manus injecerit temere violentas, pœnas prædictas dupliciter patiatur. pro vulnere autem his personis ab aliquo Canonicorum illato, si etiam nulla membrorum mutilatio ex tali vulnere fuerit subsecuta, sine omni remissione per præmissas pœnas quadrupliciter puniatur, & insuper in utroque casu juxta sui Diœcesani arbitrium læso satisfaciat competenter, antequam restitutionis beneficium consequatur, sed pro temeraria membri mutilatione, omni beneficio Ecclesiastico sit ipso jure privatus: quæ omnia & singula circa alios Clericos beneficiatos, si personas Ecclesiasticas prædictis modis lædant, seu lædantur ab ipsis, juxta prædictam formam & ordinem sub pœnis eisdem præcipimus observari, salvis tamen aliis pœnis in sacris Canonibus contra temerarios violentarum manuum in Clericos injectores expressis, salvis etiam juribus, quæ vim repellere vi permittunt.

XIV. *De Vulneratione Clericorum.*

Verum quia a quibusdam solet in dubium revocari, utrum eadem pœna, quæ contra mutilatores in alio Concilio est prodita Clericorum, ad eos qui ipsos Clericos vulnerant similiter extendatur: nos ambiguitatem hujusmodi interpretatione congrua declarantes; pro illis vulneribus, quæ curari ope nequeunt medicinæ, eandem pœnam, quæ contra captivatores & mutilatores Clericorum in alio Concilio est expressa, per omnia dicimus esse servanda.

XV. *De Nuntiis Ecclesiasticorum Judicum.*

Præterea quidam crudeles homines & perversi, dum ad forum Ecclesiasticum in causis etiam, de quibus Ecclesia merito habet cognoscere, ab actoribus evocantur, illius auctoritatis, qua dicitur, *qui honorat missum, mittentem honorat*, immemores existentes, Nuntios Ecclesiasticorum Judicum Citationis, Excommunicationis, vel alias judiciales & juris Litteras deferentes, verbis probrosis, & quandoque diris verberibus, quosdam etiam captivantes, alios interdum suis rebus temere publice spoliantes, multipliciter afficiunt & perturbant, & impediunt citationum & Litterarum executiones in non modicam Ecclesiasticæ libertatis contumeliam & jacturam: considerantes igitur maliciis hominum non esse aliquatenus indulgendum, hoc sacro approbante Concilio decernimus statuendum, ut Reus Nuntios acta judicialia deferentes per se vel per alium verberans, spolians, vel captivans, lite etiam non contestata, authoritate hujus Concilii, habeatur penitus pro convicto: actor vero in causa reconventionis similia perpetrare per se, vel per alium non formidans, super instituta contra reum actione amplius nullatenus audiatur: & insuper uterque, ac omnes alii, qui nomine & occasione eorum, qui talia facere præsumpserint usque ad condignam satisfactionem læso & judicibus exhibendam, excommunicationis sententia, ab ipsis læsis judicibus, summaria cognitione super hujusmodi forefacto præhabita percellatur.

XVI. *De injustis Spoliatoribus Clericorum.*

Item, cum a nonnullis in dubium revocetur, qualiter statuta contra Ecclesiasticarum personarum spoliatores a nostris Prædecessoribus edita intelligi debeant & servari, præsertim cum spoliator non infra octo dierum spatium, quod super

per restitutione spolii facienda statuit Concilium Moguntinum, coram judice, a quo emanavit monitionis Edictum, comparuerit & se juri obtulerit pariturum, dummodo circa spolium sibi impositum ordo judiciarius observetur. Nos hujusmodi ambiguitatem approbatione hujus sacri Concilii taliter duximus declarandum, ut si conquerens de spolio, ipsum esse spolium notorium asseveraverit coram judice, & super tali notorio monitionis litteras impetrarit actor in pœna rei infra octo dierum spatium non curantis venire, post lapsum ipsorum octo dierum ad probandum hujusmodi notorium admittatur, sive reus absens fuerit per contumaciam, sive præsens, quo probato reus ad restituendum ea, quæ actor se per ipsius violentiam amisisse declaraverit, cum expensis abinde factis & satisfactione condigna sententialiter compellatur: si vero in probatione notorii defecerit reo condempnabitur in expensis, & ex tunc lite quasi contestata super spolio probando observabitur debitus ordo juris: quod si is, cui spolium est impositum, infra terminum monitionis comparens se juri obtulerit pariturum, libellumque & inducias deliberatorias petierit sibi dari, in hoc casu dicimus taliter distinguendum; aut actor tamquam super notorio contra reum, aut simplici forma citationis litteras impetravit: in primo casu ad probandum notorium lite etiam non contestata sine prorogatione qualibet admittetur, & hoc probato, rem ablatam juxta legitimam declarationem ipsius cum expensis legitimis & satisfactione debita per condempnationem judicis consequetur, alioquin reus ab actoris instantia quantum ad spolium sibi impositum totaliter absolvetur cum refusione legitima expensarum: & hunc modum & processum similiter circa eum, qui infra terminum monitionis justo impedimento detentus venire non poterit, & hoc legitime probaverit, per omnia volumus observari: litteras autem super spolio a solis Diœcesanis locorum vel eorum Officialibus præcipimus impetrari, alias ab aliis judicibus impetratas carere viribus decernentes.

XVII. *De Judæis.*

Licet olim in generali Concilio provide fuerit institutum, ut uterque sexus de gente Judæorum in omni Christianorum provincia signum vel habitum publice deferre debeat, quo a populo Christiano manifeste distingui valeat & discerni, fueritque adjectum & salubriter provisum in Concilio memorato, ut in diebus Dominicæ Passionis in publicum prodire non debeat gens prædicta, sed in suis se domibus continere clausis domorum hostiis & fenestris; ut sicut in eodem Concilio tangitur, Christianis, qui sacratissimæ passionis memoriam exhibentes lamentationis signa protendunt, illis diebus ab eodem Judæorum populo non illudatur: licet etiam alias in sacris Canonibus prohibeatur expresse, ut Judæi nec publica officia, nec aliquas sæculares habeant dignitates, aut in suis domibus & servitiis mancipia teneant Christiana: Quia tamen nec contra Judæos, in prædictis præhabitis casibus contrarum facientes, nec contra Christianos potentes, ipsos sine distinctionis signo vel habitu in suis terminis tollerantes, aut publicis officiis vel sæcularibus dignitatibus præficientes eosdem, certa & sufficiens pœna in canonibus reperitur: considerantes, quod facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi, & plus solet timeri quod specialiter præcipitur, quam quod generaliter imperatur, de multa deliberatione & unanimi approbatione hujus sacri Concilii irrefragabiliter duximus statuendum, ut in universis Civitatibus, oppidis, castris & villis Civitatis, Diœcesis & Provinciæ Moguntinæ Gens Judæorum utriusque sexus infra duos menses post publicationem hujus statuti talia signa & habitum, quibus sine qualibet ambiguitate a Christiano populo distinguatur, sibi eligat & deferat manifeste: dignitatesque sæculares & officia publica, quibus de gente præfata aliquis forte præest, & mancipia Christiana prorsus dimittat, alioquin in omnibus locis, ubi Judæi, huic sacro & salubri Concilio in hac parte obedire nolentes, habitare vel domicilia obtinere noscuntur, in pœnam Christianorum Potentum tamdiu cessetur ab officiis Divinorum, donec per Principes potestates Nobiles Christianos, in quorum Territoriis prædicta gens misera conversatur, ad observationem præmissorum omnium compellantur: ipsi autem Judæi per locorum Diœcesanos indirecte per subtractionem

ctionem communionis Christi fidelium Excommunicationis sententia percellantur: si quis vero de gente præfata in die Parasceve visus fuerit in platea, vel per hostium suæ domus aut fenestram prospicere, ad quod probandum duorum Christianorum stabitur juramento, is loci Diœcesano in marca argenti pœnæ nomine teneatur, ad cujus solutionem reus & omnes defendentes eundem per excommunicationis sententiam compellantur, & nequis Christianus aut Judæus hujus statuti ignorantiam valeat allegare, Universis Parochiarum Rectoribus per Moguntin. Civitatem, Diœcesim, & Provinciam constitutis, in quorum Parochiis Judæi morantur, sub pœna Excommunicationis in quoslibet transgressores auctoritate præsentis Concilii ex nunc latæ, præcipimus firmiter & districte, ut quilibet in sua Parochia in singulis Dominicis diebus, singula quatuor tempora immediate sequentibus infra Missarum solempnia publice præfatum statutum lingua materna exponere non omittant.

XVIII. *De Statutis contra Ecclesiarum libertates.*

Ad hæc sacro approbante Concilio irritamus & irrita nuntiamus omnia statuta & consuetudines, quas civitates vel loca, potestates, Consules, vel quæcumque aliæ personæ contra libertates Ecclesiæ ac personas Ecclesiasticas edere vel servare adversus canonicas sanctiones præsumpserint, & eadem a suis Capitularibus mandamus infra duos menses post hujus publicationem statuti penitus aboleri, & si similia de cœtero acceptavint ipso jure decernimus esse nulla: Potestates vero ac omnes Statutarii ipsorum locorum, & qui secundum statuta & consuetudines memoratas judicaverint, ex tunc inhabiles sint omnem in Ecclesia Dei legitimum ad actum, salvis nihilominus aliis pœnis contra tales in generali Concilio promulgatis.

XIX. *De Exactionibus.*

Item statuimus, ut quæcumque civitas vel communitas, persona publica vel privata collectas sive exactiones, angarias, sive proangarias Ecclesiis vel aliis piis locis ac Ecclsiasticis personis imponere, vel bona Ecclesiastica invadere præsumpserit, si requisiti emendare contempserint, quadruplum refundant, aut pœna subscripta contra ipsos suosque hæredes districtius observetur.

Præterea nullus Ecclesiasticam personam in criminali causa vel civili quæstione, nec aliquam pro rebus, bonis, vel possessionibus Ecclesiarum sive jure personali, quod vulgo Lipgedinge dicitur, quis earundem Ecclesiarum possessiones vel bona possideat, sive alio quocumque titulo trahere præsumat in judicium sæculare.

XX. *De Foro competenti.*

Jurisdictionem Ecclesiasticam præterquam per vias a Canonibus indultas nullus attemptet aliquatenus impedire & Ecclesiarum vel aliorum locorum communitatem hactenus de jure vel de consuetudine obtenta infringere ac aliqualiter violare.

XXI. *De Ungelt.*

Novas etiam Exactiones, quæ vulgo *Ungelt* dicuntur, nulla civitatum instituat, & ab institutis post hujus Edicti publicationem infra mensem desistat nec mensuras rerum venalium ab antiquo servatas & a fidelibus approbatas minuere vel mutare præsumat: de servis & mancipiis Ecclesiarum in civitatibus residentibus, post eorundem servorum mortem, Ecclesiæ debita jura quorum servi & mancipia fuerunt, recipere minime prohibeantur.

XXII. *De ultimis Voluntatibus.*

Ultimas quoque morientium voluntates nullus impediat, & causa super testamentis exorta coram nullo præter quam Ecclesiastico judice tractetur.

XXIII. *De Advocatis Ecclesiarum.*

Hac etiam in constitutione sancimus, cunctos Ecclesiarum advocatos infra provinciæ nostræ terminos constitutos, cujuscumque sit præeminentis status, eisdem juribus esse contentos, quæ ipsis seu eorum Antecessoribus fuerunt concessa tempore, quo advocatiam hujusmodi susceperunt, & Ecclesias quarum Advocati existunt defensare studeant & manutenere pro posse.

XXIV. *De Bonorum Ecclesiasticorum Invasoribus.*

Insuper statuimus, ne persona quantumcumque nobilitate aut præeminentia status præfulgeat, Ecclesias ac Ecclesiastica bona, jura, jurisdictiones, & vasallos eorum violenter ac auctoritate propria publice occupare, aut occupando invadere, vel scienter occupatoribus Ecclesias & bona prædicta præstare præsumat quomodolibet per se, vel per alium, aut per alios, consilium, auxilium, vel favorem: & nisi requisitus infra mensem Ecclesiæ læsæ aut Prælato ipsius dampnum illatum emendaverit; ipso facto sit anathematis vinculo innodatus: decedentium etiam Clericorum peculium occupare vel occupatum detinere, omnibus laicis sub anathematis pœna ex nunc prout ex tunc in ipsos lata districtius inhibemus: Quicumque etiam laici ad Beneficia Ecclesiastica quorum Jus Patronatus ad ipsos spectare dinoscitur, sub dolo & fraude personas præsentaverint, si de dolo & malitia convicti fuerunt, ea vice dumtaxat Ordinarius loci Ecclesiæ vacanti, idonea, secundum suam providentiam, provideat de persona.

XXV. *De Religiosis Ordinibus.*

Præterea statuimus, ne Religiosi cujuscumque Ordinis vel Religionis existant fines suorum excedant privilegiorum (cum privilegium mereatur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate) si qui etiam Religiosorum per donationem, vel alium legitimum titulum jura Patronatus aliquorum Beneficiorum Ecclesiasticorum acquisiverint, talia beneficia propria temeritate suis usibus non usurpent, sed ipsis vacantibus ad ea Sacerdotes idoneos præsentent, alioquin elapso tempore a jure statuto Ordinarius loci, prout Ecclesiæ expediat, providum instituat in curatum: si quis etiam Parochiales infra quarum limites grangias & Monasteri habuerint, terras, agros, prata, vel vineas aut alia bona, de quibus jure decimam solvere tenentur, in decimatione defraudaverint, omnes ipsis ad hoc opem vel operam dantes, & ipsorum servitiis intendentes, decernimus ipso facto excommunicationis sententiam incurrisse: quicumque vero ausu temerario contra prædictam constitutionem venerit, cujuscumque status fuerit vel conditionis, ipso facto sit anathematis vinculo innodatus: & si Clericus fuerit, qui talia commiserit, omnibus suis Beneficiis Ecclesiasticis & Dignitatibus privatus, & ad uleriora percipienda omnino inhabilis & indignus; Laicorum etiam contra præsentem nostram constitutionem in aliquo venientium filii, nepotes usque in quartam generationem, nisi sufficienter injuriam passis satisfactum fuerit, ad omnem honorem & dignitatem Ecclesiasticam inhabiles esse decernimus, & inhibemus sub anathematis pœna, quam ex nunc in omnes in contrarium venientes ferimus, eosdem in Ecclesia Dei ulterius promoveri.

Ex codice Manuscripto Cœnobii S. Petri Erfordiæ, descripsit Cl. memoriæ Schannatus.

Serarius duntaxat meminit *Lib. I. rer. Mogunt. C.* 33. & *Canonem Archi-Episcopalem* in hoc Concilio statutum fuisse affirmat, unde in editis libris statutorum Moguntinorum *Generale Concilium* nuncupatur: Ejusdem frequenter meminit & statuta excerpit *Petrus* in Concilio Moguntino anni 1310. de quo infra. *Binius*, *Hardouinus Tom. VII. pag.* 1167. nonnisi perbrevem mentionem habet ex *Trithemio* hujus Concilii.

Et miror *Schmidium* in Dissertatione ad Historiam Conciliorum Moguntinensium hujus Concilii Aschaffenburgensis anno 1292. celebrati, oblitum esse, cum inspexerit Auctores, qui illius citra ullum dubium meminere.



SYNO-

SYNODUS DIOECESANA ULTRAJECTINA X.

Anno Chriſti MCCXCIII. Sede Apoſtolica vacante. Adolphi Regis II.

JOHANNIS DE ZYRICH, Epiſcopi Ultrajectini, Epiſtola Synodalis. Statuta XXXI.

JOHANNES, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS TRAJECTENSIS, UNIVERSIS &c.

CUm ad honorem & laudem Omnipotentis Dei, & ſalutem animarum, & ſubditorum noſtrorum, & libertatem Eccleſiæ, & Eccleſiaſticarum perſonarum vobis tenore præſentis quædam ſtatuta jure duximus publicanda, & ſtatuere, & addere aliqua, quæ ad horum fiant ſtatum, & commodum ſubditorum; eadem vobis tenore præſentis intimamus, & per vos volumus ſubditis noſtris ſolemniter intimari, & ſicuti intimata fuerint, mandamus, & præcipimus inviolabiliter obſervari.

I. Et in primo ſtatuimus, (*a*) ut mores Clericorum, & maxime Sacerdotum in melius reformentur, continenter & caſte vivere ſtudeant univerſi, quatenus in conſpectu Dei puro corde, & mundo corpore valeant celebrare.

II. Item a crapula & ebrietate omnes abſtineant diligenter; abuſum quorundam Clericorum penitus decernimus abolendum, quod in quibusdam partibus ad potus æquales ſe obligant potatores, ut & ille judicio plus laudatur, qui plures inebriat, & fœcundiores calices exhaurit.

III. Item Clerici & maxime Sacerdotes officia, vel commercia ſæcularia, & maxime inhoneſta non ſtudeant exercere, Simoniæ vitium & ſpecies uſurarum diſtrictius fugientes.

IV. Item ne arma portent illicita, diſtrictius inhibemus.

V. Item ne Sacerdotes ultra tres compatres ad puerum de ſacro fonte levandum admittant, diſtrictius inhibemus.

VI. Item ſtatuimus, quod caput ter in aqua ponatur, niſi fuerit debilis, vel infirmus, vel frigidum tempus; tunc aqua per manum Sacerdotis ſuper caput pueri profundatur, ne propter ſubmerſionem vel frigiditatem, ſeu debilitatem puer extinguatur, & moriatur.

VII. Item frequentem uſum tabernarum Sacerdotibus inhibemus.

VIII. Item inhibemus, ne aliquis Sacerdos Miſſam celebret, niſi prius de Horis Canonicis, *Matutinas, & Primam* dixerit.

IX. Item Presbyter lapſus in mortali peccato, non celebret Miſſam, niſi ante confeſſus fuerit.

X. Item Sacerdotes veſtes portent nimia brevitate, vel longitudine non notandas.

XI. Item ludos theatrales, ſpectacula, & larvarum oſtenſiones in Eccleſiis & cimiteriis fieri prohibemus.

XII. Item Presbyter duas Miſſas nullus celebrare præſumat in die, niſi neceſſitas jure permiſſa permittat, & tunc in priori Miſſa ablutiones non ſumat poſt ſanguinem.

XIII. Item Presbyteri Parochiales ſæpe populum ſuum habeant commonitum, ut ſi aliquis infirmetur, citius pro Sacerdote mittat, ut confiteatur, & Sacramenta Eccleſiæ percipiat, quæ ſine pecuniæ exactione præcipimus exhiberi.

XIV. Item inhibemus, ne quis Chriſma, vel Oleum ſacrum ab aliquo Epiſcopo accipiat, quam a nobis.

XV. Item prohibeant Presbyteri ſubditis ſuis, ne pueri baptizandi diu teneantur.

XVI.

(a) *Statuit: ut mores Clericorum reformentur; continenter vivant, ad æquales hauſtus ſe non provocent.*

XVI. Item nullus pater vel mater proprium infantem de sacro fonte præsumat levare.

XVII. Item prohibemus, ne Sacerdotes, & Procuratores Ecclesiarum calices, & sacra vasa, libros & ornamenta apud *Cauwertinos*, vel alios pignori exponant.

XVIII. Item prohibemus, ne aliquis contrahat matrimonium temporibus prohibitis, & clandestinum sub pœna excommunicationis, & ne aliquis intersit eisdem, sub pœna jure expressa.

XIX. Item Custodes portent tonsuram Clericalem, & prohibemus bigamis etiam, ut non recipiant custodias regendas, quia sunt privilegio Clericali penitus exuti, nisi sint adeo tenues & exiles, quod Clerici non possint sustentari, & hoc nostro arbitrio, vel nostri Officialis relinquitur ordinandum.

XX. Item prohibemus, ne aliqui, qui mortem sibi construxerunt stipulis, laqueo suspendendo; vel qui suspensi, decollati, rotati, vel alias propter suum scelus, interfecti, in Ecclesiis, vel cimiteriis non sepeliantur, nisi de nostra vel nostri Officialis fuerit licentia speciali.

XXI. Item prohibemus, per pœnam excommunicationis latæ sententiæ in his scriptis, ne aliquis Decanus, vel Provisor de causis matrimonialibus se aliquatenus intromittat, sed ad civitatem Trajectensem transmittant, ibi est copia peritorum.

XXII. Item prohibemus, ne laici se intromittant de decimis novalium, sed ad alios perveniant, ad quos de jure pertinere noscuntur.

XXIII. Item statuimus, si Clericus vel Presbyter capitur, illa Parochia sit ipso facto interdicta; si deducitur extra illam Parochiam captivus; Parochia illa, in qua detinetur, sit similiter interdicta, quousque vinculis absolvatur, & Nobis, & captivo, plenarie fuerit satisfactum.

XXIV. Si vero interficiatur vel mergatur, quod absit, ille Decanatus, in quo tale delictum est perpetratum, maneat totaliter interdictus.

XXV. Item præcipimus sub pœna excommunicationis, Cauwertinos & alios alienigenas fenus publice exercentes, & publice usurarios, & hæreticos, & statutarios contra libertatem, & jurisdictionem Ecclesiasticam, & falsarios nostræ monetæ, vel sigillorum, vel nostri officii, nisi ad gremium matris Ecclesiæ revertantur & absolvantur, bis in anno auctoritate nostra denunciari, publice excommunicatos, videlicet, prima Dominica Adventus Domini, & Dominica post Cineres, videlicet, *Invocavit me*, nec ab eisdem oblationes recipiant, nec eisdem Ecclesiastica Sacramenta ministrentur, & ad sepulturam Ecclesiasticam minime admittantur.

XXVI. Item inhibemus laicis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in his scriptis, ne Clericos cogant stare jure coram eis, vel arrestent bona eorum, nec se de reconciliatione Cimiteriorum, vel Ecclesiarum aliquatenus intromittant.

XXVII. Item, ne aliqui Clerici vel laici Ecclesias destructas per deluvium, vel per incendium, vel alias quocumque modo ad alia loca transferant, sine nostra licentia speciali, penitus inhibemus. Et si quæ facta fuerint per translationem, monemus sub pœna excommunicationis sententiæ latæ in his scriptis, ut infra mensem a tempore Nobis satisfaciant de præmissis.

XXVIII. Item præcipimus orationes fieri pro pace, & statu Ecclesiæ Trajectensis reformando, videlicet VII. Ps. VI. feriis per singulos.

XXIX. Item prohibemus sub pœna excommunicationis, ne aliqui excommunicatos sepeliant, vel aliquos non excommunicatos in Ecclesiis recipiant, & Cimiteriis violatis, & interdictis.

XXX. Item præcipimus, ut quilibet Curatus habeat versus de casibus Episcopalibus, de quibus soli ipsi & superiores habent absolvere, seu illi, qui ab eisdem habent potestatem, & primo casus legantur *in Latina*, & postea *lingua materna* populo exponantur isti versus: (*a*)

Qui facit incestum, deflorans, aut homicida,
Sacrilegus, Patrum percussor vel Sodomita,
Transgressor voti, perjurus, sacrilegusque,
Et mentita fides, faciens incendia, prolis
Oppres-

(*a*) *Casus Episcopales.*

Oppreſſor, blasphemus, hæreticus: omnis adultus
Pontificem ſuper his ſemper devotus adibit.

Item præcipimus, quod Curati habeant *Decretalem*, qui eſt: *in Rubrica: de ſententia excommunicationis*, & eſt Domini Innocentii quarti, (*a*) & legatur populo, & exponatur linguâ maternâ, ut ſciat populus, quomodo vitari debeant excommunicati ab Epiſcopo. Item habeant Decretalem de pœnis, qui incipit, (*b*) *LICET:* qui loquitur de avaritia Archidiaconi, & illam ſimiliter exponant laicis lingua materna.

XXXI. Item præcipimus, ne aliquis de antiquo Chrismate baptizet, nec de aliquo, quam de illo novo, quod de noſtra largitione, vel noſtra conceſſione acceperit baptizare, niſi præoccupante morte: & qui contrarium fecerint, noverint ſe damnationis ſententiam pertuliſſe manifeſtam.

Hæc Statuta præcipimus inviolabiliter obſervari, & in qualibet Eccleſia parochiali per Sacerdotes *quater* in anno, diebus feriatis & feſtivis publicari, & exponi populo diligenter; videlicet in feſto Pentecoſtes, in feſto Michaelis, & in feſto Circumciſionis, & in Dominica poſt Cineres, ſcilicet: *Invocavit me.* Actum & datum anno Domini MCCXC. tertio, proxima feria tertia poſt Tyburcii & Sociorum ejus.

Batavia ſacra Heusdenii a pag. 167. *ad* 169.

(*a*) Innocentii IV. nullus Canon extat *Tit.* 39. *Lib. V. Decretalium* Gregorii IX, ſed Innocentii III. multæ Decretales *eodem Tit.* leguntur: *De excommunicatis ob varias culpas vitandis.*
(*b*) Canon III. Libri V. Decretalium *Tit.* 37. *De pœnis.*

CONCILIUM PATAVIENSE VII.
IN AUSTRIA AD S. HIPPOLYTUM.
Anno Chriſti MCCXCIV. Cœleſtini V. Papæ I. Adolphi Regis III.

SUMMA. Statuta tria ſuperſunt.

NOS WERNHARDUS Dei Gratia, Eccleſiæ Patavienſis Epiſcopus, Anno Domini MCCXCIV. feria quinta poſt Dominicam Reminiſcere apud S. Hyppolitum celebrantes *Capitulum Clericorum* de Conſilio venerabilium Fratrum, Abbatum, Præpoſitorum, Archi-Diaconorum, & aliorum, qui eidem Capitulo aderant.

I. Statutum recolendæ memoriæ Domini *Godefridi*, Prædeceſſoris noſtri, quo inhibetur, ne Sacerdotibus vel ſcholaribus vagis, conſolationis aliquid impendatur, præterquam duobus ſimul venientibus ſine armis, & longis cultellis, quibus in charitate voluit modicum paſtum dari.

II. *Item Statutum*, quo anticipatores, & ſupplantatores Clericorum in Eccleſiis & Capellis ſuſpenduntur a Divinis, tenore præſentium revocamus in totum. Quia vero prædictorum Sacerdotum & ſcholarium vagorum, inſolentiæ adeo per noſtram Diœceſin excreverunt, ut etiam in præſentia noſtra a Clericis & Eccleſiaſticis perſonis, denegantibus ſibi, quod poſcunt,

Bernhardus, ſeu Wernhardus, ſeu Wernherus ex nobilibus de Prambach, Epiſcopus Patavienſis XLV. ex Plebano Wiennenſi, & Canonico Patavienſi, promotus ad Cathedram Patavienſem anno 1285. circa 24. Maji, interfuit Concilio Herbipolenſi anni 1287. quo cum & Clero illic præſente in Actione 2da appellavit. Saltzburgenſi Synodo anno 1288. interfuit, iterum anno 1291. interfuit Salisburg. Concilio, anno 1293. ipſe Pataviæ Synodum celebrat: demum hanc anno 1294. cujus ſtatuta pauca ſervavit *Hanſiz.*

poſcunt, blaſphemias inferant, & imponant: ſtatuimus, providemus, & de novo ſtrictius inhibemus, ne Sacerdotes ſeu ſcholares hujuſmodi, vel eorum aliquis ad panem recipiatur omnino, nec ipſis conſolationis aliquid impendatur. Qui vero contrarium fecerit, ſi Plebanus fuerit. 1. lib. Denariorum. Si vero Vicarius *med. lib.* toties, quoties in hoc caſu deliquerit, ſolvere teneatur. Volumus autem, ut Decani de hujuſmodi ſtatuti transgreſſoribus diligenter inquirant, & emendam prædictam inquirant. Alioquin ſciant, ſe teneri ad ſolutionem omnium, quæ per eorum incuriam, & negligentiam circa inquiſitionem, & requiſitionem, hujuſmodi negligentur.

III. *Item ſtatuimus & ordinamus*, ut nullus Clericus alterum, offerendo pecuniam, ante tempus in Vicaria ſeu adminiſtratione, ad quam aſſumptus eſt, audeat ſupplantare, ſi gravem a nobis effugere voluerit ultionem. Ut autem huic morbo plenius occurramus, inhibemus firmiter, & diſtricte, ne Clericus volens Vicariam ſeu aliam quamcunque adminiſtrationem in aliqua Eccleſia convenire ſibi, ante feſtum Epiphaniæ cujuslibet anni, quidquam loqui, vel attentare præſumat. Alioquin quartam partem omnium, quæ ante feſtum hujuſmodi exhibebit, & nihilominus, qui exhibitionem talem apud ſe fieri permiſerit, tantundem ſolvere teneatur. Super quo etiam Decani diligenter inquirant, & emendam repetant ſupradicta. Alioquin pænam prædictam incurrant.

IV. Item uſurarum voraginem compenſare cupientes, omnibus ſtatutis, contra uſurarios inſtitutis in ſuo robore manentibus; ſtatuimus, ut omnis, qui de cætero uſuras & uſurarum contractus exercere præſumpſerint, ad reſtitutionem uſurarum hujuſmodi, & nihilominus tantundem nobis ſolvere teneantur.

Hanſiz. Germaniæ ſacræ Tom. I. pag. 442. 443.

CONCILIUM SALTZBURGENSE
ANNO EODEM.

Anno MCCXCIV. Concilium Saltzburgæ habetur, ibique Dux Karinthiæ Mainhardus cum omnibus fautoribus ſuis auctoritate Apoſtolica excommunicatur, pro detentione quorundam Epiſcopatuum videlicet Tridentini & Brixinenſis.

Chronographus Mellicenſis.
Ex quo Hanſiz German. ſacræ Tom. I. pag. 435.
Ex quo Manſi Tom. III. Supplem. pag. 247.

CONCILIUM PATAVIENSE IN AUSTRIA
AD S. HIPPOLYTUM.
Anno Chriſti MCCXCIV. Cœleſtini V. Papæ I. Adolphi Regis III.

Anno hoc habita eſt Pataviæ Synodus, cujus Decretum hoc extat de conditione pileorum a Clericis geſtandorum. II. De Vigiliis in Dominicam diem incidentibus anticipandis in Sabbato.

NOS WERNHARDUS, Dei Gratia, Pataviensis Epiſcopus, anno Domini Milleſimo ducenteſimo nonageſimo tertio in octava Beati Joannis Baptiſtæ celebran-

In anni hujus fine & ſequentis initio adfuit Wernhardus Pataviensis Concilio Saltzburgenſi, in quo Dux Carinthiæ Mainhardus cum omnibus fautoribus ſuis auctoritate Apoſtolica excommunicatur, ob detentos Epiſcopatus Tridentinum & Brixinenſem. *Hanſiz. Tomo I. German. ſacræ ead. pag.* 442.

lebrantes Pataviæ in Cathedrali nostra Ecclesia Synodum Clericorum de Consilio Fratrum nostrorum ac Prælatorum, qui in nostro Capitulo aderant, statutis Prædecessorum nostrorum hæc, quæ sequuntur, duximus apponenda.

I. *Imprimis* itaque districtius inhibemus, ne Clerici in sacris Ordinibus constituti de quacunque re suffuraturas in pileis suis habeant ejusmodi pileis longiores & superius dependentes, sed nec unquam liceat eis aliqua alia gestare pilea, nisi extra mansiones suas. Quo casu contra æstus, vel pluvias pileis, adjuncto capucio, uti possunt; qui vero prædictis suffuraturis uti, vel præter necessitatem prædictum pileum gestare præsumpserit, toties MLX. Denarios ad fabricam Pataviensis Ecclesiæ teneatur, quoties hujusmodi sibi vetitis fuerit visus uti, de hoc inquirant Decani, & emendam repetant supradictam.

II. De Vigiliis quoque Sanctorum ab Ecclesia institutis, in quibus est cibis quadragesimalibus jejunandum, præcipimus, ut, si hujusmodi Vigiliæ in diem Dominicam inciderint, Rectores Ecclesiarum die Sabbathi præcedente idem jejunium faciant observari, sicut a jure communi antea dignoscitur institutum. *Hæc in Synodo.*

Hansiz. German. sacræ Tom. I. pag. 442.

SYNODUS ULTRAJECTINA
SUB JOHANNE, EPISCOPO TRAJECTENSI,
Anno Christi MCCXCIV. Cœlestini V. Papæ I. Adolphi Regis III.

De captionis vel interfectionis Clericorum pœna moderata.

JOHANNES, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS TRAJECTENSIS, DILECTIS NOBIS IN CHRISTO UNIVERSIS ET SINGULIS ECCLESIARUM PRÆLATIS, PRÆPOSITIS, ARCHI-DIACONIS, ABBATIBUS, ABBATISSIS, PRIORIBUS, PRIORISSIS, PROVISORIBUS ET DECANIS, PLEBANIS ET RECTORIBUS, CAPELLANIS, PRESBYTERIS, AC CÆTERIS TAM CLERICIS, QUAM LAICIS NOSTRÆ CIVITATIS ET DIŒCESIS, IN VERBO SALUTARI SALUTEM.

CUm ad honorem Dei, & Ecclesiæ Trajectensis prædictæ statum pacificum, ac Subditorum nostrorum salutem alias sicut scitis, quædam *statuta promulgaverimus* utilia & honesta; quia tamen ex illis quædam, videlicet de captivatione, & interfectione Clericorum, ruptura litterarum Ecclesiasticarum, judicum & aliorum perturbatione, & impedimento multiplici Ecclesiasticæ jurisdictionis, licet æquitate suadente, propter delictorum immanitatem satis forent toleranda, aliquibus nobilibus, & aliis, jurisdictioni præessentibus dura nimium videbantur, & ob hoc ea per Nos mitigari, magna & frequenti instantia postularint: Nos ut ipsi per se & suos justiciarios ad obviandum hujusmodi delictis & injuriis, ne fiant, & perpetrata vel perpetratæ si fuerint, quod absit, procurandum, quod sceleris & debita emenda præstetur, eo promptiores, se exhibeant, quo nos procliviores in condescendendo eorum petitionibus inveniunt; prædicta *statuta*, aliis in suo robore duraturis, in hunc modum, qui sequitur, duximus mitiganda.

I. Imprimis statuentes, si Presbyter vel Clericus capiatur, Parochia, in qua captus fuerit, Ecclesiastico subjaceat interdicto. Et si ex illa in aliam transferatur, illam similiter interdicimus, quamdiu in illa detinebitur, una cum illa in qua captor morabitur. Si vero occidatur, quod absit; similiter Parochia illa, in qua tantus excessus perpetratus extiterit, & etiam illa, seu illæ in qua, vel quibus dicti malefactores se receptaverint, Ecclesiastico subjaceant interdicto. Et nihilominus malefactor seu malefactores hujusmodi cum complicibus, & receptatoribus eorundem, ac opem & operam ipsis præ-

præstantibus, quos & in his scriptis excommunicamus, atque excommunicati tam authoritate canonis, quam nostri tamdiu publice nuncientur, quousque Deo, Nobis & Ecclesiæ, ac passis injuriam, condigna præstetur emenda; & nihilominus absolutionis debitum beneficium meruerint obtinere.

II. *Statutum insuper nostrum, alias per Nos factum*, contra impedientes Ecclesiasticam jurisdictionem, seu perturbantes de cætero qualitercumque, sive litteras rumpendo, seu rapiendo, seu nuncios & portitores eorum lædendo, capiendo, detinendo, seu damna, injurias & molestias inferendo, & prout in dicto statuto plenius continentur, in hoc articulo mitigamus; videlicet quod Parochia, in qua hujusmodi violentia, injuria seu perturbatio facta fuerit, vel ubi dictos malefactores morari contigerit, Ecclesiastico non subjaceat interdicto.

III. *Item* cum Ecclesiæ sint tutela refugii, & in eis homines peccatorum veniam consueverint, & debeant postulare, præsenti decreto declaramus Ecclesias, & earum cimiteria gaudere immunitate, & ad eas confugientes ab ullis violenter extrahi non debere; nisi in Ecclesiis, seu cimiteriis prædictis, seu contra ea deliquerint. Quare tunc frustra legis auxilium invocarent, qui committerent contra eandem. Vel nisi publici latrones, vel nocturni populatores agrorum fuerint, qui in stratis publicis faciunt, comburunt, & destruunt agros eorum, qui eis non serviunt. Alias enim delinquentes, & ad Ecclesias confugientes gaudere debent emunitate earundem; super eo quod inique fecerint, sc. circa mortem, & membrorum mutilationem, alias legitime puniendi.

IV. *Item præcipimus* sub pœna excommunicationis Clericis quibuscumq; nostræ civitatis & Diœcesis, ut tonsuram deferant Clericalem, & vestibus non virgulatis, parvis, sed Clericalibus utantur honestis, ac habitu & tonsura, ut a laicis possint distingui.

V. *Item* inhibemus sub pœna excommunicationis, quod nullus Clericus nostræ civitatis & Diœcesis audeat arma portare prohibita.

VI. *Item prohibemus* ne aliqui nuptias celebrent temporibus prohibitis, videlicet a prima die Adventus Domini ad octavam Epiphaniæ. Et a LXXma usque ad octavam Paschæ, & a Dominica ante Ascensionem Domini, usque ad Dominicam Trinitatis, in omnibus illis inclusive:

VII. Nec *clandestina* matrimonia contrahant, sub pœna excommunicationis, & ne aliquis intersit eisdem, sub pœna in jure expressa.

VIII. Similiter prohibemus clandestina matrimonia; quæ appellamus ea, quæ sine denunciatione seu bannis in Parochiis contrahentium, per Presbyteros eorum publice præmissis contrahunt.

IX. *Item* præcipimus & expresse inhibemus, quod nullus Clericus aut Presbyter copulet aliquos extraneos, nec nuptiis eorum intersit, nisi per litteras patentes, aut per testes idoneos sufficienter constiterit contrahere volentem, aut volentes, alicubi non contraxisse, vel aliud impedimentum legitimum non habere.

X. Item inhibemus expresse, quod Clerici peregrini & incogniti, tam nostræ civitatis & Diœcesis, quam alienæ se Presbyteros asserentes, nullatenus in nostra civitate & Diœcesi admittantur ad celebrandum Divina, nisi legitime ostenderint se promotos.

XI. Item præcipimus districte in virtute sanctæ obedientiæ Rectoribus & Presbyteris universis & singulis, ut in eorum Parochiis, *Pater noster*, & *Credo*, præter articulos fidei qualibet die Dominica, nec non *decem Præcepta*, & *septem Sacramenta Ecclesiæ* semel in mense, vel saltem ter, aut quater in anno populo, intelligibiliter & lingua materna exponant. Decem Præcepta, prout in Exodo continentur, sunt ista; "Non habebis Deos alienos. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Memento, ut diem Sabbati sanctifices. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam. Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem proximi tui, &c.

XII. De Sacramentis vero Ecclesiasticis, quinque dicuntur necessaria, & duo voluntaria Sacramenta. Necessaria sunt ista: Baptismus, Confirmatio, Pœniten-

nitentia, Corpus Christi, & extrema Unctio. Sacramenta voluntaria sunt, Ordines, Matrimonium. Sine Sacramentis autem necessariis homo salvari non potest, si ex contemptu obmittantur.

XIII. Item publicationem illius decretalis *extr. de Pœnis, licz.* quam alias fieri mandavimus, præsentibus revocamus.

XIV. *Item* Statutum nostrum alias publicatum, videlicet, quod nullus Presbyter *duas in die* Missas audeat celebrare, nisi necessitas in jure permissa permittat &c. Taliter intelligimus, videlicet excepto die Nativitatis Domini, & cum funus supervenerit, vel aliqua persona potens advenerit, propter quod, & quam oportet celebrare. Hæc statuta nostra *una cum antiquis a nobis alias promulgatis* inviolabiliter observari, & in qualibet Ecclesia Parochiali haberi, & sub pœna excommunicationis, per singulos Rectores seu Vicarios in Ecclesiis residentes, quater in anno prout opportunum fuerit, publicari volumus, exponi populo diligenter. Datum Trajecto anno Domini MCCXCIV. feria quinta post Festum beati Andreæ Apostoli.

Hisce Joannis Syrichii Synodalibus statutis, annecto constitutionem Petri, S. Georgii Cardinalis, de qua in statutis suis mentionem injecit Joannes Syrichius Episcopus.

Batavia sacra von Heussen pag. 169. 170.

Guilielmi Bertoldi, Episcopi Trajectensis,

Epistola Synodica.

Anno Christi MCCXCVII. Bonifacii VIII. Papæ III. Adolphi Regis VI.

WILHELMUS, DEI GRATIA, EPISCOPUS TRAJECTENSIS, UNIVERSIS ET SINGULIS NOSTRUM PROCESSUM INSPECTURIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM, VIRIS VENERABILIBUS IN CHRISTO, NOBIS DILECTIS DECANO ET CAPITULO NOSTRÆ ECCLESIÆ TRAJECTENSIS.

PRropter quorundam Canonicorum duritiam, pertinaciam, discordiasque nobis ad Capitulum per eosdem vocatis ad dictorum duritiam & pertinaciam per nos tanquam ad Superiorem compescendum, & ipso in capitulo existentibus, de eorum consilio & consensu super vita, moribus ac statu Ecclesiæ, ac personarum, per inquisitionem sedata per nos prius, quæ fuit inter ipsos discordia, quosdam in ipsa Ecclesia *defectum in natalibus patientes,* in fine dispensatione Sedis Apostolicæ contra justitiam, in honorem Ecclesiæ ad sacros Ordines promotos, & alios *illegitimos* simplicem a sede dispensationem habentes, ut possint promoveri: unde Beneficium Ecclesiasticum sine cura obtinere invenimus: Canonicatus ac Præbendas occupari minus juste, alios etiam plura beneficia contra statuta Synodalia in ipsa Ecclesia obtinere.

Considerantes itaque nostra interesse, hujusmodi nefandas tolerandas abolere, & ab ipsa Ecclesia penitus extirpare, communicato & deliberato consilio & consensu Decani & Capituli antedictorum, statuimus & ordinamus, & sub pœnis sententiæ expensis, & excommunicationis latæ in his præcipimus.

I. Ne de cœtero aliqui, defectum in natalibus patientes, dispensationem tantum super defectum natalium habentes, nisi in dispensatione Sedis Apostolicæ sibi facta contineatur expresse, quod possint & debeant, per hujusmodi dispensa-

Guillelmus Mechlinienfis Heros, ex Lovaniensi Præposito Vir Juris Divini & humani consultissimus, sacri Palatii Judex ordinarius, eligitur Episcopus Ultrajectinus XLI. post 1294, obiit pro juribus Ecclesiæ suæ pugnans anno 1301. IV. Nonas Julii, sedit annos V. in magna rerum perturbatione & vicissitudine fortunæ.

pensationem in Ecclesia Cathedrali in Canonicos recipi & admitti, recipiantur in Canonicos in Ecclesia prædicta, maxime cum non sit intentionis Domini Papæ, aliquem in Cathedrali Ecclesia debere & posse Canonicatum & Præbendam obtinere, quin possit in Decanum, Archidiaconum, & Episcopum eligi & admitti.

II. Cœterum omnibus dictum defectum patientibus præcipimus; & peremptorie monemus, ut infra biennium, a data præsentium numerandum, se per Sedem Apostolicam habilitari procurent, ut possit dictos Canonicatus, & Præbendas obtinere, alioquin ex tunc eosdem facere decernimus aliis deferendos.

III. Insuper inhibemus sub pœnis antedictis, ne aliquis in aliqua una Ecclesiarum nostræ civitatis & Diœcesis duo beneficia habeat, nisi præbendis Thesauraria, Scholasticaria, seu alia officia de consuetudine sint annexa; in omnes & singulos contrarium facientes, tam conferentes, quam detinentes, sententias suspensionis & excommunicationis ferimus in his scriptis. Et præcipimus sub pœna excommunicationis sententiæ latæ, in his scriptis, easdem sententias per Decanum, sive per Hebdomadarium, aut Seniorem de Capitulo, qui pro tempore fuerit, publicari. In ejus processus testimonium, sigillum nostrum præsentibus est appensum. Actum & datum anno Domini MCCXCVII. die Jovis post Dominicam, *Misericordias Domini &c.*

Batavia sacra pag. 172.

SYNODUS DIOECESANA HERBIPOLENSIS,

A MANEGOLDO, HERBIPOLENSI EPISCOPO, CELEBRATA Anno Christi MCCXCVIII. Bonifacii VIII. Papæ IV. Adolphi Regis VII.

Ista Statuta, omnibus animas regentibus valde necessaria & utilia, per Nos MANEGOLDUM Episcopum Herbipolensem anno Dominicæ Incarnationis MCCXCVIII. in plena SYNODO, de consilio Prælatorum nostrorum & assensu, de novo sunt edita; horum siquidem Statutorum in quolibet Decanatu Rurensi copia ad manus præcipitur esse una, honestum tamen est & consultum, quod in qualibet Parochia una copia habeatur.

I.

Die Dominica præcedente Synodum, Sacerdotes, qui Capellanos non habent in suis Parochiis, diligenter inquirant publice in Ecclesiis, si qui sint infirmi in Parochia, & Feria insequenti, sive antequam iter arripiant, eos communicent, etiam non requisiti, & faciant quicquid necesse fuerit ad salutem animarum, nihilominus tamen procurantes provisionem eorum fieri per Capellanos vicinos in aliis Ecclesiis remanentes.

Præcipimus insuper, ut omnes veniant ad *Synodum*, maxime curam animarum habentes, & si inevitabili necessitate detenti fuerint mittant Capellanum suum, aut Clericum suum loco sui. In eundo & redeundo honeste ambulent, & honeste requirant Hospitia, & in eis circum-

Manegoldus, Episcopus Herbipolensis, sedit ab anno 1287. ad 1303. idem Concilio Aschaffenburgensi anno 1292. interfuit, & ab eo redux hanc Synodum celebravit in sua Ecclesia.

Bucelino hic Manegoldus de Newenburg anno 1302. obiisse videtur. *Germaniæ sacræ Parte I. pag.* 15.

circumſpecte ſe habeant, ne ſtatus Clericorum vertatur in populo in ludibrium, opprobrium, & contemptum, & qui ex cauſa remanet, eam Decano, & Decanus Epiſcopo ſtudeat intimare.

Item; præcipimus Sacerdotibus, ut jejuni veniant, & induti ſuperpelliciis ad Synodum.

Item; præcipimus Sacerdotibus ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, quod a tempore publicationis Synodi, omni occaſione poſtpoſita, majorem Eccleſiam intrare feſtinent.

II. *De Baptiſmate.*

Laicus, qui in neceſſitate puerum baptiſavit, diligenter interrogetur a Sacerdote, quid dixerit, & quid fecerit: & ſi Sacerdos eum invenerit diſcreto modo & debito baptiſaſſe, allato puero ad fores Eccleſiæ, ſuppleatur quod deeſt, ſcilicet: pabulum, ſal, aurium inunctio cum ſaliva; Exorciſmi tamen non dicantur ſuper fontes, & ſine immerſione fiant omnia, quæ fieri ſolent.

Ad elevandum etiam puerum e ſacro Fonte, tres tantum recipiantur.

III. *De Divinis Officiis.*

Sacerdos celebrans, diligenter attendat, quod hoſtia ſit integra, & vinum non ſit acetoſum, & quod aquam non obmittat: quod ſi autem obmiſerit, quando advertit, apponat aquam ſi ſine ſcandalo fieri poteſt: ſi vero per negligentiam evenerit, quod perlecto canone, & peracta conſecratione, nec ſanguis, nec aqua reperiatur in calice, debet ſtatim infundi utrumque, & a conſecratione ſanguinis incipere.

Item præcipimus Sacerdotibus, ut quando inceperint in Canone Miſſæ: *qui pridie &c*, tenentes Hoſtiam, non elevent eam, ſed ante pectus detineant, donec dixerint: *Hoc eſt Corpus meum*, & tunc elevent eam decenter, ita ut poſſit videri, & poſt ſuſceptionem Corporis & Sanguinis Domini ab expuendo abſtineant, & ſi abſtinere non poſſint, in loco mundo hoc faciant, qui conculcari non poſſit.

Si quid de Sanguine Chriſti ceciderit ſuper corporale, ſugenda eſt pars intincta, & ipſum corporale panno mundiſſimo involutum pro Reliquiis ſervandum: Si vero ſuper pallam vel ſuper aliud ſacrum indumentum, pars intincta prius ſugatur, & poſtea ſcindatur & comburatur, vel conſuta panno ſervetur pro reliquiis, ita tamen, quod ſuper pannum cedula nomina illarum reliquiarum continens apponatur: ſi autem ſuper aliud commune veſtimentum ceciderit, pars intincta prius ſugatur, & comburatur, & cinis in Sacrario reponatur: ſi ſuper lignum, Lapidem, vel Terram ceciderit, tergendus & radendus eſt locus ille, & pulvis in Sacrario reponendus: ſi autem de Corpore Chriſti ſuper quodlibet aliud Indumentum ceciderit, pars, ſuper qua ceciderit, abluatur, & ablutio a Sacerdote ſumatur, vel ab alio mundæ conſcientiæ: ſi vero ſuper Lapide, Lignum, & Terram, locus radatur & pulvis in Sacrario reponatur: Sacerdos autem, ſive Miniſter, cujus negligentia hoc acciderit, debet mitti ad Epiſcopum. Si muſca, vel aranea, vel aliud tale in ipſum calicem ceciderit, quod vix ſine vomitu, & aliquando ſine periculo corporis ſumi poteſt, ſanguis ſumatur ſuperfuſo vino, & ipſum quod ceciderit abluatur, & ablutio a Sacerdote ſumatur, vel ab alio mundæ conſcientiæ, & poſtea illud in Sacrario comburatur, quod ſi fides ipſa id, quod ceciderit, quempiam ſumere fecerit; Deo gratias.

Sacerdos die octavo renovet Sacramenta, Euchariſtiam, & Fontem benedictum, ne ſui vetuſtate aliqui ad indevotionem, moveri valeant aut errorem. Nullus antequam matutinas Canonicas, primam & tertiam dixerit, Miſſas celebrare præſumat, præter aliquam neceſſitatem. Calix poſt Miſſam panno mundiſſimo involvatur, nec Miniſtri cum eodem calicem intus detergant, ſed alio ad hoc ſpecialiter deputato, quod ſi non ſatis decens fuerit, vel vetuſtate contritus, in Sacrario comburatur.

Nullus audeat bis in die celebrare Miſſam, niſi magna neceſſitas id expoſcat, excepto die Nativitatis Domini: unam autem Miſſam cantabit Sacerdos in die, & de die; felix enim eſt. Qui unam digne celebrare poteſt; & aliam, ſi neceſſe eſt, cantare poterit pro defunctis: ideo autem *de die* eſt dictum, quod quidam

dam postposito officio feriali Missam celebrent de Sanctis, quorum Festivitates tunc non sunt; sunt enim secundum congruentiam dierum Missarum solempnia celebranda; celebrantes quoque Missam secundam, vinum perfusionis non sumant, sed Ministro habenti bonam conscientiam conferatur.

Inhibetur Presbyteris, ne hostias dent parvis ullo modo, nisi causa communicandi.

Invenimus X. sequentes præfationes in cathalogo tantummodo recipiendas: unam in Paschate videlicet: *te quidem omni.* aliam in Ascensione scilicet: *qui post Resurrectionem*, tertiam Pentecostes. Quartam de Trinitate, *qui cum Unigenito.* Quintam in Festó Beatæ Mariæ. Sextam in Festo sanctæ Crucis. Septimam de Apostolis. Octavam in Natali Domini. Nonam in Epiphania. Decimam in Quadragesima scilicet: *qui corporali.*

Districte præcipimus, ut Sacerdotes Divinum Officium nocturnum & diurnum pariter distincte & aperte, quantum Deus dedit, celebrent & devote: honestum siquidem esset, quod stantes Canonicas Horas dicerent, maxime in diebus festis, ut alii videntes laborem & devotionem glorificent Patrem nostrum, qui in Cœlis est.

Præcipimus, quod in Altari in quo tabula mota fuerit, vel enormiter fracta, Sacerdos non celebret, donec Altare consolidetur, & iterum consecretur: & ampullæ scilicet vini & aquæ in Ministerio Altaris sint mundæ, integræ, vitreæ, vel stanneæ, aureæ sive argenteæ, sed ad ablutionem manuum vas grandius deputetur.

Provideant etiam Sacerdotes, quod lavatoria habeant juxta altaria, decentia, munda, ablutionibus cursum liberum exhibentia, nec sine coopertorio relinquantur: juxta altaria etiam ad minus tria manutergia habeantur, unum ad primam ablutionem, secundum post Evangelium, tertium post Sacramenti sumptionem, sed & unum sit pendens circa Missale ad tergendum os & nares, si opus fuerit, Sacerdotis.

Sacerdos, sive Diaconus corporalia sæpe abluant, induti superpellicio, in vase mundo ad hoc specialiter deputato, & omnes ablutiones, si fieri potest, in lavatorio reponantur, vel saltem prima, cæteræ autem in baptisterio: Item altaris linteamina & indumenta Sacerdotalia non nisi a Sacerdote, vel Diacono, vel ab aliqua matrona, vel virgine, sine appositione aliorum pannorum convenienter, quando opus fuerit, abluantur.

Statuimus, ut per omnes Ecclesias Chrisma & Eucharistia sub fidelibus clavibus adhibitis conservetur, ut non possit ad illa temeraria manus extendi: si vero, ad quem spectat custodia, eam incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur, & si per ejus incuriam aliquod nefandum inde contigerit, gravius puniatur.

In hoc Concilio firmiter inhibemns, ne supellectilia propria, sive aliena in Ecclesiis admittantur, nisi propter hostiles incursus aut incendia repentina, sive alias necessitates, ut populum ad eas oporteat habere refugium, sic tamen, ut necessitate cessante cuncta repetantur.

Librum, qui dicitur Manuale, secum habeant singuli Presbyteri Parochiarii, ubi continetur ordo Baptismi, Catechismi, extremæ Unctionis, & hujusmodi libros alios, in quibus possit Divinum tam diurnum, quam nocturnum officium celebrari.

Præcipimus Sacerdotibus: ut omnes redditus Ecclesiæ conscribant, & de rebus Ecclesiæ nihil alienent, nisi per Episcopum: nullus etiam Sacerdos terram transeat sine libro, in quo Canonicas horas omni die legant, prout necesse est; Imagines vetustate deformatæ, & linteamina sacra vetustate attrita, sacris usibus inutilia comburantur in loco mundo, & pulvis juxta parietem recondatur Ecclesiæ, quia posset intuentes ducere in errorem.

Præcipimus Sacerdotibus: ut Divino Officio celebrato, & populo regresso ad propria, Ecclesias suas firmare studeant diligenter.

III. *De Cœmiteriis.*

Prohibeant Sacerdotes sub pœna excommunicationis, choreas maxime in Cœmiterio, vel in Ecclesiis duci: moneant etiam, ne alibi fiant, quia, ut dicit Augustinus: *Melius est etiam in festis diebus*

diebus fodere vel arare, quam choreas ducere, & quia grave peccatum ſit in loco ſacro choreas ducere; perpendi poteſt ex pœna ſecundum rigorem Canonum talibus injungenda: ſi quis enim choreas, vel balatos in Eccleſiis Sanctorum fecerit, emendationem pollicitus, tribus annis pœniteat. Nullus de novo in Cœmiterio ædificare permittatur, nec domus aliquæ, ſi dirutæ fuerint, durante per annum ruina, ibi reædificentur, nec fimus, nec immunditiæ aliquæ in Cœmiteriis admittantur.

IV. *De vita & honeſtate Clericorum.*

Clerici officia vel commercia ſæcularia non exerceant, maxime inhoneſta nimis; Joculatoribus & Hiſtrionibus non intendant; Tabernas Presbyteri evitent, niſi forte in itinere conſtituti: ad aleas, vel taxillos non ludant, nec talibus ludis interſint; coronam & tonſuram habeant competentem, & ſe in officiis & aliis bonis ſtudiis exerceant diligenter. Veſtimenta ordinem Clericalem decentia deferant, nimia brevitate vel longitudine non notanda; pannis viridibus, vel rubeis, nec non manicis, aut ſocularibus, froënis, ſellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliis ſuperfluitatem generantibus non utantur; fibulas omnino non ferant, neque corrigias, auri vel argenti ornatum quærentes, ſed nec annulos, niſi quibus id competit ex officio dignitatis, palliis diffablatis non utantur in publico, ſed vel poſt collum, vel ante pectus . . . . . connexis.

Nullus Clericus ſententiam ſanguinis dictet vel proferat, nec ſanguinis judicium exerceat, aut, ubi exerceatur, interſit.

Nullus Clericus, Diaconus, Subdiaconus, aut Sacerdos artem Chyrurgicam exerceat, aut ubi exerceatur, interſit, nec quisquam purgationem aquæ fluentis vel frigidæ, ſive ferri candentis, ſeu ritum cujuslibet benedictionis ante conſecrationem impendat.

Continenter & caſte vivere ſtudeant univerſi in ſacris Ordinibus conſtituti, ab omni libidinis vitio præcaventes, maxime illo, propter quem venit ira Dei in filios diffidentiæ, quatenus in conſpectu Omnipotentis Dei puro corde & mundo corpore valeant miniſtrare. Ne vero facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi, ſtatuimus, ut qui comprehenſi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis vel minus peccaverint, puniantur ſecundum Canonicas Sanctiones, quas efficacius & diſtrictius præcipimus obſervari; ut quos timor Dei a malo non revocat, temporali ſaltem pœna cohibeantur a peccato. Si quis igitur hac dicta pœna ſuſpenſus præſumpſerit celebrare Divina, non ſolum beneficiis ſpolietur, verum etiam pro duplici culpa perpetuo deponatur: ſciat etiam ſe irregularitatem incurriſſe, a qua non poterit abſolvi, niſi auctoritate Sedis Apoſtolicæ ſpeciali.

A crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abſtineant, unde vinum ſibi temperent; cum ebrietas mentis inducat exilium & libidinis provocet incentivum: unde illum abuſum penitus decrevimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales ſuo modo ſe obligant potatores, & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat & calices fœcundiores exhaurit: ſi quis autem ex his culpabilem ſe exhibuerit, niſi, a Superiore commonitus, ſatisfecerit, ab officio & beneficio ſuſpendatur.

Inhibemus etiam, ut nullus Sacerdos fœminas, de quibus ſuſpicio poteſt eſſe, habere ſecum in domo præſumat, ſed ſi quam de his neceſſitatem habuerint Presbyteri, habeant in vico domus longe a ſua converſatione, & ibi eis neceſſaria ſubminiſtrent.

Prohibemus etiam ſub pœna excommunicationis diſtrictiſſime, ut nulla fœmina ad altare præſumat accedere, & Presbytero miniſtrare, aut inter cancellos ſtare vel ſedere, quando ſacra myſteria celebrantur.

Prohibemus Sacerdotibus diſtricte, ne ſecum prolem habeant, quam in ſacris ordinibus genuerint, propter ſcandalum evitandum.

Prohibeant Sacerdotes, ne laici publice teneant concubinas, & ſi poſt ammonitionem trinam tenuerint, tam ipſe, quam ipſa ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur, & ſi perſeveraverint, gravius puniantur.

Item in hoc Concilio est statutum, quod antiquæ Reliquiæ extra capsam ammodo non ostendantur, nec exponantur venales; inventas autem de novo nemo *publice* venerari præsumat, nisi *prævia auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ.*

V.

Nullus passim recipiatur ad prædicandum, vel ad audiendum confessiones, sive ad injungendum pœnitentias, nisi fuerit authentica persona, & ad hoc ab Episcopo destinata, quod licet quilibet Sacerdos in sua ordinatione potestatem ligandi & solvendi recipiat, executionem tamen non recipit, nisi sibi *a Papa, vel suo Episcopo, conferatur:* unde nulli Plebanorum Socii audire confessiones vel prædicare præsumant, nisi de indulgentia speciali Episcopi; Quæstores quoque eleemosynarum tantum ea dicant populo, quæ in litteris Domini Papæ vel Episcopi continentur, nec ultra prædicare, cantare, vel legere permittantur: Sacerdos autem loci populum sibi commissum diligenter inducat ad eleemosynas erogandas pietatis intuitu.

VI.

Statuimus, quod ornamenta Ecclesiæ non obligentur pignori, nisi pro necessitate Ecclesiæ, & de consensu Parochianorum: Calices vero & vestes sacræ Judæis non exponantur, nisi firmiter observentur, ne ipsorum manibus valeant attrectari, quibus, ubi possunt, contumeliam irrogant Salvatori.

VII.

Prohibemus Sacerdotibus & aliis Clericis, ut aliqua de Ecclesiis suis Domino terræ, vel cuicumque alii homagia, vel aliquid tale facere non præsumant, donec habeant sui Episcopi consilium, ut ejus auctoritate fiat, quod fuerit faciendum.

VIII.

Nullus curam animarum habens, vel non Sacerdos Ecclesiam ad firmam vel sub annuo censu recipiat, nec Sacerdos etiam, nisi de Episcopi licentia speciali.

IX.

Prohibemus Sacerdotibus, ut cum res, vel homo Ecclesiæ detinetur, moneant detentorem, ut reddat vel recredat, & Sacerdos & Decanus cautionem recipiant, & coram Episcopo vel Officiali partibus assignent terminum competentem; si autem reddere vel recredere noluerit, & de detentione constiterit, locum, in quo homo vel res Ecclesiæ detinetur, interdicto supponant, si locus est de Dominio detentoris, alioquin detentorem monitione præmissa per Episcopum vel Officialem ejus ad hoc compelli volumus Ecclesiasticam per censuram, & hæc ipsa Ordinatio a Plebanis & Parochis suis frequentius publicetur.

X.

Nullus Clericus, vel Religiosa persona, vel laicus recipiat Decimam de manu laici, nisi per manum Episcopi.

XI.

Districte præcipimus, ne Sacerdotes cultellum cum cuspide portent, vel in aliis ordinibus constituti, vel etiam alia arma, nisi justi causa timoris.

XII. *De Testamentis.*

Prohibemus Sacerdotibus, ne sua Testamenta ordinent per manum laicalem: & ipsi frequentius prohibeant laicis, ne testamenta sua faciant sine præsentia Sacerdotis, nisi Sacerdos ex industria noluerit interesse.

Præcipimus Clericis, ut immobilia de bonis Ecclesiæ acquisita, tantummodo suis legent Ecclesiis, cum de jure de illis aliud disponere non debeant, sive possint: de bonis vero suis mobilibus poterunt facere rationabile testamentum: domum vero, utensilia, ac suppellectilia successoribus suis relinquant.

XIII.

Præcipimus omnibus Clericis habentibus Ecclesias, ut ad singula tempora Ordinum se offerant ordinandos: & qui ordinati sunt, in Ecclesiis suis resideant, nisi eis de licentia Episcopi aliter facere permittatur.

XIV.

Presbyteri super excommunicationibus vel absolutionibus faciendis, & Divinis resumendis, cuiquam sine litteris non credant: sententias exequantur audacter, latas stricte servent, nec timore parcentes alicui vel amore.

Cum

Cum aliquid mandabitur Decanis, vel aliis Plebanis, & Mandatores alias certificari de executione non poſſint, apponant ſigilla ſua, vel alia authentica, ſi propria, quod abſit, non habeant, ad litteras Mandatoris, in ſignum executionis per eos fideliter adimpletæ.

XV. *De Excommunicatis.*

Quando aliquis excommunicatus ab Eccleſia abſolvendus eſt, ſuper hoc pars adverſa certificetur, & tunc ſollempniter Pſalmo pœnitentiali: *Miſerere*, & Oratione: *Abſolve*, devote, & cum gravitate abſolutio impendenda, injunctâ ſibi pœnitentia ſalutari. Sciendum eſt, quod excommunicati ſunt ipſo facto, qui in Clericos, vel Religioſas perſonas manus injiciunt violentas, incendiarii Cœmiteriorum, & Eccleſiarum, & qui litteras Domini Papæ falſant, vel ad hoc amminiculum parant, vel etiam falſatas apud ſe ſcienter ultra XV. dies ſervant, vel falſis utuntur etiam ignoranter, ſi craſſa ſit ignorantia & ſupina. Item excommunicati ſunt per Epiſcopum ſortilegia de Sacramentis Eccleſiæ facientes, & qui malitioſe procuraverint abortum. Sciendum etiam, quod excommunicatus a quolibet Sacerdote abſolvi poteſt in articulo mortis, ſatisfactione præmiſſa ſi fieri poteſt, ſi pro offenſa manifeſta, vel re judicata excommunicatione fuerat innodatus: ſane ſi quisquam tanta paupertate gravetur, quod ſatisfacere nequeat præter cautionem, dum ad fortunam pervenerit pinguiorem, etſi nullam aliam præſtare poſſit, recipiatur in communionem.

XVI. *De Jejuniis.*

Sacerdotes præcipiant omnibus ætatem adultam habentibus, inſtituta Eccleſiaſtica obſervare, ut jejunium quadrageſimale; Quatuor temporum, Vigiliarum, ſcilicet: Natalis Domini, Aſſumptionis Beatæ Mariæ, Beati Johannis Baptiſtæ, Apoſtolorum, præcipue Petri & Pauli, Laurentii Martyris, omnium Sanctorum, jejunium in Litania Majori, Feſto beati Marci, & in diebus Rogationum; excipiuntur tamen Vigiliæ Apoſtolorum Philippi & Jacobi, & beati Johannis Evangeliſtæ, quoniam illorum feſtivitates infra ſollempnitatem Paſchalem, iſtius autem infra Natale Domini celebratur, ſi quæ autem de Vigiliis jejunandis die Dominico evenerit, indicandum eſt jejunium die Sabbati præcedenti.

XVII. *De Diebus Feſtivis.*

Prænuntiandum eſt etiam Laicis, ut ſciant tempora feriandi per annum, in omni Dominica a veſpera uſque ad veſperam cum omni veneratione ferianda: Iſti autem ſunt dies feriati, qui ob reverentiam Dei & Sanctorum noſcuntur eſſe ſtatuti, ſcilicet: Natale Domini, ſancti Stephani, ſancti Joannis Evang. Innocentum, ſancti Thomæ, Circumciſionis Domini, Epiphaniæ, quatuor Feſtivitatum beatæ Mariæ Virg. dies Paraſceve cum omni reverentia, & honore, Reſurrectionis cum tribus diebus ſequentibus ad minus, Aſcenſionis Domini, Inventionis ſanctæ Crucis, Pentecoſtes cum duobus qui ſequuntur, ſanctorum Martyrum Bonifacii, Viti, & Albani, Nativitat. beati Johannis Baptiſtæ, XII. Apoſtolorum, ſancti Laurentii, ſanctorum Martyrum Kiliani, ſociorumque ejus, in quorum honore etiam iſta mater veſtra eſt ſundata, beatæ Mariæ Magdalenæ, ſancti Michaelis Archangeli, Dedicationis ſcilicet Oratorii, & præcipue Dedicationis iſtius Eccleſiæ, Matris veſtræ, omnium Sanctorum, ſancti Martini, ſancti Cyriaci, beatæ Virginis Catharinæ, beati Nicolai, cum ceteris Feſtivitatibus ac ſollempnitatibus, quas ſinguli Presbyteri in ſuis Parochiis ab antiquo collaudaverunt cum populo, non enim illæ Feſtivitates ſunt generaliter omnibus indicendæ: de reliquis Feſtivitatibus per annum non ſunt cogendi ad feriandum; ſed monendum juxta morem antiquum.

XVIII. *De Sponſalibus & Matrimonio.*

Prohibemus ſub pœna excommunicationis, & magnæ emendæ, ne aliquæ perſonæ conſentiant in Matrimonium per verba de præſenti, donec ſint ante fores Eccleſiæ, quando debet Nuptialis benedictio celebrari, poſſunt autem dare fidem inter ſe de Matrimonio contrahendo, ſi ſancta Eccleſia id poterit ſuſtinere, ut hoc modo non fiat ſine præſentia Sacerdotis, & hoc Sacerdotes frequentius in ſuis Parochiis publicabunt.

Clandeſtina Matrimonia penitus inhibemus, prohibentes etiam, ne quis Sacerdos talibus intereſſe præſumat, & ſtatuentes: ut cum Matrimonia fuerint contrahenda, in Eccleſiis Presbyteri publice proponant competenti termino præfinito, ut infra illud, qui voluerit, legitimum impedimentum opponat, & ipſi Presbyteri nihilominus inveſtigent, utrum aliquod impedimentum obſiſtat: cum autem probabilis apparuerit conjectura circa copulam contrahendam, contractus prohibeatur expreſſe, donec quid circa illud fieri debeat, conſtet documentis: ſi quis autem hujuſmodi clandeſtina matrimonia inire præſumpſerit in gradu prohibito etiam ignoranter, ſoboles de tali conjunctione ſuſcepta prorſus illegitima cenſeatur, cum illi taliter contrahendo non expertes ſcientiæ vel ſaltem affectationis ignorantiæ judicantur. Quod ſi ambo contrahentes impedimentum ſcientes legitimum, præter Eccleſiæ interdictum, & in conſpectu Eccleſiæ contrahere præſumpſerunt: ſane, ſi Parochialis Sacerdos tales conjunctos prohibere contempſerit, aut etiam quilibet alius Regularis, qui eis præſumpſerit intereſſe, per triennium ab officio ſuſpendatur, quin & his, qui taliter copulari præſumpſerint etiam in gradu conceſſo, condigna pœnitentia injungatur: ſi quis autem ad impediendam legitimam copulam malitioſum impedimentum objecerit, Canonicam non effugiet ultionem.

Volumus autem & præcipimus, quod terminus prætaxatus tanto ſit temporis intervallo, quod in ſe tres Dominicos vel Feſtivos contineat, in quibus tribus edictis perquirat Sacerdos a populo ſub pœna excommunicationis de legitimitate Sponſi & Sponſæ, qui debent conjungi, videlicet utrum inter eos ſit conſanguinitas vel affinitas, diſparitas cultus, publicæ honeſtatis juſtitia, votum ſolempne, delicti enormitas, error perſonæ, error conditionis, violentia, ſacer ordo, ligamen, & minor ætas, aut compaternitas &c.

Semper ſub pœna excommunicationis prohibeantur ſortilegia in nuptiis fieri: ſi autem in computatione graduum aliqua dubitatio emerſerit, in hoc diffinitio Epiſcopi requiratur, nec Sacerdos quicquam in caſu dubio audeat proferre ſuper Matrimonio, Archidiacono inconſulto; ſed ad ipſum referant quæcumque emerſerint ſuper Matrimoniis quæſtiones.

XIX. *De Extrema Unctione & cura Infirmorum.*

Ad Sacramentum extremæ Unctionis populum ſæpe moneant Sacerdotes non tantum divites, ſed & pauperes, & maxime a XIIII. annis & ſupra, ut ad id omnes pariter, cum fuerit neceſſe, exhibeant ſe paratos, ſacrum Oleum cum magna reverentia portantes. Doceant ſæpe Sacerdotes populum, hoc Sacramentum poſſe iterari & recipi in qualibet magna neceſſitate, unde mortis metus poterit formidari.

Statutum eſt in Concilio Generali, (a) & diſtricte injunctum medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant & inducant, ut medicos advocent animarum, ut poſtquam infirmis fuerit de ſpirituali proviſum ſalute; ad corporalis medicinæ remedium ſalubrius procedatur: ſi quis autem medicorum hujus conſtitutionis transgreſſor exſtiterit, tamdiu ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, donec pro transgreſſione hujuſmodi ſatisfecerit conpetenter: cœterum cum anima multo pretioſior ſit corpore; ſub interminatione anathematis prohibetur, ne quis medicorum pro corporali ſalute adquirenda ægro ſuadeat, quod in periculum animæ convertatur.

Singuli Sacerdotes ſingulos habeant calices, in quibus communicentur infirmi, qui decori ſint & mundi, ut in eis infirmorum devotio excitetur, nec permittatur Diaconis deferre Corpus ſanctum Domini infirmis, niſi in neceſſitate, ſed ſemper cum magna reverentia deferatur in pixide idonea, bene clauſa, propter caſum: & in eundo ad infirmos & redeundo VII Pſalmos Pœnitentiales dicant & Litaniam; frequenter moneant laicos ut, ubicumque viderint deferri corpus ſanctum Domini, ſtatim genua flectant, tanquam Deo & creatori ſuo, & junctis manibus donec tranſierit orent: ſtatuimus etiam: quod quilibet Sacerdos infirmum in extremis laborantem abſolvat ab omnibus, a quibus ipſum abſolvere poteſt.

Si

(a) Ex Concilio generali Lateranenſi anni 1215. refertur *cum infirmitas: De pœnitent. & remiſſione Cap. XIII. Lib. V. Decretalium Gregorii noni.*

Si quid de Corpore Chriſti ab ore infirmi ceciderit, vel inde exierit, quod non poſſit recipi vel ſumi, aut comminutum in calice cum modico vino, alteri habenti bonam conſcientiam detur: ſi autem infirmus adeo fuerit arctatus, quod ſub forma magna Corpus Chriſti ſumere non poſſit, ſub minima ei detur in calice comminutim, ut cum modico vino in ore inſtilletur, maxime ſi ſine ſcandalo fieri poſſit, ne infirmus obire ſine viatico videatur. Ab infirmis in articulo mortis conſtitutis inquirenda eſt peccatorum confeſſio, non pœna injungenda; eis eſt tamen intimandum, ut conterantur & doleant de peccatis ſuis univerſis & ſingulis non timore pœnæ, quam peccando incurrerunt, ſed quod Deum Patrem, & Creatorem, & Redemptorem ſuum offendere præſumpſerunt, acerbitates ægritudinis, & flagella pii Paſtoris, quamdiu placuerit, cum gaudio ſuſtinentes: ſi autem convaluerint, ſtatim ad Sacerdotem accedere debent, ut tunc eis pœnitentia competens injungatur.

XX.

In Concilio Lateranenſi prohibetur, ne aliquis Presbyter in Benedictione Nubentium, Exequiis mortuorum, & aliis Sacramentis pecuniam extorquere præſumat, aut propter hoc fictitia impedimenta opponat, debent tamen a Parochianis, quibus impenſa ſunt Sacramenta, piæ conſuetudines obſervari, & ſunt per Epiſcopum compellendi, qui nituntur laudabilem conſuetudinem immutare: imo inhibemus, ne Sacerdos aliquis in caſibus hujuſmodi ſibi jus audeat dicere, ſed apud Superiorem querelam deponat.

XXI. *De Pœnitentia.*

Præcipimus: ut Sacerdos Epiſcopo, vel Pœnitentiariis ſuis, ſaltem ſemel in anno confiteatur, permittat autem Epiſcopus interdum, quoties opus fuerit, eos aliis Sacerdotibus confiteri; Clerici autem, quando Ordines recipere voluerint, Epiſcopo vel Pœnitentiariis ſuis confiteantur, ne forte per ſimplicitatem Confeſſoris irretiti irregularitate ordinentur.

Doceatur maxime ante Quadrageſimam: *Omnis* (a) *utriusque ſexus fidelis*, quod poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata ſaltem ſemel in anno confiteatur fideliter proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam pro ſuis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum; alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura: unde & hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſiis publicetur, ne quisquam ex ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat: ſi quis autem alieno Sacerdoti voluerit, juxta decreta, confiteri peccata, licentiam prius poſtulet & etiam obtineat a proprio Sacerdote, cum ipſe aliter illum non poſſit abſolvere vel ligare: Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus, more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati: diligenter intelligat, quale debeat ei præbere conſilium & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum: caveat autem Sacerdos omnino, ne verbo vel ſigno aut alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem, ſed, ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſone requirat: quoniam qui in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare peccatum, non ſolum a Sacerdotali officio deponendum decrevimus, verum etiam ad agendam pœnitentiam perpetuam in artum Monaſterium detrudendum. (*b*)

Sunt tamen nonnulli, qui ignorantiæ cœcitate ſeducti, cum ad Nos in illis articulis, in quibus Nobis tanquam Epiſcopo jus diſpenſandi competit, Parochianos illorum cum litteris ſuis transmittunt, & nude ſcribere non verentur: *Tales ad vos mittimus, qui nobis talia crimina ſunt confeſſi, in quibus vobis jus competit diſpenſandi, unde petimus* &c. quod ſub præmiſſa pœna fieri de cœtero prohibemus, cum per hoc confeſſiones certiſſime prodere videantur, ſed ſic in genere ſcribant: *Talem ad vos mittimus, qui perpetravit quendam caſum, cujus ad vos diſpenſatio dignoſcitur pertinere* &c. & ex tunc ille miſſus ad Nos veniens, illum caſum Nobis vel Pœnitentiario noſtro non deſinat confiteri eo modo ſervato, quod ma-

(*a*) Canon XXI. Concilii generalis Lateranenſis anni 1215. refertur *Lib. V. Decretal. Tit.* 38. *De pœnitent. & remiſſion. Cap. XII.*

(*b*) Hactenus Canon Lateranenſis.

manifesta peccata non sint occulta correctione purganda: quod si quis ad confessionem de criminibus venerit, & quamvis confiteri velit, se tamen asseruerit abstinere non posse, præcipimus: quod eorum confessio est recipienda, eisque de criminibus consilium exhibendum, quia licet non sit vera hujus pœnitentia, admittenda est tamen eorum confessio, & salubribus monitis est pœnitentia indicenda.

Consulimus & monemus: ne Sacerdos Missam injungat confitentibus, & ut cupiditatis fugiat vitium in hac parte, fructum, qui ex tali injunctione solet Sacerdotibus provenire, censeat pauperibus erogandum.

Ad audiendum confessionem, sibi eminentem locum eligant Sacerdotes, ut communiter possint videri, & in locis abditis extra Ecclesiam nullus recipiat confessionem, nisi in necessitate. In confessione habeat Sacerdos vultum humilem, & oculos in terram, nec indiscrete faciem respiciat confitentis, maxime mulieris, & patienter audiat, quid dixerit, & in spiritu lenitatis, eique pro posse suo pluribus modis persuadeat, ut confiteatur integre, nude, & vere: aliter dicat ei, non valere; in confessione etiam caveant Sacerdotes, ne inquirant nomina personarum, cum quibus peccaverint confitentes, sed circumstantias tantum, quæ possunt aggravare peccatum.

Cum ad Sacerdotem pro peccatis confitendis peccator accesserit, si confitens est ignotus, Sacerdos dicat primo, unde es tu? Clericus, an laicus? & utrum accesserit ad eum de licentia Majoris, & his similia: Item, si Dominus, Servus, pauper, vel dives, miles, vel burgensis, mercator, vel rusticus, pellipparius, vel cerdo, & sic de aliis officiis, & hæc omnia & his similia sunt inquirenda, ut Sacerdos postmodum cognoscat, qualiter & in quibus peccare potest ille, qui confitetur, & qua satisfactione poterit satisfacere, his verbis utendo: *Frater, Dominus non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur* &c. quod hodie in te declaratur, quoniam non vult te occidere in peccato tuo, sed ut venias ad pœnitentiam, tibi inspiravit; videas igitur, ne stultitia deceptus, aliquod peccatum pudore, timore, vel tremore occultes, ego enim memetipsum constituo subportatorem & oratorem peccatorum tuorum &c. Item caveas tibi, ne Deus tibi irascatur, ipse enim novit cogitationes hominum. Item scias, quod si celares ex industria aliquod peccatum mortale, veniam non posses consequi de aliis, nec præ magnitudine, nec præ multitudine occultandum est, aut præ enormitate peccatorum peccatum in confessione, nam ex magna misericordia Dei omnia in confessione lavantur: dicat igitur in nomine Dei: tunc indicet Sacerdos, quod stet inclinatus ad terram, nam ita docuit Dominus, de quo Evangelista dicit: *Inclinato capite emisit spiritum.* Item Sacerdos peccatorem audiens, caveat a cachinno, & risu, vel si spuere velit cum audierit peccata, ne peccator forte erubescat; & forte etiam pertimescat: si autem Sacerdos viderit illum suspirare, vel dubitare, vel etiam palpitare, & quasi palpitando pertransire, dicat ei: Frater, dicas sincere, quod Dominus est nobiscum, & si vult Sacerdos, cum peccator aliquod peccatum enorme dixerit, poterit dicere: Dominus dimittat tibi, ut cœtera familiarius dicat, qui confitetur, & tunc dimittat ipsum ulterius dicere; & caveat Sacerdos, ut cum peccator aliquod peccatum enorme dixerit, statim velit eum increpare: quia aliqui ex hoc erubescunt, & sic peccata sua in confessione relinquunt; non ergo arguendus est tunc, sed audita confessione magnitudo peccatorum est insinuanda. Item si viderit Sacerdos, ipsum imperfecte & insufficienter dixisse, poterit eum, supplendo defectum ejus, de reliquis inquirere; ut de VII peccatis mortalibus quorum primum est *Superbia*, quæ est, ut *Augustinus*, perversæ celsitudinis appetitus, & habet IIII. species; *Prima*, cum homo a se ipso æstimat habere bonum quod habet, & superbit de hoc, ut de ingenio, scientia, pulchritudine, bonis operibus, & hujusmodi. *Secunda*, cum homo bonum, quod habet, non dicit a Deo esse, sed dicit, quod habet suis meritis. *Tertia*, cum jactat se habere, quod non habet. *Quarta*, quando cœteris despectis singulariter vult videri

per

per potentiam; de quibus inquirere poterit Sacerdos. Sequitur de *Invidia*, quæ eſt dolor alienæ felicitatis cum quis de malo proximi gaudet, & de bonis dolet, & tunc quærere poterit de odio, detractione, murmuratione: Sequitur de *Ira*, quæ eſt, ut ait Auguſtinus, ulciſcendi libido: & eſt triplex; eſt enim ira latens in corde, prorumpens in verba contumelioſa, & exercens vindictam, hic poterit quærere, ſi injecerit manus violentas in Clericum, ſi percuſſerit vel vulneravit proximum ſuum? Sequitur de *Acedia*, quæ eſt tædium boni, cum diſplicet alicui audire Miſſam, vel Prædicationem, vel intereſſe Divino Officio: eſt autem acedia torpor animi bonum inchoare negligens, hic quærat, ſi fuerit negligens in officio, vel aliquid in eo prætermiſit, vel fuerit piger in bonis faciendis, & diſtulit venire ad Eccleſiam diebus Dominicis & diebus Feſtivis? Sequitur de *Avaritia*, quæ eſt ſecundum Bernardum, quarumlibet rerum inſatiabilis & inhoneſta cupido, & multas habet ſpecies, quæ ſunt: latrocinium, homicidium, mendacium, perjurium, rapina, violentia, contemptus veritatis, obduratio cordis, ſimonia, & uſura, & de his poterit inquirere Sacerdos. Sequitur de *Gula*, quæ eſt vorax edacitas, naturæ finibus non contenta; & quinque modis circa gulam peccatur, ut dicit Gregorius, primo, cum quis horam comedendi prævenit, ſecundo, cum quis quærit cibaria pretioſa & delicata, tertio, cum quis menſuram excedit, ſcilicet nimis comedendo, quarto, cum quis nimis ardenter & feſtine comedit, quinto, cum quis nimis ſtudioſe cibaria ſua præparat, & de his poterit inquirere Sacerdos. Sequitur de *Luxuria*, quæ eſt libidinoſæ voluptatis appetitus. Differentiæ luxuriæ ſunt octo, prima eſt fornicatio, quæ eſt ſoluti cum ſoluta; ſecunda meretricum, quæ fit dupliciter, ſcilicet, vel per vagam libidinem ſeu cum diverſis, vel cum publice vænali concumbendo. Tertia adulterium, quo conjugalis thorus violatur. Quarta ſtuprum, quo virginalis integritas corrumpitur. Quinta ſacrilegium, quo continentia circa ſacra læditur, ut in Religioſis & in Clericis in ſacris Ordinibus, & in his, qui emiſerunt votum continentiæ. Sexta inceſtus, quo vinculum conſanguinitatis, vel affinitatis, vel compaternitatis corrumpitur. Septima, peccatum contra naturam, quo naturalis uſus coeundi pervertitur, & circa inquiſitiones hujus peccati caute habeat ſe Sacerdos, ut, ſi poteſt fieri, ſemper ex circumſtantiis procedat, verbi gratia poteſt inquirere: Accidit tibi pollutio nocturna? ſi dicat ſic; ſubjungat, aut ex ebrietate, vel crapula, aut præcedente cogitatione, vel ex confabulatione, vel tactu; pollutio enim nocturna alia eſt ex ſuperfluitate, vel carnis infirmitate, alia ex crapula; alia ex imaginatione procedens & illicita cogitatione: quæ vero ex infirmitate, vel ſuperfluitate naturali, quod idem eſt, non prohibet a communione Sacramentorum, nec a miniſterio Altaris: illa vero, quæ ex crapula, ſi ſit cum imaginatione ſecernit ab amminiſtratione, niſi neceſſitas cogat: ſi vero pollutio fuerit ex cogitatione præcedente, peccatum eſt, ſed diſtinguitur, quia ſi cogitatio illa non proceſſit ad conſenſum, pollutio ex illa proveniens veniale peccatum eſt; ſi vero proceſſit ad conſenſum, tunc eſt mortale. Octava eſt libidinoſus coitus conjugalis, qui multipliciter accipitur, alius enim licitus, alius fragilis, alius impetuoſus, licitus eſt triplex, ut quando fit cauſa prolis ad cultum Dei, vel cauſa reddendi debitum, vel cauſa fornicationis vitandæ, non in ſe, ſed in conjuge, & in his nullum dicitur eſſe peccatum. Fragilis eſt, quando fit cauſa delectationis; & tunc diſtinguitur, quia ſi amor illius delectationis præponitur Deo, mortale peccatum eſt; ſi vero poſtponitur, veniale. Impetuoſus eſt, qui ex ſola libidine proveniens metas honeſtatis & rationis tranſcendit, quod fit quinque modis; primo cauſa ſanandæ libidinis per meretricias blanditias: ſecundo fit cum contra naturalem modum: tertio cum fit tempore prohibito; quarto cum fit loco prohibito. Quinto cum acceditur ad prægnantem vicinam partui, vel quæ eſt in fluxu menſtrui.

Poſtmodum quæratur de X. Præceptis Legis, ſine quibus non eſt ſalus, utrum aliquis ſit transgreſſus: Primum eſt; *Non habebis Deos alienos coram me.* Quærat ergo utrum experimenta, vel incantationes, vel conjurationes pro mulie-

mulieribus, vel sortilegia pro rebus inveniendis fecerit, vel auguria servaverit, vel divinatores consuluerit? Secunda est: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, hic quærat, utrum perjurium fecerit, vel habuerit verba extranea de Christo, & de Beata Maria? Tertium est: *Sabbatha sanctifices*, hic inquirendum est, utrum die Dominico aliqua opera servilia fecerit vel festivo, ut arare, fodere, & similia, secundum quod visum fuerit ad officium confitentis. Quartum est: *Honora Patrem & Matrem*, quærat hic, si patrem vel matrem percusserit, vel factis vel dictis ad iracundiam provocaverit, vel si eis in necessariis, si indigebant, non subvenerit? Quintum: *Non occides*, quærat, utrum occiderit voluntarie verbo, vel opere, consilio, vel auxilio: Item, si viderit aliquem in articulo mortis, & penuriam patientem, & eum statim pro posse suo non liberaverit, vel conceptum interemit, vel perimendum docuit, vel venenum alicui miscuit. Sextum: *Non mœchaberis*, quærat, utrum uxorem proximi cognoverit, vel osculatus fuerit, vel inhoneste tractaverit, & ut eam haberet, quod potuit, fecit. Septimum est: *Non furtum facies*, quærat, si furtum fecerit, vel si furtive, quid rapuerit, quando & a quibus, & ubi & unde, & si latronibus consenserit. Octavum: *Non falsum testimonium dices*, quærat, si aliquis pro suo testimonio, vel occasione sui, res suas amiserit. Nonum: *Non concupisces rem proximi tui*, hic prohibetur rei immobilis concupiscentia secundum Augustinum. Decimum: *Non desiderabis uxorem* &c. prohibetur concupiscentia rei mobilis & immobilis, estque secundum originem unum Præceptum cum præcedenti. Quærat igitur, si utrimque concupiscit rem aliquam de his, quæ hic prohibentur, concupisci.

De quinque Sensibus corporis quærat primo de *Visu*, utrum libenter viderit mulieres vel fornicatores, cum debuisset oculos avertere. Item si ivit ad videndum spectacula hujusmodi. Item de *Odoratu*, utrum detulerit species ad emittendum odorem bonum, ut mulieres alliceret. De *Auditu*, utrum libenter cantilenas, & alia vana, aut turpiloquia audierit. De *Gustu*, utrum falsas carnes superfluas, provocantes luxuriam, comederit, vinum purum, vel sorbilia biberit, vel provocaverit luxuriam, aut jejunia debita absque necessitate fregerit. De *Tactu*, utrum mulieres tetigerit inhoneste.

Post hæc; quærat de officio, utrum in ipso aliquam fraudem fecerit, item quærat de interiore homine, de cogitationibus malis . . . . Postea quærat de circumstantiis aggravantibus peccatum, quæ in omnibus peccatis inquirenda sunt: *Primo*, in qua ætate fuerit, cum peccare mortaliter cœperit? Item quis fuerit, utrum erat liber, vel servus, seu in officio constitutus, sciens, aut ignarus, consanguineus, affinis, vel extraneus; Item, quid fecerit, utrum commiserit adulterium, vel fornicationem, homicidium, & similia? Item, ubi fecerit? utrum in sacro loco, vel prophano, aut in alio loco, cui excellentia debuit, ut sunt domus Dominorum, & aliorum multorum. Item, per quos, utrum per mediatores, aut nuntios, quia omnes tales sunt participes criminis, & damnationis, & ipse confitens est obligatus pro pœnis ipsorum. Item, cum quibus, virgine, conjugata, soluta vel oppressa. Item, quoties debet confiteri simpliciter, & Sacerdos interrogare non peccata, sed quotiens, quia vulnus iteratum tardius sanatur? Item, cur, & quali temtationi, utrum prævenerit temtationem, vel fuerit præventus ab ea sponte, an coactus cupiditate, an paupertate, vel ludo, vel jocundo animo. Item, de modo agendi. Item, in Quadragesima, vel in alio tempore, scilicet in Festis, & in similibus. Item, utrum ante pœnitentiam, an post, ipsam frangendo. Item, debet confiteri peccator de bonis obmissis, & malo exemplo. Item, confessione facta Sacerdos incipiat dicere confitenti magnitudinem, & enormitatem cujuslibet peccati, sic addendo: Frater, vides te facinora perpetrasse, proponis de cœtero non redire? si dicat sic; Dominus transferat a te peccata tua, unde tamen pœnam temporalem oportet te sustinere, aut hic, aut in purgatorio, jam elige tibi hic, vel ibi sustinere pœnas pro peccato Deo commisso: pro quolibet enim peccato deberet tibi imponi septennis pœnitentia: tamen quia ego & tu infirmi

firmi sumus, & fragiles, dabo tibi, quod tu portare poteris, & tunc Sacerdos secundum arbitrium suum imponat pœnitentiam; ita quod respondeat peccatis, si fieri potest.

Tribus autem modis peccat homo, primo in Deum, secundo in proximum, tertio in se ipsum. Item, in Deum per blasphemiam, & hujusmodi, & tunc debet satisfacere per confessionem. Item, in proximum per rapinam, & tunc debet satisfacere per operis satisfactionem, restitutionem, vel eleemosynam. Item, in se ipso, per gulam & luxuriam, & tunc debet satisfacere per vigilias, disciplinas, jejunia, & alias carnis macerationes.

Caveant tamen Sacerdores cujuscumque status vel societatis fuerint, sive Religiosi, ne in his casibus in quibus solum dispensandi vel absolvendi jus Episcopo competit, absolvant aliquatenus pœnitentem, sed ipsum sub forma superius tradita, ad eundem remittant absolvendum, cum illis articulis potestatem solvendi non habeant vel ligandi, quia sic in illis solvendo aliqua vel ligando, absque licentia Episcopi speciali, in suæ damnationis pœnam animæ, miserabiliter decipiant pœnitentes.

Episcopus autem in his casibus dispensare potest: videlicet: cum falsario, scilicet ut detineatur, vel ad Papam mittatur, item cum idiota, jam promoto, quod maneat in statu suo. Item cum sacrilego, item cum promoto per saltum. Item cum servo promoto, si vult eum redimere. Item cum hæretico converso. Item cum Clerico suo ordinato ab alio Episcopo, & eo inconsulto. Item cum fure rerum Ecclesiasticarum, quod mitigetur ei pœna; item in eo quod tempore famis vendantur res Ecclesiasticæ, pro alimentis pauperum & redemptione captivorum. Item quod suspensus in patibulo, vel alias mortuus, vel occisus sine Eucharistia, si apparuerint signa pœnitentiæ, sepeliatur in Cimiterio. Item; cum Monacho ut sit Capellanus populi in Parochiali Ecclesia; & hoc, si potest habere socium Monachum, alias non. Item cum alio qui juravit temere dum tamen juramentum non vergat in detrimentum animæ vel corporis. Item cum illis, qui fornicario coitu cognoverint moniales. Item cum incestuoso, qui per errorem cognovit sororem uxoris. Item cum incestuoso similiter. Item potest dimittere pœnam Sacerdoti, qui male custodivit Eucharistiam, si mus comederit species. Item quod Sacerdos celebret eadem die in Altari ubi Episcopus celebravit. Item in pœna, si Presbyter baptisat cum veteri Chrismate. Item cum eo, qui ignoranter recepit ordines ab Episcopo excommunicato. Item cum Presbytero, qui pugnavit in duello, si mors insecuta non fuerit, vel debilitatio membrorum; item cum sectis in cunabulis, vel a Dominis, vel ab aliis, & cum castratis timore lepræ, & cum illis, qui ita nati sunt sunt, ut promoveantur & qui promoti remaneant in ordinibus suis. Item executione officii sui præter quam in Missa, qui propter vitium carnis se castravit. Item cum Sacerdote, qui plures simul habuit concubinas. Item cum Sacerdote extraneo, vel qui celebrat occulte, licet non habeat litteras vel testetur de ordinatione sua. Item cum Rectoribus Ecclesiarum, si non veniant ad Synodum: semper enim tenentur venire; alias possunt puniri. Item potest mutare Canonicum, vel alium Clericum mutare ex causa rationabili de dignitate ad dignitatem & de beneficio ad beneficium; hoc ipsum per se facere non possunt. Item, quod viro converso uxor in sæculo remaneat, castimonia promissa, si non est suspecta persona. Item in voto quod in melius commutetur, nisi Hierosolymitano, & continentiæ. Item cum Sacerdote incauto, si in aliquo officium suum contingenti peccat. Item in observatione jejuniorum ex justa causa, etiam quod infirmi comedant carnes. Item cum Subdiacono vel Diacono, qui contraxit matrimonium, super beneficio in executione officii, si tamen contraxit cum Virgine, secus cum corrupta, vel dum contraxit bis. Item cum incestuoso, qui contraxit post pœnitentiam. Item cum illis qui contraxerunt Matrimonium contra interdictum Ecclesiæ ubi non est perpetua prohibitio. Item potest dispensare cum illo, qui ignoranter beneficium habuit simoniace, non in beneficio illo, sed in alio. Item cum homicidis, parricidis, & uxoricidis, quod contrahant Matrimonium. Item cum raptoribus secun-

dum formam juris. Item cum fure, item cum sacrilego. Item cum Clerico percussore, item cum Presbytero homicida in casu inevitabili dummodo illum casum non incidat sua culpa. Item cum eo, qui furtim ordines recepit. Item cum illis, qui modicam læsionem per violentam manuum injectionem Clericis fecerunt, item mortuum excommunicatum a se vel Decessore suo, post mortem absolvere, si apparuerint pœnitentiæ signo in eo, item subscripti in foro pœnitentiali similiter ad Episcopum sunt mittendi; videlicet, Homicida facto vel verbo, vel consensu; Simoniacus cujuscumque generis, in Ecclesia communem luxuriam committens cum vidua vel Sarracena; deflorator virginis seductæ; abutens Chrismate vel Eucharistia. Furtum in Ecclesia committens, & Clericus cujus negligentia hoc contingit, item coiens cum Moniali, & mulier cum Religioso. Verberans patrem vel matrem. Item ille, qui in mortem conjugis machinatur, item contrahens matrimonium post votum castitatis, item procurans abortum sive sterilitatem in se vel in alio. Item excommunicatus nolens exire Ecclesiam & Divinum Officium perturbans. Item contrahens Matrimonium post sponsalia cum alio, juramento interposito contracta. Item invocantes dæmonem. Item scienter corpus excommunicati in Ecclesia vel cœmiterio sepeliens. Item clandestine Matrimonium contrahens, item pro sacrilegio, violatione Ecclesiarum, item pro quolibet vitio contra naturam, item pro quolibet incestu. Item coiens cum illa, quam baptisavit vel cujus confessionem audivit. Item excommunicatus ab Episcopo, vel usurarius manifestus & sic Sacerdotes in confessionibus majora majoribus reservantes solliciti existant, ut pœnitentibus pondus importabile non imponant; licet recipere sint parati & sic pœnitentiam temperent injungendam, ut a studio non cogantur cessare scolares, vel ab officio suo fabri vel alii, vel ut Dominum suum cursor sequi non possit, nec peccato occulto publicam pœnitentiam imponant, nec etiam publice pœnitentem scire faciant pœnitere.

In his ergo & aliis salutaribus monitis & doctrinis vos Sacerdotes, præcipue curam animarum habentes & regentes plebes vobis commissas a Domino caute, fideliter & diligenter instruere & informare studeatis & verbo & exemplo edificetis, ne in extremo judicio sanguis earum de vestris manibus requiratur, imo talentum vobis traditum cum tanto lucro reddatis, quod, reddita ratione, tanquam fideles servi & prudentes, pro remunerationis præmio sempiterna gaudia una cum grege vobis credito recipere debeatis, ad quæ nos omnes perducat ille, qui in æternitate vivit & regnat, amen.

Ex Cod. MS. Bibliotb. Carmelit. Bambergens.

CONCILIUM ARGENTINENSE

SUB FRIDERICO EPISCOPO.

Anno Christi MCCC. Bonifacii VIII. Papæ VI. Alberti Regis II.

FRidericus Episcopus (*a*) inter ea, quæ ad honestatem Sacerdotalem pertinent, supra jus Pontificium, statutaque Provincialia Moguntinæ Metropoleos, Legem sanctissimam contra execrabilem concubinatum addidit, & promulgavit, quo more *Pii Patris* gravissimis pœnis etiam privationis beneficiorum affici, decrevit eos, qui famam suam negligunt, & reverentiam maculant Clericalem, focarias palam domi suæ nutrientes.

Wimphelingus in Catalogo Episcoporum Argentinensium, & ex eo Guillimannus.

(*a*) Fridericus de Liechtenberg, ex Præposito Ecclesiæ eligitur Episcopus Argentinensis 5. Septembris 1299. & ab Alberto Rege Romanorum regalia; ab Gerardo vero Archi-Episcopo suo Moguntino, confirmationem electionis accipit eo die, quo electus fuerat. Obiit 1306. 20. Septembris. Sedit annis VI.

SYNO-

SYNODUS COLONIENSIS

A WICHBALDO (a) ARCHI-EPISCOPO CELEBRATA

Anno Christi MCCC. Bonifacii VIII. Papæ VI. Alberti Regis II.

TITULI CAPITULORUM XXII.

STATUTA D. WICHBOLDI, ARCHI-EPISCOPI COLONIENSIS.

WICHBOLDUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS; UNIVERSIS PRÆLATIS, CAPITULIS, CONVENTIBUS, COLLEGIIS, ECCLESIARUM RECTORIBUS, TOTIQUE UNIVERSITATI CLERI ET POPULI SUÆ CIVITATIS, ET DIŒCESIS COLONIENSIS; SALUTEM ET INFRA SCRIPTORUM MEMORIAM PERPETUAM OBSERVANDAM.

I. *De ætate & qualitate præficiendorum Ecclesiis Parochialibus.*

Licet Sacris Canonibus sit institutum, ne aliquis ad regimen Parochialis Ecclesiæ assumatur, nisi qui jam vigesimum quintum annum ætatis attigerit, & scientia, & moribus commendatus existat: plures tamen hujus salubris statuti invenimus transgressores. Volentes igitur periculis animarum prospicere; inhibemus universis Archi Diaconis, ac aliis, qui de consuetudine investire habere dignoscuntur, ne deinceps aliquem puerum vel aliquem alium, qui vigesimum quintum ætatis annum non attigerit, sibi præsentatum de hujusmodi Parochialibus Ecclesiis investiant, vel admittant. Contrarium facientes,

(a) Wicboldus, ex Decano majoris Ecclesiæ Coloniensis, electus anno MCCXCVII. Sedit ad annum 1306. 6. Augusti.

tes, non solum ab ingressu Ecclesiæ suspendimus in his scriptis, verum etiam ipsam investituram decernimus non tenere.

II. *De nominibus Pastorum non residentium, & non Ordinatorum tradendis per Decanos.*

Item cum secundum jus, quilibet, qui ad curam animarum regendarum assumitur, ut gregis sibi crediti diligentius gerere curam possit, in Parochiali Ecclesia, cujus Rector exstiterit, residere personaliter, & ad eam promoveri teneatur; alioqui etiam nulla monitione præmissa, ipsa Ecclesia sit privatus: vobis Decanis Christianitatum committimus, & mandamus; quatenus nomina illorum, qui in vestris Decanatibus hujusmodi Ecclesias, utpote minores annis, occupant; & nomina Pastorum non residentium personaliter, in his scriptis nobis intra mensem post præsentem diem tradatis, ut hujusmodi negligentiam & defectum de Prælatorum nostrorum consilio reformemus. Alioqui in vos ex tunc sententiam excommunicationis ferimus in his scriptis, & id ipsum in qualibet Synodo volumus observari in forma supradicta.

III. *De apostatis, discursoribus, & vagis Clericis.*

Quia vero, ut intelleximus, aliqui Clerici, utpote apostatæ, discursores, & vagi, de aliis Provinciis & Diœcesibus ad Diœcesim nostram Coloniensem venientes, regimen animarum & officiationem Ecclesiarum sibi assumunt, qui ab aliis Diœcesibus tamquam irregulares & indigni, pro eorum culpis & excessibus sunt remoti: statuimus, ut nullus deinceps Presbyter alienus ad regimen & ad curam animarum, loco coadjutoris, vel vicarii, aut socii per Pastores Ecclesiarum, vel Capellarum, aut altarium Rectores, assumatur absque litteris testimonialibus proprii Episcopi, profitentis talem rite secundum claves Ecclesiæ ordinatum esse, & executionem sui officii habere: ita quod per Decanos Christianitatum, in quorum Decanatibus assumi desiderant examinati, tunc demum admittantur tales, cum in his inventi fuerint idonei, ut dictum est. Pastores vero & Capellani, ac altarium Rectores nostræ Diœcesis, qui his spretis, aliquem Clericum ignotum, dicentem se Presbyterum, assumpserint, excommunicationis sententiam, nisi intra sex dies a se talem amoverint, se extunc ipso facto noverint incursuros, & alias pro modo culpæ, canonice puniendos.

IV. *De illis, qui plura beneficia acceptant, & habent in una eademque Ecclesia.*

Cum item Sanctissimus Pater Dominus Bonifacius octavus summus Pontifex, inter cætera statuerit, ne aliquis deinceps, nisi unicum Personatum, Dignitatem, Præposituram, Administrationem vel Officia perpetua, quocumque nomine censeatur, cum Præbenda insimul, absque dispensatione Sedis Apostolicæ in eadem Ecclesia obtinere, vel jam obtenta tenere valeat: & si a quocumque secus præsumptum fuerit, illud irritum sit omnino, nos quia nonnulli In observatione hujusmodi statuti se exhibent negligentes, in ipsorum negligentiam supplere cupientes, mandamus vobis universis, ad quos talium ordinatio seu collatio spectare dinoscitur, ne deinceps talia faciant, & attentent, sed ea personis, intra tempus legitimum habilibus conferant. Alioqui nos eadem conferemus.

V. *De Testamentis Clericorum.*

Præcipimus, ut Sacerdotes denuntient suis subditis, quod omnes, quibus a jure inhibitum non est, liberam testamenti condendi habeant facultatem. Et Clerici bona, maxime immobilia, & quæ per Ecclesiam sunt adepti, sive per modum testamenti sive alias, non transferant ad filios vel nepotes, aut ad alios suos consanguineos; sed relinquant ea Ecclesiæ, a qua sunt profecta, sed intuitu eleemosynæ, pauperibus, religiosis, & piis locis, & illis, qui ipsis servierunt, sive consanguinei sint; sive alii, aliqua juxta servitii meritum de mobilibus dare possunt. De aliis vero bonis, quæ ex hæreditate, artificio, vel doctrina, vel alias non ex bonis Ecclesiasticis ad Clericos pervenerint, Clerici possunt disponere pro suo arbitrio. Excommunicamus & excommunicatos denuntiamus omnes Clericos, qui bona mobilia Ecclesiarum, filiis suis, nepotibus,

bus, vel consanguineis, seu aliis conferunt, vel in ipsos transferunt, & ab Ecclesia alienant sua propria voluntate, & sine consensu nostrorum.

VI. *De Testamentis Laicorum, & quorum debeant admoneri per Sacerdotes.*

Præcipimus, & monemus, ut laici in præsentia sui Sacerdotis testamenta sua faciant, nisi improvisa necessitas emerserit. Item omnibus Sacerdotibus præcipimus, quod hortentur omnes Clericos, & laicos testamenta sua facere, & quod non differant usque ad angustiam mortis, sed ea faciant, dum adhuc compotes sunt suæ mentis & corporis. Et in testamentis suis faciendis consulant Sacerdotes suis subditis, quod declarent sua debita & forefacta: & quod ex primo restitui faciant seu præcipiant de bonis suis: & quod postmodum legent aliqua fabricæ Ecclesiæ totius Civitatis & Diœcesis Coloniensis, & suæ Parochiali Ecclesiæ, & etiam religiosis & piis locis, & pauperibus aliis, secundum arbitrium testantis.

VII. *De Legatis fabricæ Ecclesiæ Coloniensis & de pœna celantium legata.*

Si quis vero Fabricæ Ecclesiæ sancti Petri, Parochiali Ecclesiæ suæ aliquid legaverit in suo testamento, eidem viginti dies de injuncta sibi pœnitentia relaxamus, & fiant testamenta Parochianorum publice & coram discretis personis. Et cum aliqua Ecclesiæ sancti Petri legantur, hoc Presbyter significet Coloniæ procuratori fabricæ, & nomina eorum, qui prædictæ fabricæ legata fecerint, intra mensem: suspendimus autem, & suspensos denuntiamus omnes Presbyteros, qui celant legata fabricæ prædictæ, nisi ea procuratori ejus denuntient intra duos menses a tempore scientiæ: excommunicamus etiam omnes laicos, qui celaverint prædicta legata.

VIII. *Quod quilibet potest in lecto infirmitatis condere testamentum, & legare proprietatem, retento usufructu, non obstante quocumque statuto.*

Quoniam autem in aliquibus locis nostræ Diœcesis quædam consuetudo inolevit, quæ dicenda potius est corruptela, cum sit contraria rationi, & contra jura Canonica & Civilia, videlicet quod Judices & Scabini, & Consiliarii quorumdam oppidorum dicunt, statuunt, vel judicant, & faciunt observari, & per consuetudinem tenent, quod nullum testamentum, donatio vel legatum teneat super immobilibus, quod vel quæ a decumbentibus in lecto in pios usus, vel alias personas, fuerit factum vel facta: nec etiam quod vel quæ fiunt ab aliquo per applicationem proprietatis in pia loca vel alias personas, retento a donatore seu a testatore usufructu, nisi ab eodem ususfructus cum proprietate transferatur & deferatur: Nos huic manifesto errori obviare volentes, consuetudines prædictas seu statutum reprobatas seu reprobatum penitus reprobamus: statuentes etiam, quod quilibet tam sanus quam infirmus, qui liberam habet a jure testamenti factionem & compos mentis exstiterit, libere possit condere testamentum, & donare & legare, tam proprietates, quam usumfructum; & etiam utrumque, tam proprietates quam usumfructum: & secundum ejus voluntatem, & dispositionem procedant universa præmissa, cum ultima voluntas libera esse debeat, & liberum, quod non redeat, arbitrium.

IX. *Pœna contra contrarium statuentes.*

Præcipientes districtius, quod si in aliqua Parochia aliquando Judices, Scabini vel Consiliarii, secundum dictas consuetudines seu statutum; reprobatas, seu reprobatum judicaverint vel fecerint observari, denuntientur Officiali nostro, & ipse Officialis noster contra prædictos tam Scabinos, quam Consiliarios, & partem ad hoc instantem nominatim procedat.

X. *De Inventario faciendo per manufideles: & quando liceat apprehendere bona inventario non confecto.*

Verum, quia exsecutores seu manufideles testamentorum nonnunquam in exsecutionibus testamentorum perperam procedentes, bona ad exsecutiones testamenti pertinentia clam surripiunt & celant; & postmodum cum rationem exsecutionis suæ facere debent, negant se habere

habere bona quanta receperunt, furtum & rapinam committentes, & ultimam voluntatem defuncti minime exsequentes: nos malitiis talium obviare volentes, statuimus & ordinamus; quod nullus exsecutorum seu manufidelium bona testatoris ad exsecutionem suam pertinentia invadat vel recipiat, vel de eisdem aliquatenus se intromittat, nisi facto prius inventario, id est, quadam scriptura, in qua continebuntur, quæ & qualia bona testator post se reliquerit, ad exsecutionem prædictam pertinentia: quæ ipse exsecutor seu manufidelis recipiet, & levabit; & debita, forefacta, & legata ipsius testatoris restituens, adimplebit. Et illud inventarium fiet per probos viros & idoneos, videlicet per Presbyterum, & duos Scabinos loci, vel Synodales non suspectos, & sigillabit sub sigillo Presbyteri, vel alicujus authenticæ personæ; unde exsecutores petant a testatore, si poterit fieri, quod ipsos de bonis suis, & de debitis suis certificet. Nam in hoc stabitur assertioni testatoris. Et nos excommunicamus, & excommunicatos denuntiamus omnes exsecutores, seu manufideles, qui bona decedentium, quorum sunt exsecutores, prius non facto modo prædicto inventario, invadunt & recipiunt, & levant. Et nihilominus ipsi exsecutores & manufideles, si bona prædicta, non facto inventario, levaverint, dum a Creditoribus seu a Legatariis defuncti tenebuntur & condemnabuntur: exceptis rebus, quæ servari non possunt, quas res, si necessitas exegerit, exsecutores alienare poterunt, non facto inventario, in præsentia Sacerdotis loci, vel duorum vel trium Scabinorum, vel Synodalium, vel fide dignorum: & pecuniam de dicta receptione ipsi exsecutores deponant in certo loco, nec ea utantur, nisi dicto inventario facto. Alioqui dictas excommunicationis sententias incurrant. Et si defunctus aliquod debitum sub pœna ad usuras, seu ad alia pericula, vel ad alia damna debeat; poterunt exsecutores seu manufideles de bonis defuncti solvere debitum, pœnam, usuras, & alia pericula, & damno extinguendo, non facto etiam inventario, si ipsum inventarium commode fieri non potest. Et si debitum, pœna, usura, seu aliis impedimentis instantibus (b) sunt augmentanda, vel etiam exsequiæ dicti defuncti fuerint faciendæ: hoc tamen fiat in præsentia Presbyteri, duorum vel trium Scabinorum, Synodalium, vel aliorum proborum: alioqui dicta excommunicationis sententia ligentur. Si vero Presbyter loci fuerit exsecutor, tunc faciat fieri inventarium ipsum in præsentia Decani loci, vel alterius authenticæ personæ, duorum vel trium Scabinorum, Synodalium, & aliorum proborum. Præcipimus etiam Sacerdotibus loci & ipsis exsecutoribus seu manufidelibus, quod copiam inventarii prædicti referant nobis intra duos menses, si intra Diœcesim nostram fuerimus: alias nostro Officiali, a tempore, quo factum fuerit. Et præcipimus hoc per nostrum Officialem registrari: nec aliquid recipiatur pro sigillo. Cum autem testator decesserit, ipsi exsecutores seu manufideles, pro facto inventario, bona ad exsecutionem pertinentia apprehendant: & exsequantur ultimam voluntatem dicti defuncti: faciendo proclamari in loco, in quo morabatur defunctus, & pluries esse & conversari consuevit; ut & omnes creditores ipsius defuncti, & a quibus aliqua extorserat, compareant certa die sua debita ostensuri; & tunc ipsi exsecutores, seu manufideles, primo creditoribus, a quibus, quid injuste extorserat, satisfaciant & de residuo legatariis, cuilibet pro rata bonorum defuncti: & Officialis noster per censuram Ecclesiasticam compellat exsecutores & hæredes defuncti, ad implendam & exsequendam defuncti voluntatem.

XI. *De bonis Clericorum decedentium, & de hujusmodi bonis se intromittentibus.*

Sed quia nonnulli terrarum Domini, Judices, & alii officiarii laici, bona Clericorum nostræ Diœcesis decedentium ex testamento, vel ab intestato, auctoritate propria, & violenter rapiunt, occupant, & arrestant, in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis, quominus decedentium ultima voluntas pro salute animarum eorumdem decedentium valeat adimplere: nos tam præsumptuosos excessus corrigere volentes, monemus omnes nobi-

(b) *forte:* sit augmentandum.

Nobiles, Judices terræ, Advocatos, terrarum Dominos, & laicos quoscumque, ne deinceps talia attentare præſumant. Contrarium facientes (quos ipſo facto tunc in his ſcriptis excommunicamus) excommunicatos in Eccleſiis veſtris, & præcipue in Parochiis, in quibus talia perpetrantur, & in quibus tales morantur, vos univerſi Rectores Eccleſiarum publice nuncietis. Quam excommunicationis ſententiam, ſi per quindenam poſt hujusmodi delictum perpetratum, animo ſuſtinuerint indurato: diſtrictum, ſive terram, ſi Dominus terræ eſt, alioqui locum, ubi talia perpetrata noſcuntur, ubi forefactores tales manſerint, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto.

XII. *De manifeſtis uſurariis.*

Excommunicamus, & excommunicatos denuntiamus omnes uſurarios manifeſtos; & ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis a quolibet Sacerdote denuntientur excommunicati. Nullus Sacerdos oblationes manifeſtorum uſurariorum recipiat, nec ad communionem eos admittat: niſi ſatisfaciant de uſuris, ſecundum conſtitutionem felicis recordationis Domini Gregorii Papæ X. quæ incipit: *Quanquam uſurarii* &c. Nullus teſtamentis manifeſti uſurarii interſit, nec ad pœnitentiam & communionem eos admittat: niſi de uſuris ſatisfecerint, ſecundum formam conſtitutionis dicti Domini Papæ. Et teſtamenta manifeſtorum uſurariorum, qui ſecundum formam dictæ conſtitutionis non ſatisfecerint de uſuris, nulla ſint ipſo jure, dum autem manifeſti uſurarii, ſecundum formam dictæ conſtitutionis ſatisfecerint, ad Sacramenta Eccleſiaſtica (*c*) admittantur. Manifeſtos autem uſurarios dicimus, de quibus per ſententiam, vel per confeſſionem factam in jure, aut evidentiam, quæ aliqua tergiverſatione non poteſt celari, conſtiterit evidenter. Et illos etiam, qui ſuper uſuris diffamati, intra tempus ſtatuendum ab eo, qui ſuper hoc habet poteſtatem, ſe non purgaverint, reputamus pro manifeſtis uſurariis puniendos. Præcipimus etiam ſingulis Sacerdotibus Parochialibus, quod moneant in Parochiis ſuis frequenter in generali & in ſpeciali, de quibus conſtiterit, uſurarios, & infamatos publice de uſuris, ac contractus illicitos præemptionum exercentes, ut ab uſuris & talibus contractibus deſiſtant intra ſeptem dies a tempore dictæ monitionis. Alioqui ipſi ex tunc dicti uſurarii, & præemptores, excommunicentur in ſpeciali, de quibus conſtiterit; & de quibus non conſtiterit, in generali; & diffamati, ſi ſe non expurgaverint, pro convictis habeantur. Et ſi taliter moniti, & excommunicati, deſiſtere noluerint, nominatim excommunicentur, & nomina eorundem noſtro Officiali referantur, ſalvo jure Noſtro & Archi-Diaconi in præmiſſis. Præcipimus etiam conſtitutiones dicti Domini Papæ, contra uſurarios alienigenas editas, firmiter obſervari. Sacerdotes non permittant quæſtionarios Goliardos,(*d*) vel quoscumque alios ignotos, intra Parochiam ſuam in Eccleſia, vel in via, vel in platea, vel in quibuscumque locis Parochiæ ſuæ prædicare, vel oſtiatim deferre indulgentias pro quæſtu faciendo. Sed tales, & omnes, qui eis aſſiſtunt, Presbyter loci excommunicet; & ad removendum ipſos invocet auxilium brachii ſæcularis, ſi neceſſe fuerit.

XIII. *Ne quæſtus fiat in Eccleſia, vel via publica per Concionatores Quæſtuarios.*

Sacerdotes non permittant Prædicatores quæſtionarios celebrare ſuper arcas, vel pullare campanulas manuales per vicos, neque in Eccleſia: & ipſi Presbyteri ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis moneant Parochianos ſuos, & etiam ſub pœna excommunicationis inhibeant eisdem, ne tales audiant, propter pericula hæreſum & errorum, quos ſæpius ſeminant. Et ſi quis tales viderit, denuntiet Presbytero: & Presbyter faciat eos teneri per juſtitiam ſæcularem, & Nobis remitti. Præcipimus etiam, quod Eccleſiæ interdictæ a Nobis, noſtro Capitulo, Archi-Diacono loci, vel Officiali, ſeu quocumque Judice ordinario nullatenus aperiantur, nec quacumque auctoritate, pro quocumque quæſtu faciendo, niſi de ſpeciali mandato noſtro.

XIV.

(*c*) *deeſt:* non.

(*d*) Goliardus, joculator publicus, *Gallice:* Bouffones, & olim Clerici Ribaldi.

XIV. *Ne aliquis detineat legata fabricæ majoris Ecclesiæ Coloniensis.*

Monemus item omnes Sacerdotes, & alios quoscumque nostræ Diœcesis, qui eleemosynas fidelium, ad opus fabricæ Ecclesiæ majoris Coloniensis collatas detinent, quod intra mensem satisfaciant, de eisdem Procuratori, seu Procuratoribus dictæ fabricæ. Alioqui ipsos suspendimus: & si per octo dies dictam suspensionem sustinuerint, ipsos excommunicamus: & etiam omnes illos, qui dictas eleemosynas surripuerunt, celaverunt, & distraxerunt, surripiunt, celant, & distrahunt, in fraudem dictæ fabricæ Coloniensis.

XV. *Ut unusquisque promoveat fabricam majoris Ecclesiæ Coloniensis.*

Item præcipimus, & injungimus universis Presbyteris Coloniensis Diœcesis, sub pœna suspensionis & excommunicationis; quatenus dictum negotium fabricæ apud suos subditos promoveant diligenter & fideliter in Ecclesiis, testamentis & confessionibus. Et si pro hujusmodi negotiis suspensi vel excommunicati fuerint, non absolvantur, nisi per Nos, seu nostrum Officialem.

XVI. *De laicis Provisoribus structurarum Ecclesiasticarum.*

Item statuimus, quod laici Provisores parochialium Ecclesiarum, qui pro conservatione structurarum, luminarium, & comparatione ornamentorum instituuntur, certis ad hoc, vel non certis redditibus deputatis, nihil ordinent, vel disponant absque consilio Plebanorum: & quod bis in anno, videlicet: in crastino *beatæ Margaretæ*, & *beati Petri ad Cathedram*, de administratione ejus commissa Plebanis suis teneantur reddere rationem: ut, si quid inordinate egerint, per ipsos Plebanos pro utilitate Ecclesiarum suarum, prout secundum Deum & suas conscientias expedire viderint, corrigant, & reforment.

XVII. *Ne Campanarii sint illiterati.*

Prohibemus item, ne deinceps campanarii in villis & Ecclesiis Parochialibus ibidem assumantur, nisi litterati, qui in defectu respondentis ad altare, cum camisiis lineis assistant, in Missis deservientes Presbytero, ne ministrator careat socio sibi respondente.

XVIII. *Contra falsarios monetarum, & eorum receptores.*

Quia nonnulli in diversis partibus nostræ Diœcesis falsas seu adulterinas monetas cudunt, & cudi faciunt; propter quod respublica læditur, & damna plurima subjectis nostris, & toti Provinciæ inferunt: unde in hac nostra Synodo statuimus, & sub pœna excommunicationis præcipimus, ut ubicumque tales falsarii reperti fuerint, tam ipsi falsarii, quam receptores eorumdem, cujuscumque sint status, vel gradus, aut dignitatis, per Plebanos locorum moneantur, ut a talibus prorsus desistant & indilate. Ipsique, qui in suis districtibus eosdem falsarios recipiunt & (*d*) tuentur, eos falsarios removeant, nullatenus reversuros: alioqui ipsi falsarii & eorumdem receptores, quos post triduum ab hujusmodi monitione numerandum, in his scriptis excommunicamus, excommunicati publice nuntientur: & cessari in locis, ubi talia committuntur, quamdiu falsarii ibi steterint, præcipimus a Divinis.

XIX. *Ne aliquis exsequatur mandata indebite seu de rescriptis.*

Quamvis rescripta stricti juris sint, nec ad alias personas, quam, quæ eisdem continentur expresse, aliquatenus extendantur: nonnulli tamen hujusmodi rescriptis in casibus a jure non concessis abutuntur, & sua mandata dirigunt, & sententias de facto fulminant contra aliquos, ad quos eorumdem jurisdictio nullatenus se extendit. Volentes igitur talibus nefandis ausibus obviare, statuimus, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in his scriptis firmiter prohibemus, ne aliquis deinceps subditorum nostrorum, cujuscumque status seu conditionis, aliqua mandata alicujus judicis delegati contra personas authentico non expressas, recipiat aut exsecutioni demandet, etiamsi narretur in mandato casus a jure concessus; nisi super hoc prius a Nobis, vel Officiali nostro, habita & obtenta licentia speciali, cum talia mandata contra alias personas plerumque ex malitia & odii fomite procedere videantur. Illum autem,

(*d*) *al.* tenent.

autem, quod hujusmodi mandata contra alias perfonas emiferit in cafu a jure non conceffo, aut per Nos non admiffo, vel per Officialem noftrum non approbato, propter hoc excommunicationis fententiæ, quam in his fcriptis ferimus, decernimus fubjacere.

XX. *Contra fufpendentes tedas vel litteras comminatorias ad portas feu fores.*

Quia vero nonnulli, ut intelleximus tedas & litteras annexas ante portas & januas aliquorum religioforum & granges[a] eorum, fufpendere non formidant, in quibus incendia, homicidia, & alia damna, & maleficia fe illaturos eis, ante quorum ædificia dictas litteras & tedas fufpendunt, inferre publice comminantur, nifi intra certum terminum eisdem malefactoribus aliqua pecuniæ fumma pro ipforum arbitrio perfolvatur: nos talibus maleficiis, quantum poffumus, obviare volentes; præcipimus univerfis Ecclefiarum Rectoribus, quod fingulis diebus Dominicis & Feftivis hujusmodi malefactores & dictarum litterarum fcriptores, fautoresque opem & operam dictis malefactoribus præftantes, & omnes, qui præmiffa fciverint, vel confcii fuerint, (nifi Nobis vel Pœnitentiario noftro revelent intra octo dies, poftquam talia intellexerint) quos in his fcriptis excommunicamus, excommunicatos publice denuntient, & præcipiant ab omnibus arctius evitari, & revelari eosdem.

XXI: *Contra Detentores cerocenfus.*

Item præcipimus, ut univerfi Ecclefiarum Rectores moneant omnes cerocenfuales Ecclefiarum, & Ecclefiafticarum perfonarum, quocumque nomine cenfeantur, qui cerocenfum debitum fubtrahunt, & non folvunt, & qui dictum cerocenfum hactenus non folverunt: quod de fubtractis fatisfaciant intra menfem, & deinceps debitis temporibus & ftatutis perfolvant dictum cerocenfum, ut tenentur. Alioqui dictos fubtrahentes & non folventes, quos excommunicamus in his fcriptis, excommunicatos publice nuntient fingulis diebus Dominicis & Feftivis.

XXII. *Quibus horum ftatutorum copia neceffario habenda?*

Præcipimus etiam omnibus Decanis Chriftianitatum & plebanis locorum, ut prædictorum omnium copiam a Sigillifero Curiæ noftræ Colonienfis intra quindenam recipiant, & fibi fieri procurent fub correctione debita: alioqui contrarium facientes, quos ex nunc prout ex tunc, excommunicamus in his fcriptis, excommunicationis fententiæ volumus fubjacere. Item Decani Chriftianitatum nomina plebanorum fui Decanatus ad præfens abfentium, Nobis vel Officiali noftro dent in fcriptis fub pœna prædicta.

Statuta Colonienfia impreffa anno 1554. *Coloniæ, in Folio.*
Ex his Labbé Tomi XI. Concil. p. 1107.
Harduinus Tomo VII. Concilior. p. 1215.

[a] Granges, vel grangiæ, funt prædia rufticana cum horreis frugum pro Monafteriis alendis, in quibus religiofi Infpectores habitabant.

SYNODI MONASTERIENSES
INTER MCCLXXVI. ET MCCC. CELEBRATÆ.

EVERHARDUS de DIESTE, Epifcopus Monafterienfis XXXII, obiit anno MCCC. 8. *Decembris*, judice Schateno, *Hic præter multa fumma cum laude gefta, fuit difciplinæ Ecclefiafticæ in Clero feverus Affertor, quam in rem* annuas Synodos *nemo ifto Præfide diligentius celebrare vifus.*

Extant multa ejus Decreta, inter quæ & illud de ægris & morituris: " Præcipimus, ut fumpta Euchariftia, Sacerdos " habeat calicem paratum cum vino & " aqua.

Colligit hinc *Schatenus* Sæculo XII. & XIII. ægris & moribundis Euchariftiam fub una fpecie panis tantum tributam fuiffe. *Tomo II. Annal. Paderbornenfium ad annum* 1300. *pag.* 192.

DIGRES-

DIGRESSIO AD SÆCULUM XIII.

§. I. *De Scientia & Legibus editis a Friderico II. pro Ecclesia, & contra Hæreticos.*

I. INter ea bella, quæ cum quibusdam Principibus sacris & laicis gessit, multa specimina edidit scientiæ non solum linguarum Latinæ, & Græcæ, Germanicæ, Gallicæ, Saracenicæ, sed & Juris publici & sacri magnam & copiosam scientiam possedit: ejus indicium primum sunt libri Feudorum ab Hugolino JCto Bononiensi collecti approbatio, imo jussu Augusti Friderici collectio instituta dicitur. Gobelinus *Cosmosdromii ætate VI. Cap. LXIV.*

II. Studium literarum apud Neapolim confirmavit, & mandavit, ut nullus de Regno Siciliæ pro scholis requirendis partes exteras requireret, & sub certa pœna mandavit, ut omnes existentes in studiis in aliis partibus, infra certum terminum Neapolim pro studiis inhærendis redirent, & voluit, nulli licere publice discere vel docere (præter in puerilibus Grammaticæ) per totum Regnum alibi, quam Neapoli, concesso desuper privilegio. Gobelinus *Loco citato.*

III. Leges pro Regno Siciliæ edidit. Nunc ad Germaniam:

IV. Bullam dictam *auream* edidit de libertate Ecclesiastica anno MCCXIII. datam Egræ per manum Bertoldi de Nisse Regalis aulæ Cancellarii, relatam a nobis *Tom. III. pag.* 495. *& seqq.*

In ea Bulla fatetur *primo*: se Romanæ Ecclesiæ alumnum, veluti speciali matri suæ obedientiam, honorem, & reverentiam ab antecessoribus Regibus & Imperatoribus impensam non diminuturum, sed magis aucturum. *Exstat apud Gretserum Tom. VI. pag.* 641. *Cap. X. De munificentia Principum erga Sedem Apostolicam.*

2. Prælatorum Ecclesiæ viduatæ electiones a toto, vel majori parte Capituli faciendas promittit, contra abusum quorundam Prædecessorum suorum.

3. Appellationes in causis Ecclesiasticis ad Sedem Apostolicam libere faciendas concedit.

4. Abusum quorundam antecessorum in occupandis bonis Ecclesiarum vacantium dimittit, & refutat ex hoc principio: *Quæ sunt Cæsaris, Cæsari; quæ Dei, Deo reddenda.*

5. Auxilium & operam promittit eradicandis hæreticorum erroribus.

6. Possessiones Ecclesiæ Romanæ ab antecessoribus, vel aliis quibusve detentas liberas & quietas dimittit, & ad eas obtinendas bona fide adjutorium promittit, eas dein enumerat.

7. 8. Regnum Siciliæ, Corsicam, & Sardiniam Sedi Apostolicæ, & ad ea, quæ ad hæc Regna pertinent, libere dimittit, & renuntiat: uti devotus Filius, & Catholicus Princeps.

Baronius Tom. XI. ad 1097. *N.* 71. *pag.* 718.

Vide Gretserum *Tom. V. noviss. edition. pag.* 228. ubi confutat Goldastum fingentem hanc constitutionem irritam, ausum dicere imprudentem & juvenili fervore hanc constitutionem edidisse.

Idem Schardius Calvinista ex Goldasto recoquit: Item Vitriarius eam revocatam scribit *Lib. I. tit.* 2. *pag.* 67.

V. Rursum post annos VI. similem auream Bullam dedit Fridericus II. Honorio III. datam Hagenoæ, anno Regni in Germania VI, in Sicilia XXII, Indict. VIII. anni MCCXX.

Anno MCCXII. mense Aprili, Indict. XV. Fridericus II. Romæ existens Comitatum Fundanum a Richardo Comite de Aquila Ecclesiæ Romanæ donatum confirmat. Literas confirmatorias refert Raynaldus *ex libro censuum Ecclesiæ Romanæ ad hunc annum No. 2do.*

Vid. *Pagi in Breviario historico Pontific. Romanorum Tom. III. pag.* 288.

VI. Edictum de cassandis statutis, adversus libertatem Ecclesiasticam editis, datum Romæ in die Coronationis anno MCCXX. die 22. Novembris: ab Honorio III. PP. confirmatum h. a. Vide *Cherubinum Bullarii Romani Tom. I. pag.* 90. & ab Innocentio IV. anni MCCXLIII. & a Bonifacio VIII. A. MCCXCI. Demum in Corpus Juris civilis relatum post libros Feudorum. *Nostro Tom. III. Conciliorum pag.* 505.

VII. Constitutio alia ejusdem Augusti pro libertate Ecclesiastica, eodem tempore in Castris apud S. Leonem ex *Goldasto* relata est *Nostro Tom. III. pag.* 503.

VIII. Edictum Imp. Friderici II, quo omnibus detentoribus possessionum Comitatus Mathildis Comitissæ ad Sedem Apostolicam

licam pertinentis, restitutionem sub pœna mille marcarum argenti injungit. In filios vero Comitum Alberti de Garolod & Nerisii, castrum Gonzagæ ad dictum Comitatum spectans detinentes, nec, prout mandatum fuit, Pontificiis Capellanis tradentes sententiam Banni promulgat. Datum in Castris apud S. Leonem A. MCCXX. Indict. IX. 8. Kalend. Octobris seu 24. Septembris. *Relatum Tom. III. Concilior. German. pag.* 512.

IX. Compromissum inter Gregorium IX. PP. & Fridericum II. ad viam inveniendam, quomodo cum honore Ecclesiæ *Gaetana* & *S. Agathæ civitates*, & omnes cum bonis suis de regno Siciliæ, quos in fidem suam recepit Ecclesia, ad Imperatorem revertantur. Actum apud S. Germanum anni MCCXXX. Vid. *Ughelli Italiæ sacræ Tom. III. pag. MVIII.*

X. Privilegium pro libertate Ecclesiastica Germanicis Ecclesiis concessum. Datum a Friderico II. quando anno MCCXII. Moguntiæ iterum electus est Rex, & denuo promulgatum in Curia Francofordiensi anni MCCXXIV. continet octo Partes:

1. Spolia Ecclesiarum vacantium, non Fisco Regio, sed heredi defuncti vel successori cessura.
2. Nulla telonia, nec novas monetas contra Ecclesiæ jura erigenda
3. Servos fugitivos a nemine recipiendos.
4. Omnis damnificatio Ecclesiæ interdicitur.
5. Feuda nulli Principi Ecclesiastico subtrahenda.
6. Excommunicatos vitandos, contumaces proscribendos:
7. Nullum opus novum in Ecclesiæ fundo construendum.
8. Officialium Regis jurisdictio circumscribitur.

Ex Archivio Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniæ: eadem refertur in I. parte recessuum Imperii anno MDCCXLVII. pag. 14. Francofurti cum aliqua varietate.

XI. Apologia missa Gregorio IX. Pontifici per Episcopos suos Legatos circa annum MCCXXXIX. *Tom. III. nostro pag.* 562.

Hactenus Edicta Augustalia pro Ecclesia, & Ecclesiæ Romanæ, aliarumque Privilegiis.

Sequuntur Edicta contra hostes Ecclesiæ, seu Hæreticos edita.

XII. Friderici II. Augusti constitutio de libertate concessa gentibus ex Livonia, Esco- via, Prussia, ad Catholicæ Fidei unitatem conversis.

Petrus de Vineis Epistolarum in Lib. VI. Epistola XXX. Tom. III. pag. 540.

XIII. Constitutio contra hæreticos Friderici II. anno MCCXX. 22. Februarii Paduæ Indict. XII. Constat membris novem:

Exordium notandum: " Commissi nobis cœlitus cura Regiminis & Imperialis, " cui dante Domino præsidemus fastigium " dignitatis; Materialem, QUO DIVISIM " A SACERDOTIO FUNGIMUR gladium adversus hostes fidei, & in exterminium hæreticæ pravitatis exigunt exerendum, ut vipereos perfidiæ filios contra " DEUM & Ecclesiam insultantes, tanquam " materni uteri corrosores, in judicio & justitia persequamur, maleficos vivere non " passuri, per quorum sententiam seducentem mundus seducitur, & gregi fidelium " per oves morbidas gravior infligitur corruptela.

Petrus de Vineis L. I. Epistola 25. 26. 27. ex quo *Goldastus Tom. I. Constitut. Imp. & nostro Tom. III. pag.* 506.

Præcesserat Ecclesiæ prædicatio sanæ & Catholicæ Fidei doctrinæ, hæreticorum monitio, increpatio, demum in pertinaces gladius spiritualis excommunicationis vibratus fuerat, & pœnitentium condemnatio ad perpetuum carcerem. Dum hæc omnia non sufficerent paci Ecclesiæ & imperii restituendæ, cum tumultuari pergerent hæretici, invocavit Innocentius III. in Concilio (*a*) Lateranensi hoc Sæculo XIII. brachium sæculare, saluti animarum, & paci publice consulens.

XIV. Constitutio II. ejusdem Augusti data Paduæ eodem die 22. Februarii MCC. XX. XII. Augusti.

Apud Raynaldum in annalibus Ecclesiasticis ad h. a. T. III. nostro pag. 508. 509.

Relata inter jus civile post Lib. IV. Feudorum, confirmata ab Honorio III.

Augustus enarratis nominibus quæ hi hæretici sibi arrogabant, eorumque criminis gravitate, & pertinacia in crimine, & perverso zelo dilatandæ hæreseos, statuit primo, crimen hæreseos vel hæreticorum *quocunque nomine censeantur damnati ab Ecclesia hæretici*, inter publica crimina numerandum, & vindicandum gravius crimine læsæ Majestatis Imperialis: idem ait *veteribus legibus esse indictum*, & sicut perduellionis & Majestatis reis omnia bona adimuntur, & post obitum memoria damnatur; sic & Patarenorum punienda hæresis.

Nemine deferente, inquirendos hos hæ- reticos

(*a*) Anno 1215. Canone tertio.

reticos ab Officialibus, inventos carcerari, examinari, a viris Ecclesiasticis dijudicari debere: si judicati & damnati, nolint resipiscere, mortem pati, & in conspectu hominum comburi debere.

XV. Constitutio tertia eodem loco & anno data incipit: *Patarenorum complices, receptatores. T. III. Conc. Germ. pag.* 508. 509. Sedecim pœnis coercet, ibidem enumeratis, demum quocunque nomine censeantur, perpetua infamia damnat.

Petrus de Vineis eandem refert L. I. Epistolarum. epist. 27.

Odoricus Rainaldus in annalibus ad annum MCCXX.

Concludo cum Lupoldo Babenbergensi Episcopo sæculi proximi XIV. scriptore cap. X. L. de Zelo *Veterum Germaniæ Principum in Christianam Religionem:* Licet prisci Romanorum Imperatores, qui ante, tempora translati Imperii de Græcis in Germanos, in Personam Caroli M. factæ, Romano Imperio præfuerunt, Clerum, & Ecclesiam multis privilegiis libertaverunt, ut patet C. *de Sacrosanctis Ecclesiis*, quasi per totum & in authentica *de sanctis Episcopis* per totum collatione nova, quorum aliquæ etiam ponuntur in libris Juris Canonici causa XVI. quæstione I. generaliter verbo *juxta*, & verbo *placet* causa XXIII. quæst. 8. universos *ita* sancimus. Eadem tamen privilegia nequaquam adæquari possunt privilegiis Friderici II. & aliis antedictis Germanorum Principum.

Idem *Ludolphus Episcopus eodem Lib. cap. II.* Idem Fridericus II. plures bonas & utiles leges ad dilatandam Fidem Catholicam edidit pro exterminio hæreticæ pravitatis, quæ sunt per Bonifacium VIII. in quantum Dei & Ecclesiæ sanctæ honorem promovent, & non obstant Canonicis institutis approbata, ut patet extravag.: *De hæreticis*, Cap. *Ut inquisitiones*, in principio L. VI. *Ad decus & honorem*, in titulo *de Statutis, & consuetudinibus contra Ecclesiasticam libertatem editis* in §. *Gazaros*, in §. *Statuimus*. §. *Si vero*. & §. *Credentes*. collatione decima. Hactenus Lupoldus.

Addemus nunc Testamentum ejusdem Friderici Augusti. Igitur finem vitæ appropinquantem videns Testamentum condidit; in eo multa millia unciarum auri equitibus Hyerosolomitanis & hospitalariis S. Joannis reliquit pro compensatione fructuum, quos debitos ex beneficiis in regno sitis toto belli tempore percipere non potuerant.

2. Ad recuperandam terram sanctam magnam auri vim reliquit erogandam arbitrio & consilio equitum Hyerosolymitanorum.

3. Omnibus inimicis atque Imperio rebellibus sincero cordis affectu ignovit, exceptis regnicolis, quos, cum ipsum immerentem nefarie prodere moliti essent, justitiæ rigori committit.

4. Filiis præcepit, ut, qui quocunque terrarum loco jussu ipsius in vinculis detinerentur, hos liberos dimitterent.

5. Inter manus Archi-Episcopi Panormitani aliorumque Religiosorum ad delictorum recognitionem se se convertit; quin etiam consilio quorundam sapientium sacrosanctæ Ecclesiæ obedientiæ se se addixit jurejurando præstito, omnibus ejus mandatis se staturum & obtemperaturum esse. Ita *Collenutius*, *Maynhardinus*, & *Guillelmus de Puteo*; ordinavit, ut quæ ad Ecclesiam legitime spectarent, eidem benigne atque prolixie restituerentur.

6. Conradum Filium, Regem Germaniæ, hæredem regni Neapolitani, & Imperii Romani ex asse fecit.

7. Henrico Filio, ejus nominis secundo, & legitimo, cum centum millibus unciarum auri Regnum Siciliæ reliquit, ut id ex arbitrio Conradi administraret.

8. Friderico Nepoti, ex Filio Henrico primogenito suo jam in carcere defuncto, Austriæ Ducatum cum decem millibus unciarum auri contulit.

9. Manfredus Filius ejus (*a*) naturalis, Princeps Tarentinus, dictionum imperialium, quæ sunt a Capua usque ad Aquileam. Gubernator decennalis est constitutus. Etsi autem cuivis filiorum suorum portionem assignasset, voluit tamen, ut omnes Conrado, tanquam legitimo hæredi, & Imperatori obedientiam præstarent. Sic ultimam voluntatem erga Deum, Ecclesiam & Imperium, & liberos testatam relinquens, peccata sua Archi-Episcopo Panormitano confessus est, ab eoque absolutus pie obiit 13. Decembris MCCL. Florentini in Apulia, & in Siciliam delatus pompa regia sepultus in Panormitana Ecclesia, quod vivens jusserat. Curante Manfredo. *Hæc ex Alberto Stadensi, Paulo*

(*a*) Ejusdem Manfredi Literæ ad Conradum sic mortis circumstantias describunt: " In ipsis mor-" tis indiciis . . . Sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem suam in corde contrito velut " Fidei orthodoxæ Zelator humiliter recognovit, & damna, quæ dudum Ecclesiæ invitus " Romanæ vel potius provocatus intulerat, integre restauranda sancivit. *Baluzius Tom. I. Miscellaneorum pag.* 475.

Apparet & hinc calumnia nonnullorum affingentium mortem violentam: aut veneno procuratam contra antiquorum sinceram narrationem.

Paulo Langio in Chronico Citizensi, Browero Spondano aliisque amicis & hostibus Friderici II. sufficiant. Videns mortem suam indubitanter imminere contritus pro peccatis suis confessionem fecit plenissimam cum lacrymarum ubertate se Deo commendans, & Ordini Cisterciensi, unde habitum Cisterciensium ante mortem, ut nobis suorum fidelium patefecit certa relatio, humiliter ac devote suscepit: & quia mors in foribus erat, quidam Episcopus ex parte Dei, qui neminem in se credentem vult perire, ipsum satisfactionem promittentem, absolvit.

Matthæus Paris. Coævus, & fide dignissimus autor: licet quoad Pontifices animum infensissimum ubique monstret, demum subjungit Testamentum, quod quidam Protestantes negant extitisse.

Gretserus id refert præfatione in hortum sanctæ Crucis. Tom. III. novæ edition. ante paginam 31.

§. II. De Canonistis Germanis Sæculi XIII.

CAnonistas Germaniæ raros in hoc Sæculo reperio, præter Petrum de Vineis, Cancellarium Friderici II, & M. Thaddæum Suessanum Justiciarium Curiæ Regiæ, qui coram Pontifice, & Concilio Lugdunensi jura sui Imperatoris strenue defendere conati sunt, ut ostendunt Petri de Vineis literæ impressæ.

Vid. *Dumont Corps Diplomatique T. I. pag.* 185. *Plenipotentiam Friderici II. ad Innocentium IV. datam Comiti Tholosano, & Magistro Petro de Vineis, & Thaddæo de Suessa, agendi cum Papa. Matthæus Paris Histor. major. pag.* 629. *Rainaldus Tom. XIII. ad annum* 244.

Unicum excipio JOANNEM (*b*) SEMECA, Præpositum Ecclesiæ Cathedralis Halberstadiensis, qui *Teutonicus* tum dicebatur (sed distinguendus est a Joanne Teutonico Ord. Prædicatorum Generali, Papæ Pœnitentiario, & Episcopo in Hungaria) hic primum (saltem inter Germanos, si non absolute) Herculea audacia aggressus glossare Decretum, a Gratiano compilatum, quod ante eum nemo, & post eum nullus excellentius fecit. Fuit insignis Juris Doctor, Præpositus Ecclesiæ S. Stephani Halberstadiensis, qui non Clementi IV, sed Innocentio IV. PP. tum per Germaniam sicut Galliam, decimas a Clero in redemptionem terræ sanctæ exigenti, appellationem opposuit, quem pro sua, ut decebat, Papa temeritate excommunicavit, privavitque Præpositura. Sed erant magni in Germania viri, qui Joannem non deserendum putabant. *Krantzius Saxoniæ L. VIII. C.* 27. *Obiit* MCCXLV. teste *Clarissimo Lentzen in Historia Diplomatica Halberstadii pag.* 167. Vitam ejus accuratiore magnâ enarrante. Mors Semecæ diremit litem.

Italia duos maximos viros alebat Innocentium III. & Gregorium IX. Primi opera seorsim excudicuravit Clarissimus vir Stephanus Baluzius. Gregorii IX. zelum pro Canonico Jure legimus in Decretalium Libris V. quos S. Raymundi de penna forti, primum Præpositi Ecclesiæ Barcinonensis, post Ordinem FF. Prædicatorum ingressi, Papæ Capellani & Confessarii studio, in hanc formam, quam adhuc videmus, redactos posteritati reliquit.

Ipse Fridericus II. uti optimarum artium, ac scientiarum cultor & promotor duas Universitates Neapolitanam & Patavinam excitavit. Viennensis in Austria anno MCCXXXIX. erecta florere cœpit.

Inter Theologos Albertus M., Ordinis Prædicatorum, & subin Episcopus Ratisbonensis, Germaniam Patriam suam illustravit.

§. III. De Hæreticis Sæculi XIII.

FRidericus II. Imperator hæreticis vel ad Fidem orthodoxam reducendis, vel pertinacibus corrigendis vigili oculo intentus enumerat in sua constitutione A. MCCXX. [Vide *Tom. III. Concil. pag.* 569.] XIX. minimum suis nominibus infamibus distinctos.

1. Patarenos. 2. Speronistas. 3. Leonistas. 4. Arnaldistas. 5. Circumcisos. 6. Passaginos. 7. Joseppinos. 8. Carracenses. 9. Albanenses. 10. Bennaroles. 12. Comistas. 13. Waldenses. 14. Burgaros. 15. Commimellos. 16. Bartinos. 17. Ortholinos. 18. Cum illis de aqua nigra. 19. Pauperes de Lugduno, 20. & omnes hæreticos utriusque sexus, quocunque nomine censeantur.

Nos in Concilio Trevirensi anni MCCXXXI. reperimus tres scholas hæreticorum in ea Metropoli, & de eorundem Pseudo-Papa *Gregorio*, & Pseudo-Archiepiscopo Treverico *Theodorico*, ab se ipsis hæreticis supposito. Vide *Epistolam Gregorii legitimi Papæ de hæreticis in Germania grassantibus, Tom. III. pag.* 544. circa A. MCCXXXIII. in qua eorum abominanda flagitia recenset, ad Henricum filium Friderici II. scribens, idem diversas hæresum species dicit, sed nullam specifice nominat.

In Concilio Moguntino anni MCCXXXIII. de hæreticis Luciferianis multis in Germania combustis: in eadem de pauperibus Lugdunensibus, *pag.* 543. *eodem Tom. III.*

Stedin-

(*b*) Decretum Gratiani cum glossis Joannis Teutonici, Præpositi Alberstadensis, impressum extat anno 1512. Basileæ, opera, & typo Joannis Amorbachii.

Stedingi hostes Ecclesiæ per Archi-Episcopum Bremensem bello impetuntur, cum prædicatio Verbi Divini rejiceretur. *Ibid. pag.* 551. Eorundem conversio & absolutio à Papa procurata *pag.* 553. 554. anno MCCXXXVIII.

Anno MCCLXI. *b. T. pag.* 596. Moguntini Concilii Canone primo damnantur universi hæretici, quibuscunque nominibus censeantur, facies quidem habentes diversas, sed caudas invicem colligatas, qui de vanitate convicti, ab Ecclesia damnati, sæculari judicio relinquuntur, animadversione debitâ puniendi.

§. IV. De hæreticis, speciatim Albigensibus, Waldensibus.

ANno MCCX. prædicata fuit crux contra Albigenses in Alemannia & Francia: & ascenderunt contra eos Leopoldus Dux Austriæ, Anno MCCXI. Adolphus Comes de Monte, Wilhelmus Comes Juliacensis, & alii multi. *Cæsarius Heisterbacensis L. V. Miraculorum C. XXI.* coævus scriptor, eodem Capite describit errores Albigensium.

Circa initium Sæculi XI. in Camaraco intra quinquennium plures hæretici comprehensi, examinati ab Episcopo, combusti omnes.

In Argentina Civitate decem hæretici combusti circa MCCXXII. sub Bertramo Metensi Episcopo hæresis Waldosiana deleta.

Arnoldi hæretici Coloniæ combusti pertinacia sub Reinaldo memoratur, adeoque A. 1177. Heisterbac L. V. cap. XIX. Bizuntii duo homines hæretici combusti.

Hæc ex Cæsario Sæculi XIII. scriptore. L. V. cap. XVIII.

Quæro nunc an inter tot hæreticos, sub Friderico II. pœnis affectos, unitas quædam, aut mutuus nexus reperiatur? vel utrum singuli suos singulares ab aliis diversos errores habuerint?

Respondeo ex iis, quæ Sæculo XI. de Catharis, Tanchelmo, Albigensibus dicta fuere.

Incipiamus ab illis, qui chorum ducunt: WALDENSES, Pauperes de Lugduno, Leonistæ vel Lionistæ, videntur sub tribus nominibus iidem hæretici esse, quorum author, vel potius occasio fuit Petrus Waldo, Mercator opulentus in urbe Lugduno. Hic morte subitanea amici, in cujus societate casu versabatur, consternatus, vitam & mores mutare statuit: quare opibus omnibus, quibus circumfluebat, in egenos populares distributis, Apostolorum exemplum & vitam imitari statuit: nec de secta, vel cœtu erigendo, cogitavit. Interim permulti, hoc luculento facto moti, se ad idem vitæ genus addixerunt: qui ob similem opum contemtum pauperes de Lugduno (Gallice *Lion*,) vel *Waldenses*, vel *Waldonenses* compellati fuere.

Inde ab anno MCLV. dicebantur & *in Sabbatati*, ob calcepodiorum genus, quæ aperta, vel incisa pedibus subdebant: iidem dicebantur *Patareni*, quia teste Friderico II. Augusto, patiendo pœnas, a civili & Ecclesiastica potestate inflictas, se Martyribus exæquabant. Patarenos vult Volaterranus dici, ab urbe Lyciæ Patara, unde Manichæi hæretici ortum duxerint.

Cathari, vel *Gazari* vocabantur, ut Gretserus conjicit, a Germanica voce *Kætzer*, litigatores, divisores. Alii a Græco καθαροι, *mundi*, quia sanctiores se æstimabant reliquis.

Leonistæ ab ea civitate, in qua nidificaverant. *Arnaldistæ*, quia ex nonnullis erroribus contra legitimam auctoritatem Ecclesiæ Arnaldo de Brixia communicabant.

Bulgari vocabantur in Bulgaria: ibi enim inter Croatiam, & Dalmatiam suum Papam *Bartholomæum* creaverunt, alii inde Bugares & Burgari varia aberratione dicebantur.

Arrianistæ, quia cum Arrianis de Trinitate male sentiebant. Carrazenses a Carraceo Lombardiæ oppido: Barryni a Barro monte circa Lacum Larium: Comistæ a Como urbe: Ortolevi, alias Ortolibienses &c. verbo Waldenses in innumeras sectas subdivisi cum essent, uti nostro tempore Lutheri & Calvini discipuli, mirum non est, quod in diversis locis a diversis Doctoribus varia nomina acceperint. Sic nos habemus Carlostadios, Munzeros, Schwencfeldios, Osiandristas, Ubiquistas, & centum diversas sectas a solo Luthero pullulantes. *ut in codice de hæret. cap.* 28. Prateolus ostendit.

Petrus ipse Waldo, literarum rudis, materno idiomate novum testamentum explicabat sectatoribus suis, quibus etsi laicis, & a nullo Episcopo missis, visum fuit, prædicandi verbi Dei officium assumendum. His, cum Episcopus, & Clerus obsisteret, imo ipse Romanus Pontifex in hos omnes insurgeret, cœperunt furere, & obloqui, veluti invidentibus Apostolicæ vitæ, quam ducere se putabant. Lucius III. Papa eos excommunicavit; sed eheu ipsa paterna Pontificum correctione pejores evaserunt, & pertinaciores. Unde primo errori, quo actualem abdicationem omnium opum necessariam omnibus ad salutem affirmabant, addiderunt inobedientiam, & contemptum omnis Potestatis Ecclesiasticæ: coierunt in sectas,

ctas, habitu se secreverunt, calceis scissura apertis, capillis nunquam sectis, sed promissis, arrogata potestate laicis omnibus prædicandi Verbi Divini, imo consecrandi & absolvendi: Cleri mores & opes calumniabantur: negabant, Clero esse potestatem prædicandi & absolvendi, ubi non imitaretur vitam Apostolicam: demum circa Sacramenta, cultum Sanctorum, Purgatorium, indulgentias, cærimonias Ecclesiæ stolidis & variis modis errabant, imo delirabant, exeunte Sæculo XII. & ultra medium Sæculum XIII. Ex urbe Lugdunensi in omnem Franciam, Belgium, & Germaniam Rhenanam; imo in Italiam & Hispaniam progressi sunt. Et licet a Papa Honorio instituti inquisitores, toto orbe eos persequerentur, & ad sanam mentem reducere satagerent, aut ex Catholica Ecclesia removere: licet Fridericus II. Augustus, & reliqui Germaniæ, & Galliæ Proceres eosdem compescerent, imo pœnis corporeis exterminarent; nihilominus Sæculo XIII. vehementer multiplicati fuere. Denique in Regno Arragoniæ, & vallibus Pedemontii reliquiæ mansere usque ad Sæculum XVI. quo Oecolampadius, & Bucerus duo Germaniæ hæretici egerunt cum missis ab Waldensibus ad eosdem nuntiis, & quibusdam erroribus eorum rejectis, aliis a Bucero adoptatis novam crambem recoxerunt anno subin MDCXXX. coacti fuere Calvinistas Prædicantes pro suis Pastoribus acceptare, ut narrat Dupinius *Tom. X. novæ Bibliothecæ Scriptorum Ecclesiasticorum pag.* 165.

JOANNEM HUSS Bohemum Sæculo XV. in Concilio Constantiensi aliquos Waldensium errores amplexum pertinaciter, & combustum suo loco dicemus.

PETRUS DRESENSIS, Misnæ natus, Waldensium secutus est insanias Sæculo xv. & Bohemiæ inficiendæ sua hæresi collaboravit. *Prateolus in Elencho hæreticorum.* Anno MDLX. miserunt Waldenses Bohemi legationem ad Calvinum, cujus mentionem facit Beza in vita Calvini: " Tum quoque " (MDLX) Waldenses Boemi, quos vocant, duobus fratribus ad Calvinum missis, quædam ab ea sunt de religione percontati, quibus ille, sicut par erat, benigne satisfecit, eos etiam cohortatus, ut cum reliquis Ecclesiis se conjungerent.

Calvino autem & Luthero confessionem Waldensium oblatam displicuisse, & licet aliquot articulos ex una [nam varias & multifarias confessiones habuere Waldenses) acceptaverint, quia tam *bonos & pios fratres*, utpote ætate majores, nancisci optabant; revera tamen capitale odium inter Lutheranos, & Waldenses, uti inter Lutheranos, & Calvinistas, intercessisse ex eorum libris manifeste ostendit *Gretserus*, prolatis eorum verbis, *Tomo XII. novæ editionis parte II. in præloquio cap. VII. pag.* 15. 16. *& in Triade Scriptorum adversus Waldenses in præloquio cap. IV. pag.* 114. 115.

Errores Waldensium narrant & confutant sequentes authores coævi.

I. Lucas Tudensis in Hispania Episcopus, qui scripsit contra errores Waldensium.

II. Reinerus Ordinis Prædicatorum: truncate & additamentis hæteticis maculatus editus fuerat a Flaccio Illyrico & Frehero: sed ex MS. codice integrum, non adulteratum, edidit Gretserus: *Tom. XII. novæ editionis Gretserianæ*; subjicit Anonymi indicem errorum a Waldensibus adoptatorum. *pag.* 95.

III. Petrus de Pilichdorff Ss. Theol. Professor, scripsit *librum contra sectam Waldensium*, & subjicit refutationem errorum, quibus Waldenses distinentur, incerti authoris. *pag.* 87. Dein edit Triadem scriptorum coævorum Germaniæ inferioris hactenus non editorum, qui contra Waldenses scripserunt circa A. MDCXIV.

IV. Ebrardum Bethuniensem in Flandria.

V. Bernardum Fontis calidi Abbatem.

VI. Ermengardum ex hæresiarcha Waldensi ferventem Catholicum conversum.

§. V. *Quibus mediis Ecclesia Sæculo* XIII. *usa sit ad errores Waldensium & Albigensium extirpandos.*

Ecclesia Catholica Sæculo XIII. eadem, quæ nunc, longe diversissimo sensu intellexit errores Waldensium, quàm Lutherus, Calvinus, Matthæus Flacius Illyricus, Sleidanus &c. Quibus Waldenses *boni viri* habentur, quique progenitores suos volunt, & *bonos fratres*, si qui nunc in Polonia, vel vallibus Sabaudiæ supersunt sub pelle Calviniana.

Igitur Ecclesia Sæculo XIII. mediis sex usa est ad hæresin Waldensem compescendam.

Primo prædicando his cæcis verbum Dei, & sanam ac sobriam Scripturæ sacræ intelligentiam. Prædicarunt Episcopi & Parochi: dein in Ducatu Mediolanensi fratres Humiliati: rursum fratres Prædicatores sub suo Patriarcha S. Dominico: FF. Minores, qui non minorem vigorem in Evangelicæ paupertatis usu exercebant in vita, victu, vestitu, quam Waldenses, & Pauperes de Lugduno,

duno: ſed hoc magno diſcrimine: nam hi Catholici pauperes obediebant Epiſcopis, & Eccleſiæ, hujusque doctrinam, Sacramenta, & ritus religioſe obſervabant, contra ac Waldenſes deriſores, contemptores, & violatores Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, & omnium Sacramentorum ac rituum.

Secundum medium fuere libri contra eos ſcripti, & divulgati, quos jam enumeravi: in quibus eminuit Ecbertus, primo Bonnenſis Canonicus, poſt Abbas Schönaugienſis, cujus decem Tractatus ſuperſunt: Theologos, Polemicos hujus Sæculi contra Waldenſes exhibet Gretſerus Operum *Tom. XII. Parte II.*

Tertium medium fuere Concilia Eccleſiæ tum publica, & œcumenica Lateranenſe generale XI. ſub Alexandro III. A. MCLXXIX. & Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. œcumenicum generale XII. anno MCCXV. *Deinde* Concilia Provincialia & localia, ut *Tom. III. pag.* 392. Colonienſe anno MCLXIII. contra Catharos: & *Attrebatenſe A. MCLXXXIII. contra Patarenos Tom. III. p.* 427.

Quartum: Papa cruciatam indixit, & Catholici, qui crucis aſſumto caractere ad hæreticorum exterminium ſeſe armabant, illâ gaudebant indulgentia, illoque ſancto privilegio erant muniti, quæ accedentibus ad terræ ſanctæ ſubſidium concedebantur. *L. VI. tit. De hæreticis.*

Quintum medium. Inquiſitores Fidei ſtatuti ab Innocentio III. in ſubſidium Epiſcopalis curæ, quorum ſolerti indagatione, & poteſtate examinandi ſuſpectos de fide, repreſſa fuit hominum rudium opificum, artificum, (qui Doctores inter Waldenſes & Albigenſes erant) audacia, & ignorantia patefacta.

Sextum & ultimum medium fuere Germaniæ Regum & Imperatorum edicta & leges: inter hos Fridericus II. Auguſtus tunc pro tutanda Eccleſia, & inimicis Eccleſiæ, hoc eſt, hæreticis compeſcendis, (c) ferventiſſimus fuit.

Refert ea edicta ſeu leges Gretſerus *Noviſſ. edition. Tomi XII. Parte II. pag.* 13. *& ſeqq.* qui eorundem etiam in corpus Juris civilis relatorum, [*Authent. de ſtatutis & conſtit.* §. 32.] ſubdiviſorum anatomiam ſtatuit Fridericus II. in authentica Juri canonico & civili inſerta hæc auctoritate Imperiali edidit.

I. Gazaros, Patarenos, Leoniſtas, Speroniſtas, Arnaldiſtas, Circumciſos, & omnes hæreticos utriusque ſexus *quocunque NOMINE CENSEANTUR* perpetua damnat infamia.

II. Eosdem diffidat, id eſt, hoſtes publicos declarat.

III. Bannit: id eſt: banno ſuo ſubjicit; Er thut ſie in den Reichs-Bann, oder Reichs-Acht.

IV. Præcipit ut bona talium confiſcentur, nec ad eos ulterius revertantur.

V. Ut filii eorum ad ſucceſſionem non poſſint pervenire.

VI. In conſtitutione (cap. 25. L. 1. Epiſtolarum Petri de Vineis) ſtatuit idem Auguſtus; Ut hæretici cujuscunque nominis, ubicumque per imperium ab Eccleſia, hoc eſt, a jure Eccleſiaſtico, damnati fuerint, & ſæculari judici aſſignati, hoc eſt, brachio ſæculari traditi, debita animadverſione, id eſt, mortis ſupplicio puniantur.

VII. Ut ſi qui hæretici, poſtquam deprehenſi, territi metu mortis redire voluerint ad fidei unitatem, juxta Canonicas ſanctiones ad agendam pœnitentiam in perpetuum carcerem detrudantur.

VIII. Decernit cap. 26., ut crimen hæreſæos inter publica crimina numeretur.

IX. Ut horribilius æſtimetur, quam crimen læſæ Majeſtatis Imperatoriæ.

X. Easdem illis pœnas ſtatuit, quæ in perduellionis reos jam olim ſancitæ ſunt.

XI. Ut ſi in erroris concepti inſtantia perſeverent, vivi in conſpectu hominum comburantur.

XII. In cap. 27. Patarenos, Speroniſtas, & alios quoscunque hæreticos perpetua infamia inurit.

XIII. Jubet ut ſuſpecti de hæreſi, niſi mandante Eccleſia juxta conſiderationem ſuſpicionis ac qualitatem perſonæ, propriam innocentiam congrua probaverint purgatione; tanquam infames, banniti, ab omnibus habeantur, ita, ut ſi per annum manſerint, damnatis hæreticis accenſeri debeant. *cap. excommunicamus* 13. *extravag. de hæreticis.*

XIV. Credentes præterea, Receptores, Defenſores, & Fautores hæreticorum, banno ſubjicit: ſtatuens, ut ſi, poſtquam quilibet talium ab Eccleſia excommunicatione notatus, ſatisfacere contempſerit intra annum, extunc ipſo jure ſit factus infamis.

XV. Ita, ut at ad publica officia admitti nequeat:

XVI.

(c) In tantum Albienſium error invaluit, ut brevi intervallo temporis infecerit uſque ad mille civitates, & ſi non fuiſſet gladius fidelium repreſſus; puto, quod totam Europam corripuiſſet. Hæc *Cæſarius L. V. Miraculorum Cap. XXI.* coævus Auctor ſcribens in & de anno 1210. qui prædicabatur crux in Alemannia contra Albienſes.

XVI. Nec ad eligendum aliquos ad hujusmodi officia vel consilia:

XVII. Nec ad dicendum testimonium:

XVIII. Nec testandi liberam habeat facultatem.

XIX. Nec in ulla hæreditate succedat.

XX. Nullus ei teneatur respondere super quocunque negotio; sed ipse aliis respondere cogatur.

XXI. Si Judex fuerit; ut ejus sententia nullam habeat firmitatem.

XXII. Nec causæ ad ejus audientiam perferantur.

XXIII. Si Advocatus; ejus patrocinium nullatenus admittatur.

XXIV. Si tabellio; instrumenta per eum confecta nullius sint momenti.

XXV. Omne insuper proclamationis & appellationis beneficium, hæreticis receptatoribus, & fautoribus eorundem, penitus adimit Imperator.

XXVI. Hæreticorum receptatorum, fautorum, & advocatorum hæredes ac posteros, usque ad secundam progeniem, cunctis beneficiis temporalibus, publicisque officiis, & honoribus privat Imperator.

XXVII. Statuit, ut Potestates, Consules, seu Rectores, quibuscunque fungantur officiis, pro defensione Fidei præstent publice juramentum; quod de terris, suæ jurisdictioni subjectis, universos hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebunt: ita quod ammodo, quandocunque fuerit quis in Potestatem sive perpetuam, sive temporalem, assumtus, hoc teneatur capitulum juramento firmare: alioqui nec pro Potestatibus, nec pro Consulibus habeantur, & eorum sententias irritas extunc decernit, & inanes.

XXVIII. Si Dominus temporalis requisitus & admonitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hæretica pravitate: post annum, a tempore admonitionis elapso, terram illius ipsis exponimus Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis absque ulla contradictione possideant, & in fidei pietate conservent, salvo jure Domini Principatûs: dummodo super hoc nullum præstet obstaculum, nec aliquod aliud impedimentum apponat: eadem nihilominus lege servata contra eos, qui non habent Dominos principales.

XXIX. Quicunque hæretici reperti fuerint in civitatibus, oppidis, seu locis Imperii per Inquisitores aliquos, a Sede Apostolica datos, & alios Catholicæ Fidei zelatores, ii, qui jurisdictionem ibidem habuerint, ad Inquisitorum, & aliorum Catholicorum virorum insinuationem eos capere teneantur, & eos captos arctius custodire, donec per censuram Ecclesiasticam damnatos, damnabili morte perimant, qui fidei Sacramenta, & gloriam æternæ vitæ damnabant.

XXX. Inquisitores de Ordinibus Prædicatorum & Minorum contra eosdem hæreticos instituit Papa.

XXXI. Eosdem Inquisitores Præfectis, & Magistratibus sedulo commendavit Imperator: " Universitati vestræ mandamus, quatenus quocunque, & ad quemcunque vestrum pervenerint, benigne recipiatis eosdem, & personas eorum ab injuria hæreticorum, eis insidiantium, conservantes indemnes, omne consilium, ducatum, & auxilium impendatis pro acceptis coram Deo negotiis exequendis. Hæreticos vero, quos vobis ostenderint, ipsi in jurisdictione vestra singuli capientes, diligenti custodia detinete, ut post Ecclesiasticæ damnationis judicium pœnam subeant, quam merentur: scituri, quod in ipsius executione negotii gratum Deo & laudabile Nobis obsequium conferatis; si ad expellendam de partibus nostri Imperii novam, & insolitam hæreticæ pravitatis infamiam opem, & operam una cum eisdem Fratribus præstiteritis efficacem: & si quis exinde foret negligens, vel remissus, ac inutilis; coram Deo, & in conspectu Nostro poterit merito culpabilis apparere.

XXXII. Denique illud etiam statuit Imperator, ut si qui simulate abjurassent hæresin; deprehensi & hæreseos, & hypocriseos suæ capitalem pœnam subirent.

Hæc est summa pœnarum in hæreticos dictatarum a Friderico II. ex quatuor constitutionibus, quarum tres reperiuntur in calce *Libri I. Epistolarum Petri de Vineis*, quarta ad calcem *quatuor Librorum de Feudis*, ubi & approbatio Honorii Pontificis Maximi.

Gretserus noviss. edition. Tom. XII. Parte II. pag. 13. 14. 15.

§. VI. *Parallelum Sæculi XIII. Catholici cum Sæculo IV. & V. Catholico, & pœnarum ab Imperatoribus Catholicis in hæreticos latarum.*

Legenti Fridericianas constitutiones contra hæreticos, videatur justo acerbior & sævior hic Princeps in hæreticos Waldenses, Albigenses, & cæteros sui Sæculi fuisse: item sævities nova vel insolita & nostræ Europæ, qualis saltem nunc est, intolerabilis, sed in ipsa historia Ecclesiastica comparemus Fri-

Fridericum Augustum Germanum Constantinis, Theodosiis Magnis, Gratianis, Arcadiis, Honoriis, Valentiniano I. II. III., qui intra Sæculum IV. & V. floruerunt Catholica religione & rebus gestis pro Imperio, & Ecclesia Christi celeberrimi. Horum supersunt Leges LXVI. de hæreticis latæ intra annum CHRISTI CCC. & annum CCCCXXVIII. comprehensæ titulo quinto Libri XVI. CODICIS THEODOSIANI præter Leges permultas toto Libro hoc XVI. & aliis insertas ab iisdem Augustis sancitas contra hæreticos, schismaticos, Titulo I. *De Fide Catholica.* Titulo II. *De Episcopis, Ecclesiis, & Clericis.* Titulo III. *De Monachis.* Tit. IV. *De his, qui super religione contendunt.* Tit. VI. *Ne sanctum Baptisma iteretur.* Tit. VII. *De apostatis.* Tit. VIII. *De Judæis, Cælicolis, Samaritanis.* Tit. IX. *Ne Christianum mancipium Judæus habeat.* Tit. X. *De paganis, sacrificiis, & templis.* Tit. XI. *De religione.*

Solo quinto in Titulo versabor, ex quo elicio *primo*, jam tum eo Sæculo hæreses, in sectas innumeras divisas, non minus inter se discordes singulas, quam contradicentes Ecclesiæ Catholicæ omnes fuisse. Sane Gothofredus *in Paratitlo hujus Tituli V.* observat XXXVII. hæreticos nomine, & errore, & auctore diversos, in his LXVI. Legibus feriri, damnari: quorum præcipui Manichæi, Phryges, Donatistæ, Arriani, Macedoniani, Eunomiani, Nestoriani, Joviniani, ex quibus innumeri errones errores novos prioribus addiderunt, alii eosdem emolliverunt, adoptarunt ad aliquam concordiam cum Catholicis lucrandam: alii severiores, rigidiores Manetis, Arii, errores prætulerunt, & nihil cum Catholicis commune voluere. Similis discordia fuit Sæculo XIII. etsi enim Primarii Waldenses, Albigenses, & Arnaldistæ essent; in plurimas tamen sectas abierunt, quorum permultas, cum recensuisset Augustus, demum subjungit: & *quotquot hæreticorum nomine censentur.*

Secundum parallelum: hæretici Sæculi IV. & V. non minus, quam Catholici suos Episcopos habere, & ordines Ecclesiasticos, Magistros, Doctores, in his legibus sane citatos, & damnatos affectarunt. Sæculo XIII. omnibus etiam infimæ, & ignarissimæ plebeculæ opificibus, Scripturæ sacræ doctio, ac lectio commissa, & plerumque Sutoribus, Sartoribus, Textoribus, cum doctione omnium Mysteriorum functio credebatur.

Tertio. Inter tot Catholicos Augustos nacti sunt hæretici duos hæreticos Constantium & Valentem a sæcul. XII. & XIII. cæteri omnes Catholici Augusti fuere in Oriente & Germania: nullum edictum hæretici pro se habuere, nonnulli tamen Augusti in aliquos Romanos Pontifices animo acerbiore fuerunt, & Schismatici aliquot antipaparum faverunt: quod schisma, etsi ex se solo hæresis non sit, solet tamen in hæresin degenerare, aut cum hæresi conjungi.

Quartum Parallelum Media IV. & V. Sæculo adhibita erant hæc sanandis hæreticis:... Pontificum, & Episcoporum Catholicorum prædicatio? sanissima interpretatio Verbi Divini tum in concionibus, tum in libris scriptis, qui supersunt, demum auctoritas in Conciliis, puta Nicæno, aliisque (quibus enumerandis supersedeo] cum luce clarior sit Historia Ecclesiastica. Sæculo XIII. quæ media adhibita fuerint ab Ecclesia pro errantibus oviculis in viam reducendis §. IV. ostendimus.

Quintum Parallelum inter Imperatores illos Orientis & Occidentis Sæculo IV. & V. & Fridericum solius Occidentis Imperatorem Augustum Sæculo XIII.: Nulla est pœna a Friderico II. Augusto inflicta, quam non influxerint Augusti Sæculi IV. & V. pertinacibus, & ad pœnitentiam converti recusantibus. *Inspiciantur leges tit. V. libri XVI. Theodosiani cum commentario Gothefredi.*

I. Doctores hæreticorum docere vetiti, urbibus pulsi, in exilium deportati; disputare publice de Religione turbis coadunatis vetiti, alioquin competenti pœna, & digno supplicio coerceri jussi.

II. Aliquando bonis omnibus confiscatis, alias decem libris auri multati.

III. Cœtus infausti damnati, conventicula funesta hæreticorum vetita tam nocte, quam die, intentata pœna proscriptionis & exilii, & sanguinis quandoque.

IV. Loca, in quibus hæreticorum conventicula, vel habitacula hæreticorum, aut confiscata, aut Ecclesiis, & Clericis Catholicis vindicata. Conductoribus, Procuratoribus hæreticorum, villicis variæ pœnæ indictæ: quandoque etiam ultimæ animadversionis. Catholicis hæreticorum cœtus diffipandi potestas data.

V. Participes, conscii ejusdem superstitionis pari affecti pœna, in communi omnibus hæreticis dictata.

VI. Infamia notati per edicta publica, a conversatione hominum summoti: ab officiis & administratione publicis prohibiti, denegata facultas testandi, donandi, & dona accipiendi, imo contrahendi, emendi, vendendi, jus ademptum; ex sedibus suis ex mœnibus pelli jussi, summo supplicio affecti: Inquisitores & Executores constituti, qui hæreticos e latebris erutos, ad judices deferrent.

Finem facio. Legat, qui volet Gothofredi

fredi paratitlon in titulum hunc v. & videbit Fridericum II. pœnas fere easdem ſtatuiſſe, quas Conſtantini, & Theodoſii Magni &c. ſtatuerunt, præſertim contra Manichæos, & Donatiſtas, Circumcelliones omnium bipedum crudeliſſimos, & ſpurciſſimos hæreticos.

Manifeſte igitur parallelus eſt uſus Imperialis auctoritatis Sæculo IV. & XIII. pro compeſcendis pertinacibus & perduellibus Dei & Eccleſiæ hoſtibus.

Exceptiones hæreticorum ſive Donatiſtarum Sæculo V. ſive Albigenſium Sæculo XIII. ſive noſtri temporis hæreticorum, ſunt eædem: Ima. *Fides libera omnibus, nemo ad eam cogendus.* IIda. *Deus non gladio, ſed prædicatione voluit homines ad Evangelium duci.* III. *Libertas conſcientiæ cuivis permittenda: quilibet homo eſt interpres ſuus Verbi Divini, & ſolus judex ſibi ipſi,* quæ principia polemici ſcriptores jam abinde confutarunt: & ut ſemel dicam non ſunt propoſitiones hæreticæ, ſed ſtolidæ, impiæ, Dei & juri naturali contrariæ, omnium Atheorum & Sceleratorum & perduellium apologia, quæ ad nos hic non ſpectant.

§. VII. De Albigenſibus ſpeciatim.

Albigenſes Sæculo XII. & XIII. orti, & propagati multis videntur iidem eſſe, qui *Waldenſes:* ſed licet poſtea inter ſe coierint, uti omnes hæretici ſunt concordes in oppugnanda Eccleſiæ Catholicæ authoritate: attamen alio ex motivo & principio orti ſunt Waldenſes, qui actualem abdicationem omnium bonorum temporalium, uti neceſſariam ad ſalutem aſſerebant, & a Papa petierant ſuæ ſectæ approbationem, Papæ & Clero, e quo rejecti fuerant, ſuccenſebant, & odio immani contra eos, & eisdem contradicendi libidine urebantur.

Contra Albigenſes in urbe *Albia vel Albiga*, Auguſta civitate Epiſcopali, ſub Metropolita Bituricenſi orti ſunt, quo autore, neſcitur, & ipſi ſectæ ſuæ autorem neminem prodebant. Hoc ex omnibus coævis, & ſupparibus ſcriptoribus certum, eos Manetis, & Manichæorum errores adoptaſſe. Duplex ſtatuebant principium: unum *bonum*, a quo ſpiritus inviſibiles, alterum *malum* principium, a quo omnia corpora viſibilia, & vetus teſtamentum prodierit. Hinc omnia corporea non tantum, ut inutilia, ſed ut *mala* reprobabant: negabant Chriſtum *Corpus* aſſumpſiſſe, negabant corpora reſurrectura, omnia Sacramenta, corporeis ſignis conſtantia, repudiabant. Inde imagines, reliquias corporeas, demum ipſum matrimonium, abominabantur, nec carne, nec vino utebantur. Quæ omnia conſequentia ſunt ex admiſſo principio malo, omnis corporeæ rei in ſe, vel ſubſtantialiter malæ.

Lucas Tudenſis Epiſcopus eorundem errores ſcripto confutavit in Hiſpania: in Germania noſtra Cæſarius Heiſterbacenſis coævus *Miraculorum L. V. cap. XXI.* aliquot eorum errores recenſet.

Pantaleonita ad ann. MCCXXVI. apud Freherum pag. 294.

Magnum Chronicum Belgicum ad annum MCCXV. pag. 213. *edente Piſtorio.*

Bellum Cruce ſignatorum, quod pro recuperanda e Saracenorum manibus Terra Sancta Principibus Chriſtianis Pontifices Sæculo XII. injunxerunt, eodem Sæculo exeunte, & XIII. ineunte contra Albigenſes compeſcendos, & ad obedientiam erga Eccleſiam & Rempublicam hos baptizatos obligandos vertendum, & impendendum cenſuerunt Innocentius III. & Concilium Lateranenſe anni MCCXV. imò varia Concilia Nationalia, & Provincialia, & Diœceſana.

Anno MCCXII. Conradus Epiſcopus Portuenſis, & Cardinalis, legatus fuit, & crucem prædicavit aſſumendam contra Albigenſes. Sed nullibi acerbius exarſit bellum, quam in Galliæ Meridionalis partibus, Aquitania Provincia, Delphinatu, tum in confinibus Regionibus, Arragonia, & Inſubria. Albienſium Dux & Tutor erat Comes Toloſanus, aliique nobiles viri: Papa anno MCXCVIII. duos Legatos eo miſit, Rainerium & Guidonem, commendavitque eos Principibus, & Prælatis Galliæ, ut hæreticorum converſioni, prædicando verbo veritatis, incumberent. *Anno MCXCIX.* bona hæreticorum pertinacium Fiſco addicta voluit: Abbati Ciſtercienſi, aliisque religioſis & ſæcularibus nova mandata de convertendis ad Eccleſiam dedit, ſed fructu non magno admodum. Didacus Epiſcopus Auximenſis, in cujus Comitatu erat S. Dominicus, non verbo tantum, ſed exemplo prælucente corrigendos errantes monuit: deponerent faſtum, luxum Clerici, imitarentur Apoſtolicam paupertatem; tum enim vero Dominum benedicturum Prædicationi Evangelicæ. Ipſe Epiſcopus primus depoſita ſplendida familia, mutatis veſtibus in ſimplicem habitum, cum paucis Clericis comitatus aliis prævivit, & S. Dominicus cum ſociis ſponte ſua paupertatem voluntariam profeſſus, ſummo zelo Verbum Dei prædicavit, unde PRÆDICATORUM nomen ordo ejusdem meruit.

Sed Comite Toloſano fortiſſime obſiſtente cum multis civitatibus & millenis hæreticis, ad arma deveniendum fuit, duràvitque bellum hoc ſacrum varia fortuna & eventu, nunc pro Catholicis, nunc pro hæreticis:

reticis: aliquando victoribus, alias ad tempus victis, pœnitentibus & supplicantibus pro absolutione ab excommunicatione & pœnis: mox reviviscentibus & ad arma ac perduellionem redeuntibus. Varii interim pacti articuli fuere & conditiones hinc inde ab A. MCXCIX. ad MCCXXXIV. quæ cum Franciam spectent, nihil faciunt ad historiam Ecclesiasticam Germaniæ.

§. VIII. *De usu gladii contra hæreticos.*

SUbjungo Clarissimi viri Ludovici Thomassini ex Congregatione Oratorii Presbyteri animadversionem in has expeditiones, ut vocant *Cruciatas*, seu Cruce signatorum militares, contra hæreticos hoc Sæculo XIII. introductas.

I. Pontifices & Episcopi Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, hactenus nonnisi gladio spirituali usi erant contra perduelles, Ecclesiæ Catholicæ per Baptismum incorporatos filios, hoc est, excommunicatione a societate Fidelium & usu Sacramentorum ac Ecclesiæ bonorum abjudicatione: quem gladium Christus dederat: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*; uti Episcopi primorum Sæculorum contra Manichæos & Donatistas aliis armis usi non sunt.

II. Verum cùm Albigenses, Manichæorum imitatores, eorundem exemplo, Rempublicam, & Ecclesiam turbarent vesanis concionibus, excusso jugo obedientiæ, invaderent templa, Antistites, & Clericos Catholicos: violarent personas sacras, exspoliarent Monasteria, judicavit Papa & Episcopi, implorandam esse potestatem sæcularem, ut gladio suo vesaniam & furorem [*verba sunt Theodosii & Constantini*] hæreticorum comprimerent, & pacem ac obedientiam Ecclesiæ, & Regno instituerent. " Sicut [*ait S. Leo I.*] licet Ecclesiastica disciplina Sacerdotali contenta judicio, cruentas non efficit ultiones; Catholicorum tamen Principum constitutionibus adjuvatur, ut sæpe quærant homines salutare remedium, dum corporale super se metuunt evenire supplicium.

Cum igitur Patribus Concilii Lateranensis recitarentur cædes, & devastationes, direptiones Albigensium contra Catholicorum personas & Ecclesias, primo quidem Decretum fuit Canone III. anni MCCXV. post Ecclesiæ examen & condemnationem prævias:

" Damnati hæretici sæcularibus Potestatibus præsentibus, aut eorum balivis relinquantur, animadversione debita puniendi. Clericis prius a suis Ordinibus degradatis, ita, quod bona hujusmodi damnatorum, si laici fuerint, confiscentur; si vero Clerici, applicentur Ecclesiis, a quibus stipendia perceperunt.

Decreta fuerat expeditio cruciata in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. A. MCLXXIX. Anno MCCIV. Innocentius III. eidem promovendæ allaborabat adhuc. Anno MCCVIII. in campum prodiere exercitus hæreticus jam ante bene instructus, Ecclesiis & Ecclesiasticis exterminandis destinatus: & serius apparuit exercitus Catholicus: magnoque opere, & annis multis sudatum & pugnatum, ut urbes & Provinciæ redirent ad Ecclesiam, & sacram fidem avorum suorum.

Ipse Comes Tolosanus, solâ audita fama *cruciatæ expeditionis* contra se instructæ, ad petendam pacem supplex Papæ fuit, etsi post sæpe relapsus bellum redintegrarit. Denique non Ecclesiæ, sed Regis Franciæ, Comitis de Montfort, Regis Arragoniæ, aliorumque sæcularium Principum gladio cruento domita fuit vesana hæresis Albigensium, cujus errores multis annis ante inceperant, quam Ecclesia imploraret brachium sæculare.

Non fuit igitur alia mens, alia disciplina, alia intentio Ecclesiæ Catholicæ Sæculi XIII. & Ecclesiæ Sæculorum IV. & V.; uti nec Pontificum & Episcoporum mens alia fuit utroque tempore.

Audiamus exordium Constitutionis Friderici II. separantis gladium Imperialem a gladio Ecclesiastico excommunicationis, eamque constitutionem, & contentas in ea pœnas non Episcopis, sed PRINCIPIBUS sæcularibus, exequendas scribentis: " Commissi nobis cura regiminis cœlitus, & Imperiale, cui dante Domino præsidemus, fastigium dignitatis, MATERIALEM, QUO DIVISIM a SACERDOTIO fungimur, gladium adversus hostes fidei in exterminium hæreticæ pravitatis, exigunt exercendum, ut vipereos perfidiæ filios contra Deum, & Ecclesiam insultantes, tanquam materni uteri corrosores, in judicio & justitia persequamur, maleficos vivere non passuri, per quorum sententiam seducentem mundus inficitur, & gregi fidelium per oves morbidas gravior infligitur corruptio." I. Statuimus itaque sancientes, ut hæretici *quocunque nomine censeantur, ubicunque per Imperium DAMNATI fuerint AB ECCLESIA & SÆCULARI BRACHIO ASSIGNATI, animadversione debita puniantur.*

Ecce Officium Ecclesiastici, & Officium Imperialis gladii. Ecclesiæ competit *damnatio hæretici erroris, excommunicatio, denegatio Sacramentorum, sepulturæ, ac demum* (ut statim ibidem innuit Augustus) hære-

hæretici ad fidei unitatem revertentis juxta Canonicas ſanctiones ad agendam pœnitentiam in *perpetuum carcerem detruſio.*

Poſt hunc gladium ſpiritualem ſequitur pœna gladii materialis, *quo fungitur Imperator diviſim a Sacerdotio*, & pœnarum corporearum executio, uti oſtendimus *in edictis Conſtantinianis*, & *Fridericianis.* Hæc ſufficiant ad indicandam originem, uſum, & finem expeditionum *Cruce ſignatorum* contra obſtinatos, & publicæ quietis turbatores.

§. IX. *De hæreſi Stedingorum, & mediis quibus cohibiti fuere.*

STedingi, hæreticorum genus, duntaxat notum Germanis, Boream verſus in Friſia, Ducatibus, & Comitatibus Brunswicenſi & Holſatico, videntur nomen duxiſſe a civitate Stadenſi, vel quia ibi orti ſunt, vel quia plurimi, aut præcipui ipſorum illic morabantur. Eorum errores recenſuimus *Tom. III. pag.* 551.

Accrevit eorum numerus adeo vehemens, ut per plures Epiſcopatus Hammaburgenſem, Lubecenſem, Raceburgenſem, Mindenſem, diffunderentur, & gravibus injuriis ac cædibus atrocibus Clerum, & Monaſteria vexarent.

Poſtquam illis auctoritate Epiſcopali & Pontificia, veritas prædicata fuit, & errores eorundem obſcœni, & ſpurci detecti, nec tamen ad frugem redirent; Pontifex & Epiſcopi exercitum Cruce ſignandorum contra eos colligendum cenſuerunt; ut vim Eccleſiis illatam repellerent, & forte hac vel comminatione, vel exhibitione Catholici exercitus reſipiſcerent.

Poſt prædicationem, ex Catholicis Principibus Henricus Dominus de Brunſwic, Henricus Dux Brabantiæ, Florentius Comes Hollandiæ, Theodorus Comes de Clevia, Otto de Gelria, Henricus Oldenburgi, Wilhelmus Juliæ, Adolphus Marchiæ, Theodoricus Limburgi Comites, exercitus Catholici Cruce ſignati ad XL. millia, Duces erant contra Stedingos: & brevi tempore eorum, licet furioſe dimicantium, ad ſex millia interfecerunt: alii Viſurgis fluctibus hauſti, alii in omnem terram diſperſi.

Pontifex Gregorius IX. Epiſcopis Paderbornenſi, Hildeſemenſi, Verdenſi, Monaſterienſi, Oſſemburgenſi ſcribit, ut non tantum prædicationis officio aſſiſtant Epiſcopis, Bremenſi, Raceburgenſi, Mindenſi, Lubecenſi; ſed & indulgentiam peccatorum annuntient populis contra eos hæreticos militaturis, aut auxilio ad eorum converſionem adfuturis.

Demum cum illorum hæreticorum multi ſupplicarent apud Papam pro venia, Pontifex continuo ad Epiſcopos ſcripſit pro eorundem reconciliatione procuranda. *Vid. III. T. pag.* 553. 554.

§. X. *De hæreticis in Diœceſi Trevirenſi & Moguntina.*

CIrca MCCXXXI. varii hæretici in Archi-Diœceſi Trevirenſi verſabantur, de quibus Gregorius IX. monet Theodoricum Archi-Epiſcopum eorum ſcelera & errores reperies *III. T. pag.* 539. & poſt remedia ſpiritualia, etiam in obſtinatos ſupplicia corporalia. Lege *Synodum Trevericam anni MCCXXXI.* Et vafritiem hæreticorum, qui & Archi-Epiſcopum Trevericum ex ſua hara effinxerant, & Pontificem eodem nomine, quo tunc Pontifex Romanus, & Trevirenſis Archi-Epiſcopus gaudebant: qua ſtropha examen Archi-Epiſcopi deludebant, dum ſe eandem fidem profiteri, quam Pontifex Romanus & Epiſcopus profitebantur callido mendacio aſſerebant. Nempe uni errori & mendacio tegendo & palliando decem mendaciis opus eſt.

Ex hoc iterum exemplo liquet, nec Papam, nec Imperatorem, nec Principes Germaniæ, nec Epiſcopos gladium materialem arripuiſſe, niſi poſtquam hæretici ſuis erroribus ſparſis undequaque, vim, furorem, cædes, vaſtationes adjunxiſſent, & paternis monitis Eccleſiæ omnem obedientiam denegaſſent.

Manet ſemper verum Eccleſiam non habere niſi gladium ſpiritualem contra hæreticos corrigendos, quodſi Imperator det Epiſcopis Germaniæ gladium materialem, cur vetarentur eo uti poſt inutiliter adhibita media omnia ſpiritualia non tam hæreticis, quam perduellibus Eccleſiæ, provinciarum vaſtatoribus damnandis? Profecto ſi Regiæ, vel Cæſareæ Majeſtatis violatoribus ſummum ſupplicium leges omnes decernunt, cur Divinæ Majeſtatis, & Eccleſiæ Chriſti hoſtes non ſentiant Regem [a] *non ſine cauſa gladium geſtantem, vindicem in iram ei, qui malum agit.*

§. XI. *De origine Inquiſitionis, & Inquiſitorum in hæreticos.*

EPiſcopos eſſe primitivos Miſſionarios, & Inquiſitores hæreticis corrigendis, a Chri-

(a) Ad Romanos XIII, 4.

Christo destinatos, ex vi suæ vocationis Episcopalis certum est. *APOSTOLI, MISSIONARII*, & *a Christo missi* voces synonymæ sunt, græca una, latina altera: cum ergo Episcopi Apostolorum vice in Ecclesia Dei instituti sint ex Christi ordinatione, evidens est eos a Christo missos ad docendum (b) *Gentes omnia quæcunque Christus mandaverat*: Ejusdem officii est, docere veritatem, & errorem veritati contrarium, sæpe sub fuco, aut specie verosimili tectum detegere, arguere, & eradicare.

Sunt igitur & fuerunt Episcopi primævi & connaturales Inquisitores & Judices damnandorum errorum, veritati Evangelicæ a se prædicatæ contrariorum.

Antiquissimum exemplar hujus auctoritatis & officii Episcopalis in damnandis hæreticis, sive in Germania ortis, sive in Germaniam aliunde illatis habes *Tom. I. Conciliorum Germaniæ pag.* 72. & 76.

Eruperant anno Christi DCCXLVII. hæretici in Germaniam nostram Adalbertus, & Goldastus, & Clemens, Exepiscopi sacrilegi, & contumaces hæretici, hos Zacharias Papa Bonifacio, tunc Regionario Germaniæ Episcopo scribebat, in medium deducendos, & eorum causam subtili discretione cribrandam (hoc est *Inquisitoris officium*) dein, si deviantes a rectitudinis Catholicæ tramite usquequaque repereritis. Et convicti, inclinati fuerint ad viam converti rectitudinis; ut bonum atque placitum in oculis vestris paruerit. cum Principe Provinciæ CARLOMANNO & PIPPINO disponite, secundum sacrorum Canonum sancita.

De Sidonii & Virgilii, Presbyterorum in Bavaria, erroribus retulerat Bonifacius Zachariæ Papæ, qui anno DCCXLVIII. rescribit: " Ut eos, coacto Concilio, ab Ecclesia " pellat, Sacerdotii honore privatos." Eodem tempore, innuit Papa, Pippino Duci invitatorias a se scriptas, ut Virgilius Papæ præsentatus, & *subtili inquisitione* requisitus, si erroneus fuerit inventus, Canonicis Sanctionibus condemnetur. *Tom. I. Concil. German. pag.* 86. Sed in eadem Epistola, facta enarratione variorum errorum & hæreseon, in Austrasia & Germania pullulantium, generatim scribit: " Hos itaque Ministros Sa- " tanæ & non Christi, ubicunque repereris, " Carissime Nobis, *aggregato Provinciali & " Sacerdotali Collegio* omnimode devita: & " a Sacerdotali honore privatos, sub regula " monachica, & pœnitentia submissos, vi- " tam finire ordinabis, ut carne afflicti, ad " viam quandoque redeant rectitudinis. *Tom. I. Concil. German. pag.* 85.

Ecce igitur Episcoporum officium Sæculo octavo. I. Errantes quoscunque maxime hæreticos inquirere, examinare, docere: si pertinaces corrigi nolint, deponere, si sint Clerici; si laici, excommunicare, ac demum in perpetuum carcerem pœnitentiæ ergo detrudere. Idem jus inquirendi, corrigendi hæreticos, datum Episcopis, agnitum fuit, denuo in Concilio generali Lateranensi anni MCCXV.

(b) Matthæi XXVIII, 19, 20.

§. XII. De Inquisitoribus hæreseon, substitutis ad subsidium Episcoporum, vel a Concilio, vel a Papa, vel ab Episcopis.

INnocentius III. primus omnium constituit Inquisitores Catholicæ Fidei adversus Albigenses.

Sandinus in vitis Pontificum Romanorum pag. 406.
Van Espen Juris Ecclesiastici universi Parte I. tit. 22. *Cap. III.* §. 3.

Sæculo XIII. Oriente Abbates Ordinis Cisterciensis, & varii Theologi ex ea sacra familia fuere, a Papa Innocentio III. invitati ad subsidium ferendum Episcopis in inquirendis, & examinandis, & dedocendis hæreticis Waldensibus & Albigensibus; quorum sermo, ut cancer serpebat.

Didacus Episcopus Auximensis cum S. Dominico, & hic cum fratribus suis allaborarunt exstirpando zizanio ex agro Dominico.

Fratres Minores ex Familia S. Francisci, fuere & ipsi missi ab eodem Papa tum ad infideles, tum ad hæreticos convertendos ad veritatem Catholicæ Fidei; & his subinde a Papa datum Officium Inquisitionis in hæreticos, qui, ut ordinarie lucem fugiunt, nocturna conventicula agitabant, in iisque viri & mulieres indoctissimi & vilissimi generis homines, suo deliro cerebro interpretabantur scripturas, plebem turbantes, & commoventes ad seditionem.

Fridericus II. Augustus constitutione I. contra hæreticos *Tom. III. pag.* 507. Fratres Prædicatores, & Minores pro fidei negotio in partibus Imperii sua contra hæreticos deputatos, sub Imperii speciali defensione receptos, vult esse inoffensos, & Universitati civitatum vel provinciarum mandat, ut eos benigne recipiant, servent indemnes ab hæreticorum insidiantium incursu, & auxilium eis impendant.

Tholosæ *primum* instituta Inquisitio per hos Regulares, a Papa munitos potestate, dein in Italia, & Hispania. In Germania locum non invenit. Ipsi Episcopi Inquisitores sunt primævi, connaturales, & ordinarii, a Deo vocati, ad errores arguendos & extirpandos.

§. XIII.

§. XIII. De hæresi Flagellantium.

HÆC Perusii in Italia nata circa A. MCCLX. per Galliam & Germaniam erravit : ii nudato tergore ad sanguinem se cædebant, bini & bini incedentes, præibat Presbyter crucem ferens : mulieres Domi flagris tergora lacerabant. Hæc actio ad imitationem Christi flagellati ex corde contrito profecta mali nullam speciem habebat : & fuere ab initio multi, hoc pœnitentiæ genus exercentes, ad frugem conversi, restituta ablata injuste, & opera caritatis exercita.

Verum non contenti hac sui laceratione, prædicabant, hac sola via remissionem peccatorum consequendam. Confitebantur invicem peccata sua, &c.

Sæculo XIV. sequenti circa MCCCXL. eruperat similis enthusiasmus ex Hungaria se publice flagellantium (de qua secta ibi) a Clemente VI. anno MCCCXLIX. vetita & damnata fuit, licet Cardinales multi iis faverent, uti sanctissimis hominibus, ad pestilentiam averruncandam idoneis.

§. XIV. De erroribus Fraticellorum, Beguinorum, Bogardorum, similiumque, Pauperes Lugdunenses perperam æmulantium.

PAuperes de Lugduno si aliud nihil intendissent, quam æmulari paupertatem Apostolorum, magnam a Christo, suæ vitæ mercedem, magnam ab Ecclesia Christi laudem, & approbationem tulissent : uti S. FRANCISCUS Seraphici Ordinis Patriarcha ob heroicum contemptum omnium temporalium bonorum, Deo & hominibus gratissimus fuit. Nempe idem contemptui opum terrenarum humilitatem conjunxit, & obedientiam erga Ecclesiam Christi, ejusque Prælatos in omni vita præ se tulit : ac ideo longissimo intervallo abfuit ab iis, qui propter ipsam abjectionem opum terrenarum se anteferebant aliis ; quos sobrie uti opibus, a Deo sibi datis & acquisitis, videbant. 2*do*. Divites contemnebant, fingebantque, actualem abjectionem omnium terrenarum opum ad salutem æternam esse necessariam. 3*tio*. Contemnebant Clerum ob divitiarum usum. 4*to*. Obedientiam Ecclesiæ Prælatis denegabant. 5*to*. Eos Christi, & Apostolorum Successores esse inficiabantur.

Nos ut rem ab ovo deducamus, varios errores & hæreses circa paupertatem Christi & Apostolorum, quæ Christianis imitanda in Evangelio proponitur, enarrabimus.

Apostolici dicti fuere quidam hæretici apud Epiphanium *hæresi LXI.* & apud S. Augustinum *hæresi XL.* qui in Pisidia degebant, teste Damasceno. Tempus eorum incertum reputat Prateolus; sed Sæculi quarti anno XXIV. similium hæreticorum fit mentio in Concilio Gangrensi, relato a nobis *Tom. I. pag.* 153. In *Præfatione* ejusdem Concilii sic legitur : " Inventi sunt etiam " discessiones & separationes a Dominicis in- " stitutis in Ecclesiis Dei docere, id est, tra- " ditiones Ecclesiasticas, & ea, quæ in Ec- " clesia aguntur, debere contemni : priva- " tisque conventiculis institutis ad imitatio- " nem eorum, quæ in domo Dei aguntur, " præsumere celebrare . . . . Subin specia- tim eorum errores enumerantur, inter quos & hic: " *Divites fideles, qui non renuntiant* " *omnibus, quæ possident, spem apud Deum* " *non habere. . . .* Propterea ergo coactum est hoc Concilium, in Ecclesia Gangrensi habitum, ut Canones illos exponeret, quibus probatur, memorati erroris assertores contra Ecclesiam esse. In fine addunt Patres Gangrensis Concilii: " Renuntiationem sæ- " cularium negotiorum cum humilitate reci- " pimus : . . . divitias cum justitia & ope- " ribus bonis non spernimus : & habitum " simplicem ac vestem viliorem pro corpo- " ris diligentia infucatum laudamus." En sapientissimam resolutionem Concilii super paupertate : Negat actualem renuntiationem necessariam esse ad spem salutis habendam omnibus fidelibus. Laudat actualem renuntiationem cum humilitate, ne ideo se præferant divitibus justis, nec Ecclesiæ Canonibus, & Legibus; laudat abjectum luxum & ornatum vestium, sed hæc absolute necessaria esse negat: Vide *Tom. I. Concil. German. pag.* 155.

Anno MCCLXVIII. V. Idus Martii Honorius IV. edit constitutionem, quâ damnatur secta *Ordinis Apostolorum* sub religioso habitu per Italiam, aliasque Orbis partes mendicando discurrens, quos uti Synodo Lugdunensi inobedientes damnat, & habitu privandos mandat omnibus Episcopis; pergentibus his tumultuari Nicolaus IV. Honorii successor hos Pseudo-Apostolos a Gerardo Sagarello ortos iterum inquiri, examinari, habitu exui præcepit. *Pagi in Breviario Historiæ Pontificiæ Tom. III. pag.* 458. 459. *in vita Honorii IV.*

Julianus apostata ex pejori fine legem tulit, ne Christiani bonorum suorum invasoribus resistant, vel ulla se ratione defendant, ajens, ex præcepto Evangelii id iis interdictum.

Gregorius Nazianzenus.

Pelagius Monachus Britannus inter multos errores & in hoc erravit, quod dixerit, necessariam esse renuntiationem actualem omnium bonorum temporalium.

Guillelmus de sancto amore contra mendicitatem Prædicatorum & Minorum scripsit; dicens, vel opere manuum, vel suis opibus vivendum; nequaquam vero licere, facta renuntiatione, actualem paupertatem ita sectari, ut quis mendicet ab aliis victum & amictum.

Jam ut in tanta Narrationum varietate de Fratricellis, Beghardis, Beghinis aliquid certi dicamus, quod ii, qui Catalogos hæreticorum fecerunt, non satis accurate observarunt:

Distinguo primo Fratricellos & Beghinos Sæculi XIII. a Fratricellis & Beghinis Sæculi XIV. sub Joanne XXII. & Benedicto XII. Pontificibus, qui videntur dissensisse a mente Nicolai III. ejusque Bulla: *Exiit, qui seminat*, de quibus in Dissertatione ad Sæculum XIV.

Fratricelli, Sæculo XIII. noti, varios a variis Scriptoribus Auctores, seu Patriarchas habuere: Alii simpliciter dicunt, eos tertium ordinem S. Francisci fuisse, quod ipsimet mentiebantur: Alii eos ex Apostatis ex ordine S. Francisci ortum duxisse, uti Natalis Alexander *Sæculi XIII. Historiæ Ecclesiasticæ art. X. pag.* 99. asseruit: Alii a Joanne Petro Oliva prognatos, qui in Ordine Seraphico obiit anno MCCXCVII. Narbonæ: Alii a Petro de Corbaria Antipapa, sed pœnitente, converso, & in gratiam recepto.

Quas opiniones omnes falsas esse, Wadingus *in Minorum Annalibus* erudite ostendit. Item Dermicius Thadæi *in Nitela Ordinis Minorum*. Auctor igitur Fratricellorum fuit Hermannus Pongilupus Ferrariensis medio Sæculo XIII. qui magnam multitudinem hominum sub paupertatis specie ad se traxit, & tantum valuit apud sectatores suos, ut mortui imaginem in ara Cathedralis Ecclesiæ Ferrariensis collocarint, cultumque publicum eidem deferrent.

Hi sectarii religiosum habitum assumebant, ajebant observari a se Regulam S. Francisci, etsi nulli Superiori Ordinis Seraphici parerent: sed crearent inter se suos Ministros, Custodes, Guardianos.

Demum, cum S. Francisci filios se dicere non auderent, qui humilitatem & obedientiam erga Ecclesiam semper præ se tulit; a Cœlestino V. Papa Eremiticæ vitæ amatore descendere se mentiebantur, aut a, nescio quo, Episcopo habitum hunc suscepisse, denique se esse de tertio ordine S. Francisci jactabant. Iidem cum quaquaversum multiplicarentur, & Bizochi, & Begardi, & Beghini, & Pauperes de Lugduno compellarentur; Bonifacius VIII. errori finem modumque positurus jussit Ferrariæ Pongilupi exhumari corpus & comburi, memoriæque ejus, uti hæresiarchæ, anathema dixit.

Hactenus Hippolytus Helyot in Historia Ordinum Religiosorum Tom. VII. pag. 89. *versionis Germanicæ. Reliqua ad Sæculum XIV. quo Fratricelli & Beguini solemnissime damnati fuere.*

Interim fatendum est, inter tot æmulatores & reformatores paupertatis Christi & Apostolorum, inter Beginas & Beguinos, non omnes fuisse hæreticos: sed præter Ordinem Fratrum Minorum universum Catholicum, & Catholicæ Fidei tenacissimum, fuere & alii dicti pauperes Catholici in Provincia Tarraconensi, oppositi pauperibus de Lugduno, perduellibus contra Ecclesiam. Horum Duces fuere Bernardus & Durandus de Osia, qui consilia Evangelica amplexabantur ad literam, bona sua omnia distribuebant pauperibus, legebant Scripturam sacram, manibus laborabant, hæreticos impugnabant, orationi vacabant, continentiam colebant, in communitate vivebant, decimas vel oblationes more laicorum faciebant: sed in vestibus nullam singularitatem affectabant, uti pauperes de Lugduno. Hos sub nomine Fratrum HUMILIATORUM in Provincia Mediolanensi valde celebrium approbavit Innocentius III.

Dupinius Tom. X. novæ Bibliothecæ Auctorum Ecclesiasticorum pag. 173. 174.

Similis opinio sit de Beguinis. Audiamus Auctorem magni Chronici Belgii. Eodem anno MCCVII. multæ mulieres, tam senes, quam juvenes, contempto Sæculo cum suis delectationibus, sponso *Christo*, qui est in cœlis, servire desiderantes, fecerunt sibi congregationes simul habitantes, & vocantur Beguinæ. Quantas vero tribulationes, & contrarietates sint perpessæ in principio, & quantæ extiterint sanctitatis, in Prologo vitæ B. Mariæ de Oegnies plenius declaratur.

Apud Pistorium Tomo uno Scriptorum rerum Germanicarum mihi pag. 212.

Cratepolius Frater minor Conventualis, *in Libello de Hæreticis anno MDXC. edito*, Beguinas, ait, esse mulierculas honeste in societate, sine voto cohabitantes, a qua, dum volunt, recedunt: sunt tamen hæretica pravitate infectæ, puta, eæ, quæ Sæculo XIV. in Concilio Viennensi fuere damnatæ, sed quod omnes Beguinæ fuerint hujusmodi errore infectæ, nec dicit Cratepolius, nec Clemens Papa, nec verum est.

Hactenus de Pauperibus & Beguinis continentibus in Catholica Ecclesia toleratis Sæculo XIII.

Dicen-

Dicendum nunc de Beguinis hæreticis, de quibus Godefridus S. Pantaleonis Coloniæ Monachus ad annum MCCXII. hæc notat:

" Eodem anno multitudo populi ex " omni Saxonia, Westphalia, & Frisia, & " diversis partibus, cruce signati ad expug- " nandos Beguinos proficiscuntur; quorum " multi terrore exercitûs relictis civitatibus " & castris fugerunt: alii miseratione Dei " per Cardinalem, qui a Sede Romana illuc " missus fuerat, relicto errore ad fidem Ca- " tholicam revocantur. Ecclesiæ aperiun- " tur, & mundantur, Officia Divina resu- " muntur, Missæ publicæ coram peregrinis " celebrantur. His ita patratis quidam cru- " ce signati ad natale solum revertuntur, " quidam cum Duce Austriæ Lupoldo ad " Hispanos contra Ethnicos pugnaturi pro- " grediuntur. " *Ex editione Freberi Tom. I. Script. Germ.* Ego credo, contra Albigenses, non contra Beguinos, hanc expeditionem cruce signatorum anno MCCXII. factam, ut Cæsarius coævus scripsit.

In Concilio Leodiensi anni MCCLXXXVII. §. XIX. Beghinæ tolerantur, sed cum limitatione: " Item præcipimus, " quod omnes Beghinæ, privilegio Beg- " hinali gaudere volentes, intrent curi- " am Beghinarum: & præcipimus com- " morantibus intra curiam Beghinarum, " quod distinguant habitum suum ab habitu " Beghinarum, & si aliqua Beghina extra " curiam accesserit moratura, vel ejecta fue- " rit propter incontinentiam, vel aliud de- " lictum, habitum non deferat Beghinarum. " Præterea omnes Beghinas negotiatrices, " vel mercatrices manifestas, amplius quam " decem marcharum in negotiationibus ha- " bentes, a privilegiis Beghinarum excludi- " mus, nec eas a solutione cotorum, seu " exactionum volumus esse liberas. Alias " autem in curiis commorantes declaramus " ad præmissa non teneri. *Vid. Tom. III. Concil. German. pag.* 717.

Ex hac constitutione Concilii Leodiensis discimus:

Primo. Sæculo XIII. exeunte permultas Beghinas in Diœcesi Leodiensi vixisse. 2. Eas in una curia simul cohabitasse: 3. Habitum distinctum a vulgari gestasse: 4. Privilegia easdem habuisse, an Pontificalia, an Episcopalia, an ab aliquo Comite Brabantiæ, aliove, quis divinet? 5. Episcopali jurisdictioni subjectas fuisse: 6. Negotiationes quasdam exigui pretii habuisse, forte pro victu & amictu acquirendo, consequenter nil hæreseos inter eas deprehensum; sed evagatas quasdam sub eodem habitu scandalum dedisse populo: unde eas privilegio Beghinali excidisse declarat Episcopus, secus ac manentes in curia Beghinarum.

Nunc de Beghardis, quæ mentio fit hoc Sæculo?

Circa annum MCCL. in Concilio Moguntino hoc statutum legitur: " Statuimus, " quod secta, & habitus, nec non conventi- " cula Beghardorum, clamantium per pla- " teas & vicos civitatum, oppidorum, & " villarum hoc vulgare: Broth durch Gott, " id est, *Panem per Deum*, vel: *Panem a* " *Deo*, vel: *Panem propter Deum*, & quæ " aliæ singularitates a Sancta Dei Ecclesia non " receptæ, sunt penitus reprobata. Et man- " datur universis Plebanis per Civitates, Diœ- " cesim, & Provinciam Moguntinas con- " stitutis, ut eosdem Beghardos publice, tri- " bus diebus Dominicis, vel Festivis ammo- " neant, ut hujusmodi singularitatibus dere- " lictis, se teneant sicut alii Christiani, & " quod non prædicent in cavernis, vel in " aliis locis secretis, & non conveniant cum " Beguinis, se conformantibus eisdem in " moribus, habitu, & incessu; alioquin ex- " tra Parochias suas expellant. Idem etiam " de Beguinis pestiferis statuimus.

Ex hoc Concilio, quod post annum MCCXLV. & post Concilium Lugdunense celebratum fuit, discimus 1*mo.* Beghardos publica mendicitate, aliisque singularitatum notis in vestitu, a reliquo vulgo se secrevisse, nullo tamen erroris, vel hæreseos crimine notatos: 2*do.* Eosdem prædicasse sectam suam: 3*tio.* Maxime in cavernis & locis secretis: 4*to.* Commercium cum Beghinis habuisse valde suspectum, cæterum jussos abstinere a publica mendicatione, aliisque notis singularis vitæ, & a commercio Beguinarum, quæ *pestiferæ* vocantur, abs dubio ob hoc commercium clandestinum in cavernis & locis secretis: demum, utrosque plebanis obedire debuisse.

Hæc ex Concilio Germaniæ. Sed Joannes Trithemius *in Chronico Hirsaugiensi* ad annum Sæculi XIII. penultimum MCCXCIX. fatetur quidem Hermannum Pongilupum, apud urbem Ferrariæ ante annos XX. sepultum, fuisse a Papa Bonifacio VIII. diligentissima inquisitione per Italiam facta, exhumatum & comburi jussum. Sed originem eorum Fratricellorum altius repetit, nempe a Tanchelmo apud Antverpiam in Brabantia hæretico, per S. Norbertum impugnato, deinde ante, & post Tanchelmum *Catharos* hæreticos viguisse, & ex horum fæcibus surrexisse pestilentes hæreticos, qui se *Fratricellos* nuncupabant: magnam sanctitatem, coram nescientibus dolos eorum, simulantes, & multos in profundum erroris non solum laicos, sed etiam Clericos & Monachos traxisse. Tum enarrat novem articulos pestilentissimos & infandos: prætexentes se vitam Christi, & Apostolorum primævam rerum

rerum omnium abdicatione imitari: Papam, & quisquis id non faciat, damnatos esse: apud se solos veniam peccatorum impetrari: neque luxuriosis & incestis nocturnis actionibus quidquam peccari: quia *omnia munda mundis*, ridicula interpretatione garriebant. Et hos paucos impiissimos de multis refert Trithemius, honestatis causa cæteros silens: addit, non obstante diligentia Papæ & Episcoporum, sectam illam brevi extirpari non potuisse. Joannem XXII. Sæculo proximo eidem extirpandæ maximam operam adhibuisse. Narrat subinde, qua arte nocturna infanda conventicula Mediolani detecta sint, & mulier Wilhelma, Sacerdos Fraticellorum, combusta, quæ sancta, ad omnibus habebatur.

Trithemius Tom. II. ultimæ editionis Chron. Hirsaugiensis ad annum 1299. *pag.* 74. *& seqq.*

Fraticellos reviviscentes per Dulcinum Novariensem anno MCCCIII. & anno MCCCXV. in oppido quodam Cremensi, Pataviensis Diœcesis, loco suo annotabimus in Sæculo XIV.

§. XV. *De primo abusu Scripturæ sacræ in linguam vulgi versæ.*

WAldensium secta non constabat ab initio, nisi ex plebe rusticana, ex agricolis, opificibus, textoribus, fabris, porcariis, sutoribus, sartoribus, mulierculis idiotis, quibus omnibus & singulis Biblia legenda, & interpretanda dabantur in manus, successores erant & imitatores Catharorum æque fanatici, æque perduelles contra Hierarchiam.

" Hi pauperes (teste *Rainerio coævo*) " novum testamentum & vetus, vulgariter " in linguam, vulgo Francico usitatam, " transtulerunt, & sic docent, & discunt: & quia sunt laici & idiotæ, falso & corrupte exponunt Scripturam. v. g *sui*, id est, porci *eum non receperunt: sui* dicentes pro *sues*, *increpa feras arundinis*, die Schwalben: *Hirundinis* pro *arundinis* accipiendo: Psalmis varios ridiculos titulos imponebant idiotismo gallico. Deinde omnium erat interpretari scripturam, docere, disputare, populum vocare ad disputationes in foro, in campo, in tectis: discipulus septem dierum alium quærebat, quem doceret. Alias etiam verbis Catholicis voces substituebant: nominabant Ecclesiam, *domum stramineam*: Clericos vocitabant *Scribas*, Religiosos *Pharisæos*, utrosque exterminare summis votis ardebant.

" Significavit Nobis Venerabilis Frater " noster Metensis Episcopus [*verba sunt Innocentii III. Lib. II. Epist.* 468. *edition. Colon.*] " quod tam in Diœcesi, quam in urbe " Metensi, laicorum, & mulierum multitudo " non modica, tracta quodammodo desiderio Scripturarum, Evangelia, Epistolas " Pauli, Psalteria, moralia Jobi, & plures " alios sibi libros fecit in Gallico sermone " transferri." Ecce Waldensibus excogitatum medium, suos errores sub fuco verbi Divini ventilandi. Præbuerant jam dudum Sueci & Germani Ulphitam, Notkerum, & alios Bibliorum interpretes Germanos, sed cum obedientia & reverentia erga Ecclesiam, & Doctores, & Pastores Catholicos.

Audi nunc fructum interpretationis vernaculæ, in manus vulgi sparsæ *ex eodem Innocentio eodem loco.* " Translationi hujusmodi (*Bibliorum Francice translatorum*) " adeo libenter, utinam prudenter, intendunt, ut secretis conventionibus talia inter se laici & mulieres eructare præsumant. " 2*do.* Et sibi invicem prædicare: 3*tio.* Qui " etiam aspernantur eorum consortium, qui " se similibus non immiscent, & a se reputant alienos, qui aures & animos talibus " non apponunt. 4*to.* Quos, cum aliqui " Parochialium Sacerdotum super his corripere voluissent, ipsi eis in faciem restiterunt, conantes rationes inducere de Scripturis, quod ab his non deberent aliquatenus prohiberi. 5*to.* Quidam etiam ex " eis simplicitatem Sacerdotum suorum fastidiunt, & cum ipsis per eos verbum salutis " proponitur, se melius habere in libellis " suis, & prudentius se posse id eloqui submurmurant in occulto.

Eadem arte Wicleffus in Anglia, Hussus in Bohemia usi sunt: nempe scriptura in vernaculam Anglicanam, & Bohemicam, versâ juxta sensum, & glossam, & commentarios suos. Sed maneamus in Sæculo XIII.

Innocentius III. non solum ad Episcopum Metensem scripsit, ut in hos errantes, & eorum errores inquirat, & pejerare solitos ad veritatis professionem adducat, sed similis argumenti literas scripsit ad Abbatem Cistercienfem, ut Metas accedat, Episcopum adjuvet, & adhærentes prædictæ translationi Francicæ, si fieri potest, authoritate Apostolica corrigat &c.

Admiremur hic Ecclesiæ Catholicæ providentiam in deposito doctrinæ sanæ custodiendo.

Dum fideles sunt dociles, & attendunt verbis Pastorum suorum, lingua vulgari vulgo explicantium verbum Dei, permittit iisdem populis versionem bibliorum in idioma vulgare, sed à Pastoribus approbatum, sobriæ explicationi Ecclesiæ Catholicæ consentaneam. Dum vero quilibet idiota arrogare sibi vult, suo cerebro Verbum Divinum

num interpretari, corrumpere, adulterare, & alios seducere ad pravum sensum; habet mandatum a Christo, non projiciendi margaritas ante porcos, nec sanctum dandi canibus. Igitur manet in Ecclesia Dei perpetuum discrimen inter Apostolos & Discipulos, Pastores & Oves, Patres & Filios. Horum est docere omnes gentes, frangere panem parvulis, aperire librum legis, discernere inter infirmos, carnales, parvulos, & inter spirituales, idoneos aliis docendis, non tantum primo Sæculo, sed & XIII. & XVI. & hoc XVIII. Econtra fidelium est, tacere, audire, sequi vocem Pastorum interpretantium, non ut est verbum hominum, sed, sicut est vere Verbum Dei. 1. *Thessalon.* II. 13.

Ex eadem Sapientia, urgente Concilio Oecumenico Tridentino Sessione XVIII. MDLXII. 18. Januarii fluxerunt regulæ Indicis a Pio IV. editæ, de usu Bibliorum, vulgari lingua versorum, nonnisi judicio Episcopi aut Parochi, Confessariive vulgo permittendo. Eodem sub Pio IV. fuere *Sessione secunda* delecti Disquisitores & Censores librorum editorum, pag. *mihi* 197. Rursum *Sess. XXV.* pag. 621. præcipit Concil. Tridentinum, ut delecti Censores censuram Papæ offerant, ut ejus judicio & authoritate hæretici terreantur. Antea *Sess. IV.* Decreto *de editione & usu sanctarum Scripturarum* indicatus, & dein sub Pio V. Successore editus index.

§. XVI. *De Canonibus pœnitentialibus mutatis in alia opera Sæculo XIII.*

Quam graves, acerbas, & diuturnas pœnitentias variis peccatorum graviorum generibus Concilia canonibus antiquis primo millenario imposuerint, docet historia Ecclesiæ Catholicæ, & nos ipsi *Tomo I. Sæculo I. & II. & III.* Sæculo autem XII. promulgatis expeditionibus sacris Cruce signatorum pro vindicanda terra sancta e manibus Saracenorum: 1*mo.* judicavit Ecclesia Canones pœnitentiales antiquos severissimos convertendos in hæc opera pia recuperandæ Palestinæ ergo, datis indulgentiis pœnarum pluribus annis redimendarum. 2*do.* Sæculo XIII. judicavit Ecclesia similes expeditiones sacras Cruce signatorum instituendas contra hæreticos, Dei, & Ecclesiæ Christi, & ejus Antistitum violatores, homicidas, vastatores: in eumque finem mutandas pœnitentias antiquas in subsidium bellicum, contra hæreticos Waldenses, Albigenses, Stedingos, &c.

Hactenus hæretici (exceptis Manichæis & Donatistis) fuerant hæretici errantes, & in errores inducentes: sed postquam rempublicam & Ecclesiam damnis, vastationibus, bellis, cædibus, tumultibus laniaverant: postquam exercitus formidandos multorum millium, in incendia urbium & Ecclesiarum, in cædem Episcoporum, Cleri, & populi Catholici collegerant; media omnia extrema, etiam corporalia impendenda fuerant, ut furor & insania eorum compesceretur.

Inter ea media fuerunt expeditiones *Cruce signatorum*, & quia nemo lubens suam personam, æs, & bona a Deo sibi data, ultimis discrimini exponit, nisi saltem spiritualibus præmiis invitetur; ideo Ecclesia invitavit omnes, relaxatis Canonibus Pœnitentiarum ob antiquos Canones debitarum, ad militiam sacram suscipiendam, sive contra Paganos, sive contra hæreticos. Et ab eo tempore vigor Canonum pœnitentialium remissus fuit.

§. XVII. *De vero sensu Canonis XXI.* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS, *in Concilio Lateranensi anni MCCXV. editi.*

Canonem hunc legere potes integrum relatum in Concilio Coloniensi anni 1281. *Cap. VIII. pag.* 665. *Tom. III. nostro.* Constat tribus partibus:

" I. Lex est pro omnibus utriusque sexus
" fidelibus, usu rationis præditis, peccata
" omnia confitendi fideliter, saltem semel
" in anno *PROPRIO Sacerdoti*, & injunctam sibi pœnitentiam pro viribus adimplendi, & suscipiendi reverenter Eucharistiam ad minus in Pascha, nisi forte quis de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. . . . . . Si quis autem *ALIENO Sacerdoti* justa de causa confiteri velit peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter illum non possit solvere, vel ligare.

2*da* Pars tractat de discretione Confessarii.

3*tia* De ejusdem obligatione ad Silentium.

De primæ partis quæstione graves controversiæ exarserunt inter hæc V. Sæcula, post Lateranense Concilium evoluta, quæ vel hoc Sæculo XVIII. ab quibusdam resuscitantur. *Quæstio prima est*, quis nomine *proprii Sacerdotis* intelligatur. Supponuntur enim Diœceses Episcoporum subdivisæ in Parochias, hoc est, in varias Ecclesias speciales,

ciales, in quarum districtu, ab Episcopis circumscripto, habitantes fideles Baptismum & reliqua Sacramenta capessant ab idoneo Sacerdote, constituto ab Episcopo Diœceseos, ac post mortem suo in Cœmiterio Catholico sepeliantur, cui vicissim Parocho Decimæ agri circumjecti, & alimenta a Parochianis debeantur.

Cum enim Episcopus omnibus suæ Diœceseos fidelibus ob vastitatem, & locorum distantiam Sacramenta porrigere solus nequeat; Episcopi eligunt personas idoneas (*a*) in easque curæ animarum verbo & Sacramentis pascendarum partem veluti in cooperatores transfundunt, & Parochos creant, investiunt, moderantur, regunt, & ob defectus forte deprehensos, vel senium, amovent ab officio parochiali, aliosque substituunt.

Fuere autem & Sæculo XIII. viri eruditi, qui censuerunt, voce *proprii Sacerdotis*, solam illam personam, Ecclesiæ sibi creditæ ordinariam administram, intelligi, excluso Episcopo Diœceseos, & Pontifice Romano, quà capite universæ Ecclesiæ: nec eos posse absolvere Parochianos, nisi licentia a *proprio* Parocho accepta, adeoque & Papam, & Episcopum esse *alienos Sacerdotes* respectu Parochiani. Ejusmodi interpretes hujus Canonis fuere Henricus Duacensis, Christianus Bellovacensis, Guillelmus de sancto amore, Magistri Universitatis Parisiensis. Contraria sententia nonnullorum fuit (inter quos Magister Henricus ex mendicantium ordine) quem Episcopus Argentinensis in Concilio Moguntino anni MCCLXI. accusavit, in concionibus publicis prædicasse, " quod auctoritas mendicantium sit altior, " quam plebanorum, quod nullus teneatur " plebano suo, quocunque anni tempore " confiteri. *Vide Tom. III. pag.* 615.

Utraque sententia absurda & erronea: & prima quidem damnata ab Alexandro IV. anno MCCLVII. II. Octobris. Quam absurdum enim id est, Episcopum, a quo jurisdictionem accipit Parochus, Papam, a quo jurisdictionem Episcopus accipit, non habere jurisdictionem in Parochianos, quorum sunt veri Pastores jure Divino statuti? vel eam amittere, dum Parochum alicui portioni sui gregis præponunt?

Quam absurdum, Papam, aut Episcopum, aut approbatos ab alterutro, aut alterutrius Vicarios, aut Pœnitentiarios esse *alienos* Sacerdotes respectu fidelium sibi jure Divino subjectorum? . . . Sane nullus Episcopus eligendo, investiendo, confirmando Parochum aufert sibi jurisdictionem in Parochianos vel Diœcesanos.

Examinemus vim vocis: *proprius:*

I. Proprius opponitur *alieno.*

Opponitur 2do communi, generali, communissimo, mediato, principali.

Episcopus est Parochus omnium Diœcesanorum communis & mediatus, præcipuus: Papa eorum universalissimus principalis, independens, sed neuter *alienus*, qua voce utitur Lateranense Concilium uti opposita *proprio.*

Hierarchiæ Ecclesiasticæ notitia nos ducit in rei quæsitæ claram ideam. Hierarchia Ecclesiæ constat ex Papa, Episcopis, Parochis, Diaconis. Exordium autem divisionis Ecclesiarum Cathedralium, in quibus Episcopi sedebant, ducendum a tempore Apostolorum. Antiquissimæ Ecclesiæ Germaniæ Rhenanæ Treverensis, Coloniensis, Moguntina a Pontifice Romano Legatos ad se viros Apostolicos Ecclesiarum suarum Auctores memorant; Ecclesiæ Germaniæ Orientales, Aquilegiensis, Sabionensis, Laureacensis ab Apostolorum Discipulis fundatas se gloriantur. Sæculo VIII. medio, in Germania Mediterranea, Thuringiæ, & Bavariæ Papæ Gregorius & Zacharias misere Bonifacium, qui Bavariam in IV. Episcopatus divisit: Germaniam, ut ita dicam mediam in IV. item, Wurceburgensem, Eustadiensem, Buraburgensem, Erphordiensem, in iisque Episcopos collocavit, consecravit: *Tom. I. Concil. German. pag.* 41. 45.

Sæculo VIII. extremo Carolus M. licentia ab Papa Hadriano accepta, & Hildebaldo Archi-Episcopo moderante, in Saxonia VIII. Episcopatus fundavit nominatis personis, & dotavit easdem Decimis. *Vid. Tom. I. pag.* 329. & *pag.* 246.

Quibus Hildebaldus sacrum characterem Episcopalem communicavit in civitatibus, quæ tum celebriores erant, Osnabrugga, Brema, Halberstadio, Hildesheimio, Verda, Paterborna, Minda, Mimigardevorda (quæ nunc Monasterium dicitur) quas fundationes Ludovicus Pius perfecit, tum adjunxit Hamburgum. Hos novos Episcopatus coævi auctores appellant *Parochias*, Nos aliter loquimur & scribimus nunc hoc Sæculo XVIII.

Otto I. Magnus in Concilio Ravennatensi anno DCCCCLXVIII. præsente Pontifice Joanne XIII. fundari a se Archi-Episcopatus Magdeburgensis institutionem absolvi, & auctorizari fecit. *Vid. Tom. II. pag.* 633. Et primo Archi-Episcopo varia privilegia a Papa concedi; dein eidem subjici Suffraganeos Misnensem, Havelbergensem, Brandeburgensem, Merseburgensem, Cizensem. *Tom. II. pag.* 633. 634.

Idem

(a) *Hujus rei gratia reliqui* (Paulus Titum) *Te Cretæ, ut . . . constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Ad Tit. I. v. 5.

Idem Otto Dania Cismarina subjecta, curavit eam in tres Episcopatus distribui, eosque Hammaburgensi Archi-episcopo subjici, Slefwicensem, Ripensem, Arhusensem. *Vid. Adam Bremensem Histor. Ecclesiast. Lib. II. Cap. II. Petrum Lambecium orig. Hamburg. Lib. II. Cap. II.*

Ecce originem Episcopatuum, in quos Germania divisa est a Sæculo I. ad Xmum, semper auctoritatem commodantibus Episcopis Romanis, qua Vicariis Christi, & in toto Orbe jurisdictionem supremam obtinentibus, judice Carolo & Ottone Magnis, Augustis Principibus Germaniæ.

Est igitur Papa fons omnis Hierarchiæ Episcopalis a Christo statutus.

Supposita divisione Episcopatuum consequens erat, ut quivis Episcopus suo districtu, & fidelibus in eo commorantibus regendis, verbo, Sacramentisq; pascendis contentus esset, & abstineret a regimine fidelium alienæ Diœceseos. De his in Oriente antiquissimi, & sexcenties reiterati Canones sunt. Inter Canones, Apostolorum dictos, XIVtus. Ut ab Episcopis aliena Parochia minime pervadatur. Can. XVtus. Ut Clerici proprias non derelinquant Parochias. Can. XVI. Ut Episcopus, qui Clericos alterius susceperit, communione privetur. *Tom. I. Concil. German. pag.* 132.

In Concilio Antiocheno anni CCCXLI. Cap. IX. & XIII. Nullus Episcopus ex alia Provincia audeat ad aliam transgredi, & ad promotionem Ministerii aliquos in Ecclesiis ordinare, licet consensum videantur præbere nonnulli: nisi literis tam Metropolitani, quam cæterorum, qui cum eo sunt, Episcoporum, rogatus adveniat. *Tom. I. Concil. German. pag.* 158.

Anno CCCLXXXI. in Concilio Constantinopolitano generali III. *Cap. II.* definitus fuit ordo servandus inter singulorum Diœceses tum definitas, quarum aliæ Alexandrinis, aliæ Antiochenis Episcopis tribuuntur. *Tom. I. Concil. German. pag.* 167.

Anno CCCLI. in Concilio Chalcedonensi statutum *Cap. V.* Nulli Episcopo vel Clerico licere transmigrationem de civitate in civitatem. *Tom. I. pag.* 177. & *Cap. XVII.* " Singularum Ecclesiarum rusticas Parochias " vel possessiones manere inconcussas illis " Episcopis, qui eas retinere noscuntur, & " maxime, si per tricennium eas absque vi " obtinentes, sub dispensatione rexerunt. Prohibetur ergo invasio Parochiarum, maxime lege tricennalis possessionis munitarum. Inter Græcos enim translatio Episcoporum de civitate in civitatem frequentissima erat, licet tot Canonibus vetita. Hic Parochia iterum pro Diœcesi sumitur.

Addatur *Canon XIX.* Concilii Sardicensis *Tom. I. pag.* 193. *Canon. XXI.* Concilii Africani *Tom. I. pag.* 211. Rursum *Canon LXXXV. LXXXVIII. Tom. I. pag.* 227.

Hos Codicis Dionysiani Canones Carolus M. adoptavit in suo Capitulari Aquisgranensi anni DCCLXXXIX. *Cap. XII. Tom. I. pag.* 269. & *ibid. pag.* 272. Can. XXIV. ex Chalcedonensi & Sardicensi Conciliis: item in Concilio Francofordiensi anni DCCXCIV. Can. VII. & XXVII. *Tom. I. pag.* 325. 327. E quibus Canonibus eruo.

1. Papam a tota Germania, imo a toto Occidente, fuisse agnitum Primatem Ecclesiasticæ Hierarchiæ jure Divino, sine cujus authoritate & conscientia, nec Episcopatus instituere, nec definire, & inter se discernere liceat cuiquam.

2. Papam *de facto* omnes Episcopos Germaniæ instituisse, & vel per se, vel per suos Legatos consecrasse, & potestatem Episcopalem iisdem contulisse.

3. Quemvis Episcopum Germaniæ in civitate sedisse, quæ ideo Cathedralis vocabatur, ob Cathedram Ecclesiæ: in eaque civitate ab initio unicam Ecclesiam fuisse: in qua cives omnes baptizabantur, docebantur, & reliqua Sacramenta ab Episcopo accipiebant.

4. Nullam rure Ecclesiam fuisse, sed ruricolas diebus Dominicis ad civitatem compulsos, ibidem mysteriis Divinis imbutos fuisse.

5. Episcopum in civitate unicum, cooperatores Clericos instituisse Presbyteros, & Diaconos, qui coram Episcopo nil audebant, nec baptizare, nec reconciliare, nec sacrum facere: at ex ejus delegatione poterant obire munera sacra, Episcopo propria. Hic status Ecclesiæ Catholicæ fuit tribus primis Sæculis, judice *Thomassino.*

At a IV. ad X. & sequentia Sæcula, multiplicato grege Catholicorum, Episcopi ædificarunt plures Ecclesias, in iisque Presbyteros statuerunt, qui certo ac definito numero fidelium, circa eam Ecclesiam habitantium, Sacramenta administrarent, accepta & limitata ab Episcopo auctoritate, & reservatione variorum peccatorum suæ Episcopali potestati.

His ex Historia Ecclesiastica Germaniæ, a primo Sæculo ad XIII. certo præjectis: patet, Innocentium III. & Patres Concilii Lateranensis per *proprium Sacerdotem* intellexisse Rectorem Parochiæ, ab Episcopo institutum, consequenter To *proprium* non excludere potestatem Episcopalem neque Pontificiam. Falsum igitur, & absurdum, & incredibile, Pontificem & Episcopos

pos ita tribuere Parocho facultatem; ut eam sibimet ipsis auferant:

Errat igitur Henricus Gandavensis, opinans, *proprio Sacerdoti* ita datam facultatem absolvendi, ut ab ea excludatur Episcopus & Papa, aut ab iis approbati Vicarii, Pœnitentiarii, sive sæculares, sive regulares. Hæc pro resolutione.

Nunc videamus, quomodo is Canon in Germania servatus sit & a variis Pontificibus intellectus.

Anno MCCXV. mense Novembri celebratum fuit Concilium Lateranense IV. Generale XII., ejusque Canone XXI. lata lex, de Confessione *proprio Sacerdoti*, ab omnibus fidelibus adultis, quot annis facienda.

Anno MCCXXVII. Gregorius IX. *primus* scripta ad omnes Episcopos Bulla, data Anagniæ 26. 7bris dedit Fratribus Prædicatoribus privilegium audiendi confessiones, & prædicandi citra licentiam a Parocho, vel Episcopis petendam.

Anno MCCXLIV. Innocentius IV. Bulla ad Episcopos Angliæ privilegium æque illimitatum mendicantibus indulsit, quod Angliæ Episcopi rejecerunt, *ut Dupinius Tom. X. Biblioth. Ecclesiast. pag.* 175.

Anno MCCXLVI. Concilium Moguntinum, Fritslariæ coactum, Canonem Lateranensem integrum refert: & a quovis regulari vel sæculari solvi fidelem posse negat sine licentia *proprii Sacerdotis. Tom. III. pag.* 574.

Anno MCCL. Facultas Theologica Parisina suadet, tutius esse confiteri Parochis, quam regularibus, cum Parochorum jurisdictio sit certa, Regularium autem a quibusdam in dubium vocetur.

Anno MCCLIV. Innocentius IV. ob querelas Episcoporum & abusus nonnullorum Regularium, præcipit Bullâ: *Nihil novum*, ut ne audiant confessiones sine licentia Parochorum.

Anno MCCLIV. Alexander IV. fiduciario Decreto: *Nec insolitum*: revocat Bullam Antecessoris. 22. Decembris anni h.

MCCLVI. 21. Octobris idem Papa confirmat Regularibus privilegium, audiendi confessiones absque licentia postulata a Parochis.

Cum Henricus, aliis Odo, Duacensis, Christianus Belluacensis, & Guillelmus a S. Amore, Doctores Parisini, id perfricte negarent;

Anno MCCLVII. Alexander IV. contra eosdem rejectos id privilegium confirmat.

Anno MCCLXXXI. Martinus IV. Bulla: *Ad Uberes.* Fratribus Minoribus inscripta: Volumus (ait) auctoritate Apostolica, per Provinciales Ministros, cum Definitoribus in Capitulis congregatos, facultatem concedi examinatis, & approbatis aliis, prædicandi, & audiendi confessiones, absolvendi pœnitentes libere, ut a nemine impediantur quomodolibet. *Vult* autem idem Papa, quod ii qui fratribus confitebuntur, eisdem suis Parochialibus Presbyteris, saltem semel in anno, prout Generale Lateranense statuit, confiteri teneantur.

In Concilio Moguntino Waltherus Episcopus Argentinæ accusavit varias propositiones Mendicantium anno MCCLXI. 1mo. *Quod nullus teneatur Plebano suo confiteri etiam quocunque tempore anni.* 2do. *Quod Sacerdos, vinculo peccati mortalis ligatus, alium simili vinculo ligatum absolvere non possit. Tom. III. pag.* 615. Dubitatum hic fuit; *Et hæc altera Quæstio erat:* An eadem peccata, quæ regulari confessus es, iterum Parocho confiteri debeas? Responderunt Parisini DD. affirmative; Regulares negabant multis ex rationibus. Super ea quæstione omnes Archiepiscopi, Episcopi & Clerici Regni Franciæ solemnes nuntios cum viris sapientibus ad Sedem Apostolicam miserunt; & quilibet eorum centesimam partem omnium redituum & proventuum Ecclesiasticorum contribuit nuntiis pro expensis.

Eberhardus Altahensis in annalibus apud Canisium Tomo I. antiquæ lectionis pag. 526.

Anno MCCLXXIV. Concilium Provinciale Saltzburgense simpliciter Canonem Lateranensem anni MCCXV. renovat, & instaurat. *Tom. III. Conc. Germ. pag.* 640.

Anno MCCLXXXI. Concil. Coloniense Cap. VIII. renovat totum Canonem: *Omnes utriusque sexus: ut proprio Sacerdoti* plene & integre confiteantur. *Tom. III. pag.* 665. 666.

Anno MCCXCII. Aschaffenburgense Concilium confirmat Canonem Lateranensem, & Plebano faciendam confessionem. *Tom. IV. Conc. Germ. pag.* 25.

Anno MCCC. Bonifacius VIII. Bulla *Super Cathedram.* jubet, ut superiores Regularium adeant Prælatos, & ab iis petant facultatem, administrandi Sacramenta pœnitentiæ pro iis, quos ipsi idoneos judicaverint. Hocce officio peracto, Ordinario recusante, se Papam daturum ex plenitudine potestatis facultatem, quoties ab eo peterent.

Anno MCCCIV. Benedictus X. Bulla: *Inter cunctos.* palam declaravit, fideles confessos peccata sua Regularibus, non teneri eadem confiteri Parochis, præter excommunicationem, cujus absolutionem Parocho reser-

reſervat: aut ſi fors ſua peccata non rite confeſſi eſſent.

Jubet tamen, ut Superiores Regulares ſcripto petant facultatem ab Epiſcopo Diœceſano: quo recuſante, nihilominus poſſint audire peccata fidelium ex auctoritate Papæ.

Anno MCCCIX. Clemens V. in Concilio Viennenſi Generali Can. *Dudum.* revocat Benedictinam Bullam, & Bonifacii VIII. *Super Cathedram.* Bullam confirmat.

Hactenus Dupin. Bibliothecæ novæ Tom. X. pag. 173. *præter illa, quæ Germaniam ſpectant.*

Anno MDLXIII. die 15. Julii Concilium Tridentinum *Seſſ. XXIII. Cap. XV. De Reformatione.* litem omnem decidit: "Quamvis Presbyteri in ſua Ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant, decernit Sancta Synodus, nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id IDONEUM reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegiis, & conſuetudine quacunque, etiam immemorabili non obſtantibus. Igitur approbatio Epiſcopi facit Sacerdotes idoneos, & *proprios* audiendis confeſſionibus ſæcularium, & non *alienos*. Nec enim Sacerdos curatus alia ex cauſa fit *proprius* Sacerdos, quam quod ab Epiſcopo approbetur ad excipiendas confeſſiones Parochianorum.

Inſtitutio Papæ eſt juris Divini, & clare in verbo Dei ſcripto agnoſcitur:

Inſtitutio & Diviſio Epiſcopatuum eſt item juris Divini, & clare in verbo Dei ſcripto agnoſcitur.

Paulus conſtituit Epiſcopos Timotheum Epheſi, (*a*) Titum in Inſula Creta (*b*) eique dedit facultatem inſtituendi Presbyteros per civitates, id eſt, Epiſcopos. Oneſimum, &c

Joannes ſeptem Epiſcopos in Aſia minore inſtituerat, illiſque conſtitutis, nihilominus ſeptem illos gubernabat, ut ait S. Hieronymus.

S. Jacobus Hieroſolymæ fuit ab Apoſtolis conſtitutus Epiſcopus. *Actuum C. XV*, 13.

Hactenus ex verbo Dei ſcripto.

Ex verbo Dei tradito pene omnes Orbis Romani ac noti Sæculo I. Chriſtiani Epiſcopi, ab Apoſtolis fuere conſtituti, conſecrati. *Euſebius Lib. I. Hiſtor. Eccleſiaſt.*

Diviſio Epiſcopatuum & Diœceſeon in Parochias, non niſi tertio aut quarto Sæculo videtur orta eſſe, multiplicato numero fidelium in civitatibus, & rure; ita ut Epiſcopus civitatis ſolus in ſua Cathedrali Eccleſia, quæ unica erat in Provincia v. g. Lycia, Caria, Lycaonia, nec civibus, nec ruricolis poſſet facere ſatis, ergo licet Parochi ſuccedere dicantur in locum LXXII. Diſcipulorum, uti *Gerſoni videtur*, eorum tamen uſus ſerius & mero humano jure in Eccleſia Dei innotuit, & invaluit, uti hodieque patet.

(*a*) Epiſtolis I. & II. ad Timotheum, jam tum Epheſi Epiſcopum *per gratiam, quæ data fuerat* Timotheo, *per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii.* I. Timoth. IV, 14.
(*b*) Ad Titum I, 5.



CONCILIA GERMANIÆ SÆCULI XIV.

STATUTA SYNODALIA ECCLESIÆ CAMERACENSIS SÆCULI XIV. AB ANNO MCCC. AD MCCCX.

De pertinentibus ad Synodum.

Districte præcipimus, quod Prælati, Personæ, sive Patroni, & duæ partes Sacerdotum Parochialium, qui sunt mente discretiores, & ad labores corporum viribus aptiores, ad arbitrium & electionem Decanorum suorum ad Synodum veniant, veniendoque, morando, & redeundo honeste se habeant. Iter veniendi non nimis cito arripiant, nec a Synodo illicentiati recedant. Jejuni intrent Synodum.

Modus intrandi Synodum.

Presbyteri sint induti superpelliceo cum stola, Decani cum alba & stola, Abbates in albis & chori cappa cum baculo pastorali.

Inhibemus etiam sub pœna excommunicationis, ne quis moretur in Synodo, ad quam non pertinet, nec Synodum negotiis impertinentibus aut alias turbare vel impedire præsumat.

De Expensis.

Decani & Presbyteri ad Synodum venientes electis ad hoc de consensu Capellanorum suorum duobus Provisoribus idoneis & peritis, faciant adeo moderatas expensas, quod Presbyteri remanentes, qui Parochiis aliorum deservire tenentur, per excessum expensarum & sumtuum non graventur.

Instructio ad computandum.

Item, præcipimus, quod Decani nostri venientes ad Synodum bene muniti & instructi de computis suis ad computandum compareant adeo tempestive, quod pro defectu eorum non oporteat illos, quos tangit hujusmodi negotium, in eodem computo nimiam moram trahere, alioquin ipsi, per quos moram hujusmodi fieri contigerit, expensas, quæ fient propter hoc, de suo proprio solvere tenebuntur.

Scriptio nominum & locorum, a quibus leges capiunt.

Item Decani in computis suis scribant loca & nomina eorum, a quibus leges quascumque recipiunt, & causas, ob quas eas recipiunt, nisi ex hoc timeatur oriri scandalum, seu periculum corporis imminere.

Nomina Usurariorum & Excommunicatorum.

Item Decani omnium usurariorum manifestorum, & excommunicatorum per annum & diem, totius sui Decanatûs nomina, & causas excommunicationis in scedula deferant anno quolibet ad Synodum vel ad computum.

Nomina Presbyterorum obeuntium.

Item Decani referant ad Synodum nomina Presbyterorum omnium, qui illo

Hæc Statuta *ex MS. Codice Abbatiæ Grimbergensis*, descripserunt *DD. Martene & Durand. Collectionis amplissimæ vet. Monument. Tom. VII.*, quæ Statuta edita fuerunt in variis Synodis Ecclesiæ Cameracensis: certe 25. Synodi minimum in ea Ecclesia celebratæ fuere Sæculo XIV. ab A. 1300. ad 1400: excerpta ex his leges Statuta post Synodum Cameracensem anno 1550. celebratam, & Parisiis ac Cameraci recusam anno 1729. Videntur igitur PP. Concilii Cameracensis anni 1550. has Synodos integras habuisse, ex quibus excerpserunt varia Statuta eo anno renovata, & promulgata, & deinceps in Ecclesia Cameracensi servanda; reliquis forte ob antiquiorem usum abolitis, vel præteritis.

illo anno in ſuis Decanatibus obierunt, & in Synodo abſolvantur, & Presbyter quilibet in reditu ſuo unam Miſſam de *Requiem* cum toto ſervitio mortuorum pro eisdem dicere teneatur.

Pœnæ non venientium ad Synodum, qui venire tenentur.

Item Prælatas perſonas, ſeu Patronos & Sacerdotes, ut tenentur, non venientes ad Synodum, qui non fuerint canonice impediti, aut legitime excuſati, ſeu quibus non detulerimus, niſi infra menſem ſuper hujusmodi inobedientia emendam Nobis, ſeu Officiali noſtro Cameracenſi præſtiterint competentem, ex tunc a Divinis ſuſpendimus, & ſuſpenſos auctoritate Synodali nunciamus.

De Baptiſmo.

Baptismus honorabiliter & caute celebretur, cum aperta diſtinctione & forma verborum, in quibus conſiſtit Sacramentum, id eſt, ſalus ſeu virtus Baptismi, quæ talis eſt:

Petre, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Quæ verba dicantur ab eo, qui baptizatum mergit, & dum immergit: & ut caveatur periculum baptizandi, non immergat caput pueri in aquam, ſed baptizans ſuper verticem pueri ter infundat aquam cum bachino vel alio mundo vaſe & honeſto.

Juxta fontes inſtituatur piſcina aperta, ubi laventur manus eorum, qui tenuerunt puerum, & vas lavetur, quo infuſus fuit puer, ſuper piſcinam autem illam ponatur cooperculum.

Renovetur aqua fontium, quotiens neceſſe fuerit, & vetus amoveatur, & nova benedicatur & chrismetur, ſed antequam nova apponatur, fontes diligenter mundentur propter reverentiam Sacramenti.

Inſtructio baptizandi.

Item doceant Presbyteri viros & mulieres formam & verba baptiſmi in propria lingua, quibus valeant in neceſſitate infantem baptizare, etiam parentes, ſi alius defuerit, & poſtmodum deferatur puer ad Sacerdotem, qui diligenter interroget, quid Baptizator dixerit, aut quid fecerit, & ſi invenerit omnia rite facta dicta, faciat puero ea, quæ ſolent fieri poſt immerſionem. Si autem invenerit, aut dubitaverit, puerum non eſſe rite baptizatum, baptizet eum ſub hac forma. *Petre ſi non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Et doceant Presbyteri, quod ſi Pater & Mater infantis infantem ſuum in neceſſitate baptizaverunt, non propter hoc dimittant, quin habeant ſe ut conjuges, ſicut ante; item ſi caput infantis naſcentis extra appareat, & timeatur de morte ejus, antequam perfecte naſcatur, infundat aquam, qui aderit, ſuper caput infantis naſcentis dicens: *Infans, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.* Si autem pervenerit vivus ad ortum legitimum, de novo baptizetur ſub hujuſmodi verbis: *Puer, ſi non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.*

Quid faciendum eſt de muliere mortua in partu, & ejus partu.

Si mulier mortua fuerit in partu, non negentur ei aliqua jura Chriſtianitatis ſed in Eccleſia deferatur, in cimiterio tumuletur, niſi aliquid obſtiterit, quia pœnam non debemus ei vertere in culpam. Si certum ſit, quod pariens mortua fuerit, teneatur os ejus apertum, & cum magna cautela uterus ejus aperiatur, ut infans vivus, ſi poſſit fieri, educatur. Et baptizetur, ſi autem mortuus reperiatur, extra Cimiterium tumuletur.

Quot debent levare Puerum?

Ad levandum puerum de fontibus quatuor perſonæ laicæ & ſæculares, duo ſcilicet maſculi, & duæ fœminæ in patrinos & matrinas, ſive pueri levandi ſunt, ſive maſculi, ſive fœminæ, admittantur. Et ſi præſentibus placuerit, quatuor aliæ ſæculares in ſacris ordinibus conſtitutæ, ſeu religioſæ in religione approbata profeſſæ cum ſupradictis aſſumantur.

Excommunicatio de pluribus.

Præcipientes ſub pœna excommunicationis ne plures perſonæ in patrinos, ſeu matrinas admittantur, quibus injungatur, quod orationem Dominicam,

Symbolum Apoſtolorum, & *Ave Maria* doceant eos, quos de fontibus levaverunt.

Fontes ut operculo & ſera cuſtodiantur cum ſollicitudine diligenti, Chriſma & Oleum ſacrum, & Oleum infirmorum in ampullis metallinis certis titulis diſtinguantur, & deſuper diligenter obſtruentur. Si autem oportuerit Chriſmati, Oleo ſancto, vel Oleo infirmorum aliud oleum apponi, caute & diligenter miſceatur appoſitum cum Chriſmate, Oleo ſancto & Oleo infirmorum.

De Confirmatione.

Hortentur Presbyteri ſubditos ſuos, ut pueros ſuos ſeptennes & ſupra adducant ad Epiſcopum confirmandos, cum munda & decenti capillatura, lotis frontibus, & cum bandellis, modis aptis de ſpiſſa tela, & tertia die reducant ad Eccleſiam confirmatos, ut ibidem frontes eorum laventur a Presbyteris cum cinere vel ſale, & bandella eorum comburantur, & aqua lotionum frontium cum cinere bandellorum in piſcinam reponatur. Unus ſolus teneat, & liget confirmandum, non Pater, nec Mater, qui, ſi pluries fuerit confirmatus, graviter puniatur.

De Pœnitentia.

Sacerdotes moneant ſubditos ſuos, ut omnes a quatuordecim annis & ſupra, præcipue in quadrageſimali tempore, & ante Dominicam in ramis Palmarum, ad confeſſionem frequenter veniant, & ſaltem ſemel in anno confiteantur *proprio* Sacerdoti, id eſt, Presbytero Parochiali, qui ideo magis proprie dicitur eſſe proprius (*a*) Sacerdos, quia non ſolum confeſſiones audit, & abſolvit, ſed etiam adminiſtrat alia Sacramenta Eccleſiaſtica. Confiteantur autem nullatenus alterius peccata, ſed duntaxat ſua & præcipue omnia mortalia, diſtincte cum circumſtantiis & aggravationibus, quæ notantur hoc verſu:

Quis, quid, ubi, per quos, quotiens, cur, quomodo, quando.

Et hoc erit in habitu humili & contrito. Venialia autem ſaltem in ſumma confiteantur eiſdem. Qui Sacerdotes cum attenta diligentia in Eccleſia, loco aperto, poſt ſolis ortum & ante ſolis occaſum, niſi neceſſitas aliud popoſcerit, in ſuperpelliceo vel cappa rotunda, cum ſtola, ſedendo, vultibus & oculis in terram demiſſis, manſuete audiant confeſſiones eorundem, ipſis pœnitentias peccatis ſuis contrarias injungendo, ut ſcilicet pro peccato luxuriæ jejunium & abſtinentiam: pro peccatis ſpiritualibus, meditationes & orationes, & ſimilia, pro furto & detentione rei alienæ primo reſtitutionem, aut ſatisfactionem integram & nihilominus aliam congruam pœnitentiam pro eiſdem.

In actu confeſſionis, nec confitens, nec Sacerdos verba confabulationis, aut alia, quæ ad ſalutem non pertineant confitentis, immiſcere præſumat.

Caſus Epiſcopo reſervandi.

Reſervamus nobis majora peccata, videlicet peccata contra naturam in viro ultra vigeſimum annum, homicidia, incendia, ſimoniam, hæreſes, apoſtaſias, ſacrilegium ultra quadraginta ſolidos, inceſtus cum patre, matre, filio, filia, ſorore, fratre & cum religioſis mulieribus profeſſis, injectiones manuum violentas in parentes ex deliberatione factas, ſortilegia in Sacramentis, videlicet de Euchariſtia, vel Chriſmate. Oppreſſiones parvulorum voluntarie procuratas, negligentias parentum in igne vel aqua natos perdentium, perjuria ſolemnia, vel fidei fractiones ſolemnes in curia Cameracenſi. Votorum ſolemnium transgreſſiones, maleficia impedientium coitum, procurationes ſterilitatum vel abortivorum, propinationes veneni, magnas blaſphemias Deo factas, caſus eorum, qui falſificant literas curiæ noſtræ vel abutuntur eiſdem. Omnes excommunicationes tam à nobis, quam a canone latas, exceptis inferius nominatis & expreſſis & omnia alia peccata illis graviora.

Caſus Pœnitentiariis per Decanatus commiſſi.

Committimus Pœnitentiariis noſtris generalibus per Decanatus deputatis, peccata contra naturam in omni ætate a mulieribus perpetrata, & in viris ultra viceſimum annum.

Pollutiones manuum in omni ætate. Perjuria, fidei fractiones, quæ non fuerint

(*a*) Canon XXI. *Omnis utriusque ſexus Concilii Lateranenſis anni* 1215.

rint facta in curia Cameracensi; votorum non solemnium transgressiones, injectiones manuum in parentes, ubi non fuerit gravis læsio vel deliberatio; Sortilegia, quæ non fuerint de Eucharistia & Chrismate. Injectiones manuum parvulorum in Clericum usque ad vigesimum annum. Oppressiones parvulorum non voluntarias, sed casuales. Clandestinas nuptias incestas, exceptis patre & matre, filio, filia, fratre & sorore. Omnia adulteria, hoc salvo, quod si clandestinæ nuptiæ, incestus, & adulteria per duos testes, aut plures, qui his interfuerunt (innotuerunt) aut alias per communem famam vel infamiam, prius super his Ecclesiæ, vel nostram jurisdictionem exercentibus faciant satis. Injectiones manuum mulierum in Clericum vel Sacerdotem, ubi non est enormis læsio, quæ tamen probari possit, ut prædictum est, prius læso, & Ecclesiæ [a] satisfaciat. Sacrilegia usque ad quadraginta Solidos, in tantum, quod debita restitutio fiat Ecclesiæ de eisdem: omnia peccata, in quibus habent potestatem.

Casus Presbyteris Parochialibus Deputati.

Curatis & eorum vices gerentibus committuntur inordinatus concubitus cum mulieribus, mollities, peccata contra naturam in ætate puerili in viris usque ad quartum decimum annum, & in mulieribus usque ad vigesimum quintum. Adulteria ex parte una provenientia. Damnificationes & furta, dummodo fiat restitutio, quam cito facultas se obtulerit. Sacrilegium usque ad decem solidos, dummodo fiat restitutio Ecclesiæ; levis injectio manuum in parentes sortilegia in rebus minimis & communibus, ubi non est horror & turpitudo; perjuria privata, in quibus nullus damnificatur, stuprum virginum, abortus non procurati, sed casuales.

De Casibus Nobis, & Pœnitentiariis nostris reservatis.

Curatis & eorum vices gerentibus, excepto mortis articulo, interdicimus omnem potestatem pertinentem ad pœnitentiarios Decanatus, sive ad Episcopum, sub forma rigoris.

Sacerdotes confessiones mulierum, cum quibus peccaverunt, fautores & mediatores non audiant, donec saltem a peccatis inter eos patratis alias confessi fuerint competenter, & cessaverit infamia, si qua fuerit propter hoc contra eos, sed mittant eos ad honestos & idoneos Confessores.

Quibus debent Presbyteri Parochiales confiteri?

Item statuimus, quod in quolibet Decanatu ad audiendum confessiones Sacerdotum, qui etiam sunt Pœnitentiarii generales in ipsis Decanatibus, quatuor Presbyteri parati ad hoc discreti & idonei assumantur, a quibus & non ab aliis, auctoritate nostra a peccatis suis saltem mortalibus, injuncta eis salutari pœnitentia, absolvantur.

Ne autem Missarum solemnia plus solito differantur, si Presbyteri non possunt quotidie adire confessores suos prædictos, eligant sibi alium vel alios idoneos confessores, ita tamen quod postea quam cito poterunt, adeant prædictos confessores sibi deputatos, & eadem peccata, saltem mortalia, quæ confessi fuerunt, ipsis confessoribus ab eis sic electis, & alia, si qua sint, confiteantur prædictis confessoribus in singulis Decanatibus deputatis.

Solemnis pœnitentia pro crimine publico.

Item statuimus, quod si cui imponenda est solemnis pœnitentia pro crimine publico, vel vulgariter, quod totam villam commoverit, remittendus est ad Nos, ut in die Cinerum ejiciatur ab Ecclesia, & in die Cœnæ recipiatur.

Item, ad tollendam inter Parochiales Presbyteros & Capellanos perpetuos nostræ Civitatis & Diœcesis in Ecclesiis Parochialibus omnimodam materiam quæstionis, statuimus, ut Capellani perpetui in confratribus audiendis, Presbyteris parochialibus subveniant, & succurrant in his, quæ ad opus parochiale pertinent eo tempore, quo constabit dictos Presbyteros occasione curæ seu curiæ nostræ Cameracensis esse impeditos, vel infirmitate proprii corporis esse detentos, dum tamen infirmitas hujusmodi XV. dierum numerum non excedat, salvis nihilominus ordinationibus,

(a) *forte:* satisfiat.

a Nobis & Prædecessoribus nostris factis super Capellanis, qui per Nos aut Prædecessores nostros ordinate consistunt.

Monitio ad credulitatem.

Item Sacerdotes moneant subditos suos, ut perfecte dicant: *Pater noster*, *Ave Maria*, *Credo in Deum*, & saltem dicant bis, in mane scilicet & in vespere, & injungant ista scientibus nomine pœnitentiæ, & ea discant ignorantes.

Item statuimus, quod habens tonsuram Clericalem addiscat & studeat quotidie dicere septem Psalmos.

Item, quod acolythus horas gloriosæ Virginis MARIÆ quotidie dicat.

Item, quod existens in sacris Ordinibus sive sit beneficiatus, sive non, horas Canonicas videlicet de die, & B. MARIÆ Virginis dicere quotidie non omittat.

Instructio in Fide.

Item statuimus, quod curati Ecclesiarum singulis diebus Dominicis, vel saltem semel in mense suos Parochianos ammoneant, & suos filios instruant ad fidem addiscendam, videlicet: *Ave Maria*, *Pater noster*, *Credo in Deum.*

Nomina non Confitentium.

Item præcipimus omnibus Presbyteris parochialibus Civitatis & Diœcesis Cameracensis, ut nomina Parochianorum, qui eis non confitentur sua peccata, nec Eucharistiam recipiunt, saltem semel in anno, nisi id de consilio proprii Sacerdotis omittant, infra mensem postquam ad eorum notitiam pervenerint, nobis referant aut rescribant.

Res per furtum acquisitæ.

Presbyteri suis parochialibus inhibeant, ne qui rem furtivam, vel furti suspectam emere scienter præsumant; quod si secus fecerint, sciant se ad restitutionem teneri.

Licentia ad viandum.

Item Presbyteri suis parochianis præcipiant, quod illi, qui procul ad nundinas, aut peregre sunt ituri, licentiam a suo Sacerdote accipiant, sumendi Ecclesiastica Sacramenta in via, si necesse fuerit, & Sacerdos non eis denegare præsumat.

Item statuimus, quod Presbyteri, & alii, qui vice nostra & auctoritate audiunt confessiones, confitentes moneant & inducant, quod saltem semel in anno peregre visitent matrem suam Cameracensem Ecclesiam, & si forsan iidem & præcipue mulieres alias peregrinationes (b). Ipsas & maxime mulieribus, quibus parcendum est propter sexum, in peregrinationem ad dictam Cameracensem Ecclesiam unam vel plures, pensatis peregrinationibus pro promissæ laboribus & expensis auctoritate nostra commutent. Sacerdotes frequenter & diligenter instruant subditos suos de Symbolo, & articulo fidei.

De Eucharistia.

Sacerdos in vestibus Sacerdotalibus mundis & benedictis accedat ad Missam celebrandam. Manipulus habeat duos pedes sub brachio de longitudine: stola ad minus ad paramentum albæ se extendat. Alba & casula integræ, & non dissutæ habeantur & observentur. Amictus integer sit, & sæpe mundetur. Cingulum mundum, integrum, longum & benedictum habeatur. Presbyteri sub alba sint induti superpellicio, vel tunica linea, quæ Gallice dicitur: *Sarcos.* Non cantent sine calceamentis vel caligis, cum caligis attingentibus super genua.

Celebrans in mortali peccato scienter.

Noverint Sacerdotes, quod si cum conscientia peccati mortalis ad celebrandam Missam accesserint & celebraverint, ad minus ter peccant mortaliter: *Primo*, quod præsumunt indigne accedere, *Secundo*, quod indigni conficiunt & contingunt Eucharistiam, & tenent sacra vasa: *Tertio*, quia indigne manducant Corpus Christi & Sanguinem bibunt.

Altare ad celebrandum ad minus paretur duabus pallis benedictis, duo corporalia ad necessitatem unius altaris ad minus habeantur, quæ sint mundissima & benedicta, & aptæ plicaturæ.

Pannus, cum quo calix extergitur, cum veneratione custodiatur in calice, vel super altare, sicut Reliquiæ. Cæteri panni, quibus patena & calix involvuntur, mundi custodiantur.

Missale super involutum camisia linea

(b) *suppl:* voverint, *vel quid simile.*

nea & munda altari ſuperponatur, & habeat ſudariolum vel manutergium dependens, quo Presbyteri nares, faciem, & os detergant.

Loca circa altare ab araneorum telis & pulveribus, & cæteris immunditiis ſæpius circum mundentur, cortinæ convenientes, quæ *alæ* dicuntur, a lateribus altaris utriusque appendantur, nec temere ab aliquo retrahantur.

Cortina conveniens ſurſum ſuper altare extendatur, quæ contegat & defendat altare ab incommodis immunditiarum deſcendentium.

Calix & patena, in quibus conficitur corpus Chriſti, ſint argentei vel aurei integri, & calix ſit cum firmo pede, non titubans.

Nullus Sacerdos ſine Clerico celebrare præſumat, qui Clericus deſuper habeat lineam tunicam, vel ſuperpellicium, vel cappam rotundam, & calciatus incedat, Clericus autem vel Sacerdos non faciant aperturas ſub aſcellis in tunica linea, vel ſuperpelliceis, quibus ejiciantur brachia ſine manicis, tunicæ lineæ vel ſuperpellicei in miniſterio altaris. Ampullæ vini & aquæ integræ & mundæ intus & exterius obſerventur, & ſigno notabili diſtinguantur vaſa vini a vaſis aquæ.

Vinum ampullæ de tertio in tertium diem ad minus renovetur: vinum rubicundum, ſi commode poſſit haberi, ad celebrandum miniſtretur.

Piſcina, qua lavat Sacerdos manus poſt conſecrationem, munda teneatur, & cooperiatur.

Exterſorium poſt illam lotionem mundum habeatur, & reverenter alba tela, vel cortina linea vel ſerica tegatur, & cum corporali abluatur ab aliquo Sacerdote, vel perſona religioſa, aqua ablutionis in piſcinam ſacram mittatur. Idem faciat de exterſorio calicis, ipſum quando vetus vel minus honeſtum fuerit, ſuper piſcinam ſacram comburatur, & cinis in piſcinam recondatur.

Idem habeat Sacerdos proprium manutergium, quo manus tergat ante celebrationem; vel ante contactum ſacrorum, ut Euchariſtiæ, Chriſmatis, & Olei ſacri.

Clericus autem non tergat manus ſuas ad prædictum manutergium, vel exterſorium, ſed habeat aliud manutergium.

Sacerdos ſit diligens in electione Hoſtiæ conſecrandæ, ut ſit integra, ſolida, non nimis vetuſta, & in appoſitione vini & aquæ, diſcernat odore, quid ſit utrumque, vel ab alio faciat guſtu diſcerni.

De aqua apponantur duæ guttæ vel tres. Sacerdos autem attente & diſtincte legat in Canone, quæ dicenda ſunt.

Sacerdos non elevet Hoſtiam ad levandum populo niſi prius dixerit hæc verba: *Hoc eſt enim Corpus meum*, & tunc pulſetur campana magna ex una parte tribus vicibus, ut fideles, qui audierint, ubicumque fuerint, adorent.

Si Sacerdos, cum venerit ad conſecrationem vel ad perceptionem nihil in calice invenerit, innuat, quod offeratur ei vinum cum aqua, quibus appoſitis, dicat verba canonis ab illo loco: *Simili modo poſtquam cœnatum eſt &c.* uſque ad finem & faciat ſignacula, quæ ex tunc fieri ſolent ſuper ſanguinem. Illæ autem, quæ facta ſunt ſuper Euchariſtiam, non reiteret; Quod ſi aquam non invenerit, & guſtaverit, non reiteret Sacramentum Sanguinis, ſed tranſeat cum conſueto modo. Ille autem, per cujus negligentiam hoc evenerit, jejunet tribus diebus a ſe diſtantibus in pane & aqua; Siquid de ſanguine ceciderit ſuper corporale vel ſuper pallam Altaris, pars corporalis vel pallæ intincta ſanguine ter diligenter abluatur, & aqua ablutionis a Presbytero jejuno, vel perſona religioſa & jejuna ſumatur, & poterit dictis pannis uti, ſicut prius, poſt ablutionem prædictam.

Si ſanguis ſuper alium pannum ceciderit, pars intincta abſcindatur & comburatur, & cinis in ſacra piſcina recondatur. Si ſuper lignum & lapidem vel terram ſolidam ceciderit, illa pars ſi commode fieri poſſit, a Sacerdote ablinguatur, & poſtmodum radatur, & raſura combuſta in ſacram piſcinam ponatur.

Item ſi in ſanguine muſca vel aranea vel aliquod abominabile ceciderit, quod

quod vix ſine periculo vel vomitu non poterit ſumi, caute abſtrahatur, & ſuper patenam vel alium calicem abluatur vino & poſt ſanguinis ſumtionem ſolitam, illa lotio beſtiæ in piſcina reponatur, & beſtia ſuper piſcinam comburatur.

Si Corpus Domini ſuper pallam ceciderit, bis lavetur vino vel aqua, & a Presbytero ſumatur. Si ſuper aliud veſtimentum ceciderit, pars illa abſcindatur & comburatur, & cinis in piſcinam projiciatur.

Calix ad communicandum infirmos mundus & integer habeatur, & coopertus cuſtodiatur, & ſi facultas ſuppetat, fiat argenteus.

Pixis, in qua Corpus Chriſti reſervatur, vel ad infirmos defertur, ſit eburnea vel argentea, vel ad minus cuppa bene elimata, & ſemper pannus lineus albus vel ſericus & mundus infra pixidem ponatur, ſuper quem Corpus Chriſti in pixide collocetur.

Cum infirmus communicari voluerit, prius viſitet eum Presbyter ſine Corpore Domini, ſi commode fieri poſſit, & diligenter audiat confeſſionem ejus & poſt ad Eccleſiam redeat, & cum iturus erit ad communicandum infirmum, prius aliquanto ſpatio pulſetur campana aliquo certo ſigno ad hoc diſtincto, ut fideles ad Eccleſiam conveniant, qui Sacerdotem deferentem Dominum ſuum, & omnes reverenter & ordinate ſubſequantur, & orationes ſuas, quas ſciunt, dicant devote pro infirmo eundo & redeundo: Sacerdos autem eat & redeat dicendo ſeptem Pſalmos, & ſi via fuerit longior, addat quindecim Pſalmos, Litaniam & ceteras orationes.

Incedat autem Sacerdos ad communicandum, cum lucerna & campanula præcedentibus. Exſpectent autem fideles, donec infirmus communicetur & redeant uſque ad Eccleſiam poſt Sacerdotem ſemper deferentem Corpus Domini, ne populus in redeundo nihil adoret. Si qui autem maligni hanc proceſſionem perturbaverint; per cenſuſuram Eccleſiaſticam compellantur. Deferatur autem Corpus Chriſti venerabiliter & ſolemniter, poſito decenti cooperculo ſuper Calicem, cruce ſuperpoſita, panno & fimbriis ſericis adornatis. Si infirmus frequenter vomitum levi occaſione patiatur, non conferatur ei Corpus Chriſti, ſed credat, quia ſpiritualiter accepit; Ante autem, quam Sacerdos communicet infirmum, dicat ei; ſi credit, quod ſub illa ſpecie Panis ſit Corpus Chriſti, natum de Virgine, paſſum in Cruce, & reſuſcitatum tertia die? quod ſi confeſſus fuerit verbo, vel ſigno, communicet eum, ſi altera non obſtiterit cauſa; ſi autem communicatus evomuerit, partes caute & diligenter colligantur, quæ reperiri poſſunt, & cum vino a Sacerdote vel ab aliquo fideli ſumantur, reſiduum vomitûs comburatur, & ponatur in terram juxta Altare, vel alibi in ſacro loco, ubi commode poterit poni. Cum autem Corpus Chriſti defertur, fideles, coram quibus defertur, ſi commode fieri poſſit, genua flectant, pectus tundant, & inclinato capite, junctis manibus adorent, equitantes autem non dedignentur deſcendere equum, ut adorent eum, qui pro ipſis deſcendit de cœlis.

Præcipimus, ut nullus Sacerdos audeat celebrare Miſſam, niſi prius dixerit Matutinas Canonicas & primam.

Item præcipimus omnibus & ſingulis Presbyteris, quod Euchariſtiam ſeu Hoſtias conſecratas pro infirmis ſervatas, renovent in hyeme, & æſtate ſecundum quod honeſtum fuerit, aliter ipſos de inhoneſtate abominabili graviter puniemus.

Corpus Chriſti ſuper Altare in honeſto loco vel armariolo ſub clave ſollicite cuſtodiatur. Similiter Chriſma, Oleum ſacrum, & Oleum infirmorum ſed in alio loco.

Item doceant Sacerdotes ſubditos ſuos, ut cum venerint ad communicandum die Paſchæ, vel alia die, jejuni, devoti, & confeſſi accedant, & nulli extranei ſe immiſceant, niſi viator & peregrinus, & hoc de licentia ſui Sacerdotis.

Hoſtiæ non conſecratæ, quæ dicuntur panis benedictus, nulli dentur.

Pueri

Pueri autem non communicentur, nisi antequam discretionem fidei habere dignoscantur, ut intra circiter decennium.

Item præcipimus, ut die Paschæ, & cæteris diebus, quibus fideles communicantur, tot hostiæ consecrentur, ut non oporteat frangi, quando fideles communicantur.

Inhibemus, ne aliquis Sacerdos bis in die Missam celebrare præsumat, nisi in magna necessitate & urgenti, videlicet in diebus Paschæ, Pentecostes, & omnium Sanctorum, quibus solet copiosa multitudo populi communicari. Item propter carentiam alterius Presbyteri, succurrendo, absenti impedito, vel infirmo. Item, si magna persona superveniat, videlicet Archi-Diaconus, & Dominus loci, vel alia consimilis persona. Item propter præsens funus: item propter instantes nuptias: item, ut conficiatur corpus Christi propter infirmos, si instat viaticum sibi præbere: item propter duas Missas, si concurrunt in die: item propter duas Ecclesias commendatas vel annexas, duplicem casum tum volumus in hoc concurrere, videlicet carentiam Sacerdotis, & quod priori Missa perfusionem & absolutionem manuum non sumpserit Sacerdos, sed infundat in sacram piscinam. Illos autem, qui bis in die, nisi in casibus supradictis sine nostra licentia speciali celebrare præsumpserint, anathematis vinculo innodamus.

Item excommunicamus curam animarum habentes, qui sine nostra licentia speciali deservire præsumunt in duabus Ecclesiis seu Capellaniis, nisi una Ecclesia dependente ab altera. Capellani enim non habentes sufficientes redditus, & Presbyteri mercenarii valeant in duabus Ecclesiis non parochialibus deservire, dum tamen non celebrent bis in die, nisi in casibus supradictis, & quod loca sua sibi debito servitio non fraudentur.

Præcipimus autem Decanis, quod si commode possint habere Presbyteros non beneficiatos, quod eos ponant in succursibus deserviendis: & si Presbyteri in Ecclesiis per Archi-Diaconum instituti, voluerint personaliter in suis Ecclesiis deservire, volumus, quod omnibus præponantur, pretium solitum, & debitum recepturi.

Item inhibemus, quod Presbyteri & Capellani non celebrent in Capellaniis nondum confirmatis, nisi qui canonice fuerint ibi instituti, & in possessionem corporalem per loci Archi-Diaconum missi; contra-facientes autem in excommunicationis sententiam incidant, ipso facto.

Item statuimus, quod nullus apostata scienter ad celebrandum Divina Officia in aliqua Ecclesia admittatur.

Nullus fidelis arcendus a communicatione, nisi excommunicatus vel interdictus, aut aliquo notorio crimine notatus, videlicet publicæ meretrices, mimi, histriones.

Item omnes, qui faciunt sortilegia de corpore Christi, vel de Chrismate, seu de quocumque alio Sacramento, excommunicamus, & a Presbyteris præcipimus excommunicatos nunciari.

Item inhibemus, ne Presbyter, si sit notorius fornicator, videlicet ipsa rei evidentia concubinam domo, mensa, & lecto tenens, vicinis hæc scientibus, seu filiis inde natis vagientibus, hæc attestantibus, Missam celebrare audeat, cum sit suspensus quoad se, & quoad alios, celebrando irregularis efficiatur.

De Matrimonio.

Matrimonium cum honore & reverentia celebretur in facie Ecclesiæ, non cum risu vel jocose, ne contemnatur.

Inhibeant Presbyteri parochiales subditis suis, ne sponsalia contrahant, aut dent fidem de matrimonio inter eos pariter contrahendo, nisi coram Presbytero saltem alterius contrahere volentium, vel illius, in cujus ipsi contrahere volentes, vel eorum alter Parochia commoratur, & hoc fiat in loco publico, Ecclesia videlicet, cimiterio vel capella, & coram pluribus aliis fide dignis. Et si aliter contraxerint sponsalia, nisi infra octo dies ea iterent coram altero de Presbyteris antedictis, non procedat Presbyter ulterius ad bannorum proclamationes, nec matrimonii solemnisationem sine Nostra, & Officialis nostri licentia speciali, & qui hoc scienter facere

cere præſumpſerit, ipſo facto ſe noverit ſuſpenſum.

Inſuper excommunicamus, & denunciari in generali excommunicatos præcipimus omnes illos & illas, qui poſt affidationem, ſive clandeſtinam, ſive in manu Presbyteri factam, ante ſolemniſationem matrimonii ſe carnaliter cognoverint, & illos, qui clandeſtine nuptias fieri procuraverint, ſeu ipſis præſumpſerint intereſſe.

Item excommunicamus omnes, qui clandeſtinas nuptias contrahunt, & Presbyteros, qui hujuſmodi clandeſtinas nuptias celebrant. Clandeſtinas autem nuptias vocamus, quibus non præceſſerunt tres banni, in Eccleſia propria infra menſem ſolemniter tribus diebus ſolemnibus a ſe diſtantibus more ſolito proclamati, vel de quibus per Nos, vel per Officialem noſtrum non extitit diſpenſatum.

Item excommunicamus omnes, qui contra matrimonium falſa impedimenta propoſuerunt, vel verba celaverunt ſcienter, amore, præcepto, odio, vel favore, vel aliqua alia quacumque cauſa, & præcipimus eos excommunicatos propter hoc frequenter a Presbyteris nunciari, quod ſi nemo bannorum proclamationi ſe oppoſuerit, & loci Presbyteri veriſimilem, aut veram contra matrimonium habeant conjecturam; Nobis, aut Officiali noſtro Cameracenſi inconſultis ſuper hoc, ad ſolemniſationem matrimonii non procedant, & ſi contra hoc fecerint, excommunicationis ſententiam ſe noverint incurriſſe.

Impedimenta autem matrimonii ſunt frigiditas, ſeu impoſſibilitas coeundi naturalis per defectum caloris: accidentalis per maleficium, habitus religionis cum profeſſione, ordo Subdiaconatus & ſupra; cognatio conſanguinitatis, affinitas, compaternitas, votum ſolemne factum in manu Epiſcopi, vel alterius, ex parte alterius ad hoc deſtinati; conditio ſervilis, diſpar cultus Paganismi, vel Judaismi, vis, coactio, violentia, error perſonæ, honeſtas, publicæ honeſtatis juſtitia, puta, ſi unus fratrum deſponſaverit aliquam puellam ſeptennem & ſupra, eo mortuo, frater ejus vel conſanguineus in quarto gradu non poteſt eam habere in uxorem.

Presbyteri autem pro Sacramento matrimonii, vel aliorum Sacramentorum Eccleſiaſticorum nihil exigant vel recipiant, niſi forſan vel gratis offeratur, vel ex liberali, & non-oneroſa conſuetudine debeatur.

Item ſtatuimus, quod matrimonium non celebretur, nec ſolemniſetur, niſi de mandato Noſtro ſpeciali, vel Officialis noſtri, in diebus, qui ſunt inter primum Sabbatum Adventus Domini & craſtinum Epiphaniæ, & inter ſabbatum Septuageſimæ, & craſtinum octavarum Paſchæ; & inter ſabbatum immediate præcedens Dominicam in Rogationibus, & craſtinum Trinitatis. In ſabbato autem, & in antedictis craſtinis matrimonium licite celebratur.

Item præcipimus, quod nullus Presbyter aliquam mulierem in die, qua inter ipſam & virum matrimonium fuerit ſolemniſatum, ad purificationem ſeu meſſiationem admittere præſumat, niſi de Noſtra, aut Officialis noſtri licentia ſpeciali.

Item præcipimus omnibus Presbyteris Civitatis & Diœceſis Cameracenſis, ut ipſi in Parochiis ſuis diligenter requirant, ſi ſint aliqui conjuncti matrimonialiter in caſu illicito, & contra Canonicas Sanctiones: & ſi quos tales invenerint, Nobis eorum nomina infra menſem, poſtquam ad eorum notitiam pervenerint, referant & reſcribant.

Item inhibemus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis Decanis noſtris Chriſtianitatis, ne de cauſis matrimonialibus, & aliis quibusvis ſe aliquatenus intromittant, niſi de ſpeciali commiſſione Noſtra, vel Officialis noſtri Cameracenſis; præcipientes omnibus Presbyteris ſubditis noſtris, ne Decanis, niſi prius facta fide de ſpeciali commiſſione hujuſmodi pareant vel intendant, ſalvis informationibus ex eorum officio faciendis, non in figura judicii inter partem & partem, ſed ad litem ceſſandi, vel perſonas Eccleſiaſticas, vel eorum bona repetendi, aut inſtructa negotia Nobis, aut Officiali noſtro referendi, ſuper quibus nil penitus immutamus. Decani contraria facientes ipſo facto ſe noverint ſuſpenſos, & nos nihilominus proceſſus factos coram eis, & ſententias hujuſmodi ab eis ſuper inhi-

inhibitione latas, decernimus irritas & inanes.

Item, ne matrimonia clandeſtina debito effectu defraudentur propter teſtes excommunicatos, tam auctoritate Concilii Provinciæ Remenſis, quam Synodalis, pro eo, quod illis matrimoniis clandeſtinis interfuerunt, ſtatuimus, & ſtatuendo declaramus, quod depoſitiones talium teſtium valeant, & robur obtineant firmitatis, dummodo a Nobis vel Officiali noſtro Cameracenſi, vel ejus locum tenente, ante depoſitionem eorum ad cautelam fuerint abſoluti.

De ſacris Ordinationibus.

Præcipimus omnibus Clericis habentibus Eccleſias parochiales, Capellanias, Præpoſituras, vel alias animarum curas, ut ad ſingula ſacrorum Ordinum tempora ſe offerant ante dies Ordinum, ſic apto tempore examinandi, ut nos poſſimus inquirere de idoneitate & ſufficientia eorumdem, & infra tempus debitum, ſecundum quod onus beneficii requirit, ſe faciant ad omnes Ordines promoveri, & perſonaliter reſideant in eodem, & ad hæc juramentis propriis ſe adſtringant.

Item præcipimus Sacerdotibus parochialibus, quod infra menſem a tempore ſuæ primæ reſidentiæ curam animarum Eccleſiarum ab Epiſcopo recipere non poſtponant, & infra menſem alium ſuper hoc Decanis ſuis faciant certam fidem, alioquin pro anno illo foranei reputentur.

Item excommunicamus omnes, qui illicentiati ab alienis Epiſcopis, ſeu a Nobis, ſe fecerint ad tonſuram Clericalem & alios Ordines promoveri.

Item & illos, qui per ſaltum in ſacris Ordinibus fuerint promoti, inhibentibus Decanis noſtris, ne tales ponant in ſuccurſibus deſerviendis, nec ab Archi-Diaconis in poſſeſſionem corporalem admittantur, licet a patronis præſentati, niſi cum eis ſuper hoc a Nobis fuerit diſpenſatum.

Item inhibemus, ne parochialis Eccleſia conferatur alicui, qui viceſimum quintum annum non attigerit, quoniam talis collatio nulla eſt ipſo jure.

Reſignationes curarum fiant in manus Epiſcopi, & alias non valeant.

Item præcipimus, quod Presbyteri parochiales & Capellani perpetui in Eccleſiis & Capellaniis ſuis continue perſonaliter reſideant, ſpatio duorum menſium, tam pro diebus continuis, quam interpolatis numerando, pro abſentia a dictis Eccleſiis & Capellaniis, eis dumtaxat indulto, alioquin foranei cenſeantur, & ſuarum Eccleſiarum & Capellaniarum fructus Nobis & locorum Archi-Diaconis applicentur.

De Extrema Unctione.

Cum reverentia, Aqua benedicta, & Cruce præcedentibus, per Sacerdotem deferatur Oleum ſacrum ad infirmos, & diligenter dicantur ſeptem Pſalmi, Litania & orationes ad hoc inſtitutæ, ille autem, qui inungit, inungendo reverenter & diſtincte proferat hæc verba ad oculos: *Per iſtam Unctionem, & ſuam ſanctam & piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per Viſum*, ad aures: *per Auditum*, ad nares: *per Odoratum*, ad os: *per Guſtum*, ad manus: *per Tactum:* ad pedes: *per greſſum*, ſemper repetendo: *Per iſtam Unctionem*, ut ſupra.

Manus Sacerdotis de foris inungantur, manus autem aliorum deintus.

Ad Sacramentum extremæ Unctionis ſæpe Presbyteri moneant ſubditos ſuos indifferenter a XIV. annis & ſupra, ut ſinguli, cum neceſſe fuerit, inungantur, nec pauperes pro egeſtate ſe excuſent. Si non poteſt infirmus habere multitudinem candelarum, vel indumenta linea, quæ cum reverentia in hoc Sacramento exhiberi ſolent; nec propter hoc dimittat Sacerdos inungere, ſed ſufficiat candela una.

Inuncti vero cum ſtupa diligenter in locis inunctis extergantur, & ſtupæ comburantur. Et cinis in ſacro loco ponatur: docentes Sacerdotes, quod hoc Sacramentum licite iterari poteſt in qualibet gravi & periculoſa infirmitate. Illud Sacramentum utile eſt ad tria, quæ notantur his verſibus.

Ungor in extremis, ut fiat gratia major,
Et morbus levior, & mea pæna minor.

Suscepturi quodcumque Sacramentum, prius conscientia mundentur: honor & reverentia a Presbyteris, Clericis, & laicis Sacramentis supradictis omnibus impendantur.

De Clericis.

Clerici tonsuram rotundam, & competentem habeant, & eam saltem septies in anno radi faciant, vestibusque honestis utantur in forma, & colore, & pretio honestatem decentibus Clericalem. Vestibus regulatis & partitis sub pœna sententiæ latæ non utantur, nisi super hoc a nobis fuerint dispensati. Deauratis frenis, pectoralibus, & calcaribus non utantur.

Clerici autem in sacris Ordinibus constituti, præcipue Diaconi & Presbyteri clausum ferant indumentum & honestum, & si secus fecerint, ipsos in decem solidos Turonenses, totiens quotiens contravenerint, teneri volumus, nostram jurisdictionem exercenti, & locorum Archidiaconis applicandos.

Statuimus similiter, quod Presbyteri curati civitatis & Diœcesis Cameracensis pileos publice in capitibus suis deferant, ut ab aliis Sacerdotibus dinoscantur.

Clerici in sacris promoti Epistolam, & Evangelium in veste Ecclesiastica cantent, sive legant, nec se immisceant officiis artificiosis, seu ministeriis sæcularibus, nec turpibus, illicitis & prohibitis quæstibus & negotiis similibus; videlicet, ne sint campsores, tabernarii, carnifices, nec proxenetæ, qui vulgariter dicuntur *Curtiers* vel *Ampliers* in curia laicali vel hujusmodi, quæ sine peccato aut scandalo modernis temporibus non exercentur: à quibus negotiationibus vel quæstibus, nisi post tertiam monitionem, quam eis a locorum Presbytero fieri præcipimus, omnino destiterint, eos in talibus, vel etiam in veste vel habitu non clericali, Ecclesia non defendet.

Districte præcipiendo inhibemus, ne aliqui Presbyteri tam curati, quam alii, in domibus suis fœminas habeant, exceptis dumtaxat matre, amita, sorore, cum quibus, seu pro quibus nullas secum habeant pedissequas, de quibus sinistra possit suspicio suboriri: nec invitent Parochianos suos cum uxoribus coram secum ad prandium, vel cœnam, nec ad eorum declinent hospitia Presbyteri, ubi possit aliqua super hoc infamia aut scandalum suboriri.

Non divertant etiam ad tabernas, nec inter scurnarias (a) sedeant, nec domunculas frequentent, quæ scunæ (a) vocantur, nec intersint ludibriorum spectaculis, joculatoribus, & choreis, nec talia in Ecclesiis & cimiteriis fieri aut exerceri permittant., Ecclesiasque frequentent, & præcipue diebus Dominicis & Festivis eas frequentare & in eis prout eis est datum desuper, cantare & legere non postponant.

Presbyteri & Capellani in domibus locorum beneficiorum suorum moram trahant, & eas retineant competenter; alioquin Decani de bonis beneficiorum, sive vacent, sive non, eas competenter faciant retineri, & semel in defectus hujusmodi investigent.

Item Presbyteri decimas a laicis non nisi de nostra licentia, recipiant, nec grangias seu terras alienas, aut bona ad censam seu firmam recipiant, cum id species negotiationis existat.

Item statuimus, quod ubicunque a præsidentibus justitiæ sæcularis certa pœna pecuniaria statuitur contra laicos excedentes, Clerici pro similibus excessibus eadem pœna, & ultra in duobus solidis teneantur: & alias, secundum conditionem delinquentis, & personæ, cui injuria deferetur, ad qualitatem & quantitatem delicti punientur, prout Officialis Cameracensis, aut Decanus loci, in quo delinquentes moram trahunt, de hoc duxerit decernendum.

Item Decanis prædictis nostram committimus potestatem, ut ubi inter laicos super inimicitiis treugæ datæ fuerint, compellant per censuram Ecclesiasticam, & invocando, si necesse fuerit, auxilium brachii sæcularis, Clericos de parentela, & quorum interest; ad consentiendum dictis treugis, dandum & tenendum easdem.

Item excommunicamus omnes Presbyteros & Clericos in sacris Ordinibus constitutos, qui (b) bragentias intrabunt sæcularium Dominorum: & eos, qui jam intra-

(a) Scurnariæ, *forte* Stabulanæ vel ancillæ publicarum tabernarum. *Scuna*, forte pro domo scenica histrionum.

(b) Bragentia, *forte pro* Braxatoria domo publica.

intraverunt easdem, nisi infra mensem exeant ab iisdem, qui etsi per mensem in se sustinuerint excommunicationis sententiam antedictam, ex tunc pro illo anno beneficiorum suorum Ecclesiasticorum fructibus sint privati.

Item præcipimus, quod in Monasteriis & Prioratibus Monachorum debitus personarum numerus observetur: & si hoc omissum fuerit, præsidentes, ad quos pertinet, pœna Canonica puniemus.

Item statuimus, quod nulla persona religiosa sola extra Monasterium in curtibus commoretur.

Item statuimus, ut omnes Presbyteri nobis subjecti; propter culpam suam excommunicati, durante excommunicatione ipsa, suorum beneficiorum Ecclesiasticorum fructus amittant, & nobis, & locorum Archidiaconis applicentur.

Item; quia intelleximus, quod plures Sacerdotes furtive Ecclesias Parochiales in Diœcesi Cameracensi sunt ingressi, absque eo, quod a nobis, vel vices nostras gerente, seu Prædecessoribus nostris curam receperint eorundem:

Item aliqui per Archidiaconum loci, vel auctoritate sua non sunt missi in possessionem Ecclesiarum corporalem, quas obtinent; præcipimus, quod omnes Decani Christianitatis nostræ Diœcesis super his diligenter inquirant, & quos tales invenerint, nobis eorum nomina infra mensem, postquam ad eorum notitiam pervenerint, referant & perscribant.

Item, præcipimus, quod Presbyteri Parochiales, vel eorum vices exercentes, diebus Dominicis & Festivis solemnitatibus, præcedente campanarum pulsatione, Divinum Officium cantent solemniter die ac nocte. Item, & quod singulis diebus Dominicis, pro solemnitate diei, intra Ecclesiam, & qualibet feria secunda pro animabus in Cimiterio, ante Missam cum Clero & populo eis subditis, prout consuetum est, processionaliter incedant, dicendo diebus Dominicis unum responsorium de Trinitate, & si sit Festum, de Sancto, cujus festum evenerit. Feria autem secunda *Miserere mei Deus*, *De Profundis*, cum omnibus aliis consuetudinibus. Si vero feria secunda tempus nocivum, vel aliud hujusmodi, (aut) cimiterium interdictum fuerit, fiat processio intra Ecclesiam, & si Festum solemne eadem feria evenerit, fiat processio die immediate sequenti.

Item Capellani perpetui in Parochiis, in quibus Capellaniæ suæ consistunt, residentiam corporalem faciant, & cum curatis locorum in Ecclesiis Parochialibus Vesperis & Matutinis, Missis diebus Dominicis & Festivis intersint, secundum conscientiam a Deo sibi collatam, cantando & legendo.

Nomina autem rebellium Presbyteri seu Decani Nobis, vel Officiali nostro nuncient vel rescribant.

Item prohibemus, ne laici una cum Clericis in choro, seu in cancello interesse præsumant, dum ibidem Divina celebrantur, nisi nobiles existant, & tales, qui ibidem consueverunt Presbyteros in Divinis adjuvare.

De Reverentia, Jurisdictione, & Libertate Ecclesiarum, Cimiteriorum & Personarum Ecclesiasticarum.

Inhibemus, ne in Cimiteriis & Ecclesiis placita sæcularia teneantur, non exerceantur ludi jaculatorum & histrionum, forum rerum venalium, bannaque, seu edicta justitiæ sæcularis proclamentur.

Interdicti & excommunicati in Ecclesiis, dum prædicatur, interesse ibidem possunt; sed prædicatione finita, in continenti recedant.

Item, præcipimus Presbyteris Parochialibus, & Capellanis, quatenus Divinis Officiis in eorum Ecclesiis & Capellis celebratis, tam ante prandium, quam post, Ecclesias & Capellas suas claudant, & clausas ac mundas teneant, nisi causa honesta & inevitabilis ratio poposcerit aperiri.

Item statuimus, quod in Parochiis, in quibus oves vel arietes nutriri contingat, curatis eorundem & patronis decimæ lanarum & vellerum pro rata temporis solvantur, non obstantibus consue-

consuetudinibus, & statuto contrariis quibuscumque: fraudem vel dolum in eis perpetrantes, excommunicamus, a qua excommunicatione, nisi per Nos, aut Officialem nostrum dumtaxat, non possunt absolvi.

Item statuimus, ut quicumque possessiones Clericorum invadunt injuste, & bona mobilia ipsorum rapiunt, nisi infra quinque dies post præsumptionem hujusmodi, ea efficaciter restituerint cum integra satisfactione parati, & nobis condigna emenda, ex tunc ipsos, ipso facto excommunicamus.

Item statuimus, ut nullus laicus, excepto Domino & Patrono loci, nisi reliquerit Ecclesiæ duos solidos annui reditus, in Ecclesia sepeliatur.

Item statuimus, quod ubicumque obsidentur Ecclesiæ vel cimiteria adversus eos, qui ibidem refugii causa fugiunt, ita quod non possit accessus haberi pro deferente vitæ necessaria ad eosdem, moneantur per locorum Presbyteros obsessores, ut recedant, & ab obsessione desistant, & eos libere ire permittant; alioquin cessetur a Divinis, & obsessores ipso facto ex tunc excommunicamus, & propter præsentiam hujusmodi ad Ecclesiam confugientium, etiam majori excommunicatione innodati fuerint, Presbyteri ibidem celebrare non omittant.

Item, statuimus, ut quicumque maleficium perpetrat in cimiterio, vel in Ecclesia, per quod atrociter sanguis effundatur in ipsis Ecclesia vel cimiterio; ad X. libras Parisienses nobis pro pacta reconciliationis teneatur: & si dictas X. libras non possit solvere, id quod non poterit, Parochiani loci teneantur solvere.

Item intelleximus, quod quidam Prælati, Presbyteri, & Beneficiati calices, libros, & alia ornamenta seu utensilia Ecclesiarum beneficiorum suorum pro debitis suis, (a) debitoribus suis obligare præsumunt de facto, licet de jure talis obligatio non valeat, propter quod Divinorum celebratio impeditur, in animarum suarum periculum, Ecclesiarum, & Beneficiorum suorum præjudicium & gravamen, & in scandalum plurimorum; quare Decanis nostris mandamus, quatenus inhibeant ipsis sub pœna suspensionis, ne quis eorum calices, libros, & ornamenta seu utensilia Ecclesiarum ex causa prædicta de facto accipere præsumat.

Denuntiamus insuper obligationes tales, siquidem de calicibus sacris & ornamentis, seu utensilibus prædictis de facto fieri contigerit, non valere; & nihilominus talia facientes, seu attentantes esse graviter puniendos.

Cum per justitiam laicalem excessus puniri non debeant Clericorum, nec ab eis levari emenda de eisdem, cum ad solos Judices Ecclesiasticos, non sæculares, pertinere noscantur; Nos juxta tenorem Provincialis Concilii, & tam temporali, quam nostra auctoritate monemus omnes & singulos nostræ Diœcesis, & civitatis Cameracensis justitiam sæcularem exercentes, ne pro prædictis, seu occasione eorundem, levent aliquid de bonis hujusmodi, nec exquirant, vel exigant quoquomodo; & si secus fecerint, ipsos excommunicationis sententia auctoritate nostra innodamus.

Cum nonnulli tam Clerici, quam laici nostræ Diœcesis & Civitatis Cameracensis conspirationem, societatem, caritatem, confraternitatem, & communitatem fecerint, ut intelleximus, aut facere nitantur, quod si aliquis de sua societate, confraternitate, caritate, vel communitate, seu de suis subditis, aut de suo territorio conveniatur in foro Ecclesiastico, aut contra eum procedatur, etiam in casu, in quo poterit de jure vel de consuetudine ibidem conveniri, quod non ad sumptus communes eorum defendantur: propter quod interdicta Ecclesiastica non est dubium impediri; Nos juxta tenorem dicti Provincialis Concilii, ac ipsius & nostra auctoritate, ut prius, monemus omnes & singulos, tam Clericos, quam laicos, Civitatis & Diœcesis prædictarum, quod si talia fecerint, ea revocent infra mensem, & de cætero de talibus abstineant, nec talia committant, & talibus non utantur, alioquin ipsos excommunicamus ex tunc ipso facto.

Item præcipimus, quod Presbyteri omnia bona & reditus tam ad se, quam ad suas Ecclesias pertinentia, in Missalibus distincte conscribant, alienata renovent, nec de dictis bonis quidquam ven-

(a) *lego*: creditoribus.

vendere aut alienare ſine noſtra licentia præſumant, quoniam talis venditio & alienatio non valerent.

Item præcipimus, quod bona immobilia de bonis Eccleſiarum acquiſita, eis Eccleſiis remaneant, nec ea quiſquam filiis naturalibus, nepotibus, & conſanguineis dare aut aſſignare præſumat, ſeu quicquam de bonis Eccleſiaſticis acquirere, quod ſub aliquo colore vel mercimonio tranſeat ad velle, & quod ſecus factum fuerit, decernimus irritum & inane.

Item ſtatuimus, quod cimiteria, in quibus excommunicatorum corpora ſepeliri contigerit per præſumptionem propinquorum eorundem, vel alias contra Eccleſiaſticum interdictum, reconcilientur per appoſitionem aquæ ab Epiſcopo benedictæ, ſicut in deliberationibus & reconciliationibus Eccleſiarum & cimiteriorum fieri conſuevit;

Item, ſi qui in cimiterio ſcienter ædificaverint, a Presbyteris excommunicentur.

Curati Parochiales ſuos Parochianos hortentur præcipue in principio ſuarum infirmitatum, ut confiteantur ſuo curato, & viaticum de conſilio ejus recipiant, ac ſua teſtamenta conficiant, debita, ac forefacta faciendo ſolvi, & quædam piis locis erogari.

Item ſtatuimus, ut nullus executor intromittat ſe de bonis executionis ultimæ voluntatis cujusvis defuncti, ſeu ſe immiſceat eisdem, niſi prius facta littera in præſentia plurimorum de inventariis bonorum defuncti, quæ videlicet, qualia, & quanta ſint; contra facientes ad pœnam condignam nobis ſolvendam teneri volumus.

Item ſtatuimus, quod executores teſtamentorum ſuper legatis & aliis ex parte defuncti in cauſam tracti, ſi in dolo, vel in culpa lapſi inveniantur manifeſte; de ſuo, non de bonis executionis, adverſario litis expenſas refundere teneantur.

Concedimus Presbyteris, Parochianis, & Capellanis perpetuis, qui in ſolo Eccleſiæ, vel Capellaniæ ſuæ, de bonis undecumque acquiſitis, nova ædificia conſtruxerint, quod pro modo valoris medietatis ædificiorum prædictorum poſſint ſuas ultimas voluntates ordinare, & quod ipſa ædificia uſque ad valorem prædictum valeant obligare, æſtimatione valoris hujusmodi tempore mortis eorumdem ſuper hoc faciendi.

Item, cum plures plura bona ad diverſas pecuniarum ſummas ex teſtamento fidelium datas, conceſſas & legatas ad opus Capellaniarum ſeu Beneficiorum Eccleſiaſticorum inſtruendorum, & emolumenta, quæ proveniunt ex iis, ſibi tenere præſumpſerint, & præſumunt; præcipimus, quod Presbyteri tales, & eorum nomina nobis nominent, & revelent, ſeu Officiali noſtro, qui per cenſuram eos compellat Eccleſiaſticam, ſi neceſſe fuerit, ad reſtitutionem omnium prædictorum, ut in uſus, ad quos deputata & ordinata ſunt, convertantur.

Item, præcipimus, ut Presbyteri teſtamenta ſua non per laicos, ſed ſaltem in præſentia alicujus Presbyteri ordinent ſub teſtimonio competenti, niſi neceſſitas ad hoc arctet aliter eos, & inſuper, ut laici teſtamenta ſine ſui præſentia Sacerdotis, ſi præſentia ipſius commode haberi poſſit, facere non præſumant: quod laicos, & alios ſubditos ſuos Presbyteri admoneant, ut teſtamenta ſua, dum adhuc ſunt compotes & mentium, & corporum, condere non omittant, & ad faciendas eleemoſynas tam fabricæ Cameracenſis, quam Eccleſiis propriis, & pauperibus, eos precibus & monitis inducant.

Item ſtatuimus, ut quilibet pro ſalute animæ ſuæ de rebus ſibi debitis, cauſa ſuæ ultimæ voluntatis, vel alias diſponere valeat libere & quiete. In omnes, qui contra hujuſmodi teſtamentum fecerint, aut venerint directe, aut indirecte, tacite, vel expreſſe, clam, vel palam, vel ne hæc fiant, conſilium & auxilium præbuerint vel favorem, in his ſcriptis excommunicationis ſententia proferetur.

Item ſtatuimus, quod ſinguli Presbyteri in ſuis Parochiis moneant auctoritate Synodali publice, in facie Eccleſiarum ſuarum omnes, qui teſtamentum & diſpoſitiones & ultimas voluntates defuncti receperint exequendum, ut infra annum, ſi commode poſſit fieri, dictas executiones perficiant, & compleant de

de consilio proprii Sacerdotis; alioquin eos excommunicationis sententia innodamus.

De Exequiis Mortuorum.

Statuimus, ut si curati Ecclesiastici decedant intra Festum Nativitatis S. Johannis Baptistæ & Festum Magdalenæ, fructus maturos, separatos à solo suos faciant.

Item: si, terris Ecclesiæ ab ipsis excultis, decedant inter dicta festa, volumus, ut sumptus culturæ earum reddantur mandato eorumdem, residuum vero fructuum Ecclesiæ cedant nobis & Archidiacono loci, salvo semper servitio Ecclesiæ. Si inter Festa B. Mariæ Magdalenæ & Purificationis B. Mariæ Virginis decesserint, omnes fructus pro tempore sequenti cedant, ut supra: ita quod pro rata perceptorum & percipiendorum fructuum ad deserviendum Ecclesiæ usque sequens Festum Nativitatis B. Johannis Baptistæ, quælibet pars partem, seu portionem eam tangentem apponat. Si autem inter Festum Purificationis & festum Nativitatis S. Johannis Baptistæ decesserint, omnes fructus faciant suos, ita quod de illis deserviatur Ecclesiæ per consilium Decani loci. Quod quidem statutum, & alia de materia hujusmodi facientia mentionem, ad Capellanos seu Capellanias volumus extendi.

Item statuimus, quod nullus Presbyter funus alienæ Parochiæ defuncti sepelire præsumat.

Quod si secus fecerit, & ossa defuncti, & omne emolumentum, quod occasione sepulturæ recepisse cognoscetur, restituere proprio curato tenebitur: & nihilominus eum graviter puniemus, nisi defunctus, salvo jure Parochiali, ibidem elegerit sepulturam, aut si fuerit de longinquis partibus peregrinus.

Districte præcipimus, ut Presbyteris & Capellanis defunctis campanæ pulsentur solemniter, & Divinum Officium celebretur: quod in crastino octavarum Paschæ celebretur in omnibus Ecclesiis Parochialibus anniversarium omnium confratrum Ecclesiæ B. Mariæ Cameracensis.

Item, statuimus, quod Sacerdotes audito obitu suorum Parochianorum absolvant eos cum psalmo: *De profundis*, & Collecta, postmodum dicant Vigilias, & alia, quæ defunctis debentur: & hoc, quando ipsi Parochiani excommunicati non decesserint, aut si excommunicatorum copiam non potuerint habere, per suos Curatos in forma Ecclesiæ absoluti, sed signa pœnitentiæ tantum(*b*) apparuerint in eis, pro absolutione impetranda, etiam ab excommunicatione eorundem.

Corpora defunctorum de nocte in domibus custodiantur, sed si in Ecclesiam deferantur, omnibus exclusis, ostia claudantur.

Usurarii, nisi de usuris, & excommunicati, nisi pro quo excommunicati fuerint, satisfecerint nobis, & parti adversæ, saltem per cautionem competentem, ab eis vel eorum hæredibus receptam per Presbyterum loci, si satisfaciendum fuerit: si vero non satisfaciendum fuerit, per receptum de stando mandato Ecclesiæ juramentum, nullatenus absolvantur, nec tradantur Ecclesiasticæ sepulturæ, si decedant; volumus autem, ut infra mensem, cum accepta fuerit, per ipsum curatum nobis hujusmodi cautio remittatur.

Item statuimus, quod Capellani perpetui Sacramentum a curatis locorum suorum in infirmitatibus suis Eucharistiæ accipiant, & si decedant, in Capellis suis sepeliantur, nisi ex devotione, salvo jure Parochiali, alibi eligerint sepeliri.

Item, statuimus, ut nullus sustinens ex culpa excommunicationem per annum & diem, latam in ipsum, auctoritate nostra quacunque per Presbyterum absolvatur, in morte non tradatur Ecclesiasticæ sepulturæ; alioquin contra faciens noverit se suspensum.

Quia nonnulli terras Parochiæ, Ecclesiarum & Capellaniarum, sub melioratione ad censam recipere formidant a Rectoribus & Capellanis eorumdem, pro eo, quod si ipsos Rectores & Capellanos ante terminum censæ decedere & resignare contingat, eorum Successores dictam censam & conventiones super eis factas retractare possunt, si velint, & penitus annullare: Item, quod Censuarius melioratione dictarum terrarum, si quam fecerit, est ea omnino defraudatus, propter

(*b*) *forte*: tamen *pro* tantum.

propter quod plures terræ beneficiorum Ecclesiasticorum quotidie pejorantur; Idcirco statuimus, quod si quis Presbyter & Capellanus terras sui beneficii in parte vel in toto alicui ad censam concesserit, ipseque Censuarius eas per suam industriam, laborem & expensam melioraverit, ac ipsum concedentem ante terminum censæ decedere ac resignare contingat, successor ipsius concedentis vel resignantis conventiones a suo prædecessore cum dicto Censuario super dicta causa habitas, tenere & adimplere, ac ipsam meliorationem ad decretum proborum ab ipsis Successoribus & Censuario eligendorum, eidem Censatori reddere, & restituere ante omnia teneatur, prout idem eligendi seu electi duxerint ordinandum.

De Vigiliis, & aliis Jejuniis totius anni.

Dies immediate præcedentes Festivitates jejunia habentes vocantur Vigiliæ, quia antiquitus mariti cum uxoribus & filiabus suis ad Ecclesiam illis diebus conveniebant, & ibi cum cereis & luminaribus per totam noctem vigilabant, & quia contingebat in his vigiliis corrumpi virgines, & ad multa maleficia exercenda majorem opportunitatem haberi, ideo vigiliæ & jejunia sunt translata, & ista jejunia adhuc vigiliæ nuncupantur, antiquum morem, & non nomen variando.

Sunt autem XI. Vigiliæ singulis annis in Diœcesi Cameracensi, ab universis ætatem habentibus jejunandæ, scilicet Ascensio, Pentecostes, Nativitas B. Johannis Baptistæ, Petri & Pauli Apostolorum, Laurentii Martyris, Assumptio B. Mariæ, Matthæi Apostoli, Simonis & Judæ Apostolorum, omnium Sanctorum, Andreæ Apostoli, Nativitas Domini.

Si vigiliæ Dominicis diebus evenerint, sabbatis præcedentibus jejunantur.

Item tenentur jejunare in die Sancti Marci Evangelistæ, si Dominica non fuerit, si vero Dominica fuerit, feria II. sequenti, nisi aliud obsistat, ut habetur Capitulo sequenti de festis.

Item, tenentur jejunare feria II. feria III. & feria IV. ante Ascensionem Domini.

Item, teneantur jejunare feria IV. temporum, quorum primum est feria IV, feria VI. & Sabbato inter Pentecosten & Trinitatem, & fit in æstate, quæ est fervida, ut simus ferventes in caritate. Secundum jejunium quatuor temporum fit feria IV. feria VI. & Sabbato post exaltationem Crucis, & fit in autumno, in quo tempore est fructuosum, ut in nobis proveniant & abundent bonorum operum fructus. Tertium jejunium quatuor temporum fit feria IV. feria VI. & Sabbato post festum Luciæ & Auberti, & fit in hieme, in quo cadunt folia & moriuntur herbæ, ut in nobis defluant vitia & moriantur. Quartum jejunium quatuor temporum fit feria IV. feria VI. & Sabbato post diem Cinerum, & fit in vere, in quo omnia virent, ut vireant in nobis opera virtutum, sine quibus nihil est perfectum.

Fiant autem hæc jejunia per dies præfatos, quia magis pœnitentiales quam alii dies hebdomadæ ab Ecclesia denotantur. Et tres sunt dies, ut quicquid corde, ore, & opere contra unum in substantia, & trinum in personis deliquimus, per hæc jejunia quatuor temporum his tribus diebus expiemus. Quando A. E. F. G. sunt literæ Dominicales, jejunium Quadragesimæ ante Nativitatem Domini incipit VI. Idus Novembris. Superest hujusmodi Quadragesima & a Religiosis jejunatur. Item omnes ætatem habentes tenentur jejunare ex præcepto Ecclesiæ Quadragesimâ ante Pascha.

De Festis.

Præcipimus majora festa ab omnibus subditis nostris diligenter observari, in quibus non debent, nec possunt Presbyteri licentiare subditos suos pro accommodatione carrucarum, vel equorum, vel animalium ad hæc deputatorum pro se, vel pro aliis quibuscumque; videlicet omni die Dominica, in Circumcisione Domini, in Epiphania Domini, in Purificatione B. Mariæ, in Annunciatione Dominica, in Parasceve autem per totum Divinum Officium, in die Paschæ, feria II. in Pascha, in die Philippi & Jacobi, in inventione Sanctæ Crucis, in Ascensione Domini, in die Pentecostes, feria II. sequenti, in die Sanctæ Trinitatis, in die S. Sacramenti, in Nativitate S. Johannis Baptistæ, in passione Petri & Pauli Apostolorum, in die Magdalenæ, in die Jacobi Apostoli, & Christophori, in die Laurentii, in die Assumptionis B. MARIÆ Virginis, in die Bartholomæi Apostoli, in die Nativitatis B. MARIÆ Virginis, in exaltatione S. Crucis, in die Matthæi Apostoli, in die Michaelis Archan-

changeli, in die Simonis & Judæ, in die omnium Sanctorum, in die Martini Episcopi hyemalis, in die Catharinæ Virginis, in die S. Andreæ Apostoli, in die Nicolai hyemalis, in die Thomæ Apostoli, in die Nativitatis Domini, in die Stephani Protho-Martyris, in die Johannis Evangelistæ, in die Patroni Ecclesiæ, & in die Dedicationis.

Festa autem sequentia vocamus minora, in quibus licet arare & carrucare, videlicet in conversione S. Pauli, in Cathedra S. Petri, in die S. Lucæ Evangelistæ, in die S. Nicasii, in die Sanctorum Innocentium, feria III., & feria IV. in Pascha & Pentecoste.

Statuimus autem, quod si festum Annuntiationis Dominicæ Sabbato in Ramis Palmarum occurrerit, ibidem ferietur, & celebretur, sed ultimæ Vesperæ fient de tempore, & memoria tantum fiet de S. MARIA per Antiphonam, Versum & Collectam. Si vero Dominica in Ramis Palmarum vel deinceps, usque ad diem Paschæ evenerit, ferietur & celebretur feria III. post *Quasi modo*, nisi fuerit annotinum (*a*) Pascha, quod tunc usque ad feriam V. sequentem differetur.

Item festum Marci Evangelistæ, si in die Paschæ vel deinceps usque post octavas Paschæ occurrerit, statuimus, quod ferietur & celebretur feria IV. post *Quasi modo*, & fiat jejunium cum Letania majore, processio ipsa die.

Si autem aliqua alia die evenerit, fiat festum Evangelistæ ipsa die Dominica, & jejunium & processio cum Letania majore fiat feria II. sequenti, quæ non ferietur.

Si festum B. Ambrosii in hebdomada Paschali evenerit, fiat officium Sancti feria III. post *Quasi modo*: si autem Dominica in Ramis Palmarum, vel deinceps usque ad diem Paschæ evenerit, fiat feria VI. ante Ramos Palmarum. Item, si Ascensio Domini, & inventio S. Crucis eodem die occurrant, Officium festi S. Crucis fiat feria VI. sequenti, sed non ferietur. Si festum B. Andreæ Apostoli Dominica prima Adventus Domini evenerit, fiat feria II. sequenti, & non ferietur, & vigilia sive jejunium fiat sabbato præcedenti, & festum B. Eligii feria III. sequenti immediate.

Si festum Purificationis in Dominica Septuagesimæ evenerit, ibidem ferietur & celebretur, & fiat Sabbato præcedenti; & si festum B. Agnetis in Septuagesima evenerit, fiat feria VI. præcedenti. Eodem modo fiat de aliis Sanctis, si necesse fuerit.

Quinque sunt festa mobilia, videlicet Septuagesima, Quadragesima, Pascha, Rogationes & Pentecostes, quæ ideo mobilia dicuntur, quia certum locum non habent in calendario, quorum notitia sic habetur.

Dies Paschæ celebratur semper tertia Dominica primæ lunationis, quæ est post nonas Martii, accipiendo lunationes secundum veterum aureum numerum. Dominica decima præcedente diem Paschæ Septuagesima celebratur, Dominica septma præcedente diem Paschæ prima Dominica Quadragesimæ sive dies Brandonum. (*b*) Dominica sexta sequente diem Paschæ Dominica in rogationibus celebratur, & sequenti feria V. est Ascensio Domini, Dominica VIII. sequenti diem Paschæ celebratur dies Pentecostes, intelligendo diem Paschæ & alios dies Dominicos inclusive.

Adventus Domini semper in Dominica propinquiore festo B. Andreæ Apostoli, sive Dominica præcedat, sive sequatur, & si festum Apostoli sit die Dominica, eadem die incipiant Adventus Domini & debet transferri festum Apostoli sicut supra dictum est.

De minoribus Festis duplicibus.

Præcipimus, ut festa beatorum Apostolorum & Evangelistarum, item Ss. Confessorum Gregorii, Augustini, Ambrosii Episcoporum, & Hieronymi Presbyteri in singulis Ecclesiis Civitatis, & Diœcesis Cameracensis, sub officio duplici annis singulis celebrentur, secundum quod in nova constitutione summi Pontificis super hoc edita plenius continetur.

De

(*a*) Pascha annotinum *aliquibus* est dies sabbati ante octavam Paschatis, anniversarius illius, quo ego baptizatus fui, quasi repetitio annua illius diei, quo vestimenta alba a me baptizato oblata fuere. Aliis dicitur dies anniversaria illius, quo quis baptizatus est, quid in vel post Quadragesimam redire solebat: & cum oblationibus solemnibus & convivio celebrabatur a baptizato & compatrinis. *Radulphus Tungrens.*

(*b*) Ideo sic dicta, quia hujus Dominicæ diei sub Vesperas pueri Brandonibus, id est, facibus accensis februare vel ludere solerent. *Freherus in Lexico.*

De Indulgentiis.

Nos omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui Matrem ſuam Eccleſiam noſtram Cameracenſem devote viſitaverint, quadraginta dies, quotiens hoc fecerint, de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus.

Item ſtatuimus, quod Presbyteri Parochiales diligenter exprimant ſuis ſubditis in facie Eccleſiarum ſuarum, *Conſtitutionem Provincialem*, per quam Benefactoribus pauperum Parochialium ſuorum, tam à Domino Reverendo Remenſi Archiepiſcopo, quam ab omnibus ejus Suffraganeis XI. dies indulgentiarum conceduntur, qui dies faciunt ſummam quadringentorum & octoginta dierum.

Item omnibus, & ſingulis deferentibus funera, & maxime pauperum, de domibus ad Eccleſiam, & de Eccleſia ad foſſam ſive Cimiterium ſeu qui Miſſæ & ſepulturæ eorum intererint, X. dies indulgentiarum auctoritate Synodali concedimus.

Item, omnibus & ſingulis flectentibus genua & dicentibus *Pater noſter*, dum in Miſſa audierint nominare hoc nomen *JESU*, ſeu hoc nomen *MARIA*, ſeu hæc verba, *Verbum Caro factum eſt*, auctoritate prædicta X. dies indulgentiarum auctoritate noſtra concedimus.

Item ſtatuimus, quod concomitantibus de die Presbyterum, Corpus Chriſti deferentem, eundo X. dies, & redeundo alios X. dies indulgentiarum auctoritate noſtra concedimus, concomitantes autem, ſi de nocte, indulgentias volumus habere duplicatas.

Item concomitanti Presbyterum eumdem cum Sacramento extremæ Unctionis infirmorum, ſi de die concomitetur eundo V. dies, redeundo V. dies indulgentiarum concedimus auctoritate prædicta: ſi autem de nocte taliter concomitati fuerint, eis indulgentiam concedimus duplicatam.

Item omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui officio & obſequiis Presbyterorum, & Capellanorum intererint. X. dies indulgentiarum concedimus.

Item, omnibus qui proceſſionibus devote faciendis diebus Dominicis & die Lunæ intereſſe voluerint, & aliis diebus, in quibus proceſſiones fieri conſueverint in Eccleſiis ſuis Parochialibus, pro qualibet proceſſione cujuslibet diei X. dies indulgentiarum concedimus.

Item omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui ob reverentiam Sacerdotii, nobis vel alicui Sacerdoti inſurgent, totiens, quotiens hoc reverenter & devote fecerint, X. dies indulgentiarum concedimus auctoritate Synodali.

Item omnibus Sacerdotibus, qui devote prædicationi in Capitulo Decanorum faciendæ interfuerint, XX. dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus.

Item omnibus ſubditis noſtris vere pœnitentibus & confeſſis, qui primæ Miſſæ novorum Sacerdotum interfuerint, & pro nobis, & pro noſtris, & Eccleſiæ noſtræ negotiis devote oraverint, XX. dies de injunctis ſibi pœntitentiis miſericorditer relaxamus.

De Executoribus Mandatorum Synodalium.

Conſtitutionem Concilii Lugdunenſis præcipimus per Presbyteros ſeu eorum vices gerentes, in facie Eccleſiarum ſuarum ſaltem ſemel in menſe coram populo in lingua materna publicari de verbo ad verbum, quam inferius duximus apponandam, quæ talis eſt:

Quicumque pro eo, quod in Reges & Principes, Barones, & Nobiles, Ballivos & quoslibet Miniſtros eorum, aut quoscumque alios excommunicationis, ſuſpenſionis, ſeu interdicti ſententia fuerit promulgata; licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, ſeu alias in perſonis, aut bonis ſuis temporalibus vel ſuorum gravandi eos, qui tales ſententias tulerint, ſeu quorum occaſione fuerint prolatæ, vel eaſdem ſententias obſervantes, vel taliter excommunicatis communicare volentes, niſi licentiam ipſam re integra revocaverint, aut ſi ad bonorum captionem proceſſum eſt occaſione ipſius licentiæ, niſi bona ipſa infra VIII. dierum ſpatium fuerint reſtituta, vel ſatisfactio pro ipſis impenſa; in excommunicationis ſententiam incidunt ipſo facto; eademque ſententia ſint innodati omnes, qui auſi fuerint prædicta ſententia data uti, aliquo præmiſſorum, ad quæ committenda licentiam dari prohibemus, alias committere ſuo motu; Qui

autem in eadem sententia permanserint duorum mensium spatio, ex tunc ab ea non possint, nisi per Apostolicam Sedem absolutionis beneficium obtinere. Datum Lugduni, Calendas Novembris. Pontificatus Nostri anno III.

Item constitutiones S. S. Patris Domini Bonifacii VIII. eodem modo præcipimus ab omnibus Presbyteris parochialibus, vel eorum vices gerentibus, saltem quater in anno in facie Ecclesiarum suarum in lingua materna nunciari & exponi.

De Pedagiis.

" Quamquam Pedagiorum exactiones tam de Jure Canonico quam civili, regulariter & merito sint damnatæ, tantum (a) tamen districtius, ne ab Ecclesia & personis Ecclesiasticis talia exigantur, prohiberi oportet, quanto, si fiat, major inde transgressionis reatus incurritur, & offensa evidentior comprobatur; Cum igitur Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ ad eos ipsarum non solum jure humano, quin immo & Divino, sæcularium personarum exactionibus sint immunes. Constitutiones felicis recordationis Alexandri Papæ IV. Prædecessoris nostri, qui statuit Ecclesias, & Ecclesiasticas personas ad pedagia & guidagia penitus non teneri, nec ad exhibendum, & solvendum talia pro rebus suis propriis, quas non causa negotiandi deferunt, vel deferri faciunt, seu transmitti, volentes propter multorum abusum pœnæ adminiculo adjuvare, adjicimus districtius inhibendo, contraria consuetudine quorumcunque, quæ dicenda est corruptela verius, non obstante, ut nec collegium, nec universitas, nec aliqua etiam singularis persona, cujuscumque sit dignitatis, conditionis, aut status, aut præfatis Ecclesiis, seu personis per personis ipsis a rebus prædictis talia exigant vel extorqueant, per se vel per alium, suo nomine vel etiam alieno, aut eas ad hujusmodi persolvenda compellant. Qui vero contra fecerint, si personæ fuerint singulares, excommunicamus; si autem fuerit Collegium seu Universitas civitatis seu castri, vel loci alterius cujuscumque, ipsa civitas, castrum, vel locus interdicti sententias ipso facto, incurrant, nec ab excommunicatione hujusmodi absolutionem vel interdicti relaxationem obtineant, donec exacta plenarie restituerint, & de transgressione satisfecerint competenter.

Item alia de impedientibus jurisdictionem Ecclesiasticam.

" Quoniam, ut intelleximus, quorumdam justitiariorum, ballivorum, judicumve sæcularium, ac temporalium Dominorum in quibusdam partibus præsumptuosa temeritas sic excrevit, ut terris eorum sive districtibus literas Apostolicas impetrantes, vel ad Judices ordinarios Ecclesiasticos recurrentes super causis, negotiis, seu quæstionibus, quæ ratione personarum aut rerum de jure vel de antiqua consuetudine ad forum Ecclesiasticum pertinent, obtinere non possunt in eisdem per eosdem ordinarios Judices, vel per Apostolicas literas justitiæ complementum, quin potius super illis retrahere ad judicium sæculare, vel a lite, causa, seu quæstione desistere compelluntur: Nos justitiam nostram & nostræ sponsæ negligere nolentes, qui alios in sua justitia confovemus, obtinere, statuimus, ne quis impetratores literarum nostrarum, vel alios in foro Ecclesiastico litigantes, seu litigare volentes, sive ambæ partes hoc voluerint, sive una, actoris videlicet, aut rei, super causis, quæ ad forum Ecclesiasticum solum spectant, vel etiam solius actoris, in illis, quæ ad utrumque forum ratione personarum, negotiorum, vel rerum de jure vel de antiqua consuetudine pertinere noscantur, per se, vel per alium ad desistendum, vel in foro sæculari de quæstionibus hujusmodi litigantium per eorundem Judicum Ecclesiasticorum, vel impetrantium, aut litigantium, seu volentium litigare, aut propinquorum, nec non ipsarum rerum illorum, aut Ecclesiarum suarum captionem, modisve aliis quibuscumque compellat, seu compelli faciat, aut procuret, nec per se, aliosve impediat, quominus coram Judicibus Ecclesiasticis delegatis, seu ordinariis querelantes de causis, quæ, ut præmissum est, ad cognitionem pertinent eorumdem, possint libere obtinere justitiam, nec ad prædicta facienda det consi-

(a) *lege:* tanto.

" consilium, auxilium, vel favorem. " Si quis vero contra præsumpserit, ex- " communicationi se, ipso facto, nove- " rit subjacere, a qua nisi causa tam " judici, cujus cognitio fuerit impedita, " vel jurisdictio usurpata, quam parti, " quæ est turbata, in prosecutione sui " juris fuerit, de justitia, damnis, & " expensis, & interesse prius per eum- " dem integre fuerit satisfactum, nulla- " tenus absolvatur.

CONSTITUTIO.

" Clericis laicos infestos oppido " tradit antiquitas, quod præsentium ex- " perimenta temporum manifeste decla- " rant, dum suis finibus non contenti " nituntur in vetitum, ad illicita frena " relaxant, nec prudentes attendunt, " quam sit eis in Clericos, Ecclesiasticas- " ve personas, & bona interdicta po- " testas; Ecclesiarum Prælatis, Ecclesiis, " Ecclesiasticisque personis regularibus " & sæcularibus imponunt onera gravia, " ipsosque talliant, & eis collectas im- " ponunt, ab ipsis suorum proventuum, " vel bonorum dimidiam decimam, " vel vicesimam, vel quamvis aliam por- " tionem, aut quotam exigunt & extor- " quent, eosque moliuntur multifarie " subjicere servituti, suæque submittere " ditioni, &, quod dolentes, referimus, " nonnulli Ecclesiarum Prælati, Eccle- " siasticæque personæ trepidant, ubi " trepidandum non est, transitoriam pa- " cem quærentes, plus timentes Maje- " statem temporalem offendere, quam " æternam, talium abusibus non tam te- " merarie, quam improvide acquiescunt, " & Apostolica auctoritate seu licentia " non obtenta. Nos igitur talibus ini- " quis actibus obviare volentes, de fra- " trum nostrorum consilio auctoritate " Apostolica statuimus, quod, quicum- " que Prælati, Ecclesiasticæque personæ, " religiosæ vel sæculares quorumcunque " ordinum, conditionum, statuum col- " lectas, vel talliam, decimam, vicesi- " mam, seu centesimam suorum & Ec- " clesiarum proventuum, seu bonorum " laicis solverint, vel promiserint, vel " se soluturos concesserint, vel quam- " vis aliam quantitatem portionem, aut " quotam ipsorum proventuum, vel " bonorum æstimationis, vel valoris ip- " sorum sub auditorii, mutui, conventio- " nis, subsidii, vel doni nomine, seu " quovis alio titulo, modove, quæsito " colore, absque auctoritate sedis ejus- " dem, nec non Imperatores, Reges, " seu Principes, Duces, Comites, vel " Barones, vel etiam Potestates, Capi- " tanei, vel Officiales, vel Rectores, " quocumque nomine censeantur, civi- " tatum, castrorum, seu quorumcun- " que locorum, constitutorum ubilibet, " & quivis alii, cujuscumque præemi- " nentiæ, conditionis, & status, qui ta- " lia imposuerint, exegerint, vel rece- " perint, aut apud ædes sacras deposita " Ecclesiarum vel Ecclesiasticarum per- " sonarum ubilibet arrestaverint, saisi- " verint, seu occupare præsumpserint, " vel arrestari, saisiri, vel occupari man- " daverint, aut occupata, saisata, vel " arrestata receperint, nec non omnes, " qui scienter in prædictis dederint con- " silium, auxilium, vel favorem, publi- " ce, vel occulte, eo ipso sententiam ex- " communicationis incurrant.

" Universitates quoque, quæ in " his culpabiles fuerint, Ecclesiastico " supponimus interdicto: Prælatis & " personis Ecclesiasticis supradictis in " virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœ- " na depositionis districte mandantes, ut " talibus absque expressa licentia dictæ " sedis nullatenus acquiescant, quod- " que sub prætextu cujuscumque obli- " gationis, promissionis, & concessio- " nis factarum hactenus, vel faciendarum " in antea, postquam hujusmodi con- " stitutionis prohibitio, seu præceptum " ad notitiam ipsorum pervenerint, ni- " hil solvant, nec supradicti sæculares " quoquo modo recipiant & si solve- " rint, vel prædicta receperint, in ex- " communicationis sententiam incidant " ipso facto. A supradictis autem " tem excommunicationis & interdicti " sententiis nullus absolvi valeat, præ- " terquam in mortis articulo absque Se- " dis Apostolicæ auctoritate & licentia " speciali, cum nostræ intentionis exi- " stat tam horrendum sæcularium pote- " statum abusum nullatenus sub dissimu- " latione transire, non obstantibus qui- " buscumque privilegiis, sub quibus- " cumque tenoribus, formis vel modis, " aut verborum conceptione concessis

" Imperatoribus, Regibus, & aliis su-
" pradictis, quæ contra præmissa nul-
" latenus volumus alicui, vel aliquibus
" suffragari. "

De Judicibus, Delegatis & Subdelegatis.

Statutum, quod circa Judices a Sede Apostolica deputatos nuper edidimus, cum quædam contenta in eo, quæ pro communi utilitate credebantur inducta, sicut experientia docuit, tendere dinoscantur ad noxam, sanctione præsenti, quam irrefragabiliter observari mandamus, suadente utilitate, in melius duximus reformandum. Statuimus igitur, ut nullus, nisi dignitates prædictas, aut personatus obtinentibus, seu Ecclesiarum cathedralium Canonicis Cameracensis Diœcesis, auctoritate literarum Sedis Apostolicæ vel Legatorum ejusdem (causæ) committantur, aut audiantur alibi, quam in civitate vel locis singulis, ubi possit commode copia peritorum haberi. Cum vero ejusdem civitatis seu Diœcesis fuerit actor & reus, extra ipsas causa non committatur, nec conveniatur aliquis eorumdem, qui ab ipso contra aliquem de sua Diœcesi vel ab antiquo contra eum & ejus Capitulum seu contra Universitatem civitatis, villæ, aut castri fuerit actio dirigenda, vel nisi actor eandem civitatem seu Diœcesin intrare non audeat, aut sui adversarii potentiam merito perhorrescens, cum infra ipsas nequeat invenire secure, in his quippe casibus (a) contra dictas civitatem vel Diœcesin possit contra prædictos causa (b) omitti. Nullus tamen eorum ultra dioetam unam a fine Diœcesis suæ valeat conveniri, scilicet in duobus ultimis casibus, nisi impetrans de dicto terrore, quod in literis commissionis exprimere teneatur, primo judici fidem faciat saltem per proprium juramentum; Judex vero nullatenus in causa procedat, sed partes a sua jurisdictione dimittens impetrantem eumdem in expensis legitimis alteri parti condemnet.

Quando autem actor & reus civitatis & Diœcesis fuerint diversarum, si autem in civitate vel Diœcesi rei judicem habere recuset, ipsum non in sua, sed in alia civitate vel Diœcesi libere impetrare valeat, reumque trahere ultra unam diætam, sicut in casu alio præmittitur, minime sit remotus.

In nullo quoque casuum prædictorum judex extra civitatem vel Diœcesim, in quibus fuerit deputatus, citet partes, nec de causa sibi commissa cognoscat, nisi ad id expressius accesserit eorumdem assensus, neque alibi, quam infra illos, & personis dumtaxat designatis superius committet quomodolibet vices suas.

Insuper ut gratis & cum omni puritate judicium coram ipso procedat, nullum munus vel quicquam aliud, nisi forsan esculentum vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis possit consumi diebus, vel nisi cum ipsum propter causam sibi commissam contigerit extra domicilium suum proficisci, moderatas expensas recipere ab eisdem partibus qualitercumque præsumat, provisurus attente, quod in his expensis modum nequaquam excedat, nec plus ab una parte quam ex alia exigat, cum commune gerat negotium utriusque quandoque causæ sibi commissæ utilitas vel necessitas non exegerit occasionem propter habendas expensas, proficiscendi extra domunculam, non assumat, sed ubi notabiliter fuerint pauperes litigantes, tunc pro expensis nihil prorsus exigat ab eisdem.

De Assessore assumendo.

Assessorem autem, ut quandoque faciunt aliqui fraudulenter, nisi eo indigeant, quod conscientiæ relinquitur: eisdem, sibi nequaquam adjungant, alioquin de suo proprio teneatur providere eidem. Siquis autem indigeat, ipsum neutri parti suspectum assumens, eidem de competenti salario providere moderando ab eo, faciat a partibus communiter provideri.

De Notariis.

Notarius vel Notarii in causis sibi commissis scribentur, qui ut plurimum in exigendo salario metas rationis excedunt, ut quod ad ipsius spectat officia, prudenter refrenet, nec cum ipsis, aut cum Assessore præfato lucrum participet ullo modo. Siquid autem contra

(a) *forte:* extra. (b) *forte:* committi.

tra constitutionem præsentem receperit, ad ipsius restitutionem integram teneatur, nulla eorum, quibus restitutio facienda fuerit, remissione ullatenus profutura.

De Testibus producendis.

Pro ferendo quoque testimonio, prætextu cujus aliqui aliquos fraudulenter interdum a judicibus vocari procurant, ut eos laboribus & expensis fatigent, aut extorqueant aliquid ab eisdem, nullum ullatenus convocet, nisi quando conditio & status tunc requirent; sed nec tunc, nisi quando a producendo competenter vocatis pro testimonio, veniendo, stando, & redeundo, faciat ministrari expensas.

Quidquid autem contra præmissa, vel eorum aliquid contigerit attentari, sit ipso jure irritum & innane.

De (a) *Gubernatoriis impetrandis.*

Hac constitutione perpetuo valitura statuimus, ut conservatores, qui aliquibus, ut in manifestis injuriis & violentiis tueantur, eisdem plerumque a Sede Apostolica conceduntur, de cætero deputari non possint, nisi Episcopi vel eorum Superiores, vel Abbates, Dignitates & Personatus in Cathedralibus vel Collegiatis Ecclesiis obtinentes, nullusque deputati sibi conservatoris esse valeat conservator, nisi aliquis Regibus & Reginis, qui sicuti dignitatis altitudine præeminent, sic prærogativa gratiæ ipsos convenit anteferri, dumtaxat exceptis, deinceps conservatorem habeant eum, qui sub ipsius jurisdictione, Dominio vel districtu Ecclesiastico vel temporali consistat. Conservatores autem hujusmodi extra civitatem vel Diœcesim, in quibus fuerunt deputati, vel alibi, quam in civitate seu locis insignibus, ubi possit copia peritorum haberi, contra quoscumque procedere, (&) aliquos ultra unam dietam a fine Diœcesium eorumdem trahere non præsumant.

Vices quoque suas, citationibus & sententiarum denuntiationibus dumtaxat exceptis, quas per alios valeant exercere, nulli committere possit, nisi hoc eis competierit ex beneficio literarum sed nec tunc, nisi infra civitatem aut Diœcesim in quibus deputati fuerint, & personis tantum, quæ superius sunt expressæ.

Ut autem Conservatores limites sibi traditæ potestatis, quos frequenter excedunt, metu pœnæ diligenter observent, decrevimus, ut si de aliis, quam de manifestis injuriis & violentiis scienter se intromiserint, seu ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, suam extenderint potestatem, eo ipso per unum annum ab officio sint suspensi: pars vero, quæ hæc procuraverit fieri, sententiam excommunicationis incurrat, a qua non possit absolvi, nisi ei, quem sic fatigavit indebite, prius satisfaciat integraliter de expensis.

Officium autem quorumcumque Conservatorum ipso jure quo ad non cœpta negotia, per obitum concedentis volumus exspirare.

Circa munera vero & expensas Assessorum & Notarios & personas testimonio convocandas illa præcipimus in hujusmodi conservatoribus per omnia observari, quæ in delegatis judicibus constitutio a nobis super hoc edita observanda decrevit. Quidquod autem contra præmissa vel eorum aliquid attentari contigerit, omnino decernimus irritum & inane.

Ne exhibeatur obsequium Ecclesiasticum personis.

Eos qui temporale Dominium obnent cum suis subditis, ne Prælatis, aut Ecclesiis seu personis Ecclesiasticis quicquam vendant, aut emant aliquis ab eis, neque ipsum bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibere præsumant, aliquando jura interdicunt, cum talia in derogationem libertatis Ecclesiasticæ facere præsumant, eo ipso excommnicatione sententiæ decernimus subjacere.

(a) *forte:* Conservatoribus.

CON-

CONCILIUM CAMERACENSE

Anno Christi MCCCI. Bonifacii VIII. Papæ VI. Alberti Regis III.

Statutum Concilii Remensis (a) *Provinciæ*, *Anno Domini MCCCI. secunda die Mercurii ante Clementem, promulgatum in Concilio Cameracensi.*

§. I. *Clerico detento à Laicis, cessetur in loco a Divinis.*

" INprimis igitur statuimus & decernimus auctoritate Concilii, quod si in aliqua civitate, vel in aliquo loco nostræ (*a*) Remensis Provinciæ contingat, quemquam Clericum detineri per laicalem justitiam, per quam dictus Clericus fuerit ab Episcopo loci illius, vel Officiali, vel Decano rurali, seu ex parte alicujus eorum legitime requisitus, cessetur a Divinis in loco captionis, & detentionis, quousque fuerit competenter restitutus.

§. II. *Clerico à Laicis capto, vel aliò abducto, cessetur à Divinis.*

" Item, si Clericus per justitiam laicalem capiatur in aliqua Diœcesi, & extrahatur ab ea, & ad aliam ducatur; cessetur similiter a Divinis, & in loco, ubi fuerit captus, & in loco ipsius capientis, per quem fuerit deductus, quousque ad Diœcesim fuerit reductus, & sufficienter restitutus.

§. III. *Laici jurisdictionem in Clericos exercentes excommunicantur.*

" Item, cum per justitiam laicalem non debeant puniri excessus Clericorum, nec ab ea levari emenda de eisdem, cum hæc ad solos Judices Ecclesiasticos, non sæculares pertinere noscantur, monemus auctoritate prædicta omnes, & singulos nostræ Provinciæ, ne pro dictis, seu occasione eorumdem levent aliquid, vel recipiant, vel exigant, quoquo modo: alioquin contrafacientes, excommunicationis sententia auctoritate prædicta innodamus.

§. IV. *Judices conspirantes contra Cleri libertatem excommunicantur, nisi cessent.*

" Item, cum nonnulli Scabini, Rectores, Gubernatores, Judicatores communitatum, locorum, seu territoriorum *nostræ Remensis Provinciæ*, prout intelleximus, conspirationem, aut conjurationem facere nitantur, quod si aliquis de sua communitate, vel de suis subditis, seu de suo territorio, conveniatur in foro Ecclesiastico, aut contra eum procedatur in casu, in quo potest de jure, seu de consuetudine ibidem conveniri, quod eum ad sumptus communes defendant, propter quod jurisdictionem Ecclesiasticam non est dubium impediri; monemus omnes & singulos jam dictæ Provinciæ, quod si talia fecerint, revocent ea intra mensem, & quod de cætero a talibus abstineant; nec talia committant, & talibus non utantur, alioquin excommunicationi subjaceant ipso facto.

§. V. *Laici impedientes forum Ecclesiasticum excommunicantur.*

" Item, cum nonnulli temporales Domini suis inhibeant subditis, ne quis eorum alium trahat in foro Ecclesiastico, in casu a jure seu consuetudine permisso, quin immo contra sic facientem & contrahentem procedunt frequenter ad captionem personæ trahentis, & bonorum ejusdem amicorum trahen-

(*a*) Cameracum Nerviorum, qui sunt populi Belgicæ secundæ civitas, fuit sub Provincia & Metropoli Remensi. Sæculo XVI. agente Rege Hispaniarum, Robertus Crojus primus Archi-Episcopus renuntiatus fuit anno 1562. 22. Maji per Paulum IV. sicque Cameracum subtractum Remensi Provinciæ, & propria Metropolis evasit.

" trahentis, ac bonorum ipsorum; Nos " ne talia faciant prohibentes, contra " facientes excommunicationis vinculo " innodamus, & denunciamus a Cano- " ne excommunicatos.

§. VI. *Abbates contra Episcopi jurisdictionem conspirantes, nisi revocent infra mensem, excommunicantur.*

" Item, cum nonnulli Abbates hu- " jusmodi Provinciæ inter se ordinave- " rint, & conspirationem fecerint (quod " si contingat aliquem Episcopum con- " tra Abbatem aliquem velle procedere " sibi subditum, vel alias puniendum, " quod ad defensionem ejusdem contri- " buent, & ad sumptus communes om- " nium defendentur) quod non est du- " bium fore in judicium jurisdictionis " sui Episcopi, & contra juramentum " suæ possessionis, per quam suo Epi- " scopo est astrictus, & contra Eccle- " siasticam libertatem; Monemus ta- " les, quod hæc revocent infra mensem, " & a talibus se abstineant; alioquin " excommunicationi subjaceant ipso " facto.

§. VII. *Insordescentes excommunicationi biennio, citandi ad Concilium.*

" Item, quod si excommunicati " publica sententia excommunicationis, " per biennium, & amplius animo su- " stinuerint indurato, vocentur ad pro- " ximum Concilium tamquam suspecti " de hæresi, & in eodem Concilio con- " tra tales, ut justum fuerit, proceda- " tur; quæ omnia redigi fecimus in " scriptis, & in ipso Concilio solemniter " promulgari. Præcipientes districtius, " & mandantes auctoritate prædicti Con- " cilii, universis & singulis *Provinciæ* " *Remensis*, quatenus, quæ taliter pro " defensione libertatis Ecclesiasticæ, & " ipsarum Ecclesiarum statu pacifico " duximus ordinanda, prout superius " continetur, servent, & teneant illi- " bata.

Martene Tom. VII. Collectionis amplissimæ: Loco citato.

CONCILIUM CAMERACENSE

Anno Christi MCCCIII. Bonifacii VIII. Papæ VIII. Alberti Regis V.

Statutum Concilii Remensis Provinciæ, anno Domini MCCCIII. *Sancta die Veneris ante Circumcisionem. Promulgatum in Concilio Cameracensi.*

§. I. *Excommunicati, nominatim publice nec admittendi ad Ecclesiam, nec sepeliendi.*

" INprimis igitur statuimus & decre- " vimus auctoritate Concilii, ne " quævis sæculares, & religiosæ, exem- " tæ; & non exemtæ personæ excom- " municatos & interdictos *nominatim* " publice ad Divina, neve corpora de- " functorum talium ad Ecclesiasticam " sepulturam admittant; alioquin talibus " ab ipsis Canonibus est ingressus Ec- " clesiæ interdictus. Ut tam salubria " statuta publicentur frequenter, adji- " cientes auctoritate præsentis Concilii, " quod omnes & singuli, cujuscumque " status, dignitatis, professionis, aut " conditionis existant, qui talibus Divi- " nis celebrandis, & sepulturis facien- " dis interesse præsumpserint, vel qui " opem in his auxiliumve præstiterint, " & favorem, post mensem a tempore " publicationis præsentis *in singulis Diœcesibus Remensis Provinciæ* faciendæ, ex- " communicationi subjaceant ipso facto, " simili sententiâ percellentes omnes & " singulos, qui matrimonia clandestina " fecerint, seu contraxerint, aut procu- " raverint fieri, seu ipsis præsumpserint " interesse.

§. II. *Imponentes tallias Clericis monendi, & excommunicandi.*

" Quia nonnulli servientes tempo- " ralium Dominorum, & justitiæ lai- calis,

" calis, aſſerentes pro ſuo libito, Clericos tam non uxoratos, quam uxoratos, qui tamen cum unica & virgine contraxerint, eſſe publicos mercatores, tallias, & collectas imponunt eisdem, & extorquent ab invitis, quamquam clericaliter vivant, nullis ſe mercimoniis implicantes, ac moniti auctoritate Ordinariorum locorum, ut deſiſtant, recuſant parere, quamquam offeratur eisdem, ut facta fide coram ipſis Ordinariis, quod dicti Clerici non ſint tales manifeſti mercatores, tallias, & collectas hujusmodi permittant levare, ipſi tamen Judicis & partis officio fungentes cognitionem ſuper hoc ſibi vindicant & aſſumunt. Et quia de his, ut aſſerunt, ſibi conſtat, bona dictorum Clericorum mobilia capiunt, vendunt, & detrahunt, in magnum præjudicium & gravamen ipſorum. Pro modo etiam omnium facultatum ipſorum Clericorum, licet in minimo ſolum eos aſſerant mercatores, tallias, & collectas imponunt, & extorquent ab eis: Nos vero attendentes præmiſſa fieri contra libertates & conſuetudines Eccleſiaſticas novas, notorias, & antiquas, talia amodo fieri prohibemus; alioquin poſt menſem a tempore publicationis prædictæ, omnes illos, & ſingulos, qui talia amodo fieri procurant, mandare, aut facta ſuo nomine rata habere, auxilium, conſilium, opem, vel favorem clam vel palam præſtare præſumpſerint, auctoritate prædicti Concilii, monitione tamen competenti præmiſſa, excommunicamus in his ſcriptis.

§. III. *Inſordeſcentes per annum in excommunicatione, privandi ſepultura Eccleſiaſtica.*

" Item, quia non caret nota hæreticæ pravitatis in contemtum poteſtatis, & clavium Sanctæ Matris Eccleſiæ, excommunicationis ſententiam quamvis Catholicam in ſe ſuſtinere, præſertim per annum, & amplius: volens cancri huic vulneroſo, ne ſui contagione corrumpat alios, & pernicioſo ſeducat exemplo, ignitum quod ſupereſt, injicere ferrum; Statuimus auctoritate præſentis Concilii, ut tales, qui taliter excommunicationem in ſe latam ſuſtinuerint, careant Eccleſiaſtica ſepultura, niſi ſaltem in extremis ſe pœnituerit, & ad condignam ſatisfactionem venerint, & emendam.

§. IV. *Vocati ad Concilium, ſi n venerint, ſuſpecti habeantur de hæreſi.*

" Item, cum excommunicati per biennium & amplius ad præſens Concilium ſint vocati, peremtorie, & perſonaliter reſponſuri, ſuper tanto exceſſu, qui notam ſeu ſpeciem hæreſis non evadit; qui non venerint, vel apparuerint per idoneos reſponſales, ipſos omnes, & ſingulos reputamus contumaces, purgationem eis omnibus, & ſingulis, quos ſic ſuſpectos habemus de hæreſi, indicentes canonicam; ad quam præſtandam ſecundum juris formam, ipſos & ſingulos eorum ſuis ſingulis Diœceſanis termino ſuper hoc competenti præfigendo eisdem ab ordinariis ſupradictis decernimus teneri.

" Diligenti deliberatione habitâ, honeſtate conſiderata, & ut ſuperfluitatibus abſtineatur, ut omnes & ſingulæ perſonæ Eccleſiaſticæ Remenſis Provinciæ in ſingulis conviviis ſint contentæ potagio, & duobus ferculis ſine fraude, niſi magnitudo perſonarum ſupervenientium aliud requirat, & tunc cum prædictis poterunt uti aliquo intermedio ferculo, ita, quod ſi in conviviis hujusmodi, Reges, Duces, Comites, Barones, & alios excellentes contigerit intereſſe, præſenti ſtatuto minime ſint adſtricti. Si quis vero contra præmiſſa vel aliquod præmiſſorum attentaverit, vel attentare præſumpſerit, pœna puniatur condigna. Quæ omnia redigi fecimus in ſcripturis, & in ipſo Concilio ſolemniter promulgari: præcipientes diſtrictius & mandantes auctoritate dicti Concilii univerſis & ſingulis perſonis *Provinciæ Remenſis*, quatenus, quæ taliter pro defenſione libertatis Eccleſiaſticæ, & ipſarum Eccleſiarum ſtatu pacifico duximus ordinanda, prout ſuperius continentur, ſervent, & teneant illibata.

Sequun-

Sequuntur Constitutiones continuæ Concilii Cameracensis Sæculi XIII. sed annorum incertorum.

De Litteris Curiæ differendis.

Sacerdotes superiorum suorum mandata sine dilatione, & periculo portitorum ipsorum mandatorum diligenter, & fideliter exequantur; & mandata Nostra seu *Curiæ nostræ Cameracensis*; & propria habeant sigiila, & unica, quæ appendeant in signum completæ executionis mandatis ipsis., vel faciendis rescriptionibus ad easdem; nec aliquid exigant, nisi solum denarium in forti moneta pro sigillo. Nullum excommunicatum pro absoluto habeant, nisi eis de absolutione facta fuerit certa fides. Et cum aliquem absolverint, dicant: *Miserere mei Deus*, absolvendis coram eis ante ostium Ecclesiæ flexis genibus constitutis. Cum vero Missam celebraturi erunt, alta voce proclament, quod omnes excommunicati Ecclesiam exeant, donec Missa fuerit celebrata. Et quia plerumque Presbyteri & Capellani propter metum proprii corporis, non audent nominatim monere singulariter personas hujusmodi, quod exeant, statuimus quod singulis diebus Dominicis & Festivis Presbyteri in suis Ecclesiis excommunicent, & denuntiant omnes & singulos excommunicatos illos *authoritate Synodali*, qui sciunt se esse ligatos sententia excommunicationis, & publice denuntiatos, nisi post monitionem a Presbyteris, & Capellanis ante Missarum solemnia exierint Ecclesiam, Oratorium, vel Capellanias; nec excommunicatos hujusmodi Sacerdotes potestatem habeant absolvendi, sed eos remittant ad suos superiores absolvendos. Si autem tales nec sic Ecclesiam vel Oratorium aut Capellanias exire renuerint, Presbyteri, vel Capellani in eorum præsentia celebrare non præsumant, propter periculum, quod ipsi incurrerent ipso facto, nisi forsan hujusmodi excommonicati ad Ecclesiam confugerint, ut ab inimicis tuerentur, *ut supra dictum est titulo: De Libertate Ecclesiarum.* Sacerdotes autem semel saltem in mense in facie Ecclesiarum suarum publice excommunicent, & excommunicatos denuntient omnes, qui directe, vel indirecte, clam vel palam, publice vel occulte impediunt & perturbant jurisdictionem Ecclesiasticam, & præcipue *Curiæ Cameracensis*, minas inferendo, inhibendo, præcipiendo, bona capiendo, & personas litigantes percutiendo, fratrum, consanguineorum, & amicorum, aut alias vexando, damnificando, factis etiam quæsitis fraudulenter, falsis executionibus quoquo modo: intimantes eisdem, quod, nisi resipuerint, Nos contra eos nominatim ad excommunicationis & aggravationis, & interdicti sententias & subtractionem Ecclesiasticorum Sacramentorum procedere nullatenus omittemus.

De denuntiandis excommunicatis.

Item Sacerdotes excommunicent, & excommunicatos denuntient omnes illos & singulos, cujuscumque sint conditionis, dignitatis, vel status, qui conspirationem faciunt contra suos Prælatos & Presbyteros, & eorum libertates & jura, verbo vel facto publice vel occulte.

Ubi Portitores Literarum curiæ capiuntur, detinentur &c. cessetur a Divinis.

Item statuimus, quod ubicumque portitores litterarum *nostræ Curiæ Cameracensis*, aut etiam ipsæ litteræ, & insuper ubicumque Clerici tam Beneficiati, quam non Beneficiati, & ubicumque bona Ecclesiastica Clericorum Beneficiatorum violenter capiuntur, & detinentur, & ubicumque captores moram trahunt, tam in locis ubi capiuntur personæ, portitores litterarum, vel bona hujusmodi; quam etiam in locis ubi detinentur seu auferuntur, omnino a Divinis cessetur: nec sine nostra, aut Officialis nostri licentia organa reassumantur ibidem.

Cautelæ pro salvandis Portitoribus Literarum Curiæ.

Item statuimus, ut cum portitor litterarum Curiæ nostræ ad quemvis executorum ipsarum accedet; si ibidem executor videt periculum imminere, ipsum porti-

portitorem non offendat, nec (a) procedat, nec alias revelet, seu revelari faciat parti adversæ: immo si sciat aut credat insidias poni, vel periculum imminere dicto portitori per partem adversam, seu ipse procurator litteras ipsas sibi præsentatas statim sigillet, & tradat sigillatas ipsi portitori, retento dicti mandati in suis tabellis, aut pergameno breviculo, seu tenore, nec mandatum ipsum parti adversæ insinuet, vel insinuari permittat, aut procuret, donec idem portitor poterit per duas vel per tres leucas post sigillationem & traditionem prædictam, esse reversus a dicto loco; alioquin contra facientes ex tunc suspendimus ipso facto.

De numero Citatorum ad Curiam.

Item statuimus, quod nullatenus citatorum curiæ nostræ numerum octo personarum excedat.

De termino Citationis servando.

Item præcipimus omnibus subditis nostris, ne aliquam faciant citationem contra aliquem de mandato *Curiæ Cameracensis*, nisi per competentem terminum ante diem citationis, secundum quod distantia locorum requirit.

De Interdicto post proclamationem banni.

Item statuimus, quod ubicumque publice per Dominos temporales, Ballivos, Præpositos, Majores servientes, aut laicalem justitiam eorumdem proclamantur, & edicuntur expresse banna & præcepta seu fuerint inhibitiones contra jurisdictionem curiæ nostræ Cameracensis, & possessionem jurisdictionis ejusdem, cessetur a Divinis.

Refugium Clericorum executorum tempore interdicti.

Et si Presbyteri pro executionibus mandatorum nostrorum, aut curiæ nostræ Cameracensis, vel pro observatione præsentium statutorum, aut retentione, seu defensione jurium suorum parochialium, nec a laicis minis (b) impetratis vel factis, quod justo metu, qui nunc in constantem virum cadit, perterriti, in propriis Parochiis morari non audeant personæ earumdem, volumus, ut apud Cameracum causa studiorum, & securitatis; præmissis durantibus, moram faciant, ut Scholares: & si alias non habeant, unde vivant, si in præmissis culpa nec dolus processerit ab eisdem, per Nos, & Archidiaconos de vitæ necessariis providebitur competenter.

De publicandis semel in anno Bullis Bonifacii VIII.

Item inhibemus Sacerdotibus, & aliis Ecclesiaris Prælatis, ne mandata Executorum, vel Judicum a Sede Apostolica Deputatorum, nisi prius diligenter viso *authentico*, etiam de falsitate non suspecto, aliquatenus exequantur citando, vel vocando in his subditos nostros, vel procedendo alias contra eos extra civitatem vel Diœcesim Cameracensem, nisi in litteris Domini Papæ, virtute quarum processus tales petuntur fieri, hanc clausulam, *Non obstante tali constitutione*, expresse viderint contineri.

De vitando Clericis foro Dominorum Sæcularium.

Item præcipimus quod Clerici, sive Religiosi, sive alii fuerint, foro & jurisdictioni, seu cohercitioni Dominorum temporalium nullatenus se supponant, in his specialiter, quæ nos contra ad forum Ecclesiasticum de jure, usu, vel consuetudine pertinere (judicamus) quod si secus fecerint, excommunicamus eosdem.

Impedientes Synodum supponuntur interdicto.

Item statuimus, quod ubicumque malitiose vel violenter impediatur *Synodus*, seu Capitulum Decanorum, in locis, ubi consueverunt fieri, cessetur a Divinis, & impedientes ipso facto excommunicamus.

Citra Mandatum Curiæ nulla Executio.

Item præcipimus, ut subditi nostri vel alii mandata *Curiæ Remensis* sine placito nostro, aut Officialis nostri *Cameracensis*, aut etiam ipsius consensu, prout in constitutione alias continetur, nullatenus exequantur.

Multa

(a) *forte*: nec prodat.

(b) *forte*: intentatis.

Multa non exequentium.

Item ſtatuimus, quod curati Parochiales ad Decanorum ſuorum evocationem venire & congregari teneantur ſub pœna *decem ſolidorum*, quam pœnam a non venientibus cæteris de Decanatu Curatis venientibus volumus applicari: præcipientes Decanis, quod ipſi tales ad ſolvendam dictam pecuniam, ſi neceſſe fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam inducant, & compellant.

Si quis Clericus in noſtra Diœceſi aliquod crimen commiſerit, occaſione cujus bona mobilia ipſius Clerici per Nos pro emenda poſſint aut debeant arreſtari, ſequeſtrari, ſeu etiam confiſcari: ſi laicalis juſtitia bona hujusmodi ſaiſiverit ſeu levaverit, niſi ad Noſtrum, vel Officialis Noſtri, vel Decani, aut Presbyteri loci mandatum; Nobis vel Officiali noſtro, Decano prædictis, vel alii ex Noſtra vel Officialis Noſtri prædicti parte ibidem deſtinato, hæc nomine Noſtro deliberentur integre, ex tunc omnino ceſſetur a Divinis ibidem. Et quia conſtat tales ipſa bona contra dictum mandadum in ſaiſina ſeu ſequeſtratione, aut levata detineri facientes noſtram jurisdictionem Eccleſiaſticam impedire, ipſos authoritate *Canonis* excommunicationi decernimus ſubjacere, & Nos volumus eſſe excommunicatos, & a Presbyteris in facie Eccleſiarum ſuarum publicari, a qua excommunicatione niſi per Nos, aut Officialem noſtrum non poſſint abſolvi.

Delinquentes Clerici denuntiandi.

Præcipitur cuilibet Presbytero, qui ſciverit in ſua parochia aliquem Clericum tam grave delictum perpetraſſe, ut in continenti, quam cito poterit, bona mobilia talis Clerici delinquentis in manu noſtra ponat, quodque Nobis, & Officiali noſtro, aut Decano loci hæc quam citius poterit, ſignificare non poſtponat.

De Quæſtuariis.

Item præcipimus, quod *Quæſtuarii* non permittantur quoquo modo in Eccleſiis vel extra in vicis & plateis prædicare, vel ſua negotia exponere, niſi hoc ex noſtrarum habeant beneficio litterarum; nec admittantur *Quæſtuarii*, qui litteras deferunt a noſtra forma communi conceſſas *Quæſtuariis* deviantes. Ipſi autem Presbyteri, vel eorum vices gerentes exponant & promoveant eorum negotia bona fide.

De iisdem.

Item ſtatuimus, quod Decani noſtræ Chriſtianitatis *Quæſtuariis* litteras ad quæſtam faciendam concedere non præſumant, ſub pœna ſuſpenſionis: quas ſi conceſſerint, eas irritas nunciamus.

De iisdem.

Item ſtatuimus, quod Decani, ſeu Presbyteri curati, vel eorum vices gerentes, futuros proventus eorumdem *Quæſtuariorum* in Eccleſiis ſuis percipiendos emere, vel ad firmam recipere non præſumant.

De iisdem.

Item Quæſtores quæſtas ſuas non faciant, nec eas Presbyteri recipiant diebus ſolemnibus, quibus populus communicare conſueverit, videlicet in feſto Paſchæ, Pentecoſtes, omnium Sanctorum, Natalis Domini, Dedicationis Eccleſiæ, & Patroni loci.

De iisdem.

Item præcipimus Decanis noſtris, ut Quæſtores cum litteris noſtris, ſeu Curiæ noſtræ Cameracenſis permittant ire libere per ſuos Decanatus ad quærendum fidelium eleemoſynas, dum tamen non impediatur Divinum officium per eosdem: alioquin contrarium facientes, graviter puniemus.

De occultantibus Leges & mandata Epiſcopalia.

Item quicumque Decanorum noſtrorum ſeu Presbyterorum amodo Leges Nobis & Archi-Diacono locorum debitas in ſuis Decanatibus, ſeu Parochiis ſcienter occultaverint, ſeu fraudem fecerint in eisdem, quominus integre, & legitime perſolvantur Nobis, & Archi-Diacono locorum; niſi infra menſem poſt occultationem & fraudem hujusmodi ſatisfecerint, ſeu revelaverint, a Nobis ſe extunc noverint ſuſpenſos.

De non abſolvendis excommunicatis a quovis, extra articulum mortis.

Item, ut cenſura Eccleſiaſtica magis timeatur, ſtatuimus, ut omnes excommunicati a Nobis, & Officiali noſtro pro ſuis

ſuis abſolutionibus obtinendis, ad Nos, vel ad Curiam noſtram Cameracenſem accedant, aut Procuratorem ſufficienter inſtructum mittant pro poteſtate abſolvendi eosdem; præterquam in mortis articulo; nec a quibuslibet aliis penitus admittentur.

De reviviſcentia obligationis excommunicatorum, ſi in articulo mortis &c.

Item ſtatuimus, ut quicumque excommunicatus a Nobis, aut Officiali noſtro abſolvatur a ſuo curato in articulo mortis; ſi convaluerit, niſi infra menſem poſt convaleſcentiam Nobis, & parti adverſæ ſatisfaciat de offenſa, in priſtinam ſententiam noverit ſe incurſurum, & Sacerdotes tales denuncient excommunicatos, ſecundum quod a partibus adverſis fuerint requiſiti.

Pœna non exequentium Cameracenſia vel Bonifacii VIII. mandata.

Item ſtatuimus & præcipimus omnibus Presbyteris, Curatis, & eorum vices gerentibus, ut ipſi omnes & ſinguli ſtatutum contra impeditores libertatum, ſeu jurisdictionis Eccleſiaſticæ, & præcipue civitatis noſtræ Cameracenſis tam auctoritate *Synodi*, quam *Provincialis Concilii* editum, nec non & Conſtitutionem felicis recordationis Domini Bonifacii Papæ VIII. quæ ſic incipit: *Quoniam, ut intelleximus, quorumdam Juſtitiariorum* &c. *ut ſupra*, diebus Dominicis ſemel in ſingulo menſe, vel ſaltem ſexies in anno, in facie Eccleſiarum eorumdem alta & intelligibili voce, coram Clero, & omni populo, in lingua materna publicent & exponant: alioquin ad pœnam *decem Solidorum Turonenſium*, ad opus noſtrum, & Archi-Diaconi locorum ab ipſo deficiente infra annum ſuo Decano ſub pœna ſuſpenſionis, quam ſi hoc non impleverint, incurrant ipſo facto, ſolvendorum.

Quo die non facienda Executio.

Item fraudi aliquorum obviare cupientes, prohibemus, ne quis Presbyter, ſeu executor, mandatum noſtrum omni feria ſexta ante Paſcha, in Vigilia, vel in die Paſchæ, in Vigilia & in die Pentecoſtes, in Vigilia & in die Nativitatis Domini, tunc poſt præſentatum de excommunicando aliquo aliquatenus exequatur.

Revocatio omnium priorum gratiarum.

Item revocamus omnes gratias, & litteras generales non perpetuatas, cujuscumque formæ ſeu tenoris exiſtant, quibuscumque perſonis, & ex quacunque cauſa a Nobis, vel Officiali noſtro Cameracenſi conceſſas, etiam, quantumcunque in eis contineatur: non obſtante revocatione generali, vel ſpeciali auctoritate noſtra facienda.

Revocatio commiſſionum ante Concilium emanatarum.

Item revocamus omnes commiſſiones Decanis noſtræ Chriſtianitatis, & Presbyteris civitatis & Diœceſis Cameracenſis, & aliis ſubditis noſtris, a nobis cognoſcendi de cauſis matrimonii, & de Sponſalibus matrimonium tangentibus quoquo modo.

Item revocamus omnem poteſtatem ſeu licentiam, ſi quam Nos aut Officialis noſter conceſſimus Juſtitiariis ſæcularibus quibuscumque laicis, ſuper arreſtatione, captione, & detentione Clericorum & Eccleſiaſticarum perſonarum, & bonorum eorumdem.

Item Pœnitentiarios a Nobis ſeu auctoritate noſtra conſtitutos, & poteſtatem eis commiſſam revocamus.

Præſentia autem ſtatuta, præcepta, mandata, & inhibitiones a ſubditis noſtris *ſub pœna viginti ſolidorum Turonenſium*, & aliis pœnis ad Noſtrum arbitrium, aut Officialis Noſtri Cameracenſis, ad opus noſtrum, & Archidiaconi locorum, quotiescumque contra fecerint, præcipimus inviolabiliter obſervari.

Item præcipimus *ſub pœna viginti ſolidorum Turonenſium*, ut omnes Decani Noſtri Chriſtianitatis infra menſem, & Presbyter Parochialis infra Nativitatem Domini tunc immediate ſequentem, præſentia ſtatuta, præcepta, & inhibitiones habeant, quibus eos ex toto uti volumus, & mandamus ſub pœnis antedictis.

Presbyteri Parochiales ad Capitula generalia Decanorum ſuorum, & ad eorum convocationem veniant, & interſint, & pareant ordinationibus eorumdem. Et Decani in ſingulis Capitulis ſuis partem *de Statutis Synodalibus* legi faciant, & ſic de Capitulo in Capitulum, donec omnia in anno fuerint plene lecta.

Martene Tom. VII. Collect. ampl. Loc. cit.

CON-

CONCILIUM SALISBURGENSE

Anno Chriſti MCCC. Bonifacii VIII. Papæ VI. Alberti Regis II.

Gerhardus Archi-Epiſcopus cum Suffraganeis conſulunt Papam de vero ſenſu Conſtitutionis : SUPER CATHEDRAM.

BOnifacius Papa motus multorum querulantium clamoribus pro bono pacis & concordiæ Cleri ex una, & Fratrum Prædicatorum & Minorum ex altera parte fecit inſtitutionem quandam, quæ incipit: *Super Cathedram.*

Ea conſtitutio, cum publicaretur per Saltzburgenſem Provinciam, & Clerus, & populus eam deſideraret in omnibus articulis obſervare; ipſi Prædicatores & Minores eam attendere non curabant. Propter quod Chunradus Saltzburgenſis Archi-epiſcopus, HABITO CONSILIO Suffraganeorum ſuorum, miſit Nuntios ad Romanam Curiam, qui tandem a Domino Papa obtinuerunt declarationem ejusdem Conſtitutionis.

Annales Eberhardi Altahenſis, Archi-Diaconi Ratisponenſis, apud Henricum Caniſium Tom. I. antiq. Lection. p. 338. *Hanſiz. Germaniæ Sacræ Tom. II. pag.* 439. *ex eodem.*

Et definivit Papa ſequens &c. minime neceſſariam eſſe eam iteratam eorundem peccatorum confeſſionem, licet ſalubris foret ob erubeſcentiam.

Demum poſt multas Theologorum præſertim Launoy, Juenini & Eſpencii altercationes de vero ſenſu Canonis: *Omnis utriuſque ſexus.* Benedictus XIV. Lib. XI. de Synodo Diœceſana Cap. XV. hoc ſapientiſſimo effato docet: "Quamvis *proprii Sacerdotis*, nomine *Parochus*, deſignetur: Nemo tamen ſalva fide inficiari poteſt Summum Pontificem in tota Eccleſia, & Epiſcopum quemlibet in commiſſa ſibi Diœceſi proprium Parochum eſſe, qui fidelium confeſſiones excipere, & facultatem illas excipiendi alteri delegare valeat. Eandem eſſe mentem Eccleſiæ & Cleri Gallicani *Natalis Alexander Diſſertat. IV. ad hiſtoriam Sæculi XIII.* oſtendit.

CONCILIUM MOGUNTINUM

Anno Chriſti MCCCI. Bonifacii VIII. Papæ VII. Alberti Regis III.

NOS GERARDUS II. DEI GRATIA, SANCTÆ MOGUNTINÆ SEDIS ARCHI-EPISCOPUS &c.

AD Laudem Dei, animarum ſalutem, Cleri honeſtatem, Emendationem & quietem Deo Famulantium, ex officii noſtri debito, ampliandam, per communis juris, & æquitatis tramites incedentes, præcipimus & mandamus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis; in omnibus Eccleſiis civitatis & Diœceſis noſtræ Mogunt. inter Canonicos, & Confratres, præbendas æqualiter miniſtrari, damnantes & reprobantes, & de medio Fratrum tollentes inæqualitatem & ſectionem præbendarum, quas majores & pueriles appellant, quibus ſine dubio rixæ, lites, contentiones periculoſæ, diſſenſiones, odia,

Gerhardus de Epſtein, ex Canonico Moguntino & Archi-Diacono Treverenſi creatur a Nicolao IV. Papa Romæ Archi-Epiſcopus Moguntinus ob ſchisma electorum anno 1288.: is præter Aſchaffenburgenſem Synodum Provincialem anni 1292. [de qua *Serarius pag.* 848. & *Nos eo anno*] hanc Diœceſanam celebravit. *Teſte MS. Erfordienſi.* Sedit ab A. 1288. ad A. 1304. 25. Februarii, quo obiit, *teſte Tritbemio.*

odia, & rancores in Ecclesiis, sicut experientia optima rerum magistra nos docuit, oriuntur. Antiqua distributione præbendarum, secundum primævam & justam institutionem earum, processu temporis per præbendas inibi vacaturas, seu alias habita facultate, ad æqualitatis compendium proinde revocanda, ut sicut in magnis, ita quoque in minoribus membris suis, firmam Ecclesia teneat unitatem.

II. Inhibemus etiam in Ecclesiis electiones fieri Canonicorum ad Præbendas, vel Canonicatus non vacantes, sub pœnis, quæ super hoc in FRITISLARIENSI CONCILIO sunt expressæ, decernimus etiam, & pronuntiamus electiones hujusmodi, si quæ temere factæ sunt, aut fuerint, irritas & inanes; Nobis, aut nostris Successoribus tot præbendarum collationes in Ecclesiis reservantes, quotquot in eis electiones hujusmodi sunt, aut fuerint celebratæ: nisi cum aliquibus taliter electis, per Nos, aut nostros Antecessores vel Successores, per virtutem præfati Concilii, propter urgentem necessitatem, & evidentem utilititatem, sit, aut fuerit dispensatum.

III. Cæterum; Prædecessorum nostrorum, & nostra statuta vetera renovantes, & deduci volentes in notitiam luculentam, excommunicamus omnes Clericos, Monachos, Canonicos, qui colligationes, seu confœderationes ullas fecerint, fidei aut juramenti interpositione, contra sacrorum Canonum instituta, cum ex hujusmodi colligationibus suboriantur discordiæ, quæ bonum obedientiæ destruunt, nervum Ecclesiasticæ disciplinæ dissolvunt, bona Ecclesiarum dissipant, & immensa pericula pariunt animarum, nisi mox ipsi confœderantes, sicut de facto se colligarunt, ab invicem se absolvant: pronuntiamus autem & publicamus: neminem ex hujusmodi colligationibus, seu conjurationibus, obligari.

IV. Insuper; districtissime prohibemus: ne aliquis Clericorum, Calices, Libros, Cruces, vestimenta Sacerdotalia, obliget apud Judæos, ne per ipsos in his facta nefaria perpetrentur.

V. Prærerea; omnes sententias excommunicationis & interdicti, quas, anno transacto, in Synodo Moguntina promulgavimus contra Dominum *Albertum*, Romanorum Regem, suos adjutores, complices, & fautores, Ecclesiæ nostræ Moguntinæ per injuriam invasores, cum inter Nos, & ipsos sit concordia & compositio amicabilis ordinata, quantum in Nobis est tollimus, & in præsentibus revocamus.

VI. Præterea; processus, & acta judiciorum per nostræ Sedis Judices, vel Archi-Diaconos Ecclesiarum Mogunt. aut Officiales eorum, habitas, & habita in civitate Moguntia, post inhibitionem nostram, quam ipsis direximus: ne aliquam in civitate Moguntina jurisdictionem exercerent, cum adjectione decreti, decernimus & pronuntiamus penitus non tenere.

VII. Insuper, omnes Quæstuarios, & petitiones eorum qualescumque publice lucrativas, quas in Ecclesiis, vel coram populo solent proponere, suspendimus, propter multas rationabiles causas, donec a Nobis examinentur mature, & nostræ auctoritatis præsidio denuo muniantur.

Datum in *Synodo Moguntina*, anno Domini MCCCI. VIII. Idus Junii.

Ex codice MS. S. Petri Erfordiensis descripsit Cl. Schannatus b. m.

Serarius Moguntiacarum rerum Lib. I. C. XXXIII. non meminit hujus Concilii inter annos MCCXCI. quo ponit XVII. Concilium, & MCCCX. quo ponit decimum octavum Concilium Moguntinum.

Schmidius in Dissertatione ad historiam Conciliorum Moguntiæ inter annos MCCLXI. & MCCCX. nil hujus meminit Concilii.

§. VIII. In hoc eodem Concilio Moguntino anno MCCCI. Albertum Regem Romanorum ab excommunicatione absolutum fuisse, annotavit *Cl. Schannatus*: quia ob Adolphum Nassovium anno MCCXCIX. cæsum, Albertus excommunicatus fuit. Anno MCCCII. in amicitiam Alberti Regis restitutum fuisse Gerhardum Mogunt. *Scribit Serarius.*

CON-

CONCILIUM WRATISLAVIENSE

Anno Chriſti MCCCV. Clementis V. Papæ I. Alberti Regis VII.

SUB HENRICO EPISCOPO PRÆSIDENTE.

IN nomine Domini, Amen. Quoniam nonnulli tam Laici, quam Clerici noſtræ Diœceſis, timorem Domini non habentes, dum pro aliqua cauſa legitima, vel eorum culpis exigentibus, per Nos, vel per aliquos alios Judices, excommunicationis ſententia innodantur; in excommunicationis ipſius ſententia in propriæ ſalutis diſpendium & honoris, interdum per plures annos tam contemptibiliter, quam damnabiliter auſu diabolico perſeverant: Igitur Nos, Dei gratia, HENRICUS, Epiſcopus Wratislavienſis, ad morbum curandum hujusmodi attendentes, quia ea vindicta juxta Sanctiones Canonicas, quæ ad correctionem magis valet, magisque timetur, ingeri debeat & infligi; cum Deum placando, & recognoſcendo hoc ſolum bene agitur, ut vita hominum corrigatur; de conſilio & conſenſu noſtri Wratislavienſis Capituli, Fratrum noſtrorum, quorum nomina inferius annotantur, proinde duximus ſtatuendum:

I. Ut quicunque noſtræ Diœceſis homo, ſive Laicus, ſive Clericus, qualis de cætero per annum in excommunicationis ſententia, per quemcunque Judicem Eccleſiaſticum in ipſum rite prolata, contumaciter præſumpſerit perdurare, laici ipſius bona mobilia, quæ in ipſa Diœceſi obtinet, univerſa per Principes & Poteſtates ſæculares, ad noſtram tamen & Eccleſiæ requiſitionem, debeant confiſcari.

II. Si autem Clericus excommunicationis ſententiam per annum ſuſtinuerit animo pertinaci, fructibus Beneficii, vel Beneficiorum ſuorum, quos in ipſa Diœceſi noſtra habet, per annum eundem, quo in ſententia perſtiterit, ipſo facto irrecuperabiliter ſit privatus. Quos tamen fructus Beneficii, vel Beneficiorum, ſi conſumpſerit forſitan illo anno, tunc ſequentis anni redditibus omnino careat: quos pro ipſa fabrica Eccleſiæ noſtræ decrevimus collocandos; ſola ſuſtentatione duntaxat ipſi Clerico ad noſtram, vel Succeſſoris noſtri moderationem de ipſis redditibus, ſive fructibus reſervata atque permiſſa.

III. Præterea, quia plerique Plebani, & alii Eccleſiarum Parochialium Rectores, proceſſus ſive mandata noſtra, & noſtrorum Officialium, ſeu Judicum, aut negligenter exequuntur, aut exequi omnino differunt, in Noſtrum, ac jurisdictionis noſtræ non modicum contemptum, ac diſpendium eorum, quorum negotia aguntur: & licet contra tales per Conſtitutiones alias ante ſit proviſum: Nos tamen non tam nova condentes, quam vetera recenſentes, de conſenſu noſtri Capituli ſupradicti, ſtatuimus & mandamus, ut omnes & ſinguli noſtræ Diœceſeos Clerici tam religioſi, quam ſæculares, Beneficia Eccleſiaſtica, vel proventus alios Eccleſiaſticos in ipſa Diœceſi noſtra obtinentes, ſive ſint Prælati, ſive Rectores Eccleſiarum, vel Vicarii, aut quivis alii Clerici conſtituti in Eccleſiis (a) *veſtræ* Diœceſis, quibuscunque, quoties & quando per Nos, aut per alios Judices competentes, quibus obedire de jure teneantur, mandatum aliquod maxime literatorie receperint exequendum; ipſum ea, quâ decet, fidelitate, & reverentia exequantur. Non ſolum ſigilla non executo mandato, ſicut plerique conſueverunt facere, literis apponendo, ſed etiam omnia & ſingula ſine ſubterfugio, quæ per ipſas inducta fuerint literas, fideliter & efficaciter adimplendo.

IV. Quicunque vero in hoc aut per negligentiam, vel contemptum repertus fuerit exceſſiſſe, ſententiam ſuſpenſionis ab officio a nullo quam a Nobis, aut Officiali noſtro Wratislavienſi, aut Vicario noſtro generali, poſtquam ſatisfecerit, relaxandam, & pœnam nihilominus trium marcarum uſualis argenti ipſum incur-

(a) *lege:* noſtræ.

incurrere volumus ipso facto: cujus quidem pœnæ seu pecuniæ dimidietas fabricæ Cathedralis Ecclesiæ nostræ cedat, & alia dimedietas Judici, cujus mandatum contemptum fuerit seu neglectum.

Præcipimus itaque Judicibus universis sub pœna suspensionis ab officio firmiter injungentes, ut prædictam pœnam a delinquentibus exigant, & eam sine Nostra, & Successorum nostrorum licentia non relaxent.

V. Cæterum sunt nonnulli nostræ Diœceseos Clerici, qui solum respicientes præsentia, sed quod in futurum emineat (*a*) nil pensantes, tantis debitis se onerant, quod Beneficiorum, Ecclesiarumque redditus, quos habent, interdum non sufficiant ad debita solvendum: sicque contingit, ut successores eorum in eodem Beneficio indebito modo graventur.

Igitur Nos volentes super eo salubriter providere de consensu Fratrum nostrorum præsenti SYNODALI statuto firmiter prohibemus, ne quisquam de cætero alicui Clerico Diœcesis nostræ cujusque conditionis aut status existat, quidquam credere vel mutuare præsumat, ultra quam beneficii vel beneficiorum, quæ obtinet, valor fructuum extendat illorum, quæ per mortem ipsi Clerico per annum debeant deservire. Quicunque vero in contrarium fecerit, amplius credendo vel mutuando Clerico, illud perdat, & creditori contra suum successorem debitorum actio sit negata.

VI. Ne vero prætextu ignorantiæ in præmissis se valeant excusare, præcipimus sub pœna suspensionis ab officio, & nihilominus Synodali, ut unusquisque Archi-Diaconus copiam præsentium a Curia nostra recipiat, & eandem Archi-Presbyteris suis tradat; per ipsos postmodum Archi-Presbyteros aliis Ecclesiarum Rectoribus sibi subditis infra unum mensem a dato præsentium assignandam: ita quod quilibet Rector Ecclesiæ seu Plebanus Constitutiones easdem in Ecclesia sua habeat applicatas parieti & affixas, pro facienda etiam copia eorum nullum pretium penitus exigatur. Anno Domini *Millesimo trecentesimo quinto*, XIII. Kal. Decembris; præsentibus [*b*] NOBIS, nostra Diœcesana Synodo, nostræ Ecclesiæ Cathedralis Clero, de tota Diœcesi convocato, præsens Constitutio est solemniter publicata. Præsentibus & expresse consentientibus his nostris Fratribus: Domino Magistro Jacobo Præposito, Domino Cantore Vito, Domino Walbone Scholastico, Arnoldo Lignicensi, & Joanne Oppoliensi Archi Diaconis: Nicolao Præposito Sanctæ Crucis: Magistro Paulo, Henrico albo, Nicolao Bamchzkonis; Canonicis Ecclesiæ Wratislaviensis, & aliis multis. Amen.

Lunig. Continuatio II. Spicilegii Ecclesiastici pag. 1176. 1177.

(*a*) *forte:* immineat.

(*b*) *forte:* præsidentibus Nobis nostræ Diœcesanæ Synodo.

CONCILIUM MONASTERIENSE

SUB OTTONE EPISCOPO.

Anno Christi MCCCVI. Clementis V. Papæ II. Alberti Regis VIII.

SUMMA. Otto Episcopus Cleri sibi rebelles vitia perstringit, & multa sanxit pro Cleri disciplina.

OTTO, Episcopus Monasteriensis, Sacerdotium Clerico suo a Canonicis Principis Ecclesiæ Monasteriensis petebat. Id illi precibus Episcopi denegarunt, & dederunt Proconsulis Rickii filio, juveni indigno.

Obstitit Episcopus, qua opportunitate Canonici tanquam filii civium contemnerentur ab Episcopo, Magistratum & Cives contra eum concitant.

Episcopus nihil veritus perduelles Synodum Cleri cogit, in qua multa Cleri vitia perstringit, multa sanxit adversus eos, qui aut per corruptelas ingressi essent

essent Sacerdotium, aut plura præter unum possiderent.

His Statutis magis offensi Episcopatum Ottoni derogare, & Conradum Comitem de Monte eligere attentant.

Otto appellat ad Henricum Virnenburgicum Coloniensem Metropolitam suum: at hic potius causam Conradi perperam electi, quam Ottonis injustissime depositi, fovere videbatur. *Levoldo teste.*

Igitur Otto ad Clementem Pontificem in Galliis morantem appellat, qui Ottonem auditum coram Cardinalibus innoxium pronuntiat: Canonicis imperat Episcopi sui receptionem sub gravibus pœnis. Qui tum Legatis missis Ottonem revocant, Otto moritur MCCCVIII.

Schatenus Tomo II. Annal. Paderbornæ Lib. XII. pag. 303. 304.

CONCILIUM COLONIENSE

Anno Christi MCCCVI. Clementis V. Papæ II. Alberti Regis VIII.

SUB HENRICO VIRNENBURGICO ARCHI-EPISCOPO.

CAPITULA XV.

Capitula seu Rubricæ Statutorum Ecclesiæ Coloniensis, editorum à bonæ memoriæ Domino HENRICO, Archi-Episcopo Coloniensi.

SUMMA CAPITULORUM.

Cap. I. *Contra Beggardos vel Beggardas, Apostolorum nomine se vulgo insinuantes, novamque sub umbra paupertatis religionem simulantes, contraque illorum errores.*

II. *De instantia hæreticorum supradictorum, quæ posset fieri.*

III. *Contra hæreticos utriusque sexus.*

IV. *Contra publicos usurarios.*

V. *Contra illos, qui faciunt statuta in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis, & Episcopalis jurisdictionis.*

VI. *Contra perturbatores jurisdictionis Officialis nostri, & aliorum Officialium, jurisdictionem habentium,*

VII. *Contra Prælatos usurpantes sibi jurisdictionem Episcopalem.*

VIII. *Quod bona Prælatorum, & maxime Archi-Episcoporum, & Episcoporum; cedunt post mortem ipsorum, successoribus eorumdem.*

IX. *Contra falsarios litterarum.*

X. *Ne alienus seu ignotus permittatur celebrare in Ecclesiis.*

XI. *Quod pro clandestino matrimonio excommunicatos nullus absolvere habet, nisi Officialis Coloniensis.*

XII. *Contra illos, qui temere absolvunt excommunicatos ab Episcopo, seu ejus Officiali, & qui adulterant litteras aut monetam.*

XIII. *Contra illos, qui truncos erigunt in plateis, & oblationes tollunt.*

XIV. *Ne quis inducat alium ad sepulturam eligendam extra suam Ecclesiam Parochialem.*

XV. *Quod Clerici vel Religiosi non debent coram Judice sæculari in causam trahi, nec eorum bona judicio sæculari arrestari.*

IN

Celebratum fuit hoc Concilium anno primo Archi-Episcopatûs sui, Dominica *Invocavit*: Meminit ejus *Schatenus in Annal. Paderbornæ ad h. a. pag.* 203. & Provincialium Episcoporum Synodum in Quadragesima habitam scribit. Ejus nec *Binius*, nec cæteri Synodographi meminerunt, etsi jam anno 1554. typo Coloniensi impressum extaret.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, id est, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

HENRICUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI EPISCOPUS; SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, UNIVERSIS ECCLESIARUM PRÆLATIS, RECTORIBUS, CLERICIS, ET CHRISTI-FIDELIBUS SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

QUoniam humana natura longe prioribus plus solito temporibus labitur ad delicta, & humana cupiditas litium mater, & pacis æmula, discordias & dissensiones adinvenit, quibus humana quies, Ecclesiarum & Clericorum libertas opprimuntur: Nos perversorum actibus finem, quo possumus remedio, prospicere cupientes, ad honorem Dei, Sanctæ Matris Romanæ Ecclesiæ, nec non Coloniensis & Filiarum ejus, pro ipsarum pace, & salubri statu, & libertate servanda, Prædecessorum nostrorum Statuta ordinaria confirmamus, & de consilio & assensu Capituli nostri, & Prælatorum Coloniensium infra scripta.

I. *Contra Beggardos & Beggardas, Apostolorum nomine se vulgo insinuantes, novamque sub umbra paupertatis religionem simulantes, contraque illorum errores.*

LIcet Patres consulta prohibitione statuerunt,(*) ne quis novam religionem fingeret, vel habitum novæ religionis, quam Sedis Apostolicæ auctoritas non firmasset, sibi propria temeritate assumeret: sed si frugem vitæ melioris concupisceret, unam sibi assumeret de religionibus approbatis: quidem tamen (nescientes uti concessis) laici mares & fœminæ idiotæ prorsus, ad illicita frena laxantes, superstitiosis adinventionibus satagunt invenire novos ritus, & habitus sive mores, in discrimen multorum, cum scandalum, & discordiam plerumque pariant novitates: novumque vivendi modum & habitum sub *paupertatis umbra* tenentes *Beggardi & Beggardæ*, & *Apostoli* videlicet vulgariter appellati, contra sanctorum Patrum & Sedis Apostlicæ sanctiones, quæstum publicum (*a*) via prohibita vendicantes, victualia manibus quærere, prout consueverant, non curando, in religiosorum (qui in sanctæ religionis habitu, per sacrosanctam Romanam Ecclesiam approbatæ, Domino famulantur, per quorum studium vinea Domini culta, centuplicatos crescit in fructus) discrimen Christianæ religionis & orthodoxæ fidei detrimentum: nonne, qui contra sanctorum Patrum edicta & Sedis Apostolicæ sanctiones moliuntur taliter, de hæresi suspectos notorii sceleris eorum præsumptuosa temeritas notat? Qui (*b*) more hostis antiqui, se *in lucis Angelum* transformantis, multorum animas decipiunt, & seducunt, cum eleemosyna talibus in charitate non existentibus, quos Canonum censura excommunicationis pœna ipso facto percellit, facta sit vacua & vana. Et non obstante, quod verbum Dominicum ad primum hominem est translatum: *In (c) sudore vultus tui vesceris pane tuo*: Quod ad fortes & sui compotes moraliter intelligitur esse dictum: & tales, in ocio victum vendicantes, eleemosynas rapiunt, quæ infirmis & debilibus fuerant pauperibus ministrandæ. Immo scriptum est: *Sudet (d) eleemosyna in manu tua, donec reperias justum, cui des eam.* Sed forte tales asserunt se esse justos. Sed respondeant, cujus testimonio & judicio eorum est justitia comprobata? Non Ecclesiæ, in Christo Dei, Apostolorum & Sanctorum sanguine dedicatæ: in cujus scandalum, infirmorumque & debilium pauperum detrimentum, sub paupertatis umbra novum vivendi ritum & habitum invenerunt: in quam judicandi & discernendi inter justum & impium authoritas, in Petri persona est translata: *cui dicitur; Quodcunque (e) ligaveris & solveris super terram, erit solutum, & ligatum in cœlis*: quasi dicens: quem justificaveris, approbamus: & quemcunque damnaveris impium reprobamus. Cesset ergo horum vana religio, & celeri conversione judicio Ecclesiæ se submittant. Vere hi Canonum contemptores, in Spiritum San-

(*) Concilium Lateranense IV. anno 1215. Cap. 13. sub Innocentio III.
(*a*) eis prohibitum. (*b*) II. Cor. XI. (*c*) Genesis III, 18.
(*d*) Eccles. XXIX, 11, 15, 16. (*e*) Matt. XVI, 19.

Sanctum, a quo formam Christiana religio & vivendi sumpsit exordium, graviter delinquere comprobantur; cum videlicet Spiritus Sancti instinctu, per ora sanctorum Præsulum sacri sint Canones instituti. Hi sunt *hypocritæ tristes*, a quibus in Evangelio dicitur esse cavendum, *qui* (*f*) *facies suas exterminant*, *ut appareant hominibus jejunantes.* Hi (*g*) sunt *fontes sine aqua*, & nebulæ turbinibus agitatæ, quibus umbra mortis & caligo tenebrarum, juxta verbum veritatis prolatum Apostolicæ vocis oraculo, reservatur: Quorum aliqui a veritatis & fidei orthoxæ comperti sunt tramite deviare & errores & zizania seminare. Quos ut omittamus eorumdem errores aliquos (*h*) scripti præsentis testimonio ad futurorum memoriam publicamus. Mendaciter enim & falso dicunt: *Qui non sequitur me*, *non potest salvari*, *quia non soleo peccare*: Si ex hoc Divinitati similes se mentiendo, more satanæ, qui (*i*) superbia propria corruit de cœlo prostratus, cum potius tales sub peccatorum labe marcescant: Qui montem (id est) Christum ineffabilem sapientiam, tangere, id est, erroribus lacerare, a quo lapidabuntur, id est, hic & in futuro, ignis incendio cremabuntur, & irritare intrepide præsumpserunt. Ajunt etiam: *Nisi mulier virginitatem in matrimonio deperditam doleat, & dolendo deploret, salvari non potest:* quasi matrimonium sit peccatum, cum tamen ipsum ante peccatum in loco sancto, a Sanctorum Sanctissimo fuerit institutum: (*k*) quæ virginitas in fœtum sobolis compensatur, per quam humana natura (*l*) stabilitate perdurat: qam assumere ipse dignando, paulominus ab Angelis minoratus, creaturis cæteris prædotavit. Item ore prophano, lingua super terram currente, blasphemant *Deum fore in quadam perditione, qui tam pie, quam misericorditer*, ut nos redimeret, voluit incarnari, cum Divina natura peccati & corruptionis nescia, passa diminutionem, seu alterationem non fuerit, sed illibata persistens, una in duabus naturis substantia, accepit ipse de nostro, ut Divinitatis ejus participes fieremus. Horum etiam aliqui contra Regem & Prophetas erroribus insultantes, dicunt: *quod quilibet habens uxorem legitimam, causâ sequendi Deum propria voluntate, eam, invita ea, possit dimittere*, contra Sanctorum Patrum decreta, & doctrinam Apostoli, prohibentis [*m*] ab invito uxorem viro, & virum ab uxore sine causa dimitti. Et scriptum est: *Quod ergo* [n] *Deus conjunxit, homo non separet.* Ex quo ostenditur, fore (*o*) indissolubile sine causa matrimonii Sacramentum: per quam auctoritatem Divinam, Ecclesiæ Primatibus (quorum est in talibus judicium exspectandum) sine causâ dissolutio hujusmodi est interdicta: quanto magis subditis simplicibus, quorum non est judicare, sed potius judicari?

II. *De Instantia hæreticorum supradictorum, quæ possit fieri.*

Sed forte dicunt: *Qui* (*p*) *Spiritu Dei aguntur*, *non sunt sub lege.* At respondeant, quomodo Spiritu Dei agantur, qui contra Spiritum Dei agunt, prohibentis virum ab uxore, & econverso sine causa dimitti, judicio Ecclesiæ approbata, ut superius est probatum? Verùm dicunt, quod hoc eis cœlitus sit revelatum: sed, quomodo sciunt, quod hæc revelatio sit cœlestis, cum satan (*q*) in lucis Angelum se transformet? sed forte instabunt, quia scriptum est; *Lex* (*r*) *non est imposita justo*, justos se esse, & sine peccato, jactantes. At erubescant profecto impii, attendentes Apostolum Paulum egregium Ecclesiæ Doctorem, Electionis vas, Spiritu Sancto plenum, qui ait: *Nihil* (s) *mihi conscius sum*, *sed non in hoc justificatus sum*, & alibi beatissimus Joannes: *Si* (*t*) *enim dixerimus*, *quod peccatum non habemus*,

(*f*) Matt. VI. (*g*) Judæ I.
(*h*) Errores octo capitales Beguardorum, & Beguinarum hæreticorum Alemanniæ condemnat sigillatim Clemens V. in Concilio generali Viennensi anno 1311. *Lib. V. Clementinarum Tit. III. Cap. III.* Ad nostrum. *Tritbemius* octo eorum errores recitat *in Chronico Hirsaugiensi ad annum* 1311.
(*i*) Esai. XIV. (*k*) *forte*: & ipsa. (*l*) stabiliter.
(*m*) I. Cor. VII. (*n*) Matt. XIX. (*o*) indivisibile.
(*p*) Rom. VIII. Gal. V. (*q*) II. Cor. XI. (*r*) I. Tim. I.
(*s*) I. Cor. IV. (*t*) I. Joan. I.

bemus, nos ipsi decipimus. Et sanctus Job, de se ipso loquens, inquit: *Si* (u) *simplex* (id est Justus) *hoc ipsum ignorabit anima mea.* Hi sunt hæretici, qui fœdus Christianæ Religionis dissolvere moliuntur. Item dicunt fallaciter mentientes, *simplicem fornicationem non esse peccatum*, cum tamen inter decem Præcepta, Dei digito designata, Mosi a Deo tradita in montis excelso, expresse fornicatio fuerit interdicta: & qui fornicari (x) prohibuit, inter simplicem fornicationem & aliam non distinxit. Hanc etiam Sanctorum (y) Regulæ & Canones interdicunt, & simpliciter prohibita, quia mala, generaliter vetita comprobantur: & quod non est Sanctorum decreto sancitum, sed potius interdictum, non est superstitiosis, contrariis, falsis adinventionibus præsumendum. Quos errores præsentibus refutamus, talesque excommunicatos & hæreticos judicamus, & nisi celeriter & publice resipiscant, sæculari judicio comprimendos. Et quod amaricata mente ferimus, eornm aliqui laici ac litteras nescientes, Prædicatoribus & Minoribus in sermonibus eorum, & prædicationibus publicis, quibus in agro Theologicæ sapientiæ continue laborantibus, prædicationis verbum per sacrosanctam Ecclesiam est commissum (z) Dei, & Fidei secreta lucescunt, non sine vehementi suspicione pravitatis hæreticæ, publice restiterunt in fidelium injuriam, & sanctæ Ecclesiæ, errorum & cæcitatis caliginem in veritatis lucem spargentes, temere insultarunt. Quorum insolentiis & pestiferis actionibus, quo possumus remedio, disponimus contraire, ne per taciturnitatem, eorum consentire delictis, & per impunitatem eos fovere damnabiliter censeamur: Eos igitur omnes & singulos præsentibus requirimus & monemus, quatenus intra unius mensis spatium, habitu hujusmodi assumpto dimisso, resumptoque priori, ad genus vivendi pristinum revertantur, manibus vitæ necessaria justis (ut solebant) laboribus acquirentes. Alioqui ipsos omnes & singulos eis & eorum cuilibet dicto mense pro Canonica monitione, & termino peremptorio currente, in his scriptis excommunicamus, & a gremio Matris Ecclesiæ separamus, nisi medio tempore coram nobis causam rationabilem ostenderint, quare id facere minime teneantur. Quod si excommunicationis sententiam per alios quindecim dies immediate sequentes animo sustinuerint indurato, contra ipsos tanquam de hæresi suspectos, spiritualiter & temporaliter procedemus: sub simili pœna mandantes, & districte præcipientes omnibus & singulis Prælatis, Ecclesiarum Rectoribus, eorumque Vicariis nostræ civitatis & Diœcesis, quatenus ipsos Beggardos & Beggardas, ac qui se Apostolos appellant, in suis Ecclesiis excommunicatos, extunc publice denuntient tam diu, donec suum recognoscentes excessum, ad gremium sanctæ Matris Ecclesiæ revertantur, & DEO, Nobis, & Ecclesiæ condigna satisfactione impensa, a Nobis mereantur absolutionis beneficium obtineri.

III. *Contra hæreticos utriusque sexus.*

Quia vero plus solet timeri, quod specialiter interdicitur, quam quod generaliter imperatur: excommunicamus & anathematizamus omnes hæreticos utriusque sexus, & qui eis dederint consilium, auxilium vel favorem, publice vel occulte, vel qui aliter de fide, articulis fidei, Ecclesiasticis Sacramentis & Matrimonio, sentire, prædicare, vel docere præsumpserint, quam servat, docet, & prædicat sacrosancta Romana Ecclesia, Mater omnium Fidelium & Magistra.

IV. *Contra publicos usurarios.*

Sed & omnes usurarios, usuras publice exercentes requirimus & monemus, quatenus suæ saluti prospicientes, deinceps ab usurarum actione, quæ animas devorant, & aliorum exhauriunt facultates, prorsus abstineant. Requirimus insuper omnes Scabinos oppidornm & locorum quorumlibet, ut tales, nisi resipiscant, ab eorum consortio & cohabitatione repellant. Alioqui contra ipsos ad executionem & observationem pœnarum inflictarum eis a jure, prout justum fuerit, procedemus.

V.

(u) Job. IX. (x) Deut. XXIII. (y) Actor. XV, 29.
(z) Innocentii III. & Honorii III. jussu, & Friderici II. Augusti Constitutione anni 1220. Prædicatores & Minores contra hæreticos deputati commendantur. *Tom. III. Concil. German. pag.* 507.

V. *Contra illos, qui faciunt statuta in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis, & Episcopalis jurisdictionis.*

Omnes item illos, qui statuta ediderint vel servaverint facta in præjudium Ecclesiasticæ libertatis & nostræ jurisdictionis, nisi infra mensem ea revocaverint cum effectu, quos Canonum censura extunc decrevit, excommunicatione nodatos [a], quæ statuta Nos nihilominus ordinaria auctoritate cassamus, & irritamus, immo cassa & irrita nunciamus. Et nisi intra mensem, a lapsu mensis prædicti numerandum, ea prout de facto fecerunr, maturiori consilio studeant revocare, eos (Canonica monitione præmissa) excommunicamus, & in his scriptis statuimus excommunicationis sententiæ subjacere. Talesque præcipimus per Ecclesiarum Rectores singulis diebus Dominicis & Festivis excommunicatos publice nunciari. Quod si in his exequendis iidem rectores negligentes fuerint, ipsos (trium dierum Canonica monitione præmissa) in his scriptis excommnicamus. Quam si animo indurato sustinuerint, contra eos ad privationem beneficiorum, prout eorum rebellionis exegerit qualitas, procedemus.

VI. *Contra perturbatores jurisdictionis Officialis nostri, & aliorum Officialium jurisdictionem habentium.*

Item omnes illos, qui in consistorio nostro vel alias, dum Officialis noster, vel alii Officiales jurisdictionem habentes, præsederint pro justitia reddenda, cujuscumque fuerint conditionis aut status, in Clericos, Advocatos, Notarios, Procuratores & Officiatos dictæ Curiæ nostræ, & alios, manus injecerint temere violentas: quique ad hoc eis dederint publice vel occulte auxilium, consilium, vel favorem, quos Canonica monitione præmissa in his scriptis excommunicationis sententiæ decernimus subjacere; & nisi intra triduum condignam præstiterint emendam, per locorum Rectores (unde fuerint taliter excedentes) ad denuntiationem Officialis nostri & aliorum, in eorum Parochiis cessetur a Divinis, usquequo fuerit satisfactum, nisi super cessatione cum eis fuerit dispensatum.

VII. *Contra Prælatos usurpantes sibi Jurisdictionem Episcopalem.*

Monemus item omnes & singulos jurisdictionem habentes & non habentes, specialiter Decanum Tremoniensem, in Wittene, in Hagene, & in Essende Christianitatnm Decanos de causis ad Nos & Consistorium nostrum de jure vel consuetudine spectantibus maxime matrimonialibus, & aliis quibuscunque causæ cognitionem exigentibus præterquam in Synodalibus, (b) quocunque modo, causa, vel colore quæsito, se intromittant, disponant, vel cognoscant, vel audiant: sed ad Nos & Officialis nostri sine difficultate remittant examen, fine Canonico decidendas.

Qui vero contra fecerint, in nostram jurisdictionem falcem mittendo, ipso facto excommunicationis sententiæ statuimus subjacere, ipsorum sententias, & processus super eis latos, & habitos, nihilominus cassamus, & irritamus, cassos & irritos præsentibus nuntiamus. Contra quos solerter invigilabimus, ut tales pœna canonica castigemus.

VIII. *Quod bona Prælatorum, & maxime Archi-Episcoporum, & Episcoporum, cedunt post mortem suis Successoribus.*

Cum autem nulli sanæ mentis in dubium veniat, quin bona mobilia & immobilia, a Prælatis quocunque titulo conquisita, & ad eos, dum viverent, pertinentia, post eorum obitum, apud quoscunque fuerint deposita, credita, commodata, debita, vel mutuata Clericis, Religiosis pariter & laicis utriusque sexus, ad eorum Ecclesias libere revertantur, ad ipsas quoque pertineant, cum nullus sit, nec a jure hæres proximior censeatur, quam qui cum Domino per honorum fastigia copulatur. Et nuper ad nostram notitiam pervenit, quod nonnulli Clerici & Religiosi & laici utriusque sexus bona Prædecessorum nostrorum, & maxime bonæ memoriæ Domini WICHBOLDI Prædecessoris nostri, in auro, & argento, in vasis scyphis aureis, & argenteis, gemmis preciosis, annulis, pannis aureis, libris pagamentis, & diversis pecuniarum summis consistentia (quæ

(a) excommunicatos declaramus.

(b) *adde:* ut ne.

(quæ reliquerunt, Ecclesiæ Coloniensi, & Nobis de jure competunt, nec possunt per alios sine animarum periculo detineri) deposita, credita, commodata, mutuata, pignorata, debita hucusque detinere damnabiliter præsumpserunt, & adhuc detinent, Nobis & Ecclesiæ restitutione & plenaria satisfactione non facta, in ipsorum periculum animarum, & scandalum plurimorum. Nos igitur volentes (ut juramento tenemur adstricti) alienata, distracta, & male detenta, Nostra & Ecclesiæ nostræ bona, ad jus possessionis, & proprietatis antiquæ omni studio & remedio, quo possumus, revocare, omnes & singulos Clericos prædictos, Religiosos, & laicos utriusque sexus, qui bona Prædecessorum nostrorum, & præcipue Domini WICHBOLDI, ab eis dimissa, seu penes eos deposita, commodata, tradita, mutuata, pignorata, vel alias quocunque alio titulo vel causa, modo penes eos existentia, habent, possident, vel detinent, sub quocunque prætextu vel colore, in quibuscunque rebus consistant, auro, argento, vasis, annulis, pannis aureis, libris, pecuniarum summis, privilegiis, litteris, & instrumentis, vel aliis rebus & bonis, ad Nos & Ecclesiam nostram spectantibus, præsentibus requirimus & monemus primo, secundo, & tertio, ut ipsa bona intra XXX. dies Nobis, & Ecclesiæ nostræ Coloniensi restituant & assignent. Scientes vero habentes, tenentes, & possidentes bona hujusmodi, intra idem tempus revelent Nobis, & F. Johanni Pœnitentiario nostro publice vel occulte. Alioqui dictis triginta diebus, eis & eorum cuilibet pro canonica monitione & termino peremptorio currentibus, ipsos & eorum quemlibet in his scriptis excommunicamus, & a gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ separamus, & sub excommunicationis pœna latæ sententiæ in his scriptis injungimus, & districte præcipimus omnibus Prælatis, Ecclesiarum Rectoribus, eorumque Vicariis, quatenus singulis diebus Dominicis & Festivis prædictos excommunicatos in genere, & quorum nomina sciri poterunt, nominatim, excommunicatos publice coram fideli populo, accensis & extinctis candelis, campanis pulsatis, intra Missarum solennia denuntiare procurent. Alioqui negligentes & contemnentes, excommunicationis sententiæ decernimus subjacere: volentes & districte præcipientes, quod hujusmodi nostram requisitionem & monitionem, solenniter publicent, singulis diebus Dominicis & Festivis intra mensem, ne quis ignorantiam de cætero prætendere valeat in hoc casu.

IX. *Contra falsarios Literarum?*

Falsarios item Literarum, & Sedis Apostolicæ instrumentorum, nostrorumque Prædecessorum, & Ecclesiæ nostræ, & sigillorum ipsis literis appensorum, in his scriptis excommunicationis vinculo innodamus, a qua præterquam a Nobis, seu in mortis articulo tales nolumus liberari.

X. *Ne alienus seu ignotus permittatur celebrare in Ecclesiis.*

Cum item a jure sit penitus interdictum, ne quis ad celebrandum plebibus seu in Capellis permitti debeat, nisi de ipsius Ordinatione canonica, maxime Sacerdotio, constiterit, & nisi constet eum rite secundum claves Ecclesiæ ordinatum, cum multi (licet ordinati prius non fuerint, vel per saltum) se rite asserunt ordinatos in periculum animarum: Monemus universos, & singulos Prælatos, Ecclesiarum Rectores, eorumque Vicarios, eis & eorum cuilibet districte mandantes, quatenus nullum, cujuscunque fuerit conditionis & status Clericum, Beneficium Ecclesiasticum in nostra Civitate & Diœcesi non habentem, ad celebrandum in ordine vel ordinibus aliquibus, in eorum Ecclesiis, seu Capellis, seu altaribus permittant: nisi prius de sua canonica ordinatione, coram Nobis, aut Officiali nostro docuerit, & super hoc a Nobis per litteras licentiam habuerit specialem. Contrafacientes vero, statuendo decernimus, propter hoc excommunicationis sententiæ subjacere.

XI. *Quod pro clandestino matrimonio excommunicatos nullus habet absolvere, nisi Officialis Coloniensis.*

Licet etiam hactenus, Sacerdotibus ruralibus & Decanis, ne excommunicatos pro matrimoniis clandestine contractis,

tractis, aut contrahendis, absolverent, & reconciliarent, fuerit interdictum: quidam tamen (ut ad nostram audientiam frequens sæpe querela deduxit) tales absolvere de facto, quamvis de jure non possent, contra vetitum præsumpserunt. Nos vero hoc innovare volentes districtius inhibemus, ne tales absolvere vel reconciliare præsumant. Contra facientes, excommunicationis ipso facto sententiæ decernimus subjacere. Et nihilominus hujusmodi absolutionem decernimus non valere, quas absolutiones & reconciliationes soli Officiali nostro præsentibus reservamus.

XII. *Contra illos, qui temere absolvunt excommunicatos ab Episcopo seu Officiali, & qui adulterant literas aut monetam.*

Cùm autem minor in majorem non habeat potestatem, districtius inhibemus omnibus nostris subditis, cujuscunque præeminentiæ, ordinis, conditionis vel status fuerint, ne excommunicatos, suspensos, vel interdictos a Nobis, seu Officiali nostro absolvere vel reconciliare, publice vel occulte præsumant, seu excommunicatorum nomina de literis nostris & Curiæ nostræ radere, tollere, vel supprimere, vel delere, vel monetam nostram præscidere, falsificare, ponderare, vel diminuere præsumant. Contra facientes, taliter absolvendo ligatos, excommunicationi ipso facto decernimus subjacere. Ipsosque rasores nominum excommunicatorum, vel suppressores, tanquam falsarios volumus judicari: præcipientes, statuta nostra omnia & singula sub pœnis in eis contentis inviolabiliter observari. Et ne posset ignorantia quoquomodo prætendi, præcipimus omnibus & singulis Prælatis, Rectoribus Ecclesiarum, eorumque Vicariis, quod copiam in scriptis recipere, & habere intra mensem a data præsentium sub pœna simili teneantur.

XIII. *Contra illos, qui truncos erigunt in plateis, & oblationes tollunt.*

Item cum ex usurpatione quadam per aliquorum laicorum insolentias sit inductum, quod trunci lignei eriguntur in plateis publicis & locis aliis, ad recipiendum ibidem eleemosynas fidelium (cum ex reverentia Sanctorum, in Ecclesiis, altaribus, & aliis locis Deo sacratis, oblationes sint, & munera offerenda) & nihilominus oblationes in hujusmodi truncis repositas, & legata facta Ecclesiis, Plebanis, & Rectoribus Ecclesiarum insciis, pro sua distribuunt voluntate, cum ad ipsos Rectores prædictorum distributio & ordinatio, & non ad ipsos laicos de jure pertinere noscatur; id de cætero fieri prohibemus. Contrarium facientes excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subjacere.

XIV. *Ne quis inducat alium ad sepulturam eligendam extra suam Ecclesiam Parochialem.*

Prohibemus item districte sub excommunicationis pœna latæ sententiæ in his scriptis, ne quis cujuscunque status, ordinis, sive conditionis existat, aliquem inducat, cogat, vel seducat, ut alibi, quam in propria Parochia eligat sepulturam, nisi sponte, & ultroneus a se ipso alibi duxerit eligendum.

XV. *Quod Clerici vel Religiosi non debent coram Judice sæculari in causam trahi, nec eorum bona judicio sæculari arrestari.*

Quum item Clerici & Religiosi coram judicio sæculari non debeant in causam trahi, suo vel Ecclesiæ, vel alicujus alterius nomine, aut bona eorum sæculari judicio arrestari, nec a laicis contra eos dictari sententia: idcirco hæc fieri sub interminatione excommunicationis (quam ferimus in his scriptis) firmiter prohibentes, & Prædecessorum nostrorum statuta in hoc casu edita innovantes, statuimus, ut si laicus Clericum, aut Religiosum ad forum traxerit sæculare, vel bona Ecclesiarum, vel Ecclesiasticarum personarum, sive religiosarum, ad ipsos communiter vel divisim spectantia, judicio sæculari arrestaverit, seu procuraverit arrestari, idem laicus omnino cadat a causa: & nihilominus per Ordinarium ipsius excommunicatus nuntietur publice usque ad satisfactionem condignam. Præterea Judex sæcularis & Scabini loci, in quo hoc contigerit, per Ordinarium ipsius loci moneantur, ut de talibus se nullatenus intromit-

tromittant, penitus desistendo & revocando intra triduum, si in aliquo, occasione hujusmodi in præjudicium ipsius Clerici vel Religiosi est processum. Alioqui ipsi Judices & Scabini per Ordinarium eundem sine dilatione qualibet excommunicentur, & excommunicati publice usque ad satisfactionem condignam nuntientur. In qua excommunicatione, si per quindenam perduraverint, locus ille extunc sit Ecclesiastico suppositus interdicto; quod non relaxetur, nisi prius sit sufficienter satisfactum passo injuriam & Nobis, ac Ecclesiæ; & judicatum, si quod factum est contra ipsum Clericum aut Religiosum, & si quod aliud est subsecutum, sit penitus revocatum. Lectæ & publicatæ sunt hæ Constitutiones *Feria secunda post Dominicam INVOCAVIT, Anno Domini Millesimo trecentesimo sexto.*

Ex editione Statutorum Coloniensi Quenteliana an. 1554.

Meminerit Lector cordatus, exemplar manuscriptum Bibliothecæ, seu Archivi Archi-Episcopatus Coloniensis, quod hac in editione usui nobis fuit, Statuta ista, quæ hic proxime & continuo sequuntur, sic digesta habere.

HENRICUS ex illustri gente Virnenburgica electus Coloniensis Archi-Episcopis anno MCCCIII. mense Majo, cum ab alia factione eligerentur Rainaldus Westerburgius Bonnensis Præpositus, ab alia Wilhelmus Juliacensis Trajectensis S. Servatii Præpositus, Archi-Diaconus Leodiensis, qui reapse a Bonifacio VIII. confirmatus, paulo post in Bello Flandro-Gallico occubuit ante aditam Cathedram. Henricus cum Rainaldo ad Curiam Pontificis in Galliam profectus anno MCCCV. illic a Clemente V. Confirmationem & Pallium Lugduni impetravit, XVIII. Decembris Coloniam reversus, a Clero suscipitur, & Concilia V. minimum celebravit: Primum hoc anno MCCCVI. Alterum A. MCCCVII. Tertium Provinciale celebre A. MCCCX. Concilio generali Viennensi A. MCCCXI. interfuit & subscripsit. Quartum anno MCCCXXI. Quintum Provinciale A. MCCCXXII. in quo Synodi præcedentis Sanctiones, ac Festum S. Ursulæ ac Sodalium Virginum per Diœcesin vacuum laboribus stricte servari præcepit, item crastinum S. Mariæ Magdalenæ, quod est Translationis SS. Magorum, diem dedicatæ Ecclesiæ ipso die BB. Cosmæ & Damiani.

Anno MCCCXXII. in die Cosmæ & Damiani SS. Reges Magi transferuntur ad locum, in quo nunc manent, & novus Chorus consecratur, & Archi-Episcopus celebrat Concilium Provinciale.

Hæc coævus Levoldus Northoviiis in chronica Comitum de Marca, edita a Meibomio Hanoviæ anno 1613. *in Folio, interfuisse eundem Concilio anni* 1322. *ait Mörckensius in indice Chronol. Apologetico.*

CONCILIUM COLONIENSE DIŒCESANUM

Anno Christi MCCCVII. Clementis V. Papæ II. Alberti Regis IX.

Capitula seu Rubricæ Statutorum Ecclesiæ Coloniensis a D. Henrico, Archi-Episcopo Coloniensi, secundario editorum.

I. *De celebratione Festorum.*
II. *Quando* Gloria in Excelsis, *&* Te Deum laudamus *sit cantandum?*
III. *Quæ feriæ sint jejunandæ?*
IV. *De Anno bissextili, seu qualiter bissextus sit servandus?*
V. *De celebratione Festorum Annuntiationis B. MARIÆ Virginis, & aliorum Sanctorum, intra octavas Paschæ venientium.*
VI. *De festo Ss. Trinitatis & Eucharistiæ.*
VII. *De nocturnis dicendis.*
VIII. *De officio Scholastici.*
IX. *De observatione Capitulorum sive Tractatuum Capitularium.*

X.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, id est, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Anno Domini MCCCVII. quarta die mensis Martii, quæ est crastinum Dominicæ INVOCAVIT. Indict. V.

HENRICUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, DILECTIS IN CHRISTO PRIORIBUS MAJORIS ECCLESIÆ, ALIARUMQUE ECCLESIARUM COLLEGIATARUM CAPITULIS, COLLEGIIS, PRIORISSIS, CONVENTIBUS, CHRISTIANITATUM DECANIS, ECCLESIARUM RECTORIBUS, ALIISQUE SUÆ CIVITATIS, ET DIŒCESIS COLONIENSIS CHRISTI FIDELIBUS SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

QUoniam humana natura longe prioribus plus solito temporibus labitur ad delicta, & humana cupiditas litium mater, & pacis æmula, discordias, & dissensiones adinvenit, quibus humana quies, Ecclesiarum & Clericorum libertas opprimitur: Nos perversorum actibus finem, quo possumus remedio, prospicere cupientes ad honorem Dei, Sanctæ matris Romanæ Ecclesiæ, nec non Coloniensis & Filiarum ejus, pro ipsarum pace & salubri statu & libertate servanda, Prædecessorum nostrorum statuta ordinaria confirmamus, & de consensu & assensu Capituli nostri, & Prælatorum Coloniensium, statuta edimus infra scripta.

I. *De celebratione Festorum.*

Ut uniformitas in observantia Divinorum Officiorum, & Festorum Sanctorum, quæ per anni circulum occurrunt, observetur, districte præcipimus, & mandamus, ut omnes Ecclesiæ tam Conventuales, quam aliæ Parochiales, Capitularia sua habeant, & corrigant secundum Capitularium nostrum Ecclesiæ majoris Coloniensis, & Festa infra scripta Christi fideles teneant & celebrent, & solenniter observetur: videlicet

In Januario, festum Circumcisionis Domini, Epiphaniæ, Agnetis Virginis, Conversionis S. Pauli.

In Februario, Festa Purificationis B. Virginis MARIÆ, Cathedræ S. Petri, Matthiæ Apostoli.

In Martio, Annuntiationis B. Virginis MARIÆ.

In Aprili nullum festum, nisi forte festum Paschæ, & Georgii Martyris occurrerint.

In Majo, festa Apostolorum Philippi & Jacobi, ac inventionis S. Crucis.

In Junio, festum Nativitatis B. Joannis Baptistæ, item Petri & Pauli Apostolorum.

In Julio, B. Mariæ Magdalenæ, Jacobi Apostoli, Pantaleonis Martyris.

In Augusto, festa B. Petri ad Vincula, Laurentii Martyris, Assumptionis Beatæ Virginis MARIÆ, Bartholomæi Apostoli, Decollationis Beati Joannis Baptistæ.

In Septembri, festa Nativitatis Beatæ MARIÆ Virginis, Exaltationis Sanctæ Crucis, Matthæi Apostoli, S. Michaelis Archangeli.

In Octobri, festa Beatorum Gereonis & Victoris, undecim millium Virginum, Severini Episcopi, Simonis & Judæ Apostolorum.

In Novembri, festa Omnium Sanctorum, Martini Episcopi, Cuniberti Episcopi, Cæciliæ Virginis, Catharinæ Virginis, & Andreæ Apostoli.

In Decembri, festa S. Nicolai Episcopi, Thomæ Apostoli, Nativitatis Domini, S. Stephani Proto-Martyris, S. Joannis Evangelistæ, & Sanctorum Innocentium. Festum quoque Paschæ, in quocunque mense accidat, cum tribus diebus immediate sequentibus, ac dies Ascensionis Domini, festum item Pentecostes cum tribus diebus sequentibus per se solenniter celebrentur. Et volumus, crastinum B. Mariæ Magdalenæ, quo corpora trium REGUM Beatorum Coloniam pervenerunt, ac diem Dedicationis Majoris Ecclesiæ Coloniensis, Cosmæ & Damiani, Coloniæ tantum, sicut dies Apostolorum, cum solennitate Divinorum, & celebratione populi observari. Præterea quælibet Ecclesia festum sui Patroni & Dedicationis solenniter peragat. Omnia vero festa, prædictis exceptis, non præcipimus solenniter celebrari. Sed devotioni hominum relinquantur, ita quod, qui noluerit ea celebrare, propter hoc non culpam, nec pœnam incurrat. Proviso tamen, quod in dictis festis, & in aliis infra scriptis, videlicet: *Fabiani & Sebastiani*, *Agathæ Virginis*, *Gregorii Papæ*, *Benedicti Abbatis*, *Ambrosii Episcopi*, *Divisionis Apostolorum*, *Augustini Episcopi*, *Barnabæ Apostoli*, *Ægidii Abbatis*, *Lamberti*, *Mauritii*, *& Sociorum ejus*, *Hieronymi Presbyteri*, *Remigii*, *Dionysii*, *Lucæ Evangelistæ*, novem Lectiones observentur. Ista tamen festa nunc ultimo posita, nolumus, ut populus, cessando a suis operibus, celebrare teneatur.

II. *Quando* Gloria in Excelsis, *&* Te Deum laudamus, *sit cantandum.*

Item statuimus, ut in festo Annunciationis, & in festo Purificationis Beatæ Virginis MARIÆ, & Beati Petri ad Cathedram, beati Matthiæ Apostoli, quando intra Septuagesimam evenerint, *Te Deum laudamus*, & *Gloria in Excelsis*, decantentur. Hoc adjecto, quod quandocunque *Gloria in Excelsis*, in quocunque festo decantatur, semper *Te Deum laudamus*, cantabitur, præterquam in tribus diebus, hoc est, in Paschæ, & in Pentecostes vigiliis, & in sancta nocte Nativitatis Domini, in quibus ante primam Missam, *Te Deum*, non cantabitur.

III. *Quæ feriæ sunt jejunandæ?*

Statuimus etiam, quod in omnibus Vigiliis, videlicet: *Assumptionis Beatæ MARIÆ Virginis*, *festorum Paschæ*, *Pentecostes*, *Nativitatis Domini*, nec non *Apostolorum*, & *Omnium Sanctorum*, ac *Beati Laurentii Martyris*, cum *quarta & sexta feriis* ac *sabbatho Quatuor Temporum* jejunetur. Ab his excipiuntur *Vigiliæ Beatorum Joannis Evangelistæ*, & *Philippi & Jacobi Apostolorum*, quæ non jejunantur. Litania major, quæ est in die Sancti Marci Evangelistæ, & Litania minor, quæ observatur per tres dies Rogationum, videlicet feria secunda, tertia, & quarta, ac sabbatum post Dominicam, qua cantatur: *Misericordia Domini*, pro subitanea morte secundum consuetudinem Diœcesis Coloniensis, a carnibus abstinendo, a fidelium populis jejunentur. Sanctorum quoque vigiliæ jejunandæ, quorum Festivitates feria secunda occurrunt, in præcedenti sunt sabbato jejunandæ. Jejunium vero sabbati, locorum consuetudinibus duximus committendum.

IV. *De anno bissextili, seu qualiter bissextus sit observandus.*

Quum item nonnulla discrepantia inter Ecclesias Conventuales, & Parochiales in Officiis Divinorum de anno bissextili frequenter existat: statuimus, quod quocunque anno bissextus occurrit, quælibet Ecclesia vigiliam beati Matthiæ Apostoli, super quam quarto anno ipse bissextus cadit, ipsam vigiliam beati Matthiæ Apostoli bissexto Kalendas Martii, in una Litera Kalendarii stando, pro una die computando, in sequentem diem proroget, & ultimo die, id est, post vigiliam eandem, festum B. Matthiæ Apostoli celebret, juxta hos versus:

Bissextum sextæ Martis tenuere Kalendæ:
Posteriore die celebrantur festa Mathiæ.
Si cadit in lucem Domini, suppone sequentem:
Terminus & festum nunquam celebrantur eodem.

Quod sic intelligendum est, quod dum est annus bissextilis, tunc dies illa, quæ, si

si non esset annus bissextilis, foret ipsa dies festi Beati Matthiæ, erit vigilia dicti festi: & deinde posteriori die celebrabitur festum, nisi tunc in lucem Domini, id est, in diem Dominicam cadat: quo casu transponatur festum ejus in secundam feriam sequentem, quo ad plenum officium, absque celebratione populi peragendum. Hoc sic intelligetur, quod si ipsum festum intra Septuagesimam, vel Quadragesimam in die Dominica eveniat, quod tunc feria secunda quoad officium in Ecclesia absque celebratione populi peragatur.

V. *De celebratione festorum Annuntiationis B. MARIÆ Virginis, & aliorum Sanctorum intra Octavas Paschæ venientium.*

Festum item Annuntiationis B. Virginis quoties in Dominica Palmarum, vel intra septimanam Passionis Domini, aut ipsa die Paschæ evenerit: in vigilia Palmarum cum Divino officio & celebratione populi præveniatur solenniter, & celebretur. Festa vero *Tiburtii, & Valeriani*, ac *Marci* Evangelistæ, si & ipsa die Paschæ, vel intra Octavas ejusdem evenerint, quo ad peragendum officium eorundem, post octavas Paschæ transponantur: Hoc excepto, quod in ipsa die Beati Marci Evangelistæ, sin intra ipsas octavas occurrit, Litania major cum processione & crucibus observabitur per omnia, ut moris est sola carnis abstinentia, propter Paschatis festi reverentiam, in hoc excepta.

Quoties autem extra tempus Septuagesimæ usque ad Pascha, & Adventum Domini, festum IX. lectionum proprium habens officium, Dominica die occurrit, ab Ecclesia ordinarie celebrandum, in eadem Dominica celebretur. Alias quocunque tempore evenerit, dum Dominica suum proprium habuerit officium, quod sequenti die Dominica repeti non poterit, festum novem lectionum, absque tamen celebratione populi, secunda feria sequenti in Ecclesiis cum pleno Divinorum officio peragatur. Solo festo Annuntiationis Beatæ Virginis, si ultra vigiliam Palmarum occurrat, quod extunc quocunque tempore evenerit, in ipsa vigilia cum officio & celebratione populi plenarie volumus peragi, ab his excepto.

VI. *De Festo Ss. Trinitatis & Eucharistiæ.*

Statuimus etiam, quod Festum Ss. Trinitatis proxima Dominica post octavas Pentecostes, quæ vocatur octava Trinitatis, cum IX. lectionibus, & debita solemnitate fiat. In hebdomada vero præcedente, videlicet ab octava Pentecostes, in secundis vesperis usque ad Dominicam prædictam cantetur, & legatur de Trinitate, prout consuevit: & post dictum festum Trinitatis per hebdomadam sequentem, cantetur officium Dominicæ, S. *Domine, in tua misericordia.* In quinta autem feria ejusdem hebdomadæ celebretur solenniter festum Eucharistiæ, prout hactenus a nostris Antecessoribus est statutum.

VII. *De Nocturnis dicendis.*

Item statuimus, ut in omnibus Ecclesiis nostræ Diœcesis, singulis noctibus in Matutinis dicantur Psalmi Nocturnales, sive feriales ad Nocturnos, nisi ea die sit festum tale quod Missam propriam habeat vel collectam. Invitatoria, Responsoria, & Laudes, sicut & horæ diei, de Sancto, cujus est festum, cantentur, quemadmodum in majori Ecclesia observatur: nisi tunc alicujus Patroni Ecclesiæ Festum seu commemoratio fuerit peragenda.

VIII. *De Officio Scholastici.*

Ut vero unicuique Ecclesiæ, quæ habet distinctos Personatus & Officia, juxta eorundem personatuum & officiorum onus, honor debitus observetur: statuimus & ordinamus, ut salvo ordine Prælatorum Ecclesiæ nostræ Coloniensis, in cæteris Ecclesiis nostræ civitatis & Diœcesis, Scholastici ipsarum Ecclesiarum distinctos, certos, & perpetuos reditus, ipsi annexos & deputatos Scholasteriæ habentes, Stallum in Choro & Locum in Capitulo, ac vocem post Decanum Ecclesiarum suarum extunc in antea habeant, & subintrent. Quod sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in his scriptis a singulis conventualibus Ecclesiis præcipimus observari. Dignum est enim, ut qui cæteris, officiis

ciis majoribus, præferuntur, etiam alios in sublimitate graduum antecedant, cum onus emolumentum sequi debeat, & e converso. Per hoc tamen nolumus antiquioribus Canonicis ex ingressu, in petitionibus suis rationabilibus aliquatenus derogari.

IX. *De Observatione Capitulorum, sive Tractatuum Capitulari-um.*

Item sicut a bonæ memoriæ Domino Conrado Archi-Episcopo Coloniensi Prædecessore nostro novimus, in ejus Provinciali Concilio constitutum, innovando statuimus, ut in qualibet Ecclesia collegiata, ad modum Ecclesiæ nostræ Coloniensis, Decanus, & Fratres (præterquam in festivitatibus) Vigiliis, Missa pro Defunctis, ac commendatione peractis, distincte ingredientes domum Capituli, ante omnem tractatum disciplinæ, vel etiam præbendæ, aut cujuscunque alterius negocii, tabulæ Capitularis lecturam habentis distincte in scripto, quid unicuique sit cantandum vel legendum in choro, audiant diligenter: ac insuper lunationes mensium, ac Kalendæ, & obitus legantur, nec non aliqua lectio de regula, & vita Clericorum legatur. Et tunc immediate de disciplina fiat, quod fuerit faciendum, & alia consequenter post ipsam disciplinam tractentur negocia, quæ ad utilitatem, & necessitatem fuerint spectantia publicam seu privatam. Et si aliquando Decanus non fuerit præsens, propter hoc non omittatur ullatenus, quin Fratres domum Capituli intrent ad audiendum ipsius tabulæ Capitularis lecturam, ut sciant, quid unicuique in choro sit legendum & cantandum.

X. *De recipiendis distributionibus tempore interdicti.*

Quoniam vero non modicus est error inter Canonicos, volentes præsentias, seu distributiones quotidianas habere, quæ non nisi præsentibus in choro debentur, quas nonnunquam extorquent diversis fraudibus ad hoc quæsitis, & maxime in locis interdictis, Divinis non curant officiis interesse, quanquam ad hæc teneantur, præsentias ejusmodi alias nullatenus habituri, quique complures Conventualium, & Parochialium Ecclesiarum Prælati, Canonici & Rector, in observatione interdicti credentes, Ecclesias interdictas tunc penitus fore claudendas, quasi DEO tum non foret serviendum: Nos, inventis contra præmissa Apostolicæ sedis remediis, volentes fraudibus hujusmodi obviare, statuimus, & ordinamus, ut Decani in distributione præsentiarum hujusmodi, cuilibet pro rata horarum tam matutini, vigiliarum seu Missæ animarum, qui eis non interfuerint, subtrahant partem suam, nec non in observantia interdicti: ac etiam locorum plebani, juxta constitutionem piæ recordationis Domini Bonifacii Papæ VIII. super præmissis editam se regant, contra eam sub pœna excommunicationis, & in virtute sanctæ Obedientiæ nullatenus veniendo. Cujus constitutionis tenorem, ut cuilibet pateat, duximus subscribendum in hæc verba: (*a*)

ALma mater Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat & consulte, quæ suadente subjectorum utilitate, postmodum consultius, & rationabilius revocat, in meliusve commutat. Sane a nostris dudum fuit Prædecessoribus constitutum, ut in terris, seu locis suppositis Ecclesiastico interdicto, nulla (certis casibus & Sacramentis exceptis) Divina celebrentur officia, vel ministrentur Ecclesiastica Sacramenta. Quia vero ex districtione hujusmodi statutorum excrescit indevotio populi, pullulant hæreses, infinita pericula animarum insurgunt, ac Ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur; cum fratribus nostris deliberatione super his habita diligenti, concedimus, quod tempore interdicti ab homine vel a jure prolati, non tantummodo morientes, sed & viventes, tam sani quam infirmi, ad pænitentiam (quæ propter pronitatem & facilitatem hominum ad peccandum, summe necessaria est) licite admittantur: dum tamen excommunicati non fuerint, quos admitti, præterquam in mortis articulo, nolumus ad eandem. Illis autem, propter quorum culpam, dolum, vel fraudem lata est sententia interdicti, vel qui ad perpetrandum delictum (cujus occasione ipsum interdictum est latum) præbuerunt consilium, auxilium, aut favorem, nisi de ipso delicto, si sint tales, quod idem facere valeant, prius satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam dederint cautionem, aut si satisfacere nequeant, vel hujusmodi cautionem præstare, juraverint, quod, cum poterunt, satisfacient, & ad

(*a*) In VI. *De sententia excommunicationis.* Cap. XXIV.

& ad satisfactionem hujusmodi per eum, vel per eos, qui facere ipsam debent, & possunt, præstandum consilium, & auxilium, ac juxta posse suum fideliter laborabunt, non est pœnitentiæ beneficium aliquatenus concedendum.

Nec tunc etiam quo ad istos, nec quo ad alios, qui circa hæc minime deliquerunt, (ubi civitas, vel locus alius, seu universitas interdicti existunt) facienda est relaxatio interdicti, sed est eis solummodo injungenda pœnitentia salutaris.

Adjicimus præterea, quod singulis diebus in Ecclesiis, & in Monasteriis Missæ celebrentur, & alia dicantur Divina Officia sicut prius, submissa tamen voce, januis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis. Et tam Canonici, quam Clerici Ecclesiarum, in quibus distributiones quotidianæ illis, qui horis intersunt Canonicis, distribuuntur: si ad officia non venerint supradicta, distributiones easdem amittant, sicut interdicto perderent non existente; si Divinis Officiis non adessent. In Festivitatibus vero Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Virginis Gloriosæ, campanæ pulsentur, & januis apertis Divina Officia alta vole solenniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis, quibus ob reverentiam dictarum solennitatum, & ut ipsi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinentur, præfatis diebus participationem permittimus Divinorum. Sic tamen, quod illi, propter quorum excessum interdictum hujusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent. Cæteris, quæ circa observationem interdictorum a nostris Prædecessoribus sunt instituta, in suo robore duraturis, non obstantibus quibusvis Privilegiis, Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, seu Religionibus, vel personis Ecclesiasticis, Regularibus, seu Secularibus, exemptis, sub quavis forma, vel expressione verborum ab Apostolica Sede concessis; quæ contra tenorem præsentis constitutionis nullis volumus suffragari, cum quibuslibet tam Secularibus, quam Regularibus, sufficere debeat, ut tempore interdicti modo præmisso diebus celebrent supradictis.

XI. *Ne aliquis Sacerdos plures, quam unam primam Missam celebret.*

Statuimus item, & ordinamus, quod nullus Sacerdos, cujuscumque status, conditionis, aut religionis existat, postquam in Sacerdotem, seu Presbyterum, sive in nostra, sive in alia Diœcesi ordinatus exstiterit, in Civitate vel Diœcesi Coloniensi pluries quam semel, quocunque ad hoc colore quæsito primam suam Missam, quam Cleri & populi ad hoc convocatione celebret, nec etiam Capitula, seu Conventus, seu Canonici in Festivitatibus, & diebus Dominicis dimissa Divinorum solennitate in Ecclesia sua propria, ut non decet, & tamen hactenus pluries visum est fieri, ad hujusmodi Missas discurrant: nisi tunc, cum aliqui Prælati, Canonici seu Plebani, conjuncti in primo, vel in secundo gradu novello Sacerdoti, ad primam Missam specialiter invitentur. Alioquin contrarium facientes se noverint excommunicationis sententiæ subjacere.

XII. *Quibus diebus Parochiani teneantur venire ad Ecclesiam suam Parochialem?*

Quia vero dubium quibusdam extitit de Festis, in quibus Parochiani suam Ecclesiam Parochialem de jure debeant annis singulis frequentare, hoc declarando statuimus, quod sicut in quatuor partes annus distinguitur, quarum initia in his versibus continentur:

Ver Petro detur, æstas exinde sequetur:
Hanc dabit Urbanus, autumnum Symphorianus:
Festum Clementis, caput est hyemis venientis.

Ita in his quatuor partibus anni, quatuor Festivitates occurrunt, quibus Parochiani venire tenentur ad suas Ecclesias Parochiales: utpote Pascha in vere, Pentecoste in æstate, Festum omnium Sanctorum in autumno, Festum Nativitatis Domini in hyeme. Et in his Festivitatibus Parochianus quilibet, nisi rationabilis & evidens causa eum legitime excusans subsit, frequentet suam Ecclesiam Parochialem. In aliis etiam quibusdam festis, scilicet in Dedicatione Ecclesiæ cujuslibet, Epiphania Domini, quatuor Festis B. Mariæ Virginis, die Cinerum, Dominica Palmarum, necnon in Jejuniis, sive Rogationum, dum processiones fiunt ab Ecclesia, & Ascensionis Domini, ac Apostolorum, Nativitatis B. Joannis Baptistæ, diebus Dominicis, ac Die commemorationis Animarum, & Patroni Ecclesiæ cujuslibet, ipsi

ipsi Parochiani Ecclesiam suam Parochialem visitent, & frequentent, sui Plebani mandata de instructione fidei, salubriter audituri.

XIII. *Quod Religiosi mutuum vel debitum non contrahant, & Clerici Officia non exerceant inhonesta.*

Cæterum quia nonnulli Religiosi, & Clerici contractibus & negotiis, eorum regulæ, & statui contrariis impudenter se immiscent: statuimus (quemadmodum etiam a jure cautum & alias statutum est) ut nullus Religiosus præter Abbatis sui, Præpositi, & Prioris licentiam, ubi Præpositus & Prior sunt in Conventu majores, cujuscunque status, aut conditionis existat, proprium vel peculium habeat, fidejubeat, pecuniam mutuo recipiat, seu negociationes cujuscunque rei lucri causa exerceat: si secus fecerit, Abbas & Conventus respondere de hoc non tenebuntur, nec obligati ex contractu hujusmodi erunt, immo ipsi contractus ipso jure nulli sint, nec valeant. Nec non Monachi contrarium facientes, suspensionis ab officio, & excommunicationis sententias incurrant. Caveant ergo sibi laici & alii, ne de cætero cum talibus religiosis contrahant, nisi ex prædicta licentia superioris, seu quibus ratione officii vel administrationis sibi commissæ de jure competere dinoscatur. Similiter Clericis inhibemus, ne exerceant negotia turpia & officia inhonesta, quæ non decent Clericos: qualia sunt usura & omnes species usuræ, turpis quæstus, cum aliquid carius venditur seu propter diem, seu propter terminum. Necromantia, seu incantationis superstitio, officium macellarii, tabernarii, negociatoris, proxenetæ, fullonis, sutoris, textoris: nec sint histriones, joculatores, judices seculares, telonarii. Contrarium facientes, a suis Prælatis super hoc pœna debita puniantur.

XIV. *Contra Clericos Tonsuram Clericalem, & vestes Clericales non deferentes.*

Item præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, Decanis Ecclesiarum & Christianitatis cujuslibet, ut Canonicos, Ecclesiarum Pastores, & Vicarios, aliosque Clericos coronas non habentes, & inordinatam crinium lasciviam [prout jam in Cleri deformitatem apud plures inolevit] habentes, per suspensionem Præbendarum, reddituum Canonicorum, & suspensionis ab officio sententiam, quam ferimus in his scriptis, coronam & tonsuram deferre cogant debitam Clericis & honestam. Nec non Canonicos, Ecclesiarum Rectores, Vicarios & Clericos prædictos, ab usu caligarum rubearum, viridium, & glaucarum, & diversi coloris panni, ac calceorum, varietate incisionis militaris distinctorum, cogant sub pœna consimili abstinere. Sed nigris caligis ac calceis suo statui congruentibus (nisi infirmitatis causa fecerint, quod eorum conscientiæ relinquimus) sint contenti. Decet enim, ut quos vitæ puritas ab aliis distinguit, etiam habitus decentia [quo, quod corde gerunt, ore prædicent, & actu demonstrent, tamquam militiæ Domini & Ecclesiæ militanti specialiter deputati] a secularibus sint distincti.

XV. *Ne quis Laicus arrestet, vel detineat bona Clericorum.*

Statuimus item & inhibemus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in his scriptis, ne quis laicus quacunque auctoritate seu potentia sæculari personas, seu bona mobilia aut immobilia, vel res Ecclesiasticas arrestet, detineat, vel invadat, cum quæstio talium nostræ jurisdictioni de jure sit & esse debeat specialiter reservata.

XVI. *Ne laici faciant statuta in præjudicium alicujus Ecclesiæ.*

Inhibemus etiam laicis universis & singulis, ne quis statuta de oblationibus in Dei Ecclesia minuendis faciat, prout in quibusdam Ecclesiis, sicut ad Nos pervenit, statutum dicitur: Ne nisi certæ personæ & sub certo numero, in Missis cum sponsis vel funeribus, vel alias offerant, dinoscitur institutum quidem per laicos, cum laicis (quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi) nulla super personas Ecclesiasticas attributa penitus sit facultas. Unde statutum hujusmodi, ubicumque in nostra Diœcesi, vel a quibuscunque factum fuerit, tamquam nullius firmitatis existens, nec ab Ecclesia probatum, decer-

decernimus non valere: immo utentes ipſo, & defenſores ejusdem excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere, ne id, quod inſpiratione Divina devotioni hominum relinquitur, alicujus humanæ pravitatis ingenio depravetur.

XVII. *Contra Moniales violatas exeuntes ſuum Monaſterium, & violatores earundem.*

Quum præcipue religionis deformationi ſummopere intendamus occurrere; ac diſciplinam monaſticam, ubicunque rupta fuerit, ſollicite reformare, quia periculoſius trahitur in exemplum, quod in ſcandalum vergit plurimorum: igitur quoniam nonnullæ noſtræ civitatis & Diœceſis ſacræ Moniales violantur, & quandoque ſic violatæ ab eisdem extra ſua Monaſteria ducuntur, & ab ipſis cum animarum ſuarum gravi periculo, ac multorum ſcandalo publice detinentur: ſicque diu detentæ, per eosdem precibus aliquando, & frequenter minis ac violentia ad ſua Monaſteria reſtituuntur: quæ omnia & ſingula cum ſint contra Deum, bonos mores deſtruant, ac ſacram religionem deforment, & Nos ipſa ſurda aure tranſire non deceat: ſtatuimus, ut viri, cujuscunque ſtatus, aut conditionis exiſtant, qui aliquod vel aliqua commiſerint præmiſſorum, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, & per ſuos Plebanos (quoties Abbatiſſæ, Magiſtræ, Prioriſſæ Conventuum & Monaſteriorum, in quibus ſuæ ſalutis immemores hoc facinus commiſerunt, requiſierint) ex vi præſentis ſtatuti publice denuntientur, donec Deo de peccatis, Nobis, ac ipſis Monaſteriis de injuria & vituperio, ad plenum ſatisfecerint, & per Nos veniam & beneficium abſolutionis conſequantur. Ipſæ vero Moniales noſtræ Civitatis & Diœceſis, ut præmiſſum eſt, quæ ſic lapſæ fuerint, ne ex impunitate ipſarum aliæ ad conſimilia provocentur, quia pronus eſt ad malum hominis animus & facilitas veniæ præbet incentivum delinquentibus, per Abbatiſſas, Magiſtras, ſeu Prioriſſas, & Conventus ſuorum Monaſteriorum aliter non recipiantur, niſi ad pœnam carceris, ubi per abſtinentiam, ac alias caſtigationes puniri poterunt, prout diſcretioni Abbatiſſarum, Magiſtrarum, aut Prioriſſarum videbitur expedire. Eædem etiam concedenti majore parte Conventuum ſuorum, ſi ſe humiliter, & devote in ſua pœnitentia geſſerint, de ſuis carceribus poterunt elevari: & extunc, quamdiu vixerint, ſine velo incedant, infimum locum in Conventu, ubilibet teneant, & omni voce in Capitulo tractatibus & electionibus quibuscunque penitus ſint privatæ, donec per Nos ad laudabilem ipſarum converſationem ac teſtimonium totius Monaſterii earundem, ad præmiſſa in parte, vel in toto reſtitui mereantur.

XVIII. *Ne Monachus, aut Monialis absque Profeſſionis ſuæ habitu incedant.*

Volumus etiam, ut nullus Abbas, Abbatiſſa, Magiſtra, ſeu Prioriſſa, Monachus, ſeu Monacha, ſive Monialis habitu religionis abjecto, in Eccleſiis, vicis, vel plateis, aut alicubi, niſi in religione ſua procedant; vel Abbas, ſeu Abbatiſſa, Magiſtra, ſeu Prioriſſa, Monachis, ſeu Monialibus absque noſtra licentia Confeſſorem aliunde, quam de religione ſua ſibi competit, licentiam tribuat eligendi. Cætera omnia, quæ piæ memoriæ Dominus CONRADUS Colonienſis Archi-Epiſcopus in Concilio ſuo Provinciali de Monachis & Monialibus, & Clericis, cæterique noſtri Prædeceſſores pro cultu Divino ac Cleri libertate Eccleſiaſtica hactenus ſtatuerunt; quæ de Prælatorum & Capitulorum noſtrorum conſilio approbamus & confirmamus, in ſuo robore volumus permanere, & tam iſta ſtatuta noſtra, quam illa a quibuslibet tam Conventualibus Eccleſiis, quam Eccleſiarum Rectoribus Parochialium, per copiam de verbo ad verbum haberi, & in perpetuum inviolabiliter obſervari. Pronunciatum & actum Coloniæ in Eccleſia noſtra Majori, de noſtro, noſtrorumque Prælatorum, & Cleri conſilio, & aſſenſu. Anno [a] Domini & die ſupradictis.

CON-

(a) *id eſt:* MCCCVII. IV. die Martii.

CONCILIUM CAMERACENSE

ADDITIONES à Reverendo Patre PETRO, Cameracensi Episcopo,

Anno Chriſti MCCCX. Clementis V. Papæ VI. Henrici VII. Regis II.

Item in titulo de Reverentia & jurisdictione Eccleſiarum, & libertate Eccleſiaſticarum Perſonarum, & Cimiteriorum.

UT Eccleſiæ, & Cimiteria ſanguinis, & ſeminis effuſione polluta, & ſi qua pollui contigerit inpoſterum, diabolo inſtigante, ſub tanta diu non remaneant fœditate ſtatus, ut ſi ille ſeu illi, quorum facto ſeu culpa polluta ſunt, vel fuerint in futuro, infra menſem reconciliationem dictarum Eccleſiarum vel Cimiteriorum non procuraverint cum effectu, poſtquam fuerint ſuper hoc per Curatum Eccleſiarum prædictarum vel Cimiteriorum legitime requiſiti, Canonico tamen impedimento ceſſante, excommunicationis vinculo ſint innodati, & excommunicati publice & nominatim nominentur ſeu nuntientur. Verumtamen ſi ille, vel illi, quorum facto ſeu culpa eſt dicta pollutio, vel contigerit fieri, noſtræ non ſint jurisdictioni ſpirituali ſubjecti, aut propter paupertatem ſuam dictam reconciliationem procurare non valeant cum effectu, Parochi dictarum Eccleſiârum, & Cimiteriorum teneantur reconciliationem ipſorum efficaciter procurare infra duos menſes, poſtquam ſuper hoc à ſuo Curato fuerint legitime requiſiti. Et ſi negligentes fuerint, vel remiſſi, extunc infra dictam Parochiam ceſſetur a Divinis; & ſi quos tunc de dictis Parochianis mori contigerit, ſine Noſtra vel Officialis noſtri licentia non tradantur Eccleſiaſticæ ſepulturæ, donec dictam reconciliationem procuraverint cum effectu: curati vero, in quorum Parochia præmiſſa contigerit fieri, ſimiliter eiſdem cito providendum, & obſervandum, ſicut præmittitur ſollicite, ne poſſint de negligentia reprehendi.

Titulo de Pœnitentia.

Sacerdotes curati vel vices eorum gerentes, & alii, qui vice noſtra Confeſſiones audiunt, eos, qui propoſitum non habent abſtinendi a peccatis, nequaquam abſolvant ſine pœnitentia: eos non relinquant tamen, ſed cum hoc eos moneant caritative, ut interim agant, quidquid boni poſſunt, ut Deus eorum corda ad veram contritionem & pœnitentiam illuſtret.

Titulo de Matrimonio.

Propter ſimplicitatem quorumdam Presbyterorum, qui quandoque ſuos ſubditos in ipſorum præſentia, ipſis Presbyteris verba proferentibus, ad matrimonium contrahendum inducunt & admittunt per verba conſenſum exprimentia de præſenti, cum potius debeant admittere eos ad ſponſalia inter eos contrahenda per verba tantummodo de futuro. Ex qua ſimplicitate plerumque multa incommoda & animabus damnoſa provenire noſcuntur; ſtatuimus, & præcipimus in virtute ſanctæ Obedientiæ omnibus Presbyteris in noſtris civitate & Diœceſi Cameracenſi conſtitutis, quod de cætero in ſponſalibus, ſeu fidedationibus utantur dumtaxat verbis talibus vel conſimilibus: *Petre vis promittere per fidem tuam, quod Bertam, quæ hic eſt, accipies in uxorem, ſi impedimentum Canonicum non obſtat.* Et econverſo his dictis accipiat manus contrahere volentium & dicat. *Tu promittis, quod dictam Bertam accipies in uxorem, ſi impedimentum Canonicum non obſtat,* & ſic econtra.

Item eodem titulo.

Statuimus ne quis Presbyter aut Capellanus benedictionem in ſecundis nuptiis audeat celebrare; quodque Sacerdotes

tes mulieres non purificent, præterquam in mortis articulo, nisi jacuerint per mensem post Nativitatem sui partus.

Item in eodem titulo.

Prohibemus ne Sacerdotes seu Capellani aut Vicarii eorumdem, mulieres jacentes de partu damnato coitu nefario vel fornicario & manifesto, ad purificationem recipiant, sine nostra vel Officialis nostri Cameracensis, aut Decanorum locorum civitatis Cameracensis excepta licentia speciali. Qui contra hoc facere præsumpserit, excommunicationis sententiam, eo ipso, incurrat; & nihilominus per Officialem nostrum aut Decanum loci graviter, prout culpa ipsius exegerit, puniatur.

Item titulo de Exequiis Mortuorum.

Inhibemus Presbyteris Parochialibus & Capellanis sub pœna suspensionis, & excommunicationis, ne quis eorum suspensos, excommunicatos seu interdicto Ecclesiastico subjectos, aut alios in mortali peccato notorio existentes, tradant Ecclesiasticæ sepulturæ, nisi in mortis articulo signa pœnitentiæ apparuerint in eisdem.

Item titulo de libertate Ecclesiarum & Cimiteriorum.

Ecclesiæ pollutæ sanguinis aut seminis effusione reconcilientur per Nos, vel de mandato nostro, seu Officialis nostri, sive Ecclesiæ vel Cimiteria fuerint dedicata, sive non, & quousque fuerint reconciliata, nullus ibidem sepeliatur.

Item eodem titulo.

Si Cimiterium fuerit pollutum sanguinis, vel seminis effusione, propter hoc Ecclesia non est polluta; sed si Ecclesia fuerit polluta aliquo prædictorum, Cimiterium erit pollutum, si Ecclesiæ fuerit contiguum; non autem si ab Ecclesia sit remotum; & quousque fuerit reconciliatum, nullus ibidem tumuletur.

Item eodem titulo.

Cum alias statuimus, quod Capellani perpetui Sacramenta sua a curatis locorum suorum in infirmitatibus suis accipiant, & si decesserint, in Capellis suis sepelirentur, nisi quis ex devotione alibi, salvo jure Parochiali, eligeret sepulturam. Statutum hujusmodi intelligimus, & statuendo declaramus, quod si emolumentum ratione exequiarum talium Capellanorum aliis quam curatis locorum ex consuetudine competat, per statutum dictum nolumus nec intendimus dictæ consuetudini in aliquo derogare.

De reverentia Jurisdictionis, & libertate Ecclesiarum, Cimiteriorum, & Ecclesiasticarum personarum.

Quia plerumque accidit, ut quando aliqui confugiunt ad Ecclesias seu Monasteria, aut Cimiteria causâ immunitatis ac libertatis Ecclesiarum seu Monasteriorum, aut Cimiteriorum: hujusmodi inimici seu persecutores talium confugentium aut alibi ad certa dicta loca jurisdictionem exercentes quandoque violant Ecclesias, Monasteria, seu Cimiteria hujusmodi, & ab eis ipsos confugientes extrahunt, quandoque verbo, per subtractionem victus, & aliorum pro ipsis confugientibus necessariorum, aut modo alio, dictos confugientes inducunt, seu compellunt, ut exeant immunitatem, seu libertatem hujusmodi. Statuimus una cum aliis pœnis super his statutis, ut in locis, in quibus de cetero talia perpetrari contigerit, quocumque etiam colore quæsito, & ubi violatores, & perpetratores hujusmodi moram traxerint, cessetur a Divinis, nec sine nostra, aut Officialis nostri licentia organa resumantur ibidem.

Item statuimus, quod nulli extranei, & ignoti tamquam mercenarii Capellani, ad deserviendum in Officio Sacerdotii, in civitate & Diœcesi Cameracensi de cætero admittantur, nisi constet per litteras suorum Ordinariorum, aut ut alias legitime, quod sunt vitæ laudabilis & honestæ conversationis, & quod in Sacerdotii ordinem Canonice sint promoti.

Item titulo libertatis Ecclesiasticæ.

Cum aliqui Justitiarii seu servientes aliquos bonis suis cedentes seu cedere volentes, aut alios fori Ecclesiastici obligantes, super quorum (a) cognitio ad forum Ecclesiasticum pertinet de consuetudine vel de jure, per captionem bonorum suorum & corporum adinvenientes, quandoque

(a) *forte:* facto vel crimine supplendum.

doque non causam pro causa, compellunt ad desistendum a prosecutione suæ litis; & quandoque etiam occasione delictorum, pro quibus facta est cessio, cedentes hujusmodi capiunt, & carceri mancipant, non obstante cessione facta, eaque spreta & contemta, in derogationem libertatis Ecclesiasticæ, sic excommunicationem a Canone latæ sententiæ incurrendo ipso facto: Nos omnes & singulos tales, ac dantes eis in hoc auxilium & juvamen, auctoritate Canonis denuntiamus, excommunicamus, mandantes omnibus, & eorum vices gerentibus, in nostro Episcopatu constitutis, quatenus singulis diebus Dominicis & Festis, campanis pulsatis, candelis accensis, ipsos denuntient excomunicatos: ad absolutionem talium, quorum absolutionem Nobis, seu Officiali reservamus, nullatenus procedent, nisi in mortis articulo, sine nostra licentia speciali.

Item titulo de Executione Mandatorum.

Inhibemus Decanis nostris Christianitatis, ne pro sigillo sui Decanatus, quibuscunque litteris apponendo, ultra sex Denarios Turonenses fortis monetæ recipiant.

Item titulo de Matrimonio.

Pro bannis proclamandis seu faciendis & suis litteris testimonialibus concedendis, tam Decani, quam Sacerdotes non ultra tres solidos Turonenses recipiant.

Item statuto ubi dicitur: *Nec aliquid Presbyteri exigant, nisi solum denarium Turonens. in forti moneta pro sigillo*; addimus: Et Clerici Parochiales similiter denarium Turonensem fortis monetæ pro pœna, & labore in executione facienda, dumtaxat recipiant.

Titulo de Executione Mandatorum Synodalium.

Cum ut censura Ecclesiastica magis timeretur, statuimus ut omnes excommunicati a nobis, vel Officiali nostro pro suis absolutionibus obtinendis, ad Nos, vel ad curiam nostram Cameracensem accedant, aut procuratorem sufficienter instructum mittant, potestatem absolvendi habentem, eosdem, præterquam in mortis articulo, a quibuslibet aliis adimentes, quia tum, sicut intelleximus, nonnulli propter paupertatem & inopiam eorumdem excommunicati decedunt, statuimus quod Decani Christianitatis locorum, in suis Decanatibus Cameracensis civitatis, excepta de registris, quæ sibi mittuntur, & de aliis quæ ad suum officium spectent, dumtaxat. . . . . excommunicatos possint absolvere eosdem; Decanis, quoad hæc ex abundanti, vices nostras committentes.

Titulo de Festis.

Statuimus, & omnibus subditis nostris Ecclesiasticis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, injungentes, ut cum apud eam exuberare debeat devotio fidelium, erga eam, quæ nostra est apud Deum mediatrix & impetratrix promtissima gratiarum; festum Conceptionis Gloriosissimæ Virginis Mariæ octavâ die mensis Decembris, cum Matutinis & Missa, ceterisque Divinis obsequiis devote celebrent. Et præcipimus dictum festum tamquam festum & solemne, sub pœna excommunicationis reverenter observari ab omnibus Christianis.

Ex Martenii Collectione amplissima Tom. VII. Loc. cit.

Admonitio de Synodis Cameracensis Ecclesiæ Sæculi XIV. celebratis.

Ex nova editione Statutorum Ecclesiæ Cameracensis anno 1739. *in* 4to *Parisiis impressorum, referuntur antiqua Statuta Synodorum Cameracensium Numero* 27. *celebratarum ab annis* 1300. *ad* 1398. *scilicet his annis celebratæ fuere Synodi Cameracenses: Annis* 1300. 1301. 1307. 1308. 1309. 1310. 1311. 1312. 1313. 1314. 1315. 1316. 1317. 1319. 1320. 1321. 1323. 1324. 1325. 1330. 1333. 1334. 1335. 1336. 1343. 1348. 1369. 1398. *ex horum annorum Synodis varia Statuta extraxerunt Patres Concilii Cameracensis anno* 1550. *Cameraci congregati, eaque recognoverunt, correxerunt, & innovata servari præceperunt in Civitate & Diœcesi Cameracensi. Habuerunt abs dubio hi Patres has omnes Synodos Sæculo XIV. celebratas integras, quales & nos impres-*

impressuri fuissemus, si hujusmodi codicem nacti fuissemus, aut nancisci potuissemus: cujus defectu hæc statuta Ecclesiæ Cameracensis hoc Sæculo edita, quæ MARTENIUS in Abbatia Grimbergensi *ab aliquo Collectore asservata reperit, nunc edimus.*

CONCILIUM COLONIENSE PROVINCIALE

SUB HENRICO VIRNENBURGICO ARCHI-EPISCOPO, Anno Christi MCCCX. Clementis V. Papæ VI. Henrici VII. Regis II.

Statuta quædam Provincialia D. HENRICI, Archi-Episcopi Coloniensis, quorum Capitula sunt hæc:

I. De revocatione Statutorum contra libertatem Ecclesiasticam factorum.

II. De occisoribus, mutilatoribus, & captivatoribus Clericorum.

III. Ne quis laicus exactiones Ecclesiis imponat, ratione Advocatiæ, quam super bonis Ecclesiasticis habet.

IV. De invasoribus, occupatoribus, & detentoribus rerum & bonorum Ecclesiasticorum.

V. De occupantibus bona Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum, & Legata fabricæ Ecclesiæ Coloniensis.

VI. De vita, & honestate Clericorum.

VII. De Vicariis, quo ad Versus & Lectiones in Matutinis.

VIII. De ætate Presbyterorum ordinandorum.

IX. De concubinariis Clericis.

X. Quod Clericis publica emenda, & pœnitentia non sit imponenda.

XI. Quod non nisi Ordinati ad sacros Ordines, legant Epistolas vel Evangelia.

XII. Quod nullus Ecclesiam curatam teneat, nisi ab Episcopo vel Archi-Diacono instituatur.

XIII. Quod provisi de Beneficiis auctoritate Apostolica, se faciant juxta formam provisionis ordinari.

XIV. Quod fructus Canonicorum suspensorum decedentium, cedant Ecclesiæ, & non successoribus suspensorum.

XV. Quod Clericus non leget concubinis suis, vel spuriis annum gratiæ suæ.

XVI. De Campanariis, quod sint literati, & in albis ministrent.

XVII. Quod Decani & Plebani locorum examinent ornamenta Ecclesiæ.

XVIII. Quod fructus Canonicorum suspensorum cedant Capitulis, non singularibus de Capitulo personis.

XIX. Quod Ecclesia, vel Cœmiterium non consecrentur, nisi de dotatione loci Diœcesano constiterit.

XX. Quod Parochiani non nisi a suo Plebano communionem recipiant.

XXI. Quod non fiant imprecationes, nec cantetur Media Vita, *contra aliquas personas.*

XXII. De matrimoniis clandestinis.

XXIII. Quod Annus Domini de cætero in Nativitate Domini observetur & innovetur.

XXIV. De Tabellionibus.

XXV. De Sacramentis.

XXVI. Quod Plebanis non denegetur Chrisma vel Oleum sacrum.

XXVII. De statu Religiosorum.

XXVIII. De Monachis & Monialibus.

XXIX. Quibus Statuta ista Provincialia habitu & observatu necessaria?

Recusa hæc Synodus inter Provinciales ab Reverendissimo & Illustrissimo Episcopo Osnabrugensi Francisco Guillelmo Bavaro, inter acta Synodalia Osnabrugensis Ecclesiæ Coloniæ apud Jodocum Kalcovium anno 1633. in Folio. Nomina 3. Episcoporum Suffraganeorum, & Legatorum Leodii & Monasterii, *leges in fine.*

Ad honorem Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac Gloriosæ Virginis MARIÆ, atque S. Petri, ac omnium Sanctorum.

NOS HENRICUS, DEI gratia, Archi-Episcopus Coloniensis, cupientes in hoc Concilio nostro Provinciali de mandato speciali Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri CLEMENTIS, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summi Pontificis indicto, de Capituli ac Prælatorum nostrorum consilio, & assensu, per infra scripta Statuta nostra omnibus paterna solicitudine providere, ut quies Ecclesiis & Ecclesiasticis personis procuretur, & pacis perturbatores a suis delictis pœnæ formidine arceantur, infra scriptas Constitutiones observandas perpetuo in præsentiarum duximus promulgandas.

I. *De revocatione statutorum, contra libertatem Ecclesiasticam factorum.*

Inprimis, cum ad decus & decorem Ecclesiæ nihil magis expediat, quam quod, ut expurgatis erroribus, & statutis iniquis sublatis, ipsa plenâ quiete vigeat, & securâ gaudeat libertate, præcepta Sacrorum Canonum imitantes, omnia statuta, pacta, & ordinationes contra libertatem Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum edita seu editas, damnamus, reprobamus, & cassamus, & irrita, seu irritas nunciamus: Mandantes universis nostræ Diœcesis & Provinciæ subditis, ut ea a locis suis intra mensem a notificatione præsentium, faciant penitus aboleri: & locorum Plebani moneant subditos diebus Dominicis & Festivis nominatim, quos in his culpabiles sciverint, aliàs in genere, quatenus hujusmodi de facto statuta de facto revocent; alias eos ad id per excommunicationis sententiam volumus coarctari. Verum, quia intelleximus, quod in nonnullis locis laici (qui non contenti de propria ipsorum impietate, & malevolentia, etiam alios Christi fideles a sua devotione, & bonis operibus retrahere moliuntur) statuerunt, & statuunt sub certa conspiratione & confœderatione, ne quis de cætero Ecclesiis, Ecclesiasticis seu Religiosis personis, bona, prædia, districtus, jura & Dominia aliqua vendat, leget, aut donet, vel quovis titulo in eos transferat, vel in nuptiis, aut exequiis mortuorum, aut alias Sacerdotibus Parochialium Ecclesiarum, & aliarum offerant, nisi sub certo numero personarum, & certo tempore Missæ, seu inter se taxant, quid quilibet offerre debeat, contrarium facientibus pœnas pecuniarias infligendo: Et quia hæc obviant directe Ecclesiasticæ libertati, conspirationes, colligationes, & ordinationes hujusmodi, seu fœdera, & pacta, & deinceps, si contigerit facienda, decernimus non tenere, nec aliquem fore, vel esse debere ad eorundem observantiam obligatum.

Item statuta & consuetudines a laicis (cujuscunque status, aut conditionis existant) introducta, seu introductas super eo, quod dicti laici antiquarum decimarum occasione, quas in aliquibus Parochiis vel largitione Principum, aut donatione aliorum, seu alia de causa percipiunt, decimas Novalium in terris propriis quibuslibet Parochiis obvenientes occupant, attrahunt, vel sibi vendicant: revocamus, & cassamus statuentes, & præcipientes, ut præfati laici & quicunque alii, ab occupatione, detentione, vel usurpatione earundem decimarum Novalium, postquam ad agrum Regium pervenerint, seu perveniunt, penitus desistant, & de ablatis satisfaciant tam Nobis, quam Ecclesiis, Ecclesiasticisque personis, quibus ipsæ decimæ Novalium de jure competere dinoscuntur, easdem decimas Nobis & Ecclesiis, ad quas pertinent, de cætero possidendas pacifice relinquentes.

II. *De Occisoribus, Mutilatoribus, & Captivatoribus Clericorum.*

Item statutum Venerabilis quondam ENGILBERTI Coloniensis Archi-Episcopi, Prædecessoris nostri, contra injectores manuum in Clericos, Ecclesiasticasve personas, olim per ipsum editum, cum pœnæ majoris adjectione contra captivatores Clericorum observari volentes, statuimus, ut cum sacrilegi, qui, *suadente diabolo*, DEI timo-

timore poſtpoſito, manus injiciunt in Clericum, vel alias perſonas Eccleſiaſticas & religioſas temere violentas, & ex hoc incidunt excommunicationis ſententiam *Canonis* jam prolati, quod occiſores, mutilatores, & percuſſores atrociter Clericorum & Eccleſiaſticarum perſonarum, & Clericos capientes, & in captivitate detinentes ſeu per captivitatem aliquam pecuniam ab eis extorquentes, ſeu talium Receptatores, & Defenſores, propter hoc authoritate *Canonis* latæ ſententiæ excommunicati, cum omnibus operam & conſilium ad præmiſſa adhibentibus, per omnes Eccleſias Diœceſis, in qua hujuſmodi perpetrantur, per Decanos, Eccleſiarum Rectores & Presbyteros, quamprimum ipſis hoc per famam publicam vel rei evidentiam, vel per fidem duarum fide dignarum perſonarum ipſis faciendam; aut per mandatum ſeu ſententiam judicis conſtiterit, campanis pulſatis, & candelis accenſis, nominatim, quorum nomina ſciri poterunt, alias in genere, excommunicati publice nuntientur, & arctius evitandi, donec ſatisfecerint de commiſſis, & debitæ abſolutionis beneficium meruerint obtinere. Præterea in aggravationem pœnæ hujuſmodi malefactorum, ſtatuimus, ut omnis locus, ad quem tales excommunicati venerint, vel ipſos Clericos deduxerint, quamdiu ipſi captivatores; & captivati ibidem fuerint, & poſt tres dies poſt eorum inde receſſum; nec non locus, in quo talis violentia facta fuerit, quem quidem locum, ſeu Eccleſiam, aut Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, & interdicti teneantur. Et ſi hujuſmodi ſacrilegi ſeu malefactores, Principes, Nobiles ſeu Barones fuerint, & terram, jurisdictiones, diſtrictum, munitiones, ſeu caſtra habuerint, & intra tres menſes a tempore perpetrati delicti, etiam captivatis dimiſſis, non ſatisfecerint de delicto, extunc tota terra & diſtrictus eorum, quos poſt lapſum dictorum trium menſium ſimili modo interdicimus, Eccleſiaſtico (ipſo facto) ſit ſuppoſita interdicto. Si autem alii fuerint, quam Nobiles & terrarum Domini, tunc ipſi Domini terræ; in quorum diſtrictibus manent, & Domicilium habent ſacrilegi antedicti, vel ubi tam enorme ſcelus commiſſum extiterit; intra quindecim dies, poſtquam de delicto hujuſmodi conſtiterit, per famam publicam, vel evidentiam facti, vel per denuntiationem Decani ſeu Presbyteri (quam ab ipſo Decano ſeu Presbytero loci fieri præcipimus) ſub pœna excommunicationis, quam cito per famam, querimoniam alicujus, rei evidentiam, aut alio modo ipſis conſtiterit, præfatos ſacrilegos tales habent per detentionem perſonarum ſuarum, & privationem bonorum ſuorum, ut liberato captivo DEO, Eccleſiæ, & læſo emendam præſtent de commiſſis. Si vero dicti Domini terrarum præfatos ſacrilegos habere nequiverint, nec bona in eis habuerint, ſed alias commanere in eorum diſtrictibus conſueverint, procedant per proſcriptionem contra eos, de terra ſua ipſos exellendo, & per juſtitiam ſeu judices ſuos id fieri mandent, & procurent: alioqui ſtatuimus, quod extunc ipſi Domini terræ, & eorum judices, & alii, per quos regitur jurisdictio ſecularis, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto. Et ſi per quindenam, dictam excommunicationem animo ſuſtinuerint indurato, extunc tota terra eorum Eccleſiaſtico ſit ſuppoſita interdicto. Præterea, ne per mutationem locorum, præfati ſacrilegi hujuſmodi poſſint malitiam palliare, volumus, quod ſi ipſi ſacrilegi de una Diœceſi ad aliam in noſtra Provincia ſe transferant, vel captivos prædictos deduxerint, quod ad requiſitionem Diœceſani, in cujus Diœceſi hæc perpetrata ſunt, vel ejus Officialis, ſeu amicorum captivatorum, ſeu captivati, facta Ordinario loci ſeu Diœceſano alterius, ad quam ſe ſic tranſtulerint, fide per mandatum ſeu juramentum de præmiſſis, ſtatuta eadem in omni forma; qua ſupra dicitur, inibi obſerventur. Si vero Domini terrarum, vel alii nobiles, & jurisdictiones temporales habentes, fuerint malefactores ſeu violatores interdicti, Capellani eorum (ſi quos habent) quamprimum ſciverint Dominos ſuos Clericum captivaſſe, detinere in munitionibus, aut Dominiis ſuis, vel capi mandâſſe, vel aliquid aliud de præmiſſis feciſſe, amodo coram ipſis non celebrent Divina: ſed ut delicto commiſſo intra quindecim dies ſatisfaciant, ipſos admoneant diligenter: alioqui extunc ab eis, & manſionibus eorum recedant, nec eis communicent.

Con-

contrarium facientes, quos in his scriptis excommunicamus, excommunicatos volumus nunciari. Et si contra hæc Divinis se immiscuerint, notam irregularitatis incidendo, & in ea permanserint per annum unum animo indurato, ipsos extunc beneficiis Ecclesiasticis (quæ in Diœcesibus, in quibus manent, obtinent) ipso facto decernimus privatos esse, & eosdem ipsis beneficiis privamus per præsentes: injungentes beneficiorum Patronis, quod extunc aliis personis idoneis beneficia hujusmodi conferant, quibus iidem sunt privati: alioqui termino juris elapso, potestas conferendi dicta beneficia ad superiorem devolvatur. Si vero dicti irregulares beneficia non habent in Diœcesibus, in quibus manent, ipsos ab eisdem Diœcesibus perpetuo eliminamus, & amovemus, ipsos etiam, tametsi per importunitatem suam absolutionem obtinerent, de cætero ad aliqua officia vel beneficia Ecclesiastica nullatenus admissuri.

Præterea, si captivans Clericum vel Religiosum, vel detinens, ac sacrilegus hujusmodi pœnis vilipensis, congrua satisfactione neglecta, per annum unum in excommunicatione hujusmodi perdurare animo præsumpserit obstinato: statuimus, ut nulli de filiabus, filiis, fratribus, & sororibus, & eorum filiis, & filiabus, usque ad tertium gradum inclusive linea descendente, vel illi etiam, qui ad captivitatem hujusmodi, opem, vel operam impenderint, vel captivum Clericum in suis vinculis detinuerint, ad Ordines, seu Beneficia, aut etiam Prælaturas in nostra Diœcesi, seu alia, in qua hæc fecerint, admittantur, cum ex delicto parentum ipso facto inhabiles reddantur ad hujusmodi consequenda. Statuentes; & mandantes Examinatoribus Clericorum, Capitulis, Conventibus, Patronis, & Archi-Diaconis, ac Prælatis, ut nullum ex talibus ad Ordines admittant, Capitulum vero & Conventus, nullum ex eis ad Præbendas eligant; Patroni nullum ex ipsis præsentent: Archi-Diaconi & Prælati tales non investiant ullo modo: alioqui Capitula & Conventus, Patroni & Archi-Diaconi, ac Prælati, ipso facto jus suum amittant, & ea vice ad proximum superiorem devolvatur. Et nihilominus talium personarum receptio, investitura & admissio sit irrita ipso facto, nec ipsis jus quæratur in beneficiis sic adeptis. Feuda, & si qua prædicti sacrilegi ab Ecclesiis vel Ecclesiasticis personis tenuerint, post lapsum anni, per quem excommunicationem sustinuerint, ad Ecclesias & personas Ecclesiasticas libere revertantur, ita, ut si ipsi sacrilegi ultra se de hujusmodi feudis ingesserint, contra eos tanquam contra invasores Ecclesiæ, procedatur.

Verum, cum futuris periculis sit maturis remediis obviandum, ne post vulneratam causam ad remedium difficilius in bonis recurratur, de Clericis Clericos capientibus, aut capi mandantibus, aut adversus Ecclesiam se hostibus Ecclesiæ associantibus, Ecclesiasque invadentibus, ut contra sacrilegos hujusmodi perfectius, quo poterit, procedatur: statuimus, ut si qui Clerici & Prælati beneficiati, cujuscumque dignitatis, status, aut conditionis existant, bono opere spirituali rejecto in tam præsumptuosam & detestabilem profunditatem malorum dilabuntur, quod Clericos Religiososve personas capiunt, vulnerant, & detinent captivatos, aut contra Ecclesias suas Cathedrales, aut alias, quarum Prælati, Canonici, vel Rectores existunt, cum hostibus ipsarum Ecclesiarum se confœderant, vel in acie hostium contra suos Diœcesanos, & Ecclesias armati comparent, Archi-Episcopos, & Episcopos, & Ecclesias suas, & Collegia, seu Capitula, vel bona earumdem rapiunt, vel rapi faciunt, aut mandant, detinent, vel detineri mandant, seu arrestari procurant, per abusum & judicium potentiæ sæcularis; dum hæc vel eorum aliquod, per evidentiam facti vel sceleris perpetrati, aut per confessionem propriam coram duobus testibus fide dignis factam, aut Judicis sententiam, vel alio modo legitimo liquent, quos (salva pœna *Canonis*) extunc, ut exnunc, absque alterius mandati exspectatione, excommunicationis sententiam (quam in his scriptis propter hoc tanquam delictum notorium in eos ferimus) incurrere volumus ipso facto. In qua quidem sententia, si per annum unum perseveraverint animo indurato, cum tanto gravius Clerici, cujus-

cujuscunque ſtatus, dignitatis, aut conditionis exiſtant, hujusmodi committentes, ſint puniendi, quanto hæc ſunt in ipſis magis deteſtanda, & tanquam ingrati.(*a*) Cum autem Eccleſias proprias invaſerint, dignitates, perſonatus, & beneficia ſua amittere debeant, ſeu ea demeruerint, extunc poſt lapſum anni absque Judicis ſententia, dignitatibus, beneficiis, perſonatibus, & omnibus, quæ in Diœceſi, in qua præmiſſa, vel eorum aliquod commiſerint, habent, & obtinent, virtute, & auctoritate præſentis Concilii noſtri, ipſo facto ſint privati: quos etiam ex cauſis præmiſſis privamus eisdem, absque ſpe reſtitutionis ad ipſa, propter atrocitatem criminis in hoc caſu: Mandantes, ut de ipſis dignitatibus, perſonatibus, & beneficiis per illos, ad quos hoc ſpectat, extunc ordinetur, & conferantur perſonis aliis intra tempus juris: alioqui eorum collatio ad Superiorem devolvatur. Et ſi antedicti Clerici ſic privati, non obſtante, quod forſan de facto dignitates & beneficia habent, adhuc detinent, & Patroni de ipſis negligunt ordinare; poſt hæc ſe ingeſſerint dignitatibus, perſonatibus, & beneficiis eisdem: fructus ſuos non faciant, nec actus eorum Capitulares cuiquam ſuffragium præſtent, vel afferant nocumentum. Clericos vero hujusmodi committentes, non beneficiatos, extunc ut exnunc excludi volumus, & inhabiles exiſtere ad dignitates, perſonatus, officia, & beneficia quælibet in Diœceſi, in qua talia perpetraverint.

III. *Ne quis Laicus exactiones Eccleſiis imponat ratione Advocatiæ, quam ſuper bonis Eccleſiaſticis habet.*

Monemus item omnes Nobiles, terrarum Dominos, Scabinos, Conſules, Judices, Sæculares, & Univerſitates, ac alios laicos, cujuscunque ſtatus exiſtant, ne de cætero occaſione *Advocatiarum*, quas quidam ex eis ſuper bona Eccleſiaſtica habent, vel quocunque alio nomine, vel colore ad hoc quæſito, tallias, collectas, exactiones, petitiones, aſſiſias (*b*), contributiones, ſervitia indebita, & ultra quam jus Advocatiæ, juxta Scabinorum ſententiam, ubi Advocati ſunt, permittit, ipſis Eccleſiis, Eccleſiaſticisve perſonis, hominibus, mancipiis, & bonis earumdem imponant, vel imponere, exigere, aut recipere præſumant: vel quominus bona Eccleſiaſtica colantur, & ipſæ Eccleſiæ eisdem pacifice fruantur, per arreſtationem, vel prohibitionem, aut alias prohibeant, ne bona Eccleſiarum colant, vel homines ſuos, dum in expeditionibus ſuis vadunt, vel alio modo procedunt, in grangiis & curtibus earundem Eccleſiarum & Monaſteriorum ponant, alias contra ipſos volumus procedi per ſententiam excommunicationis, quousque ſatisfaciant de commiſſis.

IV. *De invaſoribus, occupatoribus, & detentoribus rerum, & bonorum Eccleſiaſticorum.*

Item ſtatutum Prædeceſſoris noſtri ENGILBERTI quondam Colonienſis Archi-Epiſcopi, quod ſic incipit: *Atque ad reprimendum importunam præſumptionem raptorum, prædonum, & invaſorum bonorum & rerum Eccleſiarum* &c. innovantes, exnunc de verbo ad verbum, prout in eodem continetur, volumus, & præcipimus firmiter obſervari. Similiter & ſtatuta ejusdem noſtri Prædeceſſoris ENGILBERTI, de effractoribus, & incendiariis Eccleſiarum, & quod ſic incipit: *Contra incendiarios autem & effractores Eccleſiarum, & Monaſteriorum, cum ipſo facto ſint excommunicati*, &c. prout in eodem ſtatuto continetur, innovantes, volumus, & præcipimus obſervari.

V. *De occupantibus bona Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum perſonarum, & Legata fabricæ Eccleſiæ Colonienſis.*

Cum nonnulli tam Clerici, quam laici utriusque ſexus homines, bona mobilia vel immobilia, ad Eccleſias, Monaſteria, vel alia pia loca, nec non ad dignitates, perſonatus, & beneficia pertinentia, vel ad fabricam Colonienſem, & aliarum Eccleſiarum legata, ſeu bona illicite acquiſita, ipſi fabricæ cedentia, aut tacite & expreſſe occupent, & detineant minus juſte in fraudem Eccleſiarum, & Monaſteriorum, ac aliorum prædictorum: Nos eorum in hac parte fraudibus obviare volentes, ſtatuimus, & præ-

(*a*) *forte:* ingrata. (*b*) *forte:* acciſias.

& præcipimus, ut quicunque, cujuscunque status, aut conditionis existant, in præsenti, vel pro tempore, hujusmodi bona & legata, ac illicite acquisita, Ecclesiis, Prælatis & Clericis scientibus vel ignorantibus, sub se habuerint, intra mensem a præsentis statuti publicatione ea, quæ ad præsens apud eos sunt, & se habere sciunt, vel quocunque tempore, dum innotuerit ipsis, se bona consimilia tenere, vel occupare, similiter intra mensem, eisdem fabricæ nostræ Coloniensi, & Ecclesiis, Monasteriis, Prælatis, Ecclesiarum Rectoribus, aut aliis locis piis restituant, atque reddant. Alias ad id extunc per excommunicationis sententiam compellantur.

VI. *De vita & honestate Clericorum.*

Statutum item bonæ memoriæ SIFRIDI quondam Coloniensis Archi-episcopi, Prædecessoris nostri, inter alia statuta sua de vita & honestate Clericorum editum, quod sic incipit: *Ex Concilio Generali statuimus, & præcipimus, ut universi Clerici continenter & caste vivant* &c. innovantes, præcipimus firmiter observari.

VII. *De Vicariis, quo ad Versus & Lectiones in Matutinis.*

Intelleximus etiam, quod quanquam in quibusdam Ecclesiis Vicarii aliqui adstricti sint suas septimanas servare, celebrando Missas in principali, seu summo Altari, & cæteras horas quascunque, Lectiones tamen in Matutinis legere, vel Versus cantare in eisdem Ecclesiis, de consuetudine prohibentur: propter quæ, occasione Canonicorum absentium, contingit interdum in eisdem Ecclesiis negligentias fieri, & Matutinas cum cantu penitus prætermitti. Attendentes igitur absurdum esse, quod majora & solenniora [ut est dictum] ipsis Vicariis permittantur, utpote Missarum celebratio in summo Altari, & minima denegentur: ad tollendam negligentiam hujusmodi, præcipimus Decanis, ut ipsi Vicariis eisdem deinceps injungant Versus cantare, & Lectiones legere, prout viderint expedire. Eos, qui ipsis in hoc non paruerint, sicut in cæteris, corrigendo, salva correctione contra Canonicos, qui in præmissis fuerint negligentes.

VIII. *De ætate Presbyterorum ordinandorum.*

Statuimus item, ut nullus Clericus sæcularis ad Sacerdotii gradum, nisi vigesimum quintum annum ætatis suæ attigerit, aliasque ad hoc idoneus extiterit, ordinetur, ut levitate juvenili, quæ prona est ad delictum, transcursâ, Sacerdotes in agendis discretionem habeant suo statui congruentem.

IX. *De concubinariis Clericis.*

Quanquam item plures Canones, & Statuta edita sint super continentia Clericali, quia tamen natura prona est & labilis ad incontinentiam: idcirco ut quilibet Clericus saltem pœnæ gravioris formidine strictius se contineat; statuimus, ut nullus Clericus, & nullus omnino Presbyter, concubinam vel in domo sua, vel extra publice teneat, aut habeat: cui necessaria administret. Alioqui a Divinis noverit se suspensum: & talibus suspensis celebrantibus, nullus Divina audiat, nec pro Capellanis, nec Sociis eos teneat. Contrarium facientes, ut desistant, per excommunicationis sententiam arceantur, salvis pœnis per bonæ memoriæ CONRADUM Archi-Episcopum Coloniensem, Prædecessorem nostrum, contra concubinarios, & concubinas hujusmodi institutis. Qui vero relaxatis (*c*) voluntatem habenis, in lacum miseriæ, & in lutum fæcis se immergunt, ut salutis æternæ coronam, & honestatis normam, & sacrarum virginum pudicitiam violare præsumpserint, cujuscumque regulæ vel habitus monialium tales extiterint, propter tam flagitiosum crimen, si carnis commercium temerarium fuerit subsecutum, excommunicationis sententia (quam in his scriptis ferimus) se noverint innodatos. Sanctimoniales vero, quæ hujusmodi crimen flagitiosum perpetraverint, nullatenus deinceps ad officium aliquod in Monasterio admittantur: sed in signum iniquitatis suæ (salvis pœnis contra tales Sanctimoniales editis, prout hæ in Concilio Venerabilis Patris, Domini CONRADI Portuensis, & S. Rufinæ Episcopi, olim

(*c*) *forte:* voluptatum.

olim Apoſtolicæ Sedis per Alemaniam Legati ſunt promulgatæ) taliter a ſuis Superioribus corrigantur, quod earum correctio aliis terrorem incutiat, ea amplius non committendi.

X. *Quod Clericis publica emenda & pœnitentia non ſit imponenda.*

Item cum Clericis publica actio pœnitentiæ ſit prohibita, ſtatuimus, ut in nulla Eccleſiarum noſtræ Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ, aliqua emenda ſeu pœnitentia publica ipſis imponatur; cum ex talibus infames reddantur, ſicut in aliquibus Eccleſiis intelleximus obſervatum: videlicet, quod Canonici & Clerici alii ante cruces in Proceſſionibus, & in Choro, diebus, quibus cæteri in albis procedunt, in nigris cappis circumeunt, & incedunt, in publico & in facie laicorum: quod de cætero in virtute ſanctæ obedientiæ fieri prohibemus. Sed Superiores eorum, juxta qualitatem delicti, pœnitentias ipſis Clericis imponant ſuo ordini congruentes. Si ſecus actum fuerit, decernimus ipſos Clericos ad hujusmodi emendas publicas non teneri.

XI. *Quod nonniſi Ordinati, ad ſacros Ordines legant Epiſtolas, vel Evangelia.*

Statuimus item, ut non niſi Ordinati legitime ad ſacros Ordines, Epiſtolas, vel Evangelia legant, induti veſtimentis ſacris, cum id obviet Canonicis inſtitutis. Contrarium facientes a ſuis Decanis puniantur.

XII. *Quod nullus Eccleſiam curatam teneat, niſi ab Epiſcopo, vel Archi-Diacono inſtituatur.*

Item ſtatuimus, quod nullus Eccleſiam curatam de cætero teneat, vel regendam recipiat, aut ſuſceptam tenere præſumat, niſi a Nobis, vel Archi-Diacono, & eorum vices gerentibus (quibus hoc de jure vel conſuetudine competere dinoſcitur) de eadem fuerit legitime inſtitutus, cum alias non habeat claves ligandi, vel ſolvendi. Contrarium faciens, niſi dictam Eccleſiam dimittat, monitione viginti dierum præmiſſa; exnunc excommunicationis ſententiam (quam in ipſum in his ſcriptis ferimus) incidat ipſo facto, nec plebs ei obediat, vel intendat.

XIII. *Quod proviſi de Beneficiis auctoritate Apoſtolica, ſe faciant juxta formam proviſionis ordinari.*

Statuimus etiam, ut quibus in noſtra civitate eſt de Beneficiis Eccleſiaſticis authoritate Apoſtolica proviſum, ſic quod ad ea, prout onus beneficiorum eorundem requirit, promoveri teneantur; ſe faciant juxta formam proviſionis eorundem ad dicta beneficia promoveri: alioqui ea vacare decernimus, & eorundem collationem devolvi ad ſuperiorem, ut per ipſos intra tempus juris de perſonis aliis ordinetur. Et ſi contra hæc Clerici hujuſmodi fructus eorundem beneficiorum perceperint, illos ſuos non faciant, nec ipſis miniſtrentur: quod in virtute ſanctæ obedientiæ duximus injungendum.

XIV. *Quod Fructus Canonicorum ſuſpenſorum decedentium, cedant Eccleſiæ, & non Succeſſoribus ſuſpenſorum.*

Statuimus & hoc, ut, ſi qui Canonici ſuſpenſi deceſſerint, quod propter hoc Eccleſiæ annis gratiæ & eorum fructibus poſt obitum cujuslibet ex conſuetudine currentibus non fraudentur: Sed ipſis Eccleſiis, & non Succeſſoribus ſuſpenſorum, cedant pro redditibus perpetuis comparandis, ad communem utilitatem Eccleſiarum, ne Eccleſiæ ipſæ ex alieno delicto jacturam ſentiant in hoc caſu.

XV. *Quod Clericus non leget concubinis ſuis, vel ſpuriis annum gratiæ ſuæ.*

Nullus item annis gratiæ abutens, fructus annorum ſuorum ſpuriis, vel concubinis ſuis leget aut donet. Contrarium faciens, Eccleſiaſtica careat ſepultura & legatum hujuſmodi non teneat in hoc caſu, ſed cedat Eccleſiæ a qua proceſſit. Item Vicarii Eccleſiarum collegiatarum, vel aliarum Eccleſiarum, ad ordinem, quem onus beneficiorum ſuorum requirit, a tempore ſuſceptorum beneficiorum promoveantur, & perſonaliter reſideant in eiſdem. Alias eiſdem Vicariis ſeu Beneficiis, ſi non promoventur, nec perſonaliter eas deſervierint, ipſo facto, poſt lapſum anni juris, impedimento ceſſante, ſint priva-

ti, & Collatores earundem Vicariarum seu Capellaniarum, de ipsis, personis aliis (id facientibus) studeant providere. Idem de Vicariis jam existentibus volumus observari, ne votum Christi fidelium, qui hujusmodi Vicarias pro remedio animæ suæ, vel pro cultu Divino ampliando instituerunt, & dotaverunt easdem, per talium non promotorum & non deservientium negligentiam defraudetur.

XVI. *De Campanariis, quod sint literati & in albis ministrent.*

Presbyteri item, sub albis, camisias habeant. Et campanarii (quos literatos semper assumi volumus, ut saltem in responsionibus communibus Presbytero valeant respondere) similiter tempore Divinorum camisiis mundis, & albis sint induti, nec quotidianis vestimentis suis in suo officio administrent indecenter: alias per locorum Decanos & Plebanos, ad sui officii exercitium nullatenus admittantur: quod ipsis Decanis & Plebanis in virtute sanctæ obedientiæ duximus injungendum.

XVII. *Quod Decani & Plebani locorum, examinent ornamenta Ecclesiæ.*

Decani item & Plebani examinent libros, & ornamenta necessaria, ad Divinum cultum in Ecclesiis sibi subjectis, & ubi necesse fuerit, per conservatores dictæ Ecclesiæ & Parochianos intra mensem post admonitionem eorundem suppleri faciant, in rebelles excommunicationis sententiam promulgando.

XVIII. *Quod fructus Canonicorum suspensorum cedant Capitulis, non singularibus de Capitulo personis.*

Statuimus item, ut fructus Canonicorum suspensorum, durante suspensione eorundem, cedant Capitulis ad communes usus Ecclesiarum suarum, prout in Ecclesia nostra Coloniensi observatur, cui expedit in hoc casu cæteras nostræ Diœcesis & Provinciæ Ecclesias conformari: ne ipsi Canonici suspensi, eosdem fructus per aliquas alias personas singulares, vendicantes sibi, ex aliqua consuetudine, immo potius corruptela, ipsos competere, recuperent: & per consequens, ad frequentationem chori, per suspensiones hujusmodi nequeant coarctari: si tamen constet, ipsas personas singulares, per dictorum fructuum restitutionem dare Canonicis suspensis occasionem, suspensiones hujusmodi non curandi.

XIX. *Quod Ecclesia vel Cœmiterium non consecrentur, nisi de dotatione loci Diœcesano constiterit.*

Inhibemus item, ne aliqua Ecclesia, vel cœmiterium, dotatæ, de qua dotatione ante omnia Nobis, seu loci Diœcesano fidem fieri volumus, amodo consecrentur.

XX. *Quod Parochiani nonnisi a suo Plebano communionem recipiant.*

Statuimus item, ut nullus Parochianus ab alio, quam a suo vero Plebano communionem recipiat, nisi de hoc privilegiis authenticis sit munitus. Contrarium facientes, a perceptione Corporis *Christi* abstineant, quousque ipsi Plebano satisfecerint de contemptu.

XXI. *Quod non fiant imprecationes, nec cantetur* MEDIA VITA, *contra aliquas personas.*

Prohibemus item, ne in aliqua Ecclesiarum nobis subjectarum, imprecationes fiant, nec decantetur MEDIA VITA contra aliquas personas, nisi de nostra licentia speciali, cum nostra intersit discutere, quando sint talia facienda.

XXII. *De Matrimoniis Clandestinis.*

Prohibemus item, ne quis Matrimoniis Clandestinis intersit, & quod proclamationes fiant ubique de Matrimoniis contrahendis. Et si qui contrarium fecerint, & excommunicationis sententias inciderint, absolutiones talium, Nobis seu nostro Officiali specialiter reservamus.

XXIII.

XXIII. *Quod annus Domini* (a) *de cætero in Nativitate Domini observetur, & innovetur.*

Statuimus etiam, ut exnunc de cætero annus Domini observetur, ut in *Nativitate Christi* innovetur quolibet anno, prout *sacrosancta Romana Ecclesia* id observat, quæ est omnium Ecclesiarum caput & magistra: ut errores & difficultates (qui propter diversitatem inceptionis anni Nativitatis ejusdem multoties eveneunt) de cætero evitentur.

XXIV. *De Tabellionibus.*

Statuimus item, ut Tabelliones seu Notarii publici, quoties alicui appellationi, protestationi, aut provocationi aliive actui in publico faciendo interfuerint, provideant sibi, ut Officiali nostro, seu Judici, aut aliis, coram quibus appellatur, dent sub eodem contextu copiam appellationis sub expensis appellantis: quas appellantibus seu provocantibus, & protestantibus aliqua fieri volumus, ut Judex, an deferat appellationi, nec ne, deliberare valeat, ne ipsis Judicibus, qui limitatum terminum super hoc a jure habent, currat tempus. Item cum Officium tabellionatus sit publicum, præcipimus, ut quilibet tabellio, instrumenti confecti per ipsum, intra sex dies, postquam ex parte illius, cujus interest, fuerit requisitus, sub expensis partis hoc requirentis, quas per taxationem Curiæ nostræ, & Diœcesani cujuslibet taxari volumus, copiam sub sigillo suo det, & assignet. In quibus duobus articulis si tabelliones negligentes fuerint, & de hoc constiterit per rei evidentiam, aut alio modo, ac ipsi appellantes seu protestantes hujusmodi facere contempserint; extunc excommunicationis sententiam incidant, cujus relaxationem Nobis specialiter reservamus.

XXV. *De Sacramentis.*

Item statutum piæ memoriæ SIFRIDI Coloniensis Archi-Episcopi Prædecessoris nostri, de septem Sacramentis, inter alia statuta sua editum, quod incipit, *Statuimus, ut baptismus honorabiliter celebretur* &c. in omni sua forma, pro instructione simplicium Clericorum, qualiter in administratione eorundem Sacramentorum se habere debeant, volumus, & præcipimus observari.

XXVI. *Quod Plebanis non denegetur Chrisma vel Oleum sacrum.*

Statuimus etiam, ut nullis Plebanis Chrisma vel Oleum sacrum, ab his, qui hæc administrare solent, occasione cujusvis petitionis cathedratici, seu synodatici non soluti, denegetur vel subtrahatur: cum necessarium sit in Vigilia Paschæ, & aliis temporibus, pro renovatione fontis baptismatis, hæc in Ecclesiis haberi: sed ad solutionem prædictorum, dicti Plebani, si necesse fuerit, viis aliis compellantur, ne parochianis ex alieno delicto, Sacramenta prædicta, quæ gratis dari debent, indebite subtrahantur.

XXVII. *De Statu Religiosorum.*

Item statuimus, ut Religiosi Ordinis B. Benedicti Abbatis, in crastino Exaltationis sanctæ Crucis, omni anno celebrent Concilia sua in Civitatibus Cathedralibus, & in Monasteriis sui Ordinis, si qua sunt in eisdem: alias in vicino in aliqua Ecclesia dictæ civitatis, quam ad hoc viderint sibi aptam. Ad quod Concilium Abbates singulorum Monasteriorum, quilibet eorum cum duobus Monachis veniant, & habeant inter se duos Superiores Abbates ordinis sui dictæ Diœcesis, qui procurent ibidem legi *Regulam B. Benedicti*, & *Provinciale Concilium bonæ memoriæ Domini* CONRADI *Coloniensis* Archiepiscopi Prædecessoris nostri super statu & Regulari disciplina dicti ordinis per ipsum olim observatum. Quod quidem Concilium sic incipit: *In Nomine Domini, Amen.* (b) " *Conradus Dei Gratia* " *sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus*: " *saluti & bono statui omnium, cujuscunque* " *Professionis seu Ordinis, sed nostrorum Domesticorum maxime debitores existentes in* " *Domino*, sicut in nostra visitatione negocium informationis, & correctionis

(a) Ante MCCCX. Ecclesia Coloniensis cum Gallicana Annum a Paschate auspicabatur. Anno MCCCCXXVIII. adhuc annus Rectoris Magnifici & Decanorum inchoabatur a die Annuntiatæ Virginis 25. Martii, pridie enim 24. Martii erat Electio Rectoris & Decanorum, si anno integro Magistratus gessissent, quod tum rarum erant: non enim ultra trimestre obligabantur.

(b) Tomi III. Concil. nostrorum pag. 594. de anno 1260. totum refertur.

" Clericis per ſtatuta Canonica expedivi-
" mus competenter, ita de Monachis,
" ſatagentes id ipſum ſuo modo, quo
" competens fuerit, expedire, imprimis
" ſtatuimus, quod omnium Monaſterio-
" rum nigri habitus Monachi Ordinis S.
" Benedicti, Divinum Officium in can-
" tando & legendo, ſecundum quod re-
" gula ejuſdem S. Benedicti præcipit,
" exſequantur: & ſic finit. Datum &
" pronuntiatum Coloniæ quarto idus
" Martii. Anno Domini MCCLX."

Quæ etiam ſtatuta ſunt ab aliis Prædeceſſoribus noſtris, de obſervantia regulæ, ibidem legantur. Et ſi qua pro Monaſteriorum dicti ordinis ſtatu, & correctione fratrum rebellium, ac Divini cultus ordinatione ordinanda ſunt, ordinentur: & quæ ibidem diffinita ſecundum eorum regulam fuerint, obſerventur. Si qui vero Monachi rebelles fuerint, nec per Abbates corrigi poſſent, illos Nobis, vel loci Diœceſano volumus præſentari.

XXVIII. *Item de Monachis & Monialibus.*

Si qui etiam Monachi vel Sanctimoniales beatorum BENEDICTI & AUGUSTINI Ordinum, præter ſuperioris licentiam bona mobilia apud ſe, vel apud alios in depoſito negociationis, aut alia de cauſa habuerint, illa ſuo ſuperiori & conventui reſignent, & eiſdem ad cautelam quolibet anno intra quindenam ante Feſtum Paſchæ intiment, ſpecificent, revelent, & demonſtrent, & ad manus ejuſdem ſuperioris Abbatis in præſentia conventus reſignent penitus, atque tradant Monachi & Moniales ejuſdem. Contrarium facientes, ſeu qui bona hujusmodi dolo deſierint poſſidere, excommunicentur, & puniantur ſecundum inde ſtatuta. Et quicunque alii utriuſque ſexus homines, præfata bona ſub quovis nomine ſub ſe habuerint, tales, niſi eadem bona intra menſem ſimili modo ad manus Superioris ejusdem Monachi vel Monialis reportent & reſignent, excommunicationis volumus ſententiam incurrere eo facto.

Item de eiſdem.

Item præcipimus & ſtatuimus, ut Monachi & Moniales in civitatibus atque villis abſque religionis habitu non diſcurrant: nec ullus Monachus ſeu Monialis in pluribus Monaſteriis, quod (*b*) in uno, Dignitates, Perſonatus ſeu Officia & Præbendam obtineat: ſed recepta ſecunda dignitate, Perſonatu, Officio cum Præbenda, Collator primæ dignitatis, Perſonatus, Officii, & Præbendæ Prioris, eam ſeu eas alii conferat intra tempus juris: nec Monachis, vel Monialibus prædictis, tempore abſentiæ ſuæ fructus cedant ſuarum Præbendarum: quia ſic viderenrur aliquid proprii poſſidere. Sed Monachis ad ſtudendum aptis, de ſuorum Superiorum providentia poterit de neceſſitatibus provideri.

Item adhuc de eiſdem.

Item ſtatuendo prohibemus, ne in aliquo Monaſterio Monachorum, vel Monialium, cujuscunque conditionis vel regulæ exiſtant, in receptione vel admiſſione Monachi ſeu Sanctimonialis ad ipſum ordinem, pecunia exigatur, vel pro receptione talis perſonæ ad religionem, pacta, conditiones, aut conventiones de pecunia, vel alia re temporali ipſi Religioſi faciant, quovis nomine vel colore ad hoc quæſito: quod ipſis omnibus, & ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ duximus injungendum. Sed id quod ex poſt parentes & amici perſonæ receptæ pro eleemoſyna & devotionis cauſa, absque pacto libere contulerint, recipere valeant, dum tamen id fiat pure & ſimpliciter ſine fraude.

Item quarto de eisdem.

Cæterum ſtatuimus, ut Moniales ipſæ, ſub perpetua in ſuis Monaſteriis clauſura maneant, ac nulli (niſi de illius, ad quem pertinuerit, ſpeciali licentia) ingreſſus vel acceſſus pateat ad easdem: ut ſic a publicis, & mundanis conſpectibus ſeparatæ, Domino liberius ſervire valeant, ac laſciviendi opportunitate ſublatâ, ipſi Domino JESU CHRISTO, cui integritatem ſuam ſpontanea voluntate devoverunt, corda & opera ſua in omni ſanctimonia cuſtodiant, juxta conſtitutionem D. BONIFACII Papæ VIII. quæ incipit: *Periculoſo & deteſtabili quarundam Monialium ſtatui* &c. quam in præmiſſis & aliis in eadem conſtitutione detentis, volumus, & præcipimus firmiter obſer-

(*b*) quam, *loco*: quod.

observari. Nulla etiam mulier solenne votum continentiæ emittat, quæ non elegerit sub clausura certa, vel approbata alicujus Ordinis remanere: ne propter levitatem sexus, si in sæculo remanserit, sicut prius, continentiæ votum dissolvens, gravius delinquat in hoc casu: nisi ad talem ætatem pervenerit, quod de incontinentiæ vitio amodo contra ipsam suspicio non habeatur.

Quia vero per præsentia statuta nostra *Provincialia*, communi utilitati Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum, pro conservatione libertatis earundem, ac repressione ipsas infestantium, ut speramus, authore Domino salubriter providetur; præcipimus & mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, ut statuta nostra ab omnibus Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis nobis subditis, & in hoc Concilio nostro congregatis, inviolabiliter, fraude, & dolo seclusis, firmiterque observentur. Alias post tres menses a publicatione præsenti statutorum eorundem, volumus venientes contra ipsa, extunc pœnas incurrere contentas in eisdem.

Et ne quenquam ipsa statuta lateant, vel latere possint, statuimus, ut Collegia, Capitula, Conventus, Monasteria, Decani, Ecclesiarum Rectores, & cæteri, quorum interest, intra dictos tres menses a publicatione Statutorum ipsorum, copiam recipiant & sibi procurent eorundem. Alioqui ipsos, qui in hoc culpabiles extiterint, extunc suspendi volumus ab officio Divinorum.

Actum, pronuntiatum, & datum in Palatio nostro Coloniensi, præsentibus Venerabilibus *Guidone* Trajectensis, *Engilberto* Osnabrugensis, *Godefrido* Mindensis Ecclesiarum Episcopis, nec non Nuntiis solennibus Venerabilis *Theobaldi* Leodiensis Episcopi, & Capituli *Monasteriensis*, Sede ipsa vacante: ac Prælatis, & Clero nostræ Civitatis & Diœcesis Coloniensis in dicto Concilio solenniter congregatis, in crastino Dominicæ *Invocavit*, nec non feria tertia & quarta sequentibus, Concilio ipso durante, Anno Domini MCCCX.

Statuta Synodorum Coloniensium, anno 1554. impressa Coloniæ apud hæredes Quentel.

CONCILIUM TREVERENSE PROVINCIALE

Anno Christi MCCCX. Clementis V. Papæ VI. Henrici VII. Regis II.

SUB BALDUINO, ARCHI-EPISCOPO TREVERENSI, HENRICI VII. REGIS FRATRE.

DIVISUM EST IN CAPITA CLVI.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Ista sunt Statuta salubria Provincialis Concilii Trevirensis, edita per Reverendum in Christo Patrem & Dominum, Dominum BALDUINUM, *Dei gratia, Sanctæ Trevirensis Ecclesiæ Archi-Episcopum, Sacri Imperii per* (a) *Regnum Arelatense Archi-Cancellarium, & publicata in Ecclesia Beati Petri Trevirensis, Anno Domini* MCCCXXXIX. (b) *die* (c) *mensis Aprilis*, (d) *& approbata concorditer per ipsum* (e) *Provinciale Concilium. Inter quæ quam plures*

(a) Galliam & (b) decimo.
(c) XVIII. die mensis Aprilis. (d) ratificata &
(e) Episcopi Provinciæ Trevericæ anno 1310. erant Rainaldus de Bar, Episcopus Metensis, ab A. 1301. ad 1316. Joannes d'Arsillieres Episcopus Tullensis ab A. 1310. ad 1320. Nicolaus de Nova villa Episcopus Verdunensis ab A. 1310. ad 1313. sub Balduino, Comite Luxemburgensi, Metropolita Trevirensi, ab A. 1308. ad 1355.

plures instructiones Canonicæ ad laudem Dei & necessariæ (f) ad utilem eruditionem personarum Ecclesiasticarum, & Sæcularium Trevirensis civitatis ac Provinciæ continentur.

I. *De exercenda Justitia adversus violentos Ecclesiarum oppressores.*

QUoniam (g) quidem esse omnium perfectissimam virtutum arbitrandum esse hominibus, justitiam scilicet, quæ suum omnibus distribuit, conatus illicitos reprimens; & errata condemnans; quæ aliis augetur virtutibus & perficit virtuosos; eo quod justitiam colere, summum noscitur esse bonum; quod & licet universis incumbat, specialiter tamen in pontificali culmine constituti, qui juris exsecutores exsistunt, (h) tenentur justitiæ, eo quod reintegranda omnia sunt ordinatione Pontificum ipsorum (i) secundum varietatem temporum, per quorumcumque violentiam, oppressiones & fraudes ab Ecclesiis subtrahuntur, Ecclesiasticis quæ personis ablata sunt. Ad hoc enim Deus (k) præordiavit Episcopos, ut injustitias removeant, præsumptiones abscindant, & Domino in suis servientibus opem ferant. Quod maxime fieri convenit, cum illi graviter opprimunt, de quibus dictum est: *Nolite tangere Christos meos*, (kk) per quos Presbyteri & hi, qui in sorte Domini assumti sunt, non absque mysterio nuncupantur. Porro quantis oppressionibus & violentiis, injuriis, blasphemiis & jacturis his diebus per (l) hostis antiqui versutias afficiantur, crucientur, lædantur, & opprimantur contra justitiam in nostra Trevirensi Provincia, personæ Ecclesiasticæ & Presbyteri, illi potissime, qui ferventiores in servitio Salvatoris exsistunt, nullus est, qui hæsitet. Obquam rem & licet omnes (ll) *humiliari oporteat sub potenti manu Dei, ut in tribulationis tempore liberentur*, ex injuncto tamen Nobis officio Pastorali hujusmodi insolentiis tenemur obsistere, ac per defensionem justitiæ eos mucrone inexpugnabili constitutionum utilium confringere, ut (m) resistere valeant ascendentibus ex adverso. Cum itaque considerata locorum, hominum, & temporum conditione introducantur causæ, scripturarum (n) remedia rationes & jura, quod in Apocalypsi competenter describitur; dum Joannes septem Ecclesiis scribit, in unaquaque earum specialia vitia (o) comprehendens: quod (p) secundum Apostolum evidentius declaratur, dum per singulas singulariter Ecclesias diversis remediis medetur illatis vulneribus. Ne per exhibitionem unius solius Collyrii adinstar periti medici per eum omnium oculi curarentur. (q) Pro communi omnium nostrorum utilitate subditorum, provida deliberatione statuimus, atque (r) præcipimus, incendiarios Ecclesiarum, locorum religiosorum, ac eorum receptatores scienter, singulis diebus Dominicis excommunicatos denunciari per omnes conventuales & parochiales Ecclesias & per omnia Monasteria tam Monachorum, quam Monialium Civitatis, Diœcesis, Provinciæ Trevirensis, decernentes ipsos ex tunc ab omnibus evitandos. Cum autem ipsi incendiarii post publicationem hujusmodi excommunicationis absolvi non possint, nisi a summo Pontifice; Nos, ut iidem incendiarii & Receptores eorum super hoc aliquam ignorantiam non prætendant, statuimus, ut hoc ipsis intimetur per parochiales prædictos ante denuntiationem prædictam.

II. *Contra Prædones & Violatores Ecclesiarum.*

Item de Violatoribus Ecclesiarum & Monasteriorum, seu quorumcumque religiosorum & sacrorum locorum fractoribus, statuimus, quatenus in loco, ad quem prædam Ecclesiarum & locorum

(f) necessariam & utilem. (g) Unam quidem esse omnium perfectissimam virtutem arbitrandum est hominibus, justitiam scilicet. (h) & ad exercitium tenentur, (i) quæcunque (k) præordinavit (kk) Psalmo CIV, 15. (l) exquisitas (ll) I. Petri V, 6. (m) resisti valeat. (n) scripturarumque (o) deprehendens. (p) Quin etiam (q) Caput secundum: *De incendiariis Ecclesiarum.* (r) præcipimus (s) Caput tertium: *De violatoribus Ecclesiarum.*

rum ſeu perſonarum Eccleſiaſticarum duxerint, quamdiu eſt, & erit ibi præda, vel ipſe prædo, vel prædæ emtor, ceſſetur videlicet in ejuſdem loci Parochiali Eccleſia penitus a Divinis per eorundem Eccleſiarum Parochiales Presbyteros, cujuscumque ſuperioris Judicis Eccleſiaſtici Trevirenſis Provinciæ mandato minime exſpectato: ita tamen, quod iidem Parochiales Presbyteri cauſam ceſſationis hujusmodi, contra quem & pro quo eadem ſit ceſſatio, ſuis Epiſcopis, ſeu Officialibus eorum quam primum commode potuerint, non differant intimare. Si autem in ipſa Parochia Conventus ſeu Collegium fuerit, januis clauſis ejusdem Parochiæ, Parochianis excluſis, voce ſubmiſſa, ita quod foris audiri non valeant, Divina celebrentur ibidem.

III. (*t*) *De Parochianis, qui ſine officio Miſſæ ſepeliuntur.*

Si quis autem Parochianorum prædictorum deceſſerit, ſine officio Miſſæ cum ſolis commendationibus ſepeliatur in atrio, excepto prædone, prædæ emtore, fautoribus, ſeu receptatoribus eorumdem. Præmiſſa vero ſerventur, quam cito de præmiſſis conſtiterit, per facti vel ſpolii evidentiam vel Sacramentum ſpoliati, ſi honeſta ſit perſona. Si quid autem circa præmiſſa, & ceſſationes hujusmodi dubitationis, ſeu quæſtionis emerſerit; judicio Epiſcoporum, (*u*) & aliorum generalium Officialium, quorum idem eſt auditorium, relinquatur; per quos reſtituta præda, reſumtis organis, iidem violatores, fractores, prædones, fautores, & receptatores eorum damna & intereſſe (*w*) ſpoliato Parochialibus Eccleſiis & Presbyteris per cenſuram Eccleſiaſticam reſtituere compellantur, quæ ratione ceſſationis hujusmodi ſpoliatus, eædem Eccleſiæ & (*x*) Presbyteri incurrerunt. Super quibus damnis credatur juramento ſpoliati & Presbyteri, ſi honeſtæ ſunt perſonæ, & excommunicati nuntientur uſque ad ſatisfactionem condignam præmiſſorum.

IV. *Contra Raptores.* (y)

His autem adjicientes decernimus, ut ſi raptores, violatores, ſeu prædones quarumcunque rerum vel perſonarum Eccleſiaſticarum infra menſem, a quo, ut prædicitur, ceſſari contigerit, contra eos prædam non reſtituerint, nec ſatisfecerint de præmiſſis, absque alio mandato, auctoritate præſentis ſtatuti; per Parochiales Presbyteros excommunicentur, & excommunicati ipſo facto ſint, & etiam (*z*) nuntientur, interdictâ terrâ eorumdem raptorum, violatorum, & prædonum, ſi quam habent. Et ſi Dominum Superiorem habeant temporalem, moneatur Dominus, ut eos ad condignam ſatisfactionem compellat infra alium menſem a tempore monitionis ſibi factæ. Quod ſi facere neglexerit, extunc terra ejusdem temporalis Domini ſub Eccleſiaſtico ſit poſita interdicto. Quod autem dicimus de raptore, extendi volumus in eum, qui rapinam fieri procuraret.

V. *De captione Clericorum.* (a)

Statuimus, ut captivatores Clericorum absque auctoritate Superioris Eccleſiaſtici, qui hoc facere poſſit & debeat, de qua quidem auctoritate conſtet: adjutores & defenſores eorum, quam primum de captivatione hujusmodi conſtiterit per evidentiam facti, vel alias legitime, per Parochiales Presbyteros excommunicati denuntientur. Si autem a die denuntiationis Clericum captivatum infra triduum non reſtituerint, terra ipſorum, ſi quam habent, Eccleſiaſtico ſit ſuppoſita interdicto. Si vero a tempore interdicti hujusmodi infra menſem non reſipuerint; eorum Domini temporales a locorum Ordinariis moneantur, ut captivatores & detentores Clericorum ad eorum reſtitutionem compellant, alioquin ipſi Domini (*b*) per Ordinarios excommunicentur, ac excommunicati denuntiari mandentur. Quod ſi excommunicationis ſententia non proficit, contra eos terræ ipſorum, ſi quas habent, extunc Eccleſiaſtico ſint ſuppoſitæ interdicto.

VI.

(*t*) Caput quartum: *De ſepultura interdictorum.* (*u*) & eorum
(*w*) ſpoliatis (*x*) Presbyterorum
(*y*) Caput V. *De reſtitutionibus ſpolii.* (*z*) publice nuntientur.
(*a*) Caput VI. *De captivatoribus Clericorum.* (*b*) temporales

VI. (c) *Ut raptor denuntietur excommunicatus.*

Et quia ſuper conſtitutionum & ſententiarum executionibus eſt juris ſubſidium, & ordinariorum Judicum auxilium implorandum; ſtatuimus, quod ſi raptores, captivator, prædo excommunicati fuerint nuntiati; vel terræ eorum, ſi quas habeant, interdicto ſint ſuppoſitæ a Judice ordinario unius Civitatis, vel Diœceſis, Provinciæ Trevirenſis; aliarum Diœceſium ejusdem Provinciæ Ordinarii, qui ex parte ſpoliatorum ſeu captivorum ſuper hoc requiſiti fuerint, in ſuis Civitatibus & Diœceſibus eumdem raptorem ſeu captivatorem excommunicatum denuntient, ipſumque faciant ab omnibus evitari: terras, ſi quas habeat, ſub ſuis jurisdictionibus Eccleſiaſtico interdicto ſupponentes.

VII. (*d*) *Contra Celebrantes in locis interdictis.*

Item, ſtatuimus, ſi Presbyter vel Clericus in ſacro Ordine conſtitutus, in loco interdicto ſcienter celebraverit; vel ipſe Presbyter vel Clericus interdictus, ſuſpenſus, vel excommunicatus, maxime a Judice, Divina, ut prius, celebrare pertinaciter præſumpſerit; & a loci Ordinario monitus non deſtiterit, ac infra competentem dilationem ſecum ſuper hoc canonice diſpenſari non obtinuerit, per ſuum Epiſcopum & ad mandatum ſuum, ut ſit cæteris in exemplum, corporaliter capiatur, ut circumſtantiis provida deliberatione penſatis, in perpetuum, vel ad tempus, prout Epiſcopus expedire providerit, carceri mancipetur ad pœnitentiam peragendam.

VIII. (*e*) *Contra non recte tonſurantes.*

Item cum ante Sacramentale ſignum, quod per manus impoſitionem imprimitur & confertur, nullus ſecundum B. ISIDORUM dici debeat de ſorte Domini; ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ firmiter præcipiendo ſtatuimus, ut nullus de civitate, Diœceſi, & Provincia Trevirenſi ſignum Clericale, ſeu Clericalem tonſuram, per quam ſecundum veriorem ſententiam Ordo Clericalis confertur, deferat, ſeu ſibi radi faciat, acolythatus etiam ordinem non recipiat, antequam per eum, qui poſſit & debeat, ſibi in collatione primæ Clericalis tonſuræ manus impoſitio & benedictio Sacramentaliter imponatur.

IX. *Ne plures uno die recipiantur Ordines.*

Item ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ omnibus ſubditis noſtræ Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Trevirenſis, propter multorum abuſum clandeſtinum, qui hactenus fieri conſuevit, inhibemus, ne quisquam eorum primam tonſuram cum aliis omnibus minoribus, ſeu acolythatum cum ſacro Subdiaconatus ordine, maxime cum conſuetudo Trevirenſis Provinciæ repugnet; una & eadem die recipere præſumat. Quod ſi contra præſumtum fuerit, hujusmodi ordines totaliter jure reprobante recipiens ab executione eorumdem Ordinum ſit ſuſpenſus, cum receptio plurium Ordinum una die ſit generaliter reprobata.

X. *Ne ſpiritualia vendantur ante receptionem.*

Item cum ſpiritualia, nullo dato promiſſo, per quod privata utilitas, ſeu laſcivia induci valeat, pure & ſimpliciter conferri debeant, prout in antiquis Sanctorum Patrum Sanctionibus continetur: ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ omnibus perſonis Eccleſiaſticis Civitatis & Diœceſis Provinciæ Trevirenſis firmiter inhibemus, ne quisquam ante vel poſt receptionem, in Canonicum, in Monachum, vel in fratrem, ſeu adoptionem cujuscumque beneficii Eccleſiaſtici, ratione hujusmodi receptionis prandium ſeu convivium commune, prout hactenus in quibusdam Eccleſiis fieri conſuevit, ſeu eidem prandio, in quo non morum commendanda inſtructio, ſed reprobanda ventris repletio fieri conſuevit, interſit. Verum, ut ad honorem Dei, & Eccleſiarum decus, utilitas augeatur, præcipimus, quod in Eccleſiis, in quibus ſuper hujusmodi conviviis tempore præſentis ſtatuti conſuetudo ſervabatur, loco convivii hujusmodi poſt receptionem pure & ſimpliciter

(c) Caput VII. *Honthemio.*

(*d*) Caput VIII.

(*e*) Apud Illmum Honthemium ſequitur Caput IX. *De Executionibus Teſtamentorum.*

ter factam, præstetur una cappa ad ornamentum Ecclesiæ valoris centum grossorum Turonensium antiquorum, ubi alias cappa majoris vel minoris pretii minime solvebatur.

XI. *Ut nullus alium præsentet.*

Item sub pœna latæ sententiæ omnibus perpetuis Vicariis Civitatis, Diœcesis, & Provinciæ Trevirensis inhibemus, ne quis alium Vicarium, seu perpetuum mercenarium ad titulos Vicariarum suarum, prout hactenus factum fuisse comperimus, præsentare præsumat, nec admittatur ad Ecclesiam taliter præsentatus, decernentes irritum & inane, quidquid contra hoc fuerit attentatum.

XII. *De non residentibus.*

Item sub prædicta pœna firmiter præcipimus, ne quæcunque persona Ecclesiastica nostræ civitatis, & Diœcesis, Provinciæ Trevirensis grossos fructus Ecclesiastici beneficii percipiat, nisi in eodem beneficio residentiam fecerit, ut tenetur, & faciat personalem, nisi cum eo fuerit dispensatum.

XIII. *Contra Executores testamentorum.*

Item, quia Executores testamentorum, seu ultimarum voluntatum decedentium, plerumque in nostra civitate, Diœcesi, & Provincia Trevirensi, executionem testamentorum hujusmodi, etiam super his, quæ a testatoribus ad pias causas legata vel disposita sunt, nondum infra annum, sed plerumque biennium, & tempus multo longius adimplere negligunt: quin imo plerique executores bona decedentium hujusmodi sibi appropriantes, dividentes inter se, præfatas ultimas voluntates & dispositiones dolose exequi totaliter prætermittunt: quamquam secundum civiles etiam sanctiones extrema voluntas testatoris cujuslibet infra annum debeat executioni demandari, alias est defunctorum piis voluntatibus per locorum Episcopos providendum: innovando statuimus, quatenus iidem Executores per locorum Ordinarios moneantur, ut facto primitus, & quam cito fieri poterit, ab eis inventario super bonis receptis, infra annum a tempore obitus testatoris, & hujus executores receptas ultimas dispositiones prædictas, præcipue ad pias causas, fideliter exequantur: super quo locorum Episcopis, seu eorum vices gerentibus fidem faciant, alioquin Executores prædicti bona executioni sibi commissa Episcopis deliberent anno lapso, per manus Episcoporum, secundum dispositionem defuncti dividenda, & ordinanda. Quod si executores ipsius facere contempserint, ipso facto, sententiam excommunicationis incurrant: quam excommunicationis sententiam, si per alium mensem indurato animo sustinuerint, ex tunc cessetur in Parochiis usque ad satisfactionem condignam. Contra eos, si Episcopis expedire videbitur, penitus cessetur a Divinis.

XIV. *Contra gerentes cucuteras* (d) *& rigatas.* (e)

Item, cum prima facie quilibet præsumatur talis, qualis is esse, cujus habitum fert, comprobatur, & in nostra Civitate, Diœcesi, & Provincia Trevirensi quam plures Presbyteri, Canonici, & Clerici rigatas & scatatas vestes gestantes, nec non mitras, ut vulgariter dicimus, seu cucusas, [f] coram Episcopis & Ordinariis, & etiam in Ecclesiis, in quibus beneficia obtinent, deferentes, venerabile signum Clericale, per quod ipsi in sortem Domini sunt, deferre præsumptuosa superbia vilipendunt, ut milites armatæ militiæ esse videantur, qui sanctæ cœlestis militiæ esse debent, & quibus non sub terrestri, sed cœlesti militia stipendiis providetur; sub pœna excommunicationis latæ sententiæ omnibus Presbyteris, Canonicis, & Clericis in sacris Ordinibus constitutis, & beneficia Ecclesiastica obtinentibus, firmiter inhibemus, ne deinceps hujusmodi vestes rigatas & scatatas in Ecclesiis, in quibus Beneficiati existunt, tempore, quo celebrantur Divina, de cætero deferre præsumant; sed tonsuram Clericalem convenientem deferant secundum qualitatem Beneficii & conditionem personæ, honeste, gestu, habitu, & incessu taliter se habentes, ut honeste vivendo in conversatione laudabili sint cæteris in exemplum.

(d) cucutera cucufa, tegumentum capitis, simile cucullo monachali.

[e] rigata, id est, similis depicta variegata.

(f) scatata, in scacarii speciem variegata.

XV. *Contra Beneficiatos non tonsuratos per manus Episcopi.*

Item, abusum damnabilem, qui in nostra Civitate, Diœcesi, & Provincia Trevirensi inolevit, amoventes, omnibus personis nobis subditis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ firmiter inhibemus, ne quis antequam primam tonsuram per manus impositionem Sacramentalem receperit, sibi de quocumque Beneficio Ecclesiastico provideri procuret. Si autem contrarium per quamvis personam factum est, illud extunc decernimus irritum & inane.

XVI. (*f*) *Contra Presbyteros exigentes a Parochianis pecuniam.*

Item cum secundum Canonicas sanctiones nihil sit pro Sacramentis Ecclesiasticis exigendum, sed sint gratis & sine dilatione aliqua exhibenda (quanquam piæ consuetudines super his erga sanctam Ecclesiam pia devotione a fidelibus introductæ debent observari) quam plures parochiales Presbyteri nostræ Trevirensis Provinciæ, prout didicimus, ubi consuetudo non est super certo eis dando, consuetudinem prætendentes, pro sepulturis, Chrismatis, & Unctionis receptione, & administratione immoderatos pecuniæ nummos, & alias res extorquent ac exigunt ab invitis: ineffrenatam utique aviditatem eorum refrenare volentes, statuimus ut prætextu consuetudinis, quæ sub certo eis solvendo notoria non fuerit ab antiquo, dicti Presbyteri pro sepulturis, & exequiis mortuorum ultra duodecim solidos parvorum Turonensium recipere seu exigere non præsumant; sed etiam minori summa sint contenti, secundum morientium facultates: super quibus eorum conscientias oneramus. In locis vero & Parochiis, in quibus super receptione certi & determinati majoris vel minoris pretii eis solvendi, super quo etiam contenti sint, seu rei cujuslibet alterius consuetudo dubia non existit, sed a Parochianis & aliis, quorum interest recognoscitur ita esse, nihil per hoc præsens statutum volumus immutari: quin hujusmodi pia consuetudo notoria simpliciter observetur.

XVII. (*g*) *Contra incorporationes Ecclesiarum.*

Item cum (*h*) cessationes seu collationes Ecclesiarum, quas incorporationes vocant, in quantum Ecclesiis & Monasteriis, non personis conferuntur, ad perpetuas alienationes pertineant, super eisdem Ecclesiis incorporandis in nostra civitate, Diœcesi, & Provincia Trevirensi, per importunitatem (*i*) potentium ab Ecclesiarum Prælatis & Capitulis faciendis tantæ & totiens gratiæ factæ fuerunt & fieri sperantur in posterum, quod Parochiales Presbyteri vix jam habent, & habere posse videntur, unde secundum statum eorum commode sustententur, sed per incorporationes hujusmodi, per quas redditus & decimæ a Parochialibus Ecclesiis subtrahuntur, licet de jure communi pertineant ad easdem, plurimis eisdem Parochialibus Presbyteris pro hospitalitate tenenda, & Episcopalibus juribus exsolvendis non suppetant facultates, sicque quam pluribus Presbyteris & (*k*) Rectoribus in Ecclesiis deservientibus spiritualia seminantibus, ipsi carnalia non metunt: vineam plantant & colunt, & de ejus fructu non edunt; extraneis in messes eorum falces mittentibus, contra Apostolum, secundum quem laborantem agricolam prius oportet suscipere de fructibus suis, maxime cum *serviens altario vivere debet* [*l*] *altari.* Nos itaque ut militanti stipendia minime subtrahantur; statuimus, ut deinceps in nostra civitate, Diœcesi & Provincia Trevirensi, hujusmodi (*m*) institutiones seu incorporationes Ecclesiarum non fiant in Ecclesiis & Monasteriis, nisi subsit causa notoria & legitima, de qua constet; & nisi vocatis & præsentibus omnibus, qui fuerint evocandi, solemnitates adhibeantur, quæ consideratis circumstantiis universis super alienationibus rerum ecclesiasticarum adhiberi debent secundum Canonicas sanctiones: ita quod Incorporationes hujusmodi ipso facto non valeant, nisi contractu præhabito inter Episcopos & Ecclesiarum cathedralium Capitula, causa rationabilis vel urgens necessitas, seu earumdem Ecclesiarum evidens utilitas eos-

(*f*) *Hoc est Caput XI. Honthemio: De exigentibus munera pro Sacramentis.*
(*g*) Caput XII. Honthemio.
(*h*) concessiones
(*i*) petentium
(*k*) Lectoribus
(*l*) de altari.
(*m*) concessiones

eosdem Episcopos & Capitula communiter ad prædictas incorporationes de cætero faciendas inducat. Si qui vero aliquid contra fecerint, seu procuraverint fieri, illud decernimus irritum & inane. Per hoc tamen præsens nostrum statutum in nullo derogavimus incorporationibus Ecclesiarum hactenus rite factis.

XVIII. (*n*) *Contra Presbyteros se irreverenter habentes.*

Item, cum Presbyteri & personæ Ecclesiasticæ, maxime in sacris Ordinibus constitutæ, in castris Divinis sub Ecclesiasticis stipendiis militare noscuntur, ut Ecclesiasticum ordinem agnoscentes, in aliud sæcularis vitæ genus, Ecclesiasticæ disciplinæ spreta reverentia, non transcendant, statuimus, quin imo statuta a sanctis Patribus innovamus, ne Presbyteri seu Clerici in sacris Ordinibus constituti, & maxime Monachi, sæculares negotiationes exerceant, & præcipue tabernas non teneant, lucris turpibus non insistant, munera injusta non accipiant, justitiam non vendant pro sæculari quæstu, aliquem pretio non advocent, (*o*) nec in (*p*) plateis sæcularibus, orphanorum, & viduarum, & personarum miserabilium defensione (*q*) excepta, disputare contendant. Conductores, aut Procuratores in casibus non permissis rerum sæcularium non existant, aleas non sequantur, spectacula sæcularia fugiant, ornamenta (*r*) non statuta & conditioni suæ minime convenientia neque desiderent, neque gestent, in deliciis superfluis non vivant, gulam fugiant, & sobrietatem sectentur, pondera injusta, seu mensuras, non habeant, circa otiosa & superflua non intendant. Si quis autem Presbyterorum, & Clericorum, & Monachorum contra hoc salutare statutum ausu temerario aliquid attentare præsumpserit; competenti monitione præmissa, a suo Episcopo, quousque resipuerit, & condigne satisfecerit, de commisso excommunicetur, & a temere (*s*) tentatis per censuram Ecclesiasticam compellatur.

XIX. (*t*) *Pro matriculario habendo in Parochiali Ecclesia.*

Item, prout jam dudum a sanctis Patribus in generali Concilio statutum est, præcipiendo firmiter innovamus, quod quilibet Presbyter, Pastor, seu Vicarius in quacumque Parochiali Ecclesia Divina celebrans, nisi propter paupertatem nimiam, & notoriam excusetur, Clericum, vel personam (*u*) saltem litteratam secum habeat, qui sibi competenter legendo & cantando respondeat in Divinis, quacumque contraria consuetudine non obstante, per quam in quam pluribus locis agricola, & alii puri laici litteras penitus ignorantes, qui secus altare, dum sacra Mysteria celebrantur, stare, vel sedere non debent, per quos potius impediri plerumque consueverat altaris ministerium, quam ipsi decenter in eodem ministerio deservirent. Scriptum namque est, quod Osias lepra percussus est a Domino; eo quod usurpare voluerit Officium Sacerdotis.

XX. (*x*) *Pro mandatis exequendis.*

Item, quia per malitiam, desidiam, & subterfugia personarum Ecclesiasticarum, & Presbyterorum, qui ad suorum Superiorum mandata exequenda tenentur, plerumque effectus justitiæ multipliciter impeditur; statuimus, ut Presbyteri, quibus alicujus mandati executio a suo Superiore committtur, si super executione hujusmodi quidquam (*y*) dolose egerint, seu fuerint negligentes; illi, seu illis, pro quibus mandatum directum fuerat, (*z*) etiam interesse teneantur, & damnis, quæ ob id incurrerint, coram judice, a quo mandatum emanaverat, declarandis. Si vero iidem Presbyteri, seu quicumque executores alii, pro executione mandatorum hujusmodi damna passi fuerint, non relaxetur sententia, quantumcumque pars in hoc consentiat,

R 3

(*n*) Caput XIII. *Hontbemio.* (*o*) non conducant. (*p*) placitis sæcularibus.
(*q*) concepta. *Hontbemius.* (*r*) statui, *pro* non statuta. (*s*) attentatis.
(*t*) Caput XIV. *Hontbemio: De Ministris altaris, & quod quilibet Rector Ecclesiæ debet habere personam literatam.* (*u*) saltem, *abest.*
(*x*) Caput XV. *De non exequentibus mandata Superiorum.* (*y*) malitiose egerint.
(*z*) ad interesse.

ſentiat, niſi primitus eiſdem Presbyteris & Executoribus de damnis hujusmodi per eum, qui damna intulerit, ad arbitrium judicis fuerit ſatisfactum.

XXI. (a) *Contra minas inferentes Eccleſiaſticis perſonis.*

Item quæcumque perſona Eccleſiaſtica vel ſæcularis perſonæ Eccleſiaſticæ minas corporales intulerit, & monita a ſuo Superiore eam aſſecurare noluerit, ad fidelem aſſecurationem præſtandam indilate ad id per excommunicationis ſententiam compellatur.

XXII. (b) *De illis, qui altaribus ſerviunt.*

Item cum *is*, *qui altario ſervit*, ſecundum Apoſtolum *de altari vivere debeat*, prout alias *in provinciali Concilio Trevirenſi* fuerat inſtitutum; innovando præcipimus, ut per locorum Ordinarios deſervientibus in Eccleſiis Parochialibus, & præcipue perpetuis Vicariis competens portio aſſignetur. Quod ſi iidem deſervientes ſeu Vicarii quovis modo minorem, aut minus ſufficientem acceptaverint portionem, nihilominus actionem habeant contra earumdem Eccleſiarum Rectores, aut alios fructuum earumdem perceptores ad augmentum portionis ejusdem. Quod enim militantes Deo Presbyteri mendicare non debeant, non ſpecialiter in favorem perſonæ inductum eſt, ſed totius ordinis clericalis. Et ſi deſervientes prædicti, ſeu Vicarii, ad aſſignationem debitæ portionis agere non valeant, ſeu quia lites abhorrent, nolunt ſuper hoc (c) deponere quæſtionem; locorum Ordinarii ſuper hujusmodi portione aſſignanda debita, ſuum officium de plano & abſque judiciali ſtrepitu interponant, quamprimum id advenerit ad notitiam eorumdem.

XXIII. (d) *Qualiter in Eccleſiis Parochialibus ſe eſt regendum per laicos.*

Item in Parochialibus Eccleſiis cantentur ſeu legantur, conſiderata qualitate temporis, horæ canonicæ, impedimento ceſſante, ad Parochiales matrices Eccleſias, Parochiani de villis circumſtantibus, & Capellis, ſeu Oratoriis attingentibus, ſaltem quibuslibet diebus Dominicis, in ſolemnibus Feſtivitatibus, ſub pœna excommunicationis teneantur accedere, ut ibidem Miſſarum ſolemnia audiant, prout *in generali Concilio* eſt a ſanctis Patribus inſtitutum, præcipue, ne honor Matricis Eccleſiæ pereat per Capellas, niſi Capella forte adeo ſit remota, vel aquarum inundatio, ſeu aliud (e) ſubſiſtat, per quod ſuper hoc rationabiliter valeant excuſari; in eademque Capella de redditibus adeo ſit proviſum, quod de auctoritate Epiſcopi loci ejuſdem poſſit & debeat in diebus talibus ibidem celebrare Sacerdos.

XXIV. (f) *Contra Decimas occupantes.*

Item Decimæ prædiales non in domibus ſicut hactenus in pleriſque locis fieri conſuevit, ſed in agris, vineiſque; pratis & in aliis locis, ex quibus proveniunt, ſub pœna excommunicationis integraliter perſolvantur, nullis deductis expenſis, quæ factæ fuerint circa rem hujusmodi decimandam.

XXV. (g) *Contra Decanos rurales.*

Item cum cauſæ matrimoniales tractari debeant per diſcretos judices, qui poteſtatem habeant judicandi, & ſtatuta Canonum non ignorent, firmiter inhibemus, ne Decani rurales, ſeu forenſes Archi-Presbyteri, Eccleſiarum Paſtores, ſeu Vicarii de cauſis matrimonialibus cognoſcere, vel judicare præſumant. Si contra factum fuerit, irritum nuntiantes.

XXVI. *Contra excommunicatos, qui per annum pervivaces ſunt.*

Item, cum excommunicationis ſententia, quæ eſt Eccleſiæ mucro, vilipendatur a pluribus, ſtatuimus, quod ſi excommunicatus ab ordinario Judice per annum in ſua pervicatia, & excommunicatione (h) ab eodem Judice moneatur Dominus temporalis, ut infra terminum competentem eumdem excommunicatum redire ad ſanctæ matris Eccleſiæ unita-

(a) Caput XVI. *eodem titulo.*
(b) Cap. XVII. *De portione perpetuorum Vicariorum.*
(c) actionem inſtituere.
(d) Cap. XVIII. *De Canonicis horis dicendis.*
(e) impedimentum.
(f) Cap. XIX. *De Decimis prædialibus.*
(g) Cap. XX. *Coram quibus cauſæ matrimoniales debent tractari.*
(h) perſiſtat,

unitatem compellat. Alioquin ipſe Dominus temporalis excommunicetur; quam excommunicationem ſi per menſem ſuſtinuerit , ex tunc terra ejus, ſi quam habet , prout & in quantum eidem judici videbitur , ſupponatur Eccleſiaſtico interdicto.

XXVII. (*i*) *Contra illos, qui obligant bona Eccleſiæ.*

Item quia quamplures Eccleſiarum Prælati, & potiſſime Abbates, Abbatiſſæ, Priores, Præpoſiti, & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ noſtræ Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Trevirenſis bona Eccleſiarum, Monaſteriorum & Prioratuum adeo prodigaliter diſſipando (*k*) refundunt , vendunt, diſtrahunt, obligant; & adeo exquiſitis conventionibus illicitis, etiam ipſis legum conditoribus incognitis, alienant, hactenusque dilacerando & dilapidando bona eadem conſumpſerunt , quod etiam de pluribus Eccleſiis , Monaſteriis , & Prioratibus , in quibus per largitiones Imperatorum, Regum, & Principum , ac erogationes fidelium ſuperabundare conſueverant poſſeſſiones & reditus, peccatis exigentibus , perſonæ Clerici & Monachi ac converſi locorum eorumdem, in eiſdem locis & extra, cultu Divino, cui aſſumti fuerant , derelicto, in vili ac indecenti habitu, uſque ad exinanitionem extremæ virtutis deducti, mendicare coguntur (*l*) in locis, & hujuſmodi clauſtris , ſeu dormitoriis ſolemnibus ab antiquo , & quæ antiquis temporibus propter eorum ſublimitatem operis ſumtuoſi, alienigenis & incolis mirifici (*m*) videbantur, vix eiſdem perſonis Clericis , Monachis & Converſis poteſt diverſorium , ut ab imbribus & grandinibus protegantur : propter quod eædem perſonæ diverſioni laicorum cedunt & ſcandalo, in totius Clericalis cœtus opprobrium & contemtum. Prædictis itaque diſpendiis, in quantum Nobis, Deo auctore, permiſſum eſt , obviare volentes, maxime, cum ſicut anima ſine corpore corporaliter non vivit ; ita ſine temporalibus ſpiritualia diu eſſe nequeunt; præſenti conſtitutione ſub interminatione Divini judicii prædictis Prælatis , Abbatibus, Prioribus, Prioriſſis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis firmiter inhibemus, ne impoſterum bona Eccleſiarum, & locorum ſacrorum immobilia aliquatenus obligent, diſtrahant, ſeu etiam alienent per ſe vel per alium, niſi tractatu præhabito ſuper hoc cum omnibus perſonis Eccleſiaſticis eorumdem locorum , requiſitoque & habito conſenſu, & ſingulorum conſilio, ejuſdem loci evidens neceſſitas id fieri expoſcat. Et quia prædictis ſuis Prælatis ſubditi ſuper hujuſcemodi alienationibus , alias vero oppreſſionibus , formidoloſis terroribus conſentire contra proprias conſcientias utplurimum non verentur ; præſenti conſtitutioni adjicimus, ut deinceps hujusmodi bonorum immobilium obligatio , ſeu alienatio facta in caſibus non permiſſis , ipſo facto non valeat, niſi una cum conſenſu prædictorum, auctoritas Diœceſani Epiſcopi intervenerit. Omnes enim Baſilicæ ſui territorii in ejus poteſtate conſiſtunt : quam quidem nonniſi conſiderata utilitate loci cum ſolerti cauſæ cognitione idem Epiſcopus impendat. Si quis autem contra hoc ſalutare conſilium quidquam attentare præſumpſerit , tam alienans (*n*) diſpoſitionis rei , quam recipiens (*o*) reſtitutionis ejuſdem cum fructibus pœnas ſuſtineant, nec pretium hujusmodi male recipiens ab Eccleſia recipiat; ſed ad Eccleſiam , Monaſteria , & loca, quorum eadem bona ſunt, libere revertantur.

XXVIII. (*p*) *Contra Monachos, qui vadunt per civitates.*

Item ſub pœna excommunicationis præcipimus & inhibemus, ne Monachi extra clauſtrum per civitatem, caſtra, ſeu villas incedere ſeu diſcurrere de cætero præſumant, niſi ratione adminiſtrationis, ſi quam habent, hoc eis juxta regulares obſervantias ſit permiſſum, vel niſi Abbatis ſeu Prioris clauſtralis ſuper hoc licentia intercedat, quam idem Abbas, ſeu Prior ſub pœna excommunicationis eis non impendat, niſi hoc exegerit Monaſterii evidens neceſſitas, vel patens utilitas eorundem, ſuper quo ipſorum, Abbatis, & Prioris conſcientias oneramus.

XXIX.

(*i*) Caput XXII. *De alienationibus Bonorum Eccleſiaſticorum.*
(*k*) profundunt. (*l*) inque locis, (*m*) mirifica.
(*n*) (*o*) poſſeſſiones, *corrigit Illmus Honthemius.*
(*p*) Caput XXIII. *De Religioſis extra clauſtra vagantibus.*

XXIX. (q) *Contra illos, qui monetam falsam procurant.*

Item, quia nonnulli motu damnabili ac nefando scelere, prout intelleximus, monetam adulterinam & falsam in suis prædiis & claustris exercere præsumant: (r) cujusmodi facinus ipsi etiam gentiles multipliciter damnaverunt; firmiter omnibus Presbyteris injungimus, ut in omnibus locis & Parochiis suis, in quibus hujusmodi falsam & adulterinam monetam per quoscumque cudi seu fabricari cognoverint, in continenti cessent, cujuscumque Superioris sui mandato minime expectato, penitus a Divinis; causamque cessationis hujusmodi & rei seriem Diœcesano Episcopo non differant, quam primum poterunt, intimare. Qui Episcopus extunc ad excommunicationem falsorum monetariorum hujusmodi spiritualiter & temporaliter totis viribus totaque intentione procedat: damna ob prædictam cessationem Ecclesiis & Presbyteris obviantia, restitui integraliter faciens.

XXX. (s) *Contra Canonicos.*

Item, cum in *Trevirensi Provinciali Concilio* præsidentibus in eodem recordationum felicium *Theoderico* Trevirorum, *Johanne* Metensi, *Rogero* Tullensi, *Radulfo* Virdunensi Episcopis, propter multas abusiones annus gratiæ fuerit aliàs revocatus; Nos considerantes, quod hujusmodi revocatio in quamdam dissuetudinem est deducta; sicque Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum quamplurimi Canonici, propriis commodis inhiantes, in grave præjudicium successorum, Ecclesiarum damnum, & plerumque in illusionem provisionum a Sede Apostolica super obtentis Canonicatibus & Præbendis in eisdem Ecclesiis a personis idoneis obtentarum, fructus Præbendarum suarum per annum unum, & post eorum obitum sibi retinere & appropriare contendunt, annum talem, qui juxta hoc pro Successoribus & Ecclesiis *bissextilis* dici debet, *annum gratiæ* nuncupantes: per cujus retentionem nondum Canonici, quamdiu vivunt, super deducendis lasciviis & prodigalitatibus spem assumunt, præsenti constitutione statuimus, ut quacumque consuetudine, imo verius corruptela contraria non obstante, nulli Canonico talem annum, talisque anni reditus liceat retinere; (t) quem si hactenus retinuerint, vel eum deinceps retinere contingat, talis retentio qualitercumque fiat, seu facta fuerit, nullius sit momenti. Non teneantur etiam Capitula Ecclesiarum Executoribus, seu Creditoribus Canonicorum annum hujusmodi retinentium, seu alii eorum nomine de prædicti anni fructibus & reditibus respondere. Sed ad instituendos successores Canonicos transeant pleno jure. Si quid in contrarium actum fuerit, irritum nuntiantes, & hoc *Provinciale Statutum* Episcopi Diœcesani Trevirensis Provinciæ in suis civitatibus, & Diœcesi per censuram Ecclesiasticam inviolabiliter a suis subditis observari procurent.

XXXI. (u) *Item de usurariis, quod restituant.*

Præcipimus districte, ut omnes usurarii restituant, quidquid ultra sortem perceperunt, sub pœna contra eos in *Lateranensi Concilio edita*, quæ talis est: " Statuimus, ut usurarii manifesti, nec " ad communionem admittantur altaris, " nec Christianam, si in hoc peccato " decesserint, accipiant sepulturam, nec " oblationes eorum quisquam recipiat. Qui autem acceperit, aut Christianæ tradiderit sepulturæ, quod acceperint, reddere compellantur, & donec ad arbitrium sui Episcopi satisfecerint, ab officii sui maneant executione suspensi.

XXXII. *Ut usurarii reddant pignora.*

Item præcipimus, ut forte deducta reddant pignora & remittant.

XXXIII. *Ne committant usuras nomine tutelæ.*

Item districte præcipimus, ut nomine tutelæ vel procurationis, vel timore Domini sui aliquas non committant usuras: quia non suo nomine, nec alieno potest quis fœnus aliqualiter exercere.

XXXIV.

(q) Caput XXIV. *De falsa moneta.*
(s) Caput XXV. *De anno gratiæ.*
(u) Caput XXVI. *De usurariis manifestis.*

(r) præsumunt.
(t) quin, si

XXXIV. *Contra illos, qui pecuniam mutuant ante messem.*

Item præcipimus, ne ea intentione mutuent pecuniam suam ante messem vel vindemiam, recepturi in messe vel vindemiis bladum, vel vinum pro multo minori pretio, quam verisimile sit tunc valere, sub pœnis prædictis.

XXXV. (x) *Contra cogentes frangere Festa.*

Item statuimus sub Divinæ ultionis pœna, & præcipimus, ut Nobiles & Domini terræ permittant homines suos dies Festos observare, & non compellant eos (y) evectiones publicas, seu alias angarias præstare.

XXXVI. [z] *Contra usurarios & cauvertinos.*

Item præcipimus distri&c;te, ut circa cauvertinos & alios usurarios ita se habeant, sicut *in generali Concilio* est statutum.

XXXVII. [a] *Ne Clerici litigare compellantur coram sæcularibus Judicibus.*

Item cum de consuetudine approbata, & tamdiu observata, quam memoria non existat, tam Religiosi, quam Clerici injuriatores & molestatores suos coram suis Judicibus, videlicet Ecclesiasticis, in causam traxerint, [b] & nonnulli Barones, Ballivi, Nobiles, Præpositi, & villici, & alii laici, potestatem sæcularem habentes, Civitatis, Diœcesis, & Provinciæ Trevirensis tam Religiosos, quam Clericos coram se litigare compellant, ut non patiantur eos jus suum prosequi coram Ecclesiasticis Judicibus: præcipimus vobis & universis Presbyteris, quatenus in Ecclesiis vestris prædictas personas moneatis, ut ab hujusmodi tam Religiosorum, quam Clericorum molestatione desistant. Nos omnes illas personas, quæ post jam dictam monitionem Religiosos & Clericos compulerint coram se litigare, excommunicationis vinculo innodamus, & præcipimus eos singulis diebus Dominicis & Festivis excommunicatos denunciari.

XXXVIII. [c] *Ne Monachis duo officia assignentur.*

Item nulli Monacho, vel Moniali, duo officia in eodem Monasterio, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, assignentur. Singula namque officia sunt personis idoneis assignanda.

XXXIX. [c] *De Novitiis.*

Item præcipimus, ut omnes Novitii post annos discretionis & probationis statim faciant professionem expressam in manu Abbatis, vel alterius secundum consuetudines locorum rationabiles descriptas.

XL. (d) *De Monachis & Monialibus.*

Item præcipimus districte, ut Monachi, & Moniales omnibus proprietatibus, quas hactenus habuerunt, sine difficultate renuntient: ut omnia in communes usus Monasterii redigantur. Qui vero renunciare renuerit, excommunicetur. Qui, si nec sic resipuerint, per Abbatem, vel per Abbatissam; aut si non, per Episcopos, aut eorum Officiales ad id compellantur.

XLI. (e) *Item de Monachis.*

Item districte prohibemus, ne Monachi denarios, quos in oblationibus Missarum recipiunt, sibi reservare præsumant; sed Abbati, & cui præceperit, assignentur in communes usus fratrum expendendi. Item de denariis anniversariorum, & omnium, quæ ad manus eorum devolvuntur, nemo sibi quicquam appropriare præsumat, nec per Monachos vel Moniales dividantur, sicut hactenus per abusionem fieri ab aliquibus consuevit, sed in communes usus omnium redigantur.

XLII. (f) *De Abbatibus & Abbatissis.*

Item præcipimus Abbatibus & Abbatissis, ut suis subditis tam in victu, quam in vestitu, secundum Monasterii possi-

(x) Cap. XXVII. *De celebratione Festorum.*
(y) exactiones *Trevericum, melius* evectiones.
(z) Cap. XXVIII. *Cauvercinis.*
(a) Cap. XXIX. *eodem titulo.*
(b) trahant.
(c) Caput XXX. hic in duo est distinctum, in Treverico unum.
(d) Caput XXXI. *De proprietatibus Monachorum.*
(e) Idem Caput cum antecedente.
(f) Caput XXXII. *De administrationibus Superiorum inter suos Monachos.*

poſſibilitatem, neceſſaria adminiſtrent, panis vero & vinum, ac alia neceſſaria dentur fratribus ac ſororibus in communi ad ſufficientem neceſſitatem eorum: nec alicui ad vitam, nec ad certum tempus ſpecialiter aſſignetur, & quod utriusque (g) in communi ſuperfuerit, iterum in communitatem reſervent, vel pauperibus diſtribuant, & hoſpitalia pauperum in omnibus Monaſteriis reſtaurentur. (h)

XLIII. (i) *Ne Religioſi habeant ſervos.*

Item inhibemus, ne Monachi, vel Moniales habeant famulos, vel ſervientes utriusque ſexus ſpeciales, niſi forſitan in talibus conſtituti ſint officiis, quod ipſis omnimode carere non poſſint. Et tunc de conſenſu Prælatorum ſuorum aſſumant eosdem. Si quis autem alias tales perſonas retinere præſumſerit, expelli eas de Monaſterio ſub pœna excommunicationis præcipimus per Prælatos.

XLIV. (k) *Ne Monachi ludant cum iſtis.*

Item, ludos chorearum, ſcacorum, [l] armillorum, & globorum Monachis interdicimus omnino; & ne infra ſepta ſui clauſtri, vel ipſum clauſtrum habere tabernas, neve infra ipſas ibi vel alibi ſedere, ludere, ſeu bibere aliquis eorum audeat, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ firmiter inhibemus.

XLV. (m) *De Abbatibus & Monachis.*

Item, præcipimus diſtricte, ne Abbates, vel Monachi, Abbatiſſæ, vel Moniales, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, (n) mantella ſeu ſorcocia aperta portent de cætero, nec habeant pannos de nigra bruneta, nec de moreta; ſed quanto haberi poſſunt humilioris pretii, prout regula præcipit; item cucullas habeant cum amplis capuciis, & talis. Quando equitant cappis utantur & clauſis.

XLVI. (o) *Ne Monachi portent bruneta.*

Item, ut dictum eſt, de bruneta nigra, ſive de moreta & pellicia, ſeu forraturas de vario, ſeu griſio, & alias exquiſitas, ſive ſumtuoſas pelles diſtricte Religioſis omnibus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ firmiter inhibemus.

XLVII. (p) *Ut clauſtra ſerentur de nocte.*

Item claves clauſtri ſint ſemper apud Priorem, vel Prioriſſam, vel Magiſtram; nec ſine licentia aliquis Monachus, ſeu Monialis, maxime de nocte ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ (q) exire audeat; nec aliquam mulierem Monachus, cujuscumque conditionis ſit, in ambitum Monaſterii introducere præſumat, ſine Abbatis vel Prælati ſui licentia ſpeciali; introducta tamen cum licentia non intus comedat. (r)

XLVIII. (s) *De Teſtamentis mortuorum.*

Item, cum nihil magis hominibus debeatur, quam [t] ſupremæ voluntatis liber ſit ſtylus, & liberum, quod iterum non redit, arbitrium; ſub interminatione Divini Judicii præcipimus, quod nullus executor ultimæ voluntatis, præſertim ad pias cauſas conſtitutus, a Creditoribus vel Legatariis teſtatoris audeat percipere vel exigere pecuniam pro debito ſuo, ſeu pro legato, ſeu debito eis ſolvendo, ſeu pro executione facienda. Quod ſi fecerint, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant.

XLIX. (u) *Contra Executores Teſtamentorum.*

Item, cum plures executores teſtamentorum defunctorum, maxime ad pias cauſas deputati, jam diu exequi volun-

(g) uni vel in communi.
(h) & eis conſueti redditus aſſignentur.
(i) Caput XXXIII. *Ill. Honthemio.*
(k) Cap. XXXIV.
(l) annulorum
(m) Cap. XXXV. *De veſtibus Monachorum & Monialium.*
(n) latæ ſententiæ, *abeſt a Treverico.*
(o) Idem cum Capitulo præcedente: *ſed ſic legitur*: Item, ut dictum eſt, pallia puniceo, vel purpureo colore tincta, aut pellibus, alioque pretioſiori panno ſubducta, diſtricte Religioſis omnibus inhibemus ſub pœna excommunicationis.
(p) Cap. XXXVI. *De cuſtodia Clauſtrorum.*
(q) latæ ſententiæ, *abeſt a Treverico.*
(r) vel dormiat ullo modo.
(s) Cap. XXXVII. *De ultima voluntate.*
(t) ut
(u) Caput XXXVIII. *Contra falſos Apoſtolos*, Caput adeſt in Treverico, hîc *omiſſum*, & Caput Lunigii XLIX. non eſt in Treverico.

luntates ultimas eorum in suæ salutis dispendium, & dictorum decedentium detrimentum neglexerint: monemus ipsos omnes & singulos primo & secundo, præcipientes eisdem, ut infra annum dicta testamenta exequantur: alioquin ad executionem eorum ex tunc per locorum Episcopos procedatur, in quantum de jure fieri poterit & debebit.

L. (x) *Contra Begardos, ut non recipiantur.*

Item, inhibemus sub pœna excommunicationis, ne quis in nostra Civitate, Diœcesi, & Provincia Trevirensi aliquem vel aliquos de illis rusticis, qui se Apostolos appellant, in domum suam recipiat, aut eis eleemosynam eroget, cum prout in antiquis Statutis Synodalibus continetur, Sedes Apostolica tales reprobaverit, & in eorum receptores & fautores excommunicationis sententiam tulerit ipso facto.

LI. (y) *Contra Begardos laicos.*

Item, cum quidam sint laici in Civitate, Diœcesi, & Provincia Trevirensi, qui sub prætextu cujusdam religionis (z) fictæ, *Begardos* se appellant, cum tabardis, & tunicis longis, & longis capuciis cum (a) ocio intendentes, ac labores manuum detestantes, conventicula inter se aliquibus temporibus faciunt, & conservant, seque fingunt coram personis simplicibus expositores sacrarum Scripturarum: nos vitam eorum, qui extra religionem *approbatam* validam (b) mendicantes discurrunt, (c) monemus omnes & singulos hujusmodi Begardos, quos a quolibet Parochiali Presbytero a sua Parochia moneri volumus diligenter, ut infra quindenam a præmissis desistant, & de laboribus suis vivant, circa labores, sicut cæteri homines, se exponant: alioquin ipsos & quemlibet eorum, quos excommunicamus in his scriptis, denuntiari in Parochialibus Ecclesiis excommunicatos præcipimus & mandamus singulis diebus Dominicis, (d)

LII. (e) *Contra lædentes Clericos, & Portitores litterarum.*

Item, statuimus, quod si quis cujuscumque dignitatis seu conditionis existat, Nuncios, aut Executores Ecclesiasticorum Judicum, & alias literas eorumdem, actave judicialia deferentes, hac occasione, verberare, capere, vel detinere, occultare, carceri mancipare, aut quod gravius est, interficere, litteras, vel acta prædicta personis memoratis auferre, seu ea rumpere, vel cancellare, seu alias destruere quoquo modo, vel sic ablata celare præsumserit, aut ista fieri procuraverit, vel facientibus consilium, vel opem duxerit adhibendam; excommunicationis sententiæ, quam ex nunc, ut extunc in ipsum ferimus, subjaceat ipso facto: a qua nisi prius tam Judici, cujus auctoritatem contemserat, quam passo injuriam, & cæteris, quorum intererit, prout excessûs postulaverit atrocitas, satisfaciat competenter, nullatenus absolvatur.

LIII. [f] *Contra quæstores, & petentes ad calices, sine licentia Episcoporum.*

Item prohibemus sub pœna excommunicationis, ne quis de cætero cujuscumque conditionis existat, vadat per terram cum *calicibus, absque litteris Episcopi loci ad petendam pecuniam, quia multæ ex hoc truffæ & deceptiones committuntur.*

LIV. (g) *Contra facientes convivium in exequiis defuncti.*

Præterea, cum in exequiis mortuorum lugendum sit potius, quam convivandum, inhibemus sub pœna excommunicationis, ne convivia, & comessationes teneantur de cætero, quæ per hæredes, seu successores defuncti in eisdem exequiis fieri consueverunt; sed sumtus hi in usus pauperum, & in pias causas in remedium animæ defuncti potius convertantur.

LV.

(x) Caput L. Lunigii in Treverico *non est.*
(y) Caput LI. est in Treverico XXXIX. *De Beghardis.* (z) sanctæ religionis
(a) cum, *omissum.* (b) veluti mendicantes, *non validam.*
(c) merito reprobantes. (d) & Festivis.
(e) Caput XL. *De impedientibus Nuntios Judicum Ecclesiasticorum.* Contextus idem.
(f) Caput XLI. *De petentibus cum calicibus.* (g) Caput XLII. *De exequiis mortuorum.*

LV. (h) *Ne sine lumine post campanam vadant.*

In locis, in quibus post sonitum campanæ, vel buccinæ, & nocte laici sine lumine ire prohibentur, Clericos & Monachos hujusmodi nostræ constitutionis auctoritate eamdem prohibitionem volumus observare: alioquin pœnæ pecuniariæ laicis propter hoc impositæ eos decrevimus subjacere, quam per Archi-Presbyteros nostros, vel per Capellanos locorum ipsorum, nomine Episcoporum, ab ipsis Clericis exigi, & levari volumus & mandamus: quam si forte legitime requisiti solvere renuerint, eamdem pœnam duplicatam per eos solvere per censuram Ecclesiasticam compellantur, ut per hoc laicorum vitetur scandalum, & Clerici ab illicitis arceantur.

LVI. (i) *De Clericis & Laicis, quod se habeant honeste.*

Districtius quoque inhibemus, ne Clerici seu Sacerdotes ad anniversaria convenientes, in Sabbato carnes comedere præsumant: vinum quoque temperent, & se vino honeste recreent, & se habeant mature & pacifice, & sine murmure, & cum gratiarum actione recipiant & comedant, quod eis fuerit appositum, nec sibi parari faciant cibaria delicata, sed solum pro corporis refectione necessaria, ne longi temporis victum brevis hora consumat, & ne quæ sua, sed quæ Christi sunt, quærere videantur. A crapula & ebrietate, a plausibus, risibus, cachinnis insolitis, ac inanibus fabulis, jocis & solatiis, ac detractionibus, de verbis otiosis atque superfluis, & a rixis contentionibus omnino studeant evitare. Paulus (k) quidem Corinthios reprehendit, qua inconvenienter conveniebant cœnam Domini manducare. (l)

LVII. *Contra retrahentes, ne anniversaria fiant.*

Postremo in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ne quisquam verbo vel facto aliquos inducere, vel retrahere præsumat, ne anniversaria fieri solita fiant in Ecclesiis, in quarum Cimiteriis corpora defunctorum, pro quibus fiunt, sepulta sunt.

LVIII. (m) *Ne Clericus ludat cum taxillis.*

Item Clericus aliquis cum taxillis publice vel occulte ludere non præsumat. Clerici vero in sacris ordinibus constituti, vel beneficium Ecclesiasticum habentes, qui in platea, vel in loco publico publice cum taxillis ludere præsumpserint, ipso facto [n] sui ordinis sint suspensi. *Ludere* in præmissis casibus intelligimus *ad puncta*, ut sic dicamus, ponendo eum, qui transverserat [o], vel qui ludi est particeps, vel lucrum exinde consequitur, sive damnum. Præmissam tamen pœnam extendi nolumus ad ludentes socialiter & solatii causa, & in domibus honestis, & cum personis honestis, non ambitionis vel avaritiæ causa.

LIX. (p) *Contra Clericos, qui securitatem faciunt coram Sæcularibus.*

Nullus Clericus securitatem vel fidejussionem præstet, vel faciat, coram quacunque persona vel curia sæculari de stando vel parendo juri coram ea (q) forte ratione feudorum vel possessionum, quæ seu quas ab ea tenet.

LX. (r) *Contra Statuentes & Scriptores contra libertatem Ecclesiasticam.*

Sane *Honorius* Papa IV. excommunicationis sententiam protulit contra Statutores, vel Scriptores statutorum contra Ecclesiæ libertatem, nec non & contra Potestates, Consules, Rectores, & Consiliarios locorum, ubi hujusmodi statuta fuerint observata, & insuper contra eos, qui secundum ea præsumpserint judicare, vel in publicam formam redigere ausi fuerint judicata. Hanc autem excommunicationis sententiam illos incurrere decernimus, qui contra Privilegia & libertates Clericorum & Ecclesiarum statuere, ordinare, præcipere, & interdicere expresse, vel indirecte, per se, vel per alios præsumunt, & (s) præcipiunt, ne quis

(h) Caput XLIII. *De Clericis & Monachis noctu ambulantibus.*
(i) Caput XLV. *Ne in anniversariis comessationes fiant.*
(k) (l) hoc comma abest a Treverico.
(m) Caput XLVI.
(n) ab executione.
(o) transversat,
(p) Cap. XLVII.
(q) nisi.
(r) Cap. XLVIII.
(s) vel recipiunt,

quis in Ecclesiarum, vel Clericorum clibanis panem coquat, vel in molendinis eorum molat: ne quis eis ignem det, vel aquam ferat: ne quis eorum possessiones colat, aut defendat, sed impune destruat; aut ne quis cum eis commercium habeat, vel quomodolibet participet, aut loquatur, aut eis de decimis, primitiis, oblationibus vel aliis juribus spiritualibus non respondeat, aut his similia agunt: & qui talia facta per alios, in quos Dominium habent, seu Officiales suos, requisiti non revocant cum effectu. A qua sententia excommunicationis nullatenus absolvantur, donec de damnis & injuriis, propter hoc personis Ecclesiasticis, & Ecclesiis illatis, satisfecerint competenter.

LXI. (t) *Ne aliquis conjurationes contra Ecclesiasticas personas & libertatem facere præsumat.*

Districtius ergo præcipimus, ne aliquis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, conjurationes, collegiationes, confraternitates, seu alias quascumque obligationes, fide, vel juramenta, seu qualibet alia confirmitate vallatas facere præsumat contra Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas, seu contra Ecclesiasticam libertatem.

LXII. (u) *Ne aliquis de novo Altare ædificet absque licentia Diœcesani*

Prohibemus sub pœna excommunicationis, ne deinceps quisquam Ecclesias, Capellas, Oratoria, Hospitalia, seu alia pia loca & religiosa in Trevirensi Provincia ædificet; vel Altare in eadem Provincia aliquod erigat, sine nostra vel Episcopi loci licentia speciali. (x) Sed Altaria portatilia ita lata & spatiosa fiant, quod Calix & Hostia possint super illis convenienti distantia locari.

LXIII. (y) *Sententia contra obligantes Ornamenta Ecclesiastica.*

Inhibemus sub pœna excommunicationis, ut nullus Clericus vel laicus Calices, Libros, sacras Vestes, & alia Ornamenta Ecclesiastica, per se vel per alium vendere, distrahere, pignori obligare, vel alias quomodolibet alienare præsumat absque nostra, vel Episcopi loci licentia speciali. Qui vero contra fecerint, Clerici in sacris Ordinibus constituti suspensionis; laici vero & Clerici, in minoribus constituti, excommunicationis sententias incurrant ipso facto. Qui autem tales res in pignus scienter receperit, eas illi Ecclesiæ, cujus sunt, libere restituere teneatur, nulla recuperata pecunia ab eadem. Sed & quicumque Clericus regularis, vel sæcularis, res hujusmodi pro quocumque debito cujuscumque Rectoris vel Capellani sui Ecclesiæ propria auctoritate capere præsumpserit, præter pœnam excommunicationis, quam ipsum incurrere decernimus, ipso facto a debito ipso cadat.

LXIV. (z) *Ne indecentia in Ecclesiis & Cimiteriis fiant.*

Ne Domini aut Judices sæculares, aut Ballivi, aut Officiales, seu nuntii curiæ sæcularis in Ecclesiis vel Cimiteriis, vel Ecclesiarum atriis, causas, lites, aut contentiones, seu placita audiant, penitus inhibemus; sed nec sententias ibi proferant, nec præcepta, banna, edicta, subhastationes, (a) vel executiones faciant, nec aliquos ad quamcumque pœnam corporalem condemnatos per loca ipsa deducant. Tales enim sententiæ & processus reprobantur a jure. Sed nec aliqui congregationes, consilia, parlamenta, vel choreas facere, vel cantilenas dicere, vel mercata tenere, vel merces vendere, vel aliqua ludibria, vel inhonesta agere (b) præsumant.

LXV. (c) *De Presbyteris, ut teneant congruam hospitalitatem.*

Quoniam quidquid habent Clerici, pauperum est, districte præcipimus omnibus

S 3

(t) Cap. XLIX. *Ne quis Oratoria faciat*, abest a Lunigio. Cap. L. *De altari portatili*, usque ad Caput XLIX. quod non reperio in Treverico. Caput LXI. habet Martene, sed sine titulo, licet numero distinctum a Cap. LX.
(u) Hoc Martenii & Lunigii Caput LXII. est Honthemii Caput XLIX.
(x) Est novum Capitulum Honthemio, Martenio idem cum præcedente.
(y) Abest ab Honthemio hoc Caput Martenii LXIII.
(z) Est Caput LI. Treverici exemplaris: *Ne causæ sæculares in Cimiteriis tractentur.*
(a) arrestationes, *loco:* subhastationes. (b) ibidem (c) Caput LII.

nibus Presbyteris, Rectoribus & (d) Vicariis, ut in suis Ecclesiis hospitalitatem teneant congruentem; proviso tamen per Ecclesias ipsas, ut in prandiis, cœnis, vel herbergiis, & similibus, & quibuslibet aliis gravationibus, laicis quibuscumque se non submittant, aut de novo illis (e) eos quocumque modo tributarios, vel censuales faciant, si condignam effugere voluerint ultionem. Sed nec de Ecclesiis aut rebus, aut Ecclesiasticis negotiis laicorum judicio aut voluntate quomodolibet disponant. Laici autem, aut alii quilibet, qui in præmissis, aut in talibus (f) quæstis, indebitis servitiis, vel similibus, Ecclesias vel Ecclesiastica bona qualibet gravare, aut Ecclesiasticas personas ad hoc quomodolibet compellere præsumpserint, nisi legitime ab ordinariis moniti a talibus destiterint, aut jam commissa emendare distulerint, excommunicationis sententiæ extunc ipso facto volumus subjacere.

LXVI. (g) *Qualiter pecunia Ecclesiæ a Presbytero debet distribui.*

Interdicimus, ne Rectores, vel Beneficiati de pecunia, ratione Ecclesiarum suarum acquisita emant possessiones, seu reditus perpetuos nomine hæredum suorum, vel etiam alieno. Sed ad opus suum duntaxat & Ecclesiarum suarum facient confici super his instrumenta. (*) Nullus laicorum sub excommunicationis pœna latæ sententiæ bona decedentium Clericorum occupare, aut detinere præsumat; sed ad utilitatem ipsius Ecclesiæ conserventur.

LXVII. (h)

Adhuc jubemus, ut Rectores & Beneficiati in ædificiis, reparationibus Ecclesiarum, & Domorum, in libris quoque & ornamentis, & aliis ad Divinum cultum necessariis, juxta facultates ipsarum Ecclesiarum studeant, cum opus fuerit taliter se habere, quod eorum exemplo Parochiani & alii merito ad hoc invitentur, præcipue cum ipsi ad talia possint cogi.

LXVIII. (i) *Ut nullus cum Calice ligneo celebret.*

Omnibus Sacerdotibus nostræ Provinciæ Trevirensis interdicimus, ne quis eorum cum Calice ligneo, vel vitreo, vel stanneo, vel plumbeo, vel de pelte, (k) vel de auricalco, vel de electro, infra nostram Provinciam ulterius celebrare præsumat. Igitur unaquæque Ecclesia calicem saltem argenteum cum patena habeat.

LXIX. (l) *Ut imagines Ecclesiæ sint supra Altare.*

Præcipimus, ut in unaquaque Ecclesia ante vel post, vel super Altare sit imago, vel sculptura, vel scriptura, vel pictura expresse designans, & cuilibet intuenti manifestans, in cujus Sancti meritum & honorem sit ipsum Altare constructum.

LXX. (m) *Quod Presbyteri in Ecclesiis personalem residentiam faciant, nisi dispensentur.*

Statuimus, monemus, atque præcipimus omnibus Rectoribus atque Capellanis curatis Ecclesiarum nostræ Civitatis, Diœcesis, & Provinciæ Trevirensis, ut in suis Ecclesiis infra mensem a die recitationis præsentis constitutionis computandum, residentiam faciant personalem, & hospitalitates ibidem teneant, prout facultates Ecclesiarum suarum commode poterunt supportare: alioquin præsentis constitutionis auctoritate ab ipsis beneficiis se noverint esse suspensos, nisi cum eis Canonice fuerit dispensatum.

LXXI. (n) *Ut nullus census Ecclesiæ suæ ad firmam sine licentia Episcopi sui obliget.*

Cupientes hospitalitatem in Ecclesiis observari, interdicimus, ut nullus Ecclesias ad censum, seu ad firmam det vel concedat, seu fructus ejus obliget, absque nostra & Episcoporum locorum licentia speciali; sed & si quis ex aliqua rationabili causa ad censum, seu ad firmam dandi licentiam a nobis, seu loci Episcopo obti-

(d) Curatis, *loco:* Vicariis. [e] illas tributarias.
(f) causis, *loco:* quæstis. (g) Cap. LIII, apud Honthemium. (*) Caput novum LIV.
(h) Caput LV. (i) Caput LVI. (k) abest a Martenio.
[l] Caput LVII. [m] Caput LVIII. [n] Cap. LIX.

obtinuerit ; non tamen alicui sæculari (o) personale aliquod officium (p) quocumque sæculari regimini gerenti adcensare, obligare, seu affirmare præsumat : alioquin contractum ipsum nullas vires habere decernimus; & ipsum ad firmam contra hoc jam initos revocamus, & omnino viribus vacuamus.

LXXII. (q) *Quod Ecclesiæ non obserentur laico.*

Districte præcipimus omnibus Archi-Presbyteris, Curatis, & perpetuis Vicariis, ne propter debitum proprium, vel Ecclesiæ, propria auctoritate denegare præsumant quibuscumque personis ingressum Ecclesiæ, aut differre Ecclesiastica Sacramenta, quæ eis sunt absque dilatione aliqua concedenda.

LXXIII. (r) *Ut hæredes moneantur, ut infra XI. dies testamentum, si fuerit, Episcopo deportetur.*

Item statuimus, ut quandocumque (s) aliquem in Parochia cujuscumque Presbyteri nostræ Civitatis, Diœcesis, & Provinciæ Trevirensis, testamentum, vel quamlibet aliam ultimam voluntatem ordinare, vel disponere contigerit ; post mortem testatoris per ejusdem Parochiæ Presbyterum (t) moneantur heredes, vel heres, vel ipsius ultimæ voluntatis Executor, vel Executores, vel ille, vel illi, penes quem, vel quos scriptura ultimæ voluntatis fuerit; quod ipsam infra XI. dies a tempore obitus testatoris computandos, Nobis vel Officiali nostro in nostra Civitate, Diœcesi & Provincia ; Episcopis vero locorum, vel Officialibus eorum in nostra provincia, apertam vel aperiendam exhibeant, ne eleemosynæ, seu legata ad pias causas remaneant insoluta, & ut pia ultima voluntas testatoris debitum sortiatur effectum. Quod si infra præmissos XI. dies id non fecerint, impedimento cessante, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto.

LXXIV. (u) *Contra illos, qui tenentur solvere pro Defuncto.*

Statuimus, ut heredes & successores defuncti, qui juraverat (x) solvere, seu reddere pecuniam illicite acquisitam, vel res alias, seu legata, moneantur per locorum ordinarios ; ut sicut ille juraverat, solvere, seu reddere, ita ipsi adimpleant, & ad hæc, si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam, sicut justum fuerit, compellantur. (y) Et nihil est, quod magis debeatur hominibus, quam ut eorum supremæ voluntatis [z] elogia impleantur.

LXXV. *Ut testator vocet Rectorem, vel Capellanum.*

Statuimus, atque ordinamus, ut quicumque de bonis suis testari, atque de anima sua disponere voluerit, Rectorem, seu Capellanum, sive Curatum, qui ejus debet noscere conscientiam, & conditionem, a quo Ecclesiastica Sacramenta recipit vivens, advocet, per quem salubrius, & juvari & dirigi poterit in his, quæ ad salutem animæ suæ pertinent, peragendis.

LXXVI. (a) *Contra Executores, ut moneantur super Testamentis.*

Præcipimus quoque in virtute sanctæ obedientiæ Rectoribus Ecclesiarum universis, ut annis singulis in quatuor diebus Dominicis, videlicet semel in quolibet quatuor temporum, publice infra Missarum solemnia moneant generaliter omnes & singulos Executores testamentorum, & seu quarumlibet ultimarum voluntatum & dispositionum, & etiam quoslibet heredes & successores ; & generaliter quascumque personas, quæ tenebant-

[o] personæ [p] in quocunque regimine.
[q] Caput LX. *De Sacramentis dandis.* [r] Cap. LXI. *De Testamentis exhibendis.*
[s] quicunque, *loco*: quandocumque. [t] Capellanum
[u] Cap. LXII. *De restitutione pecuniæ male acquisitæ.*
[x] jurant, *pro* juraverat : *quod videtur aptius.*
[y] Novum Caput in Treverico LXIII. *De Testantibus.* Quia nihil est.
[z] Legata impleantur, statuimus atque ordinamus, ut quicunque de bonis suis : *sed Hontheimius sub uno Capite, quod Martene in duo dividit.*
(a) Caput LXIV. re idem cum hoc Cap. LXXVI.

nebantur aliqua dare, ſolvere, vel facere ad pias cauſas, ſeu quoslibetpios uſus, juxta defunctorum diſpoſitiones, ut illa infra anni ſpatium, a teſtatoris obitu computandum, dare, ſolvere, & facere teneantur; niſi quod agendum eſt prolixius tempore neceſſario de ſui natura, vel ex teſtatoris diſpoſitione expoſcit. Hoc autem habere locum intelligimus in caſibus poſt præſentem conſtitutionem futuris. In caſibus vero, quæ ante præſentis conſtitutionis promulgationem (*b*) dari, ſolvi, vel fieri debuerunt; annum ipſum a revocatione præſentis conſtitutionis decernimus computandum; alioquin quæ infra præmiſſum tempus hoc implere neglexerint, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrant. Eisdem quoque Rectoribus & Capellanis ſub pœna ſuſpenſionis ab officio præcipiendo mandamus, ut infra XX. dies poſt lapſum anni præmiſſum, Nobis vel Officiali noſtro in civitate, & Diœceſi noſtra, & locorum Epiſcopis in noſtra provincia fideliter nuntiare (*c*) procurent perſonas, quas noverint in ſuis Parochiis, quæ præmiſſa (*d*) ſciunt, infra præmiſſum tempus non impleviſſe, ut per Nos vel Epiſcopos ad hoc per competentia remedia urgeantur, vel per Nos ipſos, ſeu Epiſcopos, prout jura ſuadent, piæ ipſorum decedentium voluntates executioni debitæ demandentur. Prædicta (*e*) autem ad pias cauſas in extrema voluntate eorum, Parochiali Sacerdote, ſeu Curato, & duobus aut tribus fide dignis teſtibus ſine quacumque ſcriptura inde confecta, firma decernimus permanere.

LXXVII. (*f*) *Contra illos, qui bona teſtatorum ad ſe appropriant.*

Præcipimus quoque, & præceptum fuiſſe hactenus declaramus, ut teſtamentorum ſeu ultimarum voluntatum Executores titulo emptionis, vel quovis alio titulo nihil omnino propria auctoritate de bonis reſtituant teſtatoris, niſi forte ab illo legatum vel conceſſum ſibi expreſſe fuerit. Qui vero contra fecerint, pretium amittant, ſi ex cauſa emtionis ſe duxerint retinere. Si vero ex alia cauſa, Judicis ordinarii (*g*) loco arbitrio puniantur.

LXXVIII. (*h*) *Ut Clerici, & Eccleſiaſticæ perſonæ teſtari poſſint.*

Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, permittimus *de gratia ſpeciali*, quod Clerici beneficiati noſtræ Civitatis, Diœceſis & Provinciæ, ſolutis omnibus Eccleſiarum & Beneficiorum ſuorum debitis, diponere poſſint libere, & teſtari, dum mentis ſuæ compotes exiſtunt, de bonis mobilibus & ſe moventibus, obtentu Eccleſiarum, & beneficiorum ſuorum acquiſitis: ita dumtaxat, quod Eccleſias ſuas, & beneficia, & domos, utenſilibus & animalibus, quæ agriculturæ ipſius Eccleſiæ deputata ſunt, nequaquam ſpolient, ſeu rapiant, (*i*) & inſuper ſufficientia victualia & ſumptus neceſſarios uſque ad novos fructus colligendos, pro futuri Succeſſoris ac ſervitorum Eccleſiæ ac miniſtrorum neceſſariorum congrua ſuſtentatione reſervent.

LXXIX. (*k*) *Contra ſortilegos & alios, qui caracteres accipiunt.*

Divinationes, ſortilegia, auguria, & quælibet alia ſimilia ſuperſtitioſa remedia, ſive in (*l*) imprecationibus, ac conjurationibus, ſive in (*m*) votis, quas brevia ſeu caracteres vocant, aut etiam in quibuscumque rebus ad collum, vel alibi ſuſpendendis vel ligandis conſiſtant, tamquam damnata ab omnibus Chriſti fidelibus Nobis ſubditis obſervari, vel fieri, eisdemque fidem adhiberi penitus prohibemus. Nullus ergo paganorum morem ſecutus, ad Divinos, ſorciarios, vel augures, pro vita, vel pro morte, hominum, vel animalium, vel rerum amiſſione, aut contra grandines, aut tempeſtates, aut ut a viro, vel, ut a muliere magis ametur, aut pro qualibet alio remedio ſuperſtitioſo, vel conſilio ab illis [*n*] expectando recurrat, aut eos in domum ſuam, quaſi ut malum foris mittant, vel maleficium (*o*) nuncient, introducat.

Lxxx.

(*b*) a recitatione, *recte: non:* a revocatione.
(*c*) denuntiare
(*d*) ſciunt, *omiſſa in Treverico.*
(*e*) Relicta, *loco:* Prædicta.
(*f*) Caput LXV.
(*g*) loci
(*h*) Caput LXVI.
(*i*) ſed illa & inſuper
(*k*) Cap. LXVII.
(*l*) in præcantationibus
[*m*] notis, *loco*: votis.
[*n*] exprecando
[*o*] inveniant,

LXXX. (p) *Contra illos, qui Psalterium per sortem inspiciunt.*

Nullus etiam super *sortes*, quas *Sanctorum*, seu *Apostolorum*, vel *Psalterii* vocant, aut cujuscumque Scripturæ inspectione Divinationis scientiam profiteatur, aut futura promittat, aut quælibet maleficia in tabulis, vel codicibus in (q) astralabo requirat.

LXXXI. (r) *Contra mulieres de nocte equitantes.*

Nulla mulier se nocturnis horis equitare cum Diana Dea paganorum, vel cum (s) Herodiana innumera mulierum multitudine profiteatur. Hæc enim Dœmoniaca est illusio.

LXXXII. (r) *Ut in collectionibus herbarum incantationes non fiant.*

Nec non in herbarum collectionibus carmina, incantationes, aut alias observationes, præter Dominicam orationem & Symbolum adhibeat, nec in Brevibus suspendendis, vel ligandis aliquid præter illa scribat. Dœmonium tamen sustinenti, licet petras & herbas sine incantatione habere. Dies quoque Ægyptiaci, constellationes, lunationes, Calendæ Januarii, initia mensium, dies mensis, cursus Solis, Lunæ, syderum superstitiose observari non debent, credendo in illis virtutem seu necessitatem inesse. Sed nec in præmissis diebus, seu temporibus, mensæ cum ampullis & lampadibus in domibus sunt parandæ, & per vicos & plateas cantores & chori [t] ducendi.

LXXXIII. (r) *Contra inspicientes animalia.*

Nulla etiam tempora fausta, vel infausta existimanda, ut quis in eis velit, aut nolit aliquid inchoare, nec ad volatum vel garritum avium, vel ad motum alicujus membri, aut ad alicujus animalis aspectum aliquid esse prospere venturum, vel non, est pronosticandum.

LXXXIV. (u) *Contra illos, qui per XII. signa cœli eventus prædicunt.*

Interdicimus etiam, ne quis per duodecim signa cœli, nascentium in illis mores, actus, eventus, aut effectus prædicere præsumat; & ne homo pro domo fabricanda, aut conjugio sociando, vel hujusmodi illa observet. Quicumque autem post generales prohibitiones, quas in Missarum solemniis diebus Dominicis per Sacerdotes super his fieri præcipimus, si contra fecerint, ingressus Ecclesiæ & Ecclesiastica Sacramenta eis omnino interdicantur; & si necesse fuerit, excommunicationis vinculo innodentur, aliisque juris remediis per locorum Ordinarios a talibus arceantur.

LXXXV. (x) *Contra Quæstores ficte agentes.*

Quamplurimi dicunt, se esse Quæstores Hospitalium, Ecclesiarum, & locorum religiosorum & piorum, falso mentientes, falsas literas portant, aliqua etiam falsa & adulterina signa sibi imponunt. Nonnulli quoque Sanctuaria se deferre prætendentes, abusiones multas in Religionum, & Ecclesiarum, & locorum, quorum nomine quæstûs exercent, (y) infamiam & scandalum plurimorum faciunt. Idcirco volentes circa hoc remedium quale possumus adhibere, omnibus & singulis Rectoribus, & Curatis nostræ Civitatis, Diœcesis, & Provinciæ in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ne de cætero ullum Quæstorem in suis Ecclesiis, sine Nostris, vel Episcopi loci, aut sine literis Apostolicis admittant.

LXXXVI. (z) *Contra extraneos Presbyteros.*

Districtius quoque inhibemus, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne aliquis Sacerdos non habens Parochiam, sive animarum curam, matrimonia celebret, corpora defunctorum sepeliat, baptizet, Confessiones audiat, Eucharistiam, & alia Sacramenta Ecclesiastica ministret populo, sine Nostra, aut

[p] Caput LXVIII. [q] in astrolabio
[r] Hæc tria sub uno Cap. LXVIII. *Honthemius.* (s) Herodiade & innumera
(t) choreæ (u) Caput LXIX. (x) Caput LXX.
(y) ad infamiam (z) Cap. LXXI. *Per quos Matrimonium debeat celebrari.*

aut Episcopi (a) loci licentia speciali, aut illius, cui animarum cura in illo loco commissa est: Cum constet absolutiones & remissiones ab eo absque licentia hujusmodi, tamquam a non suo Judice factas, nisi dumtaxat in casu necessitatis, nullius fore momenti. Nemini enim licet falcem suam mittere in messem alienam juxta illud: *Ingressus es, ut* (*) *advena, numquid, ut Judices nos?* sed nec aliquis Sacerdos in alterius Ecclesia, vel Parochia diebus Dominicis, vel aliis Solemnitatibus Missas publicas celebrare præsumat, donec Rector, Vicarius, vel Capellanus Missam celebraverit, nisi de ipsius Rectoris vel Vicarii licentia speciali: cum secundum Canonicas Sanctiones nulli Sacerdoti licet Missas peculiares sive privatas dicere, per quas populus a publicis Missarum solemniis, quæ hora debita fieri consueverunt, talibus diebus abstrahatur; nec absque illius licentia saltem tacita in generali Missas publicas celebrare vel baptizare, aut aliquid aliud, quod ad Rectoris, seu Vicarii spectat officium, agere præsumat.

LXXXVII. (b) *Contra illegitimos filios, ne administrent in Divinis Officiis.*

Omnibus Sacerdotibus, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipimus, ne filiis illegitimis sibi ad altare ministrantibus Divina officia celebrare præsumant. (c) Omnibus insuper curas gerentibus animarum præcipimus, ne Horas Canonicas, vel aliud quodcumque Officium Ecclesiasticum, sine superpellicio, impedimento cessante, in Ecclesiis dicere, vel celebrare præsumant. In Ecclesia consecrata sanguinis vel seminis effusione, aut incendio, vel violentia polluta, priusquam canonice fuerit reconciliata, arctius inhibemus Divina officia celebrari.

LXXXVIII. (d) *Contra infideles, ne sepeliantur.*

Sed & si in cimiterio consecrato Ecclesiæ contiguo hoc contigerit, vel si excommunicatus fuerit, aut infidelis ibi sepultus sit; tunc absque Nostra, vel Episcopi loci licentia speciali quisquam in cimiterio eodem non sepelietur.

LXXXIX. (e) *Contra Sacerdotes audientes Confessiones.*

Nullus Sacerdos nobis subditus, cui animarum commissa non fuerit cura, Parochianum alterius ad confessionem admittat, absque Nostra, vel Episcopi loci, seu proprii Presbyteri licentia speciali, nisi forte Parochiali Sacerdote in gravissima ægritudine constituto, vel nisi tanta fuerit multitudo, quod ad confessiones audiendas Parochialis Sacerdos sufficere non possit; in quibus casibus concedimus, quod possit de licentia Parochialis Sacerdotis, & etiam in gravi articulo necessitatis. (f) Quamvis omnes fideles in tribus anni temporibus, videlicet in Natali, in Pascha, in Pentecoste ad communionem corporis & sanguinis Domini sint monendi.

XC. (g) *Contra illos, qui nolunt confiteri peccata sua.*

Præcipimus tamen, ut omnes subditi nostri semel in anno Capellano, seu Rectori, in cujus Parochia degunt, vel aliis de ejus licentia confiteantur peccata; & saltem in Paschate Eucharistiam recipiant, nisi de licentia sui abstinuerint Confessoris: alioquin a Rectoribus & Capellanis, viventes ab ingressu Ecclesiæ, & Sacramentis Ecclesiasticis arceantur, morientibus Ecclesiastica sepultura denegetur.

XCI. *Contra illos, qui confessi sunt.*

Et insuper in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus omnibus Rectoribus, &

(a) Agnoscebant ergo Episcopi Germaniæ penes se esse licentiam non solum Parochos approbandi, sed & aliis Religiosis vel Sæcularibus idoneis licentiam dandi, ut Confessiones suorum subditorum audiant: neque per Canonem Concilii Lateranensis omnis utriusque sexus Episcopo vel Papæ licentiam denegari absolvendi per se, vel per delegatos a se.
(b) Caput LXXII.
[*] Genes. XIX, 9.
(c) Caput separatum LXXIII. in Treverico codice.
(d) Iterum Caput separatum LXXIV.
(e) Cap. LXXV.
(f) Cap. LXXVI. *Quamvis omnes.*
(g) Est unum cum priori Capitulo, & conjungendum, ut apparet ex contextu.

& Curatis Capellanis curam animarum gerentibus, ſub pœna excommunicationis, ut Clericos, & laicos, qui præmiſſa facere non curaverint, ſed in peccato ſuo pertinaciter remanſerint, Nobis vel locorum Epiſcopis notificent, & eorum nomina in ſcriptis aſſignent, ut ex hoc canonice puniantur: (b) Quoniam circa majora majus periculum vertitur, idcirco cautius eſt agendum.

XCII. *Ne aliquis ſe intromittat in caſibus Epiſcopalibus.*

Interdicimus igitur in virtute ſanctæ obedientiæ, & præcipimus omnibus Rectoribus, & quibuslibet aliis ſubditis noſtris noſtræ Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ audientibus confeſſiones, ne in caſibus Epiſcopalibus de jure vel conſuetudine ad Nos, & ad Epiſcopos pertinentibus ſe quomodolibet intromittant; ſed ad Nos, & ad Epiſcopos, ſeu (i) Pœnitentiarios noſtros illi fideliter remittere curent, & ne aliquis prætextu ignorantiæ, ſe in talibus valeat excuſare, aliquos ex illis hic ducimus exprimendos.

XCIII. *Illi mittendi ſunt ad Dominum Epiſcopum.*

Primo quidem mittendi ſunt ad Nos votorum fractores, & poſt votum caſtitatis matrimonium contrahentes.

Secundo. Contrahentes matrimonium, prima vivente, & (k) continens, & religionem intrans, & ſacrum ordinem ſuſcipiens invita uxore poſt carnalem copulam ſubſecutam.

Tertio. Confeſſus, ſe credidiſſe hæreticam pravitatem, & ſe hæreticos recepiſſe, & iis faviſſe.

Quarto. Simoniacus quocumque genere Simoniæ præterquam mentalis.

Quinto. Ab Epiſcopo alieno ſine licentia proprii Epiſcopi ordinatus, vel tonſuratus.

Sexto. Homicidium faciens facto, præcepto, conſilio, conſenſu, (l) excitatione, vel quolibet alio modo.

Septimo. Concipiens filium non a viro, quem vir credens eſſe filium, illum nutrit, vel inſtruere intendit.

Octavo. Vir, qui in mortem conjugis, & uxor, quæ in mortem viri cum effectu machinatur.

Nono. Presbyter celebrans ſcienter in Eccleſia, vel Parochia interdicta, & Sacerdos (m) nuptias benedicens.

Decimo. Clericus vel laicus ſcienter corpus excommunicati vel etiam tempore interdicti non excommunicati in Cimiterio ſepeliens.

Undecimo. Excommunicatus a Canone in illis caſibus, in quibus Epiſcopus abſolvere poteſt, & etiam irregularis in illis caſibus, in quibus Epiſcopus diſpenſare poteſt.

Duodecimo. Matrimonium clandeſtine contrahentes, & omnes, qui ſcienter interſunt, qui *ſecundum antiqua Statuta Synodalia noſtræ Provinciæ* excommunicationis vinculo ſunt innodati.

Tertio decimo. Falſarius literarum Apoſtolicarum, ſive Epiſcopalium, vel Officialium, ſive publicorum inſtrumentorum.

Quarto decimo. Sacerdos ſcienter celebrans in Altari non conſecrato, vel ſine Sacris in Divinis, celebrans, etiam (n) jejunus. *Item* non ordinatus in Presbyterum, Miſſam celebrans, & non ordinatus in Diaconum ſolemniter & publice Evangelium legens, & non ordinatus in Subdiaconum ſolemniter, & cum veſtimentis Subdiaconi Epiſtolam in Miſſarum ſolemniis legens.

Decimo quinto. Clericus jurans tactis ſacroſanctis Evangeliis & perjurans, & quando dubitatur, utrum aliquid (o) ſacrum ſit ſervandum vel non.

Sexto decimo. Ubicumque ſolemnis pœnitentia eſt injungenda, non dicimus hoc de publica.

Septimo decimo. Incendiarii & effractores Eccleſiarum & Domorum Eccleſiaſticarum, & nocturni depopulatores agro-

(b) Hic inchoatur Cap. LXXVII. *De caſibus reſervatis Epiſcopo*: quod incommode diſcerpitur in Marteniano codice.
(i) Primarios, *Trevericum*: *melius noſtrum* Pœnitentiarios.
(k) *Melius Trevericum*: & contrahens, vel religionem intrans, vel ſacrum
(l) exhortatione, *non*: excitatione. (m) ſecundas
(n) non jejunus (o) Sacramentum

agrorum, & famosi latrones, qui in itineribus insidiantur.

Decimo octavo. Per saltum aliquo ordine prætermisso, vel etiam furtive & contra prohibitionem promotus, & baptizatus, & reordinatus & reconfirmatus.

Decimo nono. Excommunicatus, suspensus, vel interdictus celebrans Missam scienter, vel officium suum solemniter, sicut prius agens, & qui excommunicatus, vel interdictus ordinem vel Beneficium suscepit.

Vicesimo. Coiens cum Moniali sacra, Virgine vel non.

Vicesimo primo. Defloratores Virginum, vi oppressæ, & raptæ.

Vicesimo secundo. Opprimens, sive perimens prolem suam studiose, vel negligenter, ante partum, vel post.

Vicesimo tertio. Quomodolibet abutens Chrismate, vel Hostia, vel alia re sacra.

Vicesimo quarto. Rapinam, vel sacrilegium committens in Ecclesia.

Vicesimo quinto. Scienter baptizans proprium filium, & etiam uxoris suæ ex alio viro, vel e converso, præter in articulo necessitatis, vel etiam aliis deficientibus, vel etiam in Catechismo, vel confirmatione tenens.

Vicesimo sexto. In Ecclesia maxime consecrata luxuriam committens, humanum semen quomodocumque ibidem studiose emittens.

Vicesimo septimo. Scienter coiens cum Judæa vel Saracena, vel Pagana, & e converso.

Vicesimo octavo. Verberans patrem vel matrem, vel alias enormes eis injurias irrogans.

Vicesimo nono. Sortilegi, Divinatores, malefici, incantatores, augures, aruspices, dœmones pro quacumque causa invocantes, vel similia facientes.

Tricesimo. Contrahentes matrimonium post sponsalia cum aliis juramento interposito contracta, illis per Ecclesiam non dissolutis.

Tricesimo primo. Violator Ecclesiæ, vel Cimiterii.

Tricesimo secundo. Peccatum Sodomiticum committens (p) cum quibuslibet consanguineis vel affinibus.

Tricesimo tertio. (q) Sacerdotes, vel Ministri, quorum culpa vel negligentia aliquid inhonestum circa Sacramentum Altaris evenerit.

Tricesimo quarto. (r) Cognoscentes consanguineas suæ uxoris vel sponsæ.

Tricesimo quinto. [s] Procurans, quomodocumque sit, sive per se, sive per alium in alio sterilitatem.

Tricesimo sexto. [t] Blasphemans Deum publice, vel Matrem ejus, vel Sanctos, vel falsum testimonium proferens, & laicus juramenti transgressor; qui tamen post transgressionem satisfacit de eo, quod juraverat facere, vel servare.

Tricesimo septimo. (u) Sacerdos coiens cum ea, quam baptizavit, vel confessiones audivit, vel etiam cum ea, quæ speciali affinitate sibi est conjuncta.

Tricesimo octavo. Contrahens matrimonium cum ea, quam cognovit per adulterium, superstite legitima uxore sua, vel e contra.

Tricesimo nono. [x] Mulier, cujus vir diu abfuit, & de illius morte certitudo non habetur; contra prohibitionem Ecclesiæ matrimonium cum alio contrahens, idem & e converso.

XCIV. [y] *Contra non habentes ætatem matrimonii.*

Inhibemus Rectoribus & Sacerdotibus, ne matrimonialia admittant inter aliquos, qui non sunt ætatis nubilis, sive ambo, sive alter eorum tantum deficiat in ætate; vel etiam ubi dubitatur, utrum matrimonium teneat an non, vel si de hoc lis mota fuerit, solemnizare in Ecclesia præsumant sine Nostra, aut Episcoporum locorum, vel Officialium licentia speciali.

XCV.

(p) vel cum brutis commiscens. *Tricesimo tertio.* Incestum committens cum quibuscunque.
(q) In Treverico est 34. casus. (r) 35. in Treverico. (s) 36tus casus.
(t) 37timus. (u) est 38vus. (x) est 40mus casus.
(y) Caput LXXVIII.

XCV. (z) *Contra clandestina Matrimonia.*

Declaramus & pronunciamus, quod quicumque clandestina matrimonia seu sponsalia contra juris prohibitionem contrahunt, tam ipsi contrahentes, quam ipsi omnes Laici, & Clerici, ac Religiosi, qui non sunt Presbyteri, qui scienter & sponte, non casu fortuito, tali matrimonio intersunt, per Constitutiones tam *Provincialis Concilii*, quam Prædecessorum nostrorum, excommunicationis; Presbyteri vero suspensionis per triennium incurrunt sententias (*a*) ipso facto.

XCVI. *Contra non facientes proclamationes.*

Inhibemus igitur, & inhibitum esse declaramus de jure, ne sponsalia, seu matrimonia clandestine contrahantur: sed cum contrahenda fuerint matrimonia, Sacerdotes; publice ter, scilicet, per dies Dominicos, vel Festivos proponant, & proclamationem faciant in Ecclesiis competenti termino præfinito, ut infra illum, qui voluerit, legitimum impedimentum opponat; & ipsi Sacerdotes nihilominus per se ipsos fideliter & diligenter investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. Quod si apparuerit, vel etiam de facto ipso sit probabilis conjectura, contractus matrimonii interdicatur expresse, donec quid super hoc fieri debeat, per loci Ordinarium declaretur. Sacerdos vero, qui tales conjunctiones solemnizare præsumserit, aut quilibet Regularis, qui in eis interesse præsumserit, per triennium ab officio suspendantur; gravius nihilominus puniendus, prout culpæ ipsius gravitas postulabit; sed & illis, qui taliter copulari præsumserint, condigna pœnitentia injungatur: & si sic conjuncti permanserint, Ecclesia [*b*] contra eos tamquam publicos concubinarios reputabit. Verumtamen, si clandestine contrahentes talia matrimonia, postea in facie Ecclesiæ [*c*] publice voluerint, ab Ecclesia recipienda & approbanda sunt, tamquam a principio in conspectu Ecclesiæ contracta, nisi vel consanguineitas, vel aliud legitimum impedimentum appareat: ita videlicet quod publice coram Sacerdote & aliis pluribus personis confiteantur se matrimonium contraxisse, vel de novo in Ecclesia matrimonium contrahant de præsenti, eisque, si postulaverint, detur benedictio nuptialis, injuncta tamen prius eis per Sacerdotem pœnitentia competenti, pro eo, quod clandestine contraxerunt. Prædictæ autem proclamationes non remittantur a quoquam, nisi super una, vel duabus dumtaxat ex causa Nos, vel Episcopi loci velimus gratiam facere specialem.

XCVII. (*d*) *De Personis ignotis.*

Nullus autem Sacerdos personas ignotas de remotis partibus venientes matrimonialiter copulare præsumat, sive ambæ ignotæ fuerint, sive altera illarum tantum: nec tale matrimonium faciendum denunciet in Ecclesia, sine nostra, vel Episcopi loci licentia speciali.

XCVIII. [*e*] *De alieno Parochiano.*

Sed nec aliquis Sacerdotum alienum Parochianum ad matrimonium recipiat, ignorante proprio Sacerdote.

XCIX. (*e*) *De Sponso & Sponsa.*

Si vero Sponsus & Sponsa de diversis Parochiis fuerint, matrimonium possunt contrahere & nuptialem benedictionem recipere in quacumque Ecclesia maluerint, dum tamen literas nostras, vel certos nuncios suorum Presbyterorum ostendant, continentes, quod in Ecclesiis, quorum sunt Parochiani, matrimonium fuerit legitime denunciatum contrahendum, & quod ipsi Presbyteri nullum sciunt, vel audiverunt impedimentum, quominus inter eos possit matrimonium esse, licet autem aliqui transtulerint domicilium suum in Parochiam alienam: nihilominus tamen denuntiatio matrimonii contrahendi fiat in prima Ecclesia, in cujus Parochia diu morati sunt, & etiam in illa, in qua suum transtulerint domicilium & morantur: præcipue si noviter se transtulerint. Eis autem, quæ rupta fide sponsaliorun matrimonium cum aliis contrahunt, non detur nuptialis benedictio.

(*z*) Caput LXXIX. (*a*) sententiam (*b*) contra *abest à Treverico.*
(*c*) publicare (*d*) Caput LXXX. (*e*) Idem cum præcedente.

C. (*f*) *Contra illos, qui illegitimi sunt nati, ut ad primam Tonsuram non accedant.*

Præcipimus, ut nullus illegitime natus ad primam Tonsuram, vel aliquos Ecclesiasticos Ordines, vel Ecclesiastica Beneficia se ingerat, seu præsentet, vel præsentari faciat absque legitima dispensatione. Qui vero contrarium fecerit, & qui talem scienter præsentaverit, præter pœnam juris, ipsum excommunicationis vinculo innodamus. Illegitimi quoque Beneficia Ecclesiastica absque sufficienti dispensatione obtinentes, ipso facto se noverint privatos.

CI. (*g*) *Contra excommunicatos.*

Excommunicatos, aut nominatim interdictos per totam nostram Provinciam ab omnibus Regularibus & secularibus exemtis, & non exemtis præcipimus in Divinis Officiis & Sacramentis Ecclesiasticis evitari: quia nulli debent in hoc aliquibus privilegiis se tueri. Qui vero contra fecerint, vel tales ad sepulturam Ecclesiasticam admiserint, vel receperint, aut celebrare in Ecclesia interdicta præsumpserint, Ecclesiæ in quibus talia fient, subjaceant interdicto.

CII. (*h*) *Ut Præcepta Ecclesiæ denuntientur.*

Præcipimus Rectoribus, & Capellanis Ecclesiarum omnibus sub pœna excommunicationis, ut præcepta, sententias interdicti, & excommunicationis, quæ Nos vel Episcopi nostræ Provinciæ, vel Officiales nostri, vel alius authoritate mandaverimus observari, mandabimus in futuro, postpositis odio, gratia, vel timore, fideliter observent, & quantum in eis fuerit, faciant ab aliis observari.

CIII. (*i*) *Contra retinentes litteras dolose.*

Item præcipimus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quod omnes illi, qui retinent scienter & dolose, contra debitorum voluntatem omnia instrumenta & litteras ipsorum debitorum, de quibus plane satisfactum est, quod eadem instrumenta eis restituant infra mensem, ex quo præsens statutum ad eos pervenerit, & restituendi habuerint facultatem.

CIV. (*k*) *Contra illos, qui faciunt contra mandata Ecclesiastica.*

Nos (*l*) quoque, qui propter executionem statuti & ordinationis præmissorum, vel alia qualibet occasione Clericos, vel laicos, qui aliquos ad nostram Curiam, & Ecclesiasticos Judices citari, vel trahi fecerint, vel interdicti, aut excommunicationis, vel alias sententias, & processus contra eos obtinuerint, aut ibi in judicio contenderint, vel etiam Officialium Nuncios, Judices nostros, & Episcoporum, qui hujusmodi sententias tulerint, & processus fecerint, compellere per captionem personarum vel rerum suarum, vel alio quocumque modo ad desistendum, vel obtinendum absolutiones, vel revocationes hujusmodi faciendas. (*m*) Eos, qui in causis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus executiones aliquas contra quascumque personas fecerint, capientes, &, qui eos capi, vel alias lædi mandaverint, seu procuraverint, nisi infra unius mensis spatium cum debita satisfactione præmissa emendaverint, & cum (*n*) steterint, in his scriptis excommunicationis vinculo innodamus. (*o*) Ne autem circa hæc, quæ (*p*) notoria sunt, omittamus, & ne quis ignorantiam possit prætendere in præmissis, duas constitutiones felicis recordationis GREGORII PAPÆ X. præsenti constitutioni de verbo ad verbum duximus subnectendas. Quarum prima est:

CV. (*q*) *Contra illos, qui faciunt absolutiones per vim & metum.*

" Absolutionis beneficium (*) ex-
" communicationis, vel quamcunque
" revocationem ipsius, aut suspensionis,
" seu etiam interdicti per vim, vel per
" metum extortam præsentis constitutionis

(*f*) Caput LXXXI. (*g*) Caput LXXXII. (*h*) Caput LXXXIII.
(*i*) Caput LXXXIV. (*k*) Caput idem cum priore. (*l*) Eos, *pro*: Nos.
(*m*) *subintellige*: sub pœna excommunicationis monendos præcipimus, *dein inchoatur* Caput LXXXV. Eos etiam, qui in causis.
(*n*) effectu destituerint, *lege*: destiterint. [*o*] Cap. LXXXVI. *De extortis absolutionibus.*
(*p*) necessaria (*q*) Constitutio prima Gregorii X.
(*) ab excommunicationis sententia

" nis authoritate omnibus viribus vacuamus. Si autem sive vindicta, sive violentia crescat malignandi audacia; eos qui absolutionem, seu revocationem hujusmodi vi vel metu extorserint, excommunicationis sententiæ decrevimus subjacere.

CVI. (r) *Contra illos, qui capiunt, vel interficiunt propter sententias.*

" *Item alia hæc est:* Quicumque, eo quod in Reges, Principes, Barones, Nobiles, Ballivos, vel quoscumque Ministros, aut quoscumque alios excommunicationis seu interdicti sententia fuerit promulgata, licentiam dederit alicui occidendi, capiendi, seu alias in personis aut bonis suis, aut suorum gravandi: eos, qui tales sententias protulerint, sive quorum sunt occasione prolatæ, vel easdem sententias observantes, seu taliter excommunicatis communicare volentes; nisi [s] sententiam re integra revocaverint, vel si ad bonorum captionem occasione ipsius (t) sententiæ sit processum, nisi bona ipsa fuerint infra octo dierum spatium restituta, aut satisfactio pro ipsis impensa, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto. Eadem sint sententia innodati omnes, qui ausi fuerint prædicta licentia data uti, vel aliquo præmissorum, ad quæ committenda dari licentiam prohibemus, aliaque committere suo motu. Qui autem in eadem sententia permanserint duorum mensium spatio, extunc ab ea non possint, nisi per sedem Apostolicam absolutionis beneficium obtinere.

CVII. (u) *Contra Ballivos, & Judices sæculares.*

Illud quoque sub excommunicationis pœna prohibemus, ne quisquam Civitatis, Diœcesis & Provinciæ nostræ Clericos, seu Ecclesiasticas personas trahere, seu trahi facere præsumat, super quibuscumque personalibus actionibus, coram quocumque Judice, Domino, Ballivo, vel alio temporali, vel sæculari, seu sæcularem jurisdictionem habente. Clerici vero hoc facientes, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto.

CVIII. (x) *Contra Dominos temporales, qui capi faciunt Clericos, vel alios propter sententiam.*

Sed nec ipsi de facto coram talibus, & super talibus, sive a Clericis, sive a laicis (*) capti fuerint, in ipsis consentiant, aut coram eis respondeant, sub eadem excommunicationis pœna, præter alias pœnas de jure scriptas. Nos enim sententias condemnationis & processus quoslibet coram talibus, sive per eos, sive eorum auctoritate, & mandato, habentes, & habendos, irritos decernimus & inanes. Si autem Domini temporales, vel sæculares Judices, Ballivi præmissi, & alii quicumque quomodolibet directe, vel indirecte, per se, vel per alios tales in se consentire, aut sibi respondere, compellere, aut ab eis aliquid extorquere præsumserint; ipsi Domini Judices, Ballivi, & quilibet alii excommunicationis sententiæ, ipso facto, se noverint subjacere, a qua absolvi non possint, nisi prius eis restituant, quod a talibus habuerint, nec remissio eorum, a quibus exactum exstiterit, ipsos extorquentes aliquatenus valeat excusare.

CIX. (y) *Contra illos, qui detinent bona & jura Ecclesiarum.*

Injuncti Nobis officii cura & commissa præterita nos compellunt, ut tam præsentis innovatione statuti, quam debitarum adjectione pœnarum, Nostræ, & subditorum nostrorum Ecclesiæ indemnitatibus consulamus: ne Nos, qui alios in sua justitia fovere tenemur, jus nostrum, & Ecclesiarum improvide negligere videamur. Quia igitur nonnulli bona & jura nostra, & Ecclesiarum nostrarum prædictarum spiritualia Ecclesiastica & temporalia modis variis occupare, & occupata detinere, Dei timore postposito, non verentur: alii vero feuda & retrofeuda, bona & jura, quæ a Nobis, & Ecclesiis nostræ Provinciæ tenere debent; [z] & aliis

(r) Constitutio secunda ejusdem Papæ.
(t) licentiæ
(x) Idem cum priori contextu.
(y) Caput LXXXVIII.
(s) licentiam re integra
(u) Cap. LXXXVII.
(*) tracti fuerint,
(z) & *omissum.*

aliis perſonis recognoſcere, vel ſubmittere non formidant. Idcirco præcipimus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ipſis occupantibus, & detentoribus, ut bona & jura noſtra, & Eccleſiarum absque noſtra, & anteceſſorum noſtrorum, ſeu earumdem Eccleſiarum Prælatorum licentia & aſſenſu minus juſte occupata, & detenta, plene, integre, & effectualiter nobis, & eis reſtituere, & agnoſcere debeant: ipſis vero recognitoribus, ſubmiſſoribus Eccleſiarum, feudorum, & retro-feudorum, ut recognitiones & ſubmiſſiones quomodolibet factas totaliter infra menſem, ex quo præſens ſtatutum ad eos pervenerit, cum effectu revocare non omittant.

CX. (*a*) *Contra illos, qui recognitiones & ſubmiſſiones recipi demittunt.*

Requirimus inſuper, & monemus eos, qui recognitiones & ſubmiſſiones hujusmodi per ſe, vel per alios quomodolibet receperint, aut recipi fecerint, ut omni fraude ceſſante, infra idem tempus illa libere reſignare, remittere, & repudiare, & dimittere non omittant, de quibus reſtitutione, reſignatione, remiſſione, ſeu repudiatione infra xx. dies poſt dictum menſem ſufficienter Nos, & Eccleſiarum Prælatos certificare procurent per legitima documenta.

CXI. *Contra illos, qui alienant bona Eccleſiaſtica.*

Ad hoc interdicimus omnibus & ſingulis Nobis & Eccleſiis ſubditis quæcumque bona Eccleſiaſtica, vel mundana jura, feuda, vel retrofeuda, quomodolibet tenentibus vel poſſidentibus, ne de cetero illa in totum, vel in partem quoquomodo vel titulo alienare, transferre, recognoſcere, vel ſubmittere quibuscumque perſonis Eccleſiaſticis, vel Mundanis, Collegiis, Univerſitatibus, ſeu Villis ſine noſtra aut Succeſſorum noſtrorum ac Prælatorum dictarum Eccleſiarum licentia ſpeciali præſumant; & ne quisquam recognitiones & ſubmiſſiones hujusmodi ſcienter amodo præſumant. In contra facientes exnunc, ut extunc in perſonas ſingulares *excommunicationis*; in Collegia ſeu Univerſitates *interdicti*, in his ſcriptis ſententias promulgamus: & inſuper occupationes: detentiones, alienationes, recognitiones, & ſubmiſſiones ipſas, *irritas* nunciamus, & totaliter annullamus. Eidem quoque excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere eos, qui bona mobilia, feuda, jura, jurisdictiones, & libertates quarumlibet Eccleſiarum noſtræ Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ quomodolibet uſurpare, & occupata detinere præſumpſerint, niſi infra duorum menſium ſpatium a præſentis publicatione conſtitutionis connumerandum, taliter occupata, vel detenta, cum omnibus fructibus & proventibus inde perceptis plene & integre reſtituerint illis Eccleſiis ſeu Eccleſiaſticis perſonis, ad quas pertinere noſcuntur: Univerſis & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus, & Curatis præcipientes, quod præſentem Conſtitutionem Parochianis ſuis ſtudeant diligenter exponere; & ſi forte quemquam hac excommunicatione ligatum noverint, illi ſepulturam in morte ſeu aliqua Eccleſiaſtica Sacramenta in vita non miniſtrent, vel admittant etiam ad Divina.

CXII. (*b*) *Contra indoctos Medicos.*

Quia ſicut intelleximus, plerique indocti, & quorum vita, & mores incognita ſunt civitati, caſtris, oppidis, & villis noſtris, & noſtræ provinciæ in arte Medicinæ & Chirurgiæ, & aliis artibus, docere, dicere, & prædicare contendunt: & circa exhibendas medicinas & collyria quam plures imperiti, & inexperti ſe ingerunt, ex quibus quam plurima diſpendia proveniſſe noſcuntur, magiſtrique eſſe cupiunt, qui diſcipuli non fuerunt: diſtricte, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ inhibemus, ne quis deinceps in Civitate, Diœceſi noſtra & Provincia artem Medicinæ & Chirurgiæ exercere ſeu docere præſumat, absque noſtra licentia ſeu Epiſcoporum locorum ſpeciali. Decet enim ut prius examinentur & approbentur tam in ſcientia, quam moribus hi, qui circa ſalutem corporum, quæ rebus quibuslibet præponenda exiſtit, ſe aſſerunt expertos; cum maxime in talibus tam periculoſis,

(*a*) Connexum cum priori.

(*b*) Cap. LXXXIV. *De Phyſicis & Medicis.*

losis, & arduis quilibet ignorans præsumi debeat, nisi probaverit se scientem.

CXIII. (c) *Contra Clericos male se gerentes.*

Itém præcipimus, quod unusquisque maxime Clericus dolos & conjurationes caveat, odium, & æmulationes, obtrectationes, atque invidiam fugiat, non vagis oculis, non effreni lingua verborum, non petulanti (d) fluidoque gestu incedat, sed pudorem, & verecundiam mentis simplici habitu, incessuque ostendat, obscœnitatem verborum etiam (e) in membrorum, & operum penitus exsecretur. Senioribus debitam præbeat obedientiam, neque ullo jactantiæ studio se ipsum attollat, bonis moribus studeat, ab omnibus illicitis cor, & linguam, & corpus, Deo auctore, conservet. Omnis enim jactantia atque immoderatio a moribus bonis est aliena. Curam pauperum, peregrinorum, (f) alienarum miserabilium personarum habeat, præsentes (ff) eis caritativam refectionem, prout ei a Deo fuerit inspiratum. Viduas, & Orphanos, & Pupillos defendat, & tam in his, quam in aliis totius boni laudabile exemplum exhibeat.

CXIV. (g) *Qualiter pueri baptizentur.*

Item, si mulier in puerperio decesserit, & partus maternis in visceribus adhuc jacere credatur, uterus mulieris sine mora aperiatur, & puer, si vivus eductus fuerit, baptizetur. Si vero mortuus, extra cimiterium tumuletur. Sed si puer mortuus probabiliter credatur, tunc sine apertione mulier in cimiterio cum partu tumuletur. Si autem muliere in partu laborante infans in ventre matris tantum caput emiserit, & nasci nequeat, mox aliqua de obstetricibus, aquam super caput infantis infundat, dicens: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Et erit baptizatus.

Idemque dicendum est, prout quidam asserunt, si major pars corporis præter caput appareat, baptizetur; secus, si minor, solus pes, vel sola manus appareat, baptizari non debet, quod si fiat, nihil agitur. Cum enim partus tunc non nascatur, nec tunc etiam renasci potest. Cæterum, si solum caput, vel solum major pars corporis appareat, nec discerni potest cujus sexus sit, tunc obstetrix levando caput cum aqua faciendo crucem super caput dicat sic: *Creatura Dei, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et erit baptizatus.

CXV. (h) *De Confirmatione.*

Confirmatio est secundum Sacramentum Ecclesiasticum ab ipso Christo institutum, qui Apostolos suos confirmavit, & per eos, eorumque successores populos confirmandos decrevit. In hoc Sacramento, sicut in Baptismo, compaternitas contrahitur, impediens matrimonium contrahendum, & dirimens jam contractum. Nullus potest bis confirmari, nullus, nisi ipse baptizatus sit, alium confirmatum præsentet. Nullus proprium filium, vel e converso, nec vir, nec uxor (i) infantem aliquem ad confirmationem teneant, aut præsentent; non plures unum confirmandum, aut unus plures confirmandos præsentet, ne oblivio ex diuturnitate temporis, vel personarum multiplicitate proveniens, peccati occasionem inducat. Nullus hoc Sacramentum, nisi baptizatus fuerit, accipiat. Confirmandus, si adultus sit, prius debet confiteri peccata. In Confirmatione nomina possunt mutari. Nemo sine hoc Sacramento debet vitam finire, ideoque semper dicatur laicis, ne diu exspectent Episcopi sui adventum ad confirmandum; sed pueros mittant ad loca proxima, ubi Episcopum audierint advenisse.

CXVI. *Contra illos, qui alieno Sacerdoti peccata confitentur.*

Nullus alieno Sacerdoti peccata sua confiteatur, nisi prius a proprio petitâ licentia, & obtenta: quam nullus requisitus malitiose dare & recusare præsumat. In quibusdam tamen casibus libere potest, quis confiteri alieno (k) Sacer-

(c) Caput XC. *De honestate Clericorum.* (d) tumidoque
(e) & membrorum (f) aliarum (ff) *forte*: præstans
(g) Caput XCI. *De fœtu mortuo.* (h) Caput XCII. (i) simul
(k) Variæ declarationes Canonis: *Omnis utriusque sexûs.*

cerdoti, licentia non petita. *Primo*, si Episcopus hoc alii delegaverit. *Secundo*, si in aliena Parochia peccaverit, potest de illo peccato Sacerdoti illius Parochiæ confiteri. *Tertio*, si suum domicilium in aliam transtulerit Parochiam. *Quarto*, si est vagabundus. *Quinto*, si mortis periculum sibi imminet, nec habere potest proprium Sacerdotem: quo etiam casu posset laico (*l*) Catholico confiteri. Sed nec aliquis Sacerdos alterius Parochianum ad confessionem sine licentia sui Sacerdotis admittat. Debet autem confitens se ipsum, non alium accusare, nec personam illius, cum qua peccavit, debet nominatim exprimere. Sed nec Confessor de illa quærere debet. Nec debet etiam per Nuncium, vel Scripturam, sed ore proprio confiteri, ut qui per se ipsum peccavit, per se ipsum confiteatur, & erubescat. Ad hoc confessiones mulierum in loco non occulto, sed in patenti quis audiat, nec earum facies aspiciat, sed vel capucium ante oculos teneat, vel alibi faciem avertat: & si forte horribile peccatum audierit, non spuat, nec faciem suam torqueat, aut signum aliquod faciat, propter quod peccatorem deterreat, vel rubore, seu verecundia confundat: ita ut reliqua peccata sibi timeat revelare. Sacerdos diligenter peccatorem admoneat, & directe inducat, ut omnia peccata sua humiliter, vere, integre, simpliciter, & fideliter confiteatur, nec verecundia vel timore aliqua celet. Ostendens ei, quia non homini, sed Deo, cujus personam repræsentat, ipse locuturus est, & quod etiam ipse Sacerdos peccator est, & quod beati Petrus & Paulus peccatores fuerunt, (*m*) quod res pene contra naturam est, ut (*n*) commisso quis sine peccato sit; & humanum est peccare, sed diabolicum est in peccato perseverare; dicens ei, quod si ficte & palliate confiteatur, vel si aliquod mortale peccatum celaverit, vel scienter dimiserit, vel partem peccatorum uni Sacerdoti, partem alii confiteatur, talis pœnitentia ad æternam salutem non sufficit promerendam. Intelligens igitur Presbyter ea, quæ confitens dicere voluerit, sollicitando eum studiose, ut cogitet, ne aliquod peccatum prætermittat, de delictorum quoque circumstantiis prudenter & caute interroget, non tanquam scire appetens, sed ut melius & salubrius consulere sciat, & utatur consilio CONCILII GENERALIS, *ubi sic dicitur:* (*nn*) "Sacerdos " autem sit discretus & cautus, ut more " periti medici superinfundat vinum & " oleum vulneribus sauciati, diligenter " inquirens, & peccatorum circumstantias, & peccati, quibus prudenter " intelligat, quale debet illi præstare " consilium, & cujusmodi remedium " adhibere." Interroget ergo in genere, & de diversis, videlicet utrum peccaverit peccato superbiæ, gulæ, luxuriæ, & sic de aliis. Unde AUGUSTINUS: Diligens inquisitor, & subtilis investigator sapienter, & quasi astute interroget a peccatore id, quod forte ignorat, vel verecundia vult occultare.

CXVII. (*o*) *Qualiter Sacerdos debet audire Confessiones.*

Cognito ergo crimine (*p*) varietates ejus non dubitet investigare, videlicet locum, tempus, sexum, conditionem, causam, intentionem, personam, modum, & alia necessaria, non tamen (*q*) conspiciendo nimias circumstantias, nec interrogando de inusitatis, nec quærendo de illis, quæ confitens forte ignorat, vel nunquam audivit. In his instruatur, & ad peccatum (*r*) declarandum inducatur. Nam & secundum GREGORIUM loquendo, specificando, & increpando sæpe culpa detegitur, quam nescit ille, qui confitetur. Et nec inquirat, unde persona, cum qua confitens peccavit. Quærat etiam Sacerdos a confitente, utrum doleat de commissis, dicens ei, quod non gaudebit se conversum, nisi doleat se fuisse perversum: & an proponat ulterius non peccare, & pœnitentiam agere de commissis? Et si responderit se a peccatis abstinere non posse, vel nolle, aut ab aliquibus vult absti-

(*l*) humilitatis causâ, non sacramentaliter (*m*) eo quod
(*n*) commisso *omittit Trevir.* (*nn*) Lateranensis IV. Generalis XII. Canone XXI.
(*o*) In Treverico non est novus titulus, sed continuatio prioris.
(*p*) videlicet secundum locum, tempus, sexum, conditionem, causam, intentionem varietates ejus
(*q*) specificando, *pro*: conspiciendo. (*r*) ad peccandum *Trevir. melius Martene.*

abstinere, & in aliquibus remanere, nihilominus Sacerdos confessionem ejus debet audire, & de peccatis consilium præbere. Prius tamen, quam sibi consulat, ei patienter dicat, quod si quis quæcumque habet, pauperibus erogaret, & quamdiu vixerit, in pane & aqua jejunaret, & alia bona faceret, nihil sibi proficeret ad vitam æternam obtinendam, quamdiu in peccato commisso remanserit, vel propositum & voluntatem committendi habuerit, nec eum ab aliquo peccato absolvat, nisi de omnibus pœnituerit, & nisi propositum habuerit iterum non peccandi, ad quod toto posse & studio eum inducat. Quod si forte ipsum ad veram pœnitentiam & confessionem inducere nequiverit, præbeat ei de peccatis confessis consilium dicens in hunc modum: Frater, dico tibi & consulo, quod jejunes, ores, eleemosynas, (s) & alia bona facias. Hæc tamen tibi ad æternam vitam non sufficiunt, & ad salutem æternam obtinendam, quamdiu in peccato vel peccandi remanseris voluntate: quia nihil prodest jejunare, orare, & alia opera religionis facere, nisi penitus ab iniquitate revocetur: & secundum ISAIAM irrisor est, & non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet. Opera enim sine caritate apud Deum nec justitiam, nec innocentiam præstant. Talem tamen pœnitentiam facias, ut per hæc bona & alia, quæ feceris, dignetur Dominus cor tuum ad veram pœnitentiam illustrare. Et facta generali confessione, scilicet: *Confiteor Deo* &c. non absolvat a peccatis, sed dicat ei, quod non recipiat corpus Christi, quamdiu in peccato, & voluntate, & proposito iterum peccandi manebit. Provideat tamen, quantum potest, ne in desperationis illum inducat periculum. (t) Judæi Judam desperare fecerunt.

CXVIII. (u) *Ut Sacerdos confitentem confortet.*

Et quia contraria contrariis curantur, Sacerdos peccatori peccata confitenti, & propositum ulterius non peccandi habenti suadeat, & imponat pœnitentiam, & correctionem per contrarium sibi respondentem.

CXIX. *Contra superbiam, avaritiam, & gulam.*

Contra superbiam enim suadeat humilitatem & injungat orationem; contra avaritiam eleemosynam affluentem; contra gulam ciborum abstinentiam & sobrietatem; contra luxuriam, jejunium, & orationes, peregrinationes, disciplinas, & alias carnis macerationes imponendo, semper tamen juxta personæ conditionem, pœnitentiam, quam poterit supportare, ne forte nimium gravetur, (x) gravius peccet etiam injustam pœnitentiam imponendo & infringendo.

CXX. *Quam debent injungere infirmis pœnitentiam.*

Nam secundum JOANNEM CHRYSOSTOMUM, si erramus, modicam pœnitentiam injungendo, melius est propter misericordiam talem dare, quam propter crudelitatem magnam infringi. Ubi enim Paterfamilias largus est, Dispensator non debet esse tenax: & secundum AMBROSIUM, melius est pœnitentias tales præstare per misericordiam, quam prætendere inclementiam. Imposita ergo pœnitentia & facta generali confessione, *Confiteor Deo, &c.* dicat sic; injungo talem pœnitentiam tibi, seu satisfactionem pro peccatis, quæ per contritionem confessus es. Et imponens manus super caput ejus dicat: " Indulgentiam & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus. Amen. Et ego auctoritate Domini nostri *Jesu Christi*, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & officii mihi commissi, & auctoritate, qua fungor, absolvo te ab his, quæ confessus es, & contritus. " Et dicat ei, quod si postmodum reduxerit ad memoriam alia peccata, quæ non sit confessus, redeat ad eum, ut ea confiteatur.

CXXI. *Contra illos, qui debent parcere infirmis.*

Infirmis autem non est pœnitentia injungenda, sed solum innotescenda seu declaranda. Dicat enim Sacerdos infirmo, cujus peccata audivit: Frater, si sa-

(s) des,
(u) In Treverico sine novo titulo continuatur.
(t) sicut Judæi
(x) *forte:* & gravius

si sanus esses pro his peccatis, quæ confessus es, deberes tot annis vel taliter pœnitere; sed quia infirmus, nullam injungo pœnitentiam tibi ad præsens corporalem. Si tamen de ista infirmitate te mori contigerit, facias tantum dari pauperibus, vel piis locis, vel tot Missas celebrari, vel similia loco prædictæ (y) pecuniæ. Si vero convalueris, tamen pœnitentiam facias. Et imponens manum super caput ejus, absolvat eum de peccatis, prout jam de sano dictum est. Quod si forte infirmus pro pœnitentia recipienda Sacerdotem petiit, vel aliqua signa pœnitentiæ ostendit, & priusquam Sacerdos veniat, ille obmutescat, vel amens fiat; Sacerdos postea veniens, sive ad nutum infirmi, sive ad testimonium illorum, qui illum Presbyterum vel pœnitentiam petentem, vel alia signa pœnitentiæ facientem audierunt, ei (z) imponere (zz) quidquid humanitatis & consolationis potest, absolvendo eum, & reconciliando, & orationes dicendo, osculum Crucis sibi dando, in Cimiterio sepeliendo, & similia faciendo. (a) Caveat enim Sacerdos omnino, ne aut verbo speciali, ut dicendo, ego non sum fur, vel adulter, quasi dicat, tu es talis; vel generali, ego scio qualis tu es; aut signo, aut quolibet alio, (b) favore, odio, vel timore prodat, vel revelet peccatorem. Sed si forte (c) pro pœnitentia pro peccato injungenda dubitaverit, & Episcopi, vel alterius prudentioris consilio indiguerit, illud caute & generaliter sub aliis terminis absque alicujus personæ expressione requirat. Alioquin deponatur, & in arctum Monasterium ad agendam ibi perpetuam pœnitentiam detrudi debet.

CXXII. (d) *Ut Medici infirmos moneant de salute.*

Medicis corporum sub excommunicationis pœna præcipimus, ut infirmos moneant, & inducant, quod ante omnia Medicos advocent animarum, ut postmodum ad corporalis medicinæ salubrius remedium procedatur. Et insuper sub excommunicationis pœna prohibemus, ne infirmis pro corporali salute suadeant aliquid dare, quod in periculum sit animarum.

CXXIII. (e) *Contra non facientes restitutionem.*

Illud quoque notandum est, quod non remittitur peccatum, nisi restituatur, vel emendetur ablatum, seu restituendum, si emendandi facultas adsit. Non enim potest quis vere pœnitere, nec debet aperte absolvi, nec pœnitentia sibi (f) induci, nisi prius restituat, vel emendet rapinam, furtum, sacrilegium, incendium, usuram, vel res ex naufragio vel incendio habitas, seu quaslibet indebitas extorsiones, vel censum retentum præter voluntatem Domini, cui debetur, vel damna (g) cujuscumque contra justitiam data, & generaliter cujuslibet rei alienæ scienter contra justitiam debitam detentionem. In his siquidem omnibus & singulis Sacerdos debet præcipere confitenti, ut statim satisfaciat juxta posse: & si peccatum occultum fuerit, fieri debet occulte per ipsum Sacerdotem, vel per aliam fidelem personam, suppresso nomine, confitentis restitutio, seu emenda: si autem pœnitens non habet rem, quam restituere debet, vel alia bona mobilia vel immobilia, unde statim satisfacere possit; vel habet, seu potest, ista (h) tamen, cui restitutio facienda est, præsens non est, nec esse potest, & confitens apparet vere pœnitens & contritus proponens firmiter cum poterit satisfacere; sibi pœnitentia injungatur; & si sit infirmus, præcipiat heredibus, ut si mori eum contigerit, de his plene satisfacere curent pro eodem. (i) Omnibus autem pœnitentibus sanis vel infirmis, qui aliis tenentur aliquid restituere, non excusantur præcipiendo suis heredibus, quod resti-

(y) pœnitentiæ, *non:* pecuniæ.
(z) impendere (zz) debet, *omissum.*
(a) Caput XCIV. *De pœnitentia injungenda, & inquisitione facienda.* Caveat.
(b) modo, favore
(c) super, *loco:* pro
(d) Caput XCV. *Treverici codicis.*
(e) Caput XCVI.
(f) indici
(g) cuicumque
(h) is tamen, *loco:* ista
(i) Caput XCVII. *De restitutionibus in Confessionibus faciendis.* Omnes pœnitentes . . . non excusantur.

reſtitutionem faciant vel emendam, niſi ipſimet in toto vel in parte ſtatim reſtituant, vel emendent, ſi hoc commode facere poſſint. Tenetur enim alienæ rei detentor, & etiam ejus heres ad reſtitutionem, in quantum illius hereditas ſufficere poteſt.

CXXIV. (k) *Contra illos, quibus reſtitutio commiſſa eſt facere.*

Facienda autem eſt reſtitutio Domino rei, vel heredibus ejus, ſi inveniri poſſint ab his, qui bona hujus habuerunt, ſeu damna intulerunt, vel heredibus eorum: ſed ſi diligenter inquiſiti, & congruo tempore expectati non inveniantur, ſed, qui & ubi ſint, ignoratur: tunc conſilio Sacerdotis res illa in pias cauſas, præſertim in pauperum ſuſtentationem, diſtribuatur pro illius anima, cujus fuit: fiatque diſtributio præcipue in pias cauſas, vel in pauperes ipſius loci, territorii, in quo res reperta, vel capta, ceu damnum datum fuit. Si vero ſcitur perſona, cui eſt emenda ſeu reſtitutio facienda, agit tamen in remotis partibus, nec ſperatur, quod debet redire: mittatur ei, ſi fieri poſſit commode & ſecure, vel pro eo reſervetur. Quod ſi non venerit, ſi mortuus fuerit, pro anima ejus cum conſilio Eccleſiæ pauperibus erogetur, & hoc, ſi res reſtituenda ſit modica. Si vero magni valoris, debet mitti illi ad expenſas detentoris; vel ſi res, vel ſumma modica eſt, & debitor inops ſit, ei relinquatur, ut pro anima illius oret.

CXXV. (l) *Contra illos, qui pecuniam inveniunt.*

Qui pecuniam vel aliam rem in via, vel alibi invenit, tenetur eam reddere ei, qui eam amiſit, vel perdidit, ſi eum poterit invenire: ſed ſi neſcitur, cujus fuerit, aut forte ſcitur, ſed inveniri non poteſt, publicetur hoc per Sacerdotes, vel præcones in Eccleſia, vel in loco, ubi inventa eſt: & Dominus exſpectatus non inventus (ll), cujus fuerit, erogetur cum conſilio Eccleſiæ pauperibus illius loci, pro illius anima, cujus fuit: vel ſi modica ſit res, vel ſumma inventa; & inventor egenus, juxta perſonæ & rei qualitatem ſibi concedi poterit, ut eam pro eleemoſyna retineat, & pro anima ejus oret, cujus fuit.

CXXVI. [m] *Contra raptores.*

Confeſſor vero debet ſcire & diſcernere, quidquid habet judicare: quoniam nemo bene judicat, qui [n] ignorat. Noſcere debet, quod quando plures in rapinis faciendis concurrunt ſimul, quilibet a ſe occupata tenetur reſtituere; dum tamen in occupationibus per alios factis culpabilis non exiſtat. Si enim culpabilis fuerit, quia forte aliis, ut raperent, conſuluit; tunc ejus dolo & conſilio damnum datum, ſic in ſolidum, in quantum facere poteſt, tenetur præcipue in foro conſcientiæ. Sed & ſi rapinam paſſus adverſus conſiliarios rapinæ & raptores accuſationes, ſeu actiones ſuas ex juſta, vel injuſta cauſa exercere non vult, ei tamen ſatisfaciendum eſt, niſi forte ipſe ſpoliatus raptori, qui primus & principaliter tenebatur, & [o] plures ſecum habuerit, liberaliter remiſerit: quo caſu eſt conſiliarius, qui nihil habuit, liberatus. Sed ſi conſiliarius a rapinam paſſo eſt abſolutus, non ideo alii, ad quos pervenerint, liberantur, niſi illos expreſſe intellexerit liberare.

CXXVII. (p) *Contra dantes conſilium raptoribus.*

Ceterum ſi non dederit quis conſilium de rapina facienda; ivit tantum cum raptore, non ut ad rapinam, cum diſſuaſit, juvaret, ſed ut raptorem, ne ab aliquo lædi poſſet, juvaret, vel defenderet: tunc, ſi nulla res ablata eſt, ad nullius rei reſtitutionem tenetur; ſed ſi raptor aliqua abſtulerit, bene tenetur: quia etſi non conſilium, opem tamen ad rapinam dedit: quod verum eſt, ſi raptor ſine eo res aſportare nequiviſſet, quod ſi potuiſſet, iſte non tenetur: ſi vero raptor nihil abſtulerit, ſed aliud damnum intulerit, tunc nullo modo tenetur, qui rapinam diſſuaſit, licet ad hoc ut (q) cum rapto-

(k) In Treverico continuatur cum Capite XCVII.
[l] Non eſt nova diviſio, ſed continuatio prioris.
[m] Continuatio cum priore.
[o] & quæ res habuerit, *Trevir. forte*: qui
(p) In Treverico, uno contextu cum antecedentibus.
(ll) *adde*: fuerit,
(n) quod ignorat.
(q) ut raptorem defenderet.

raptore iverit; si tamen raptor nullo modo ivisset, nisi ejus habuisset comitatum, bene tenetur; quia etiamsi verbo dissuasit, opem tamen dedit, & facto consuluit.

Generaliter autem restitutio facienda est qualitercumque in alterius, cujus interest, præjudicium acquisitum sit: puta quia damnum per injuriam datum est. Ubi vero nullius interest, tamen alias illicite acquisitum est, quod sine peccato retineri non potest, ut sicut aliqui dicunt in iis, quæ excommunicatus acquirit, & etiam ubi ipse, vel ejus heres sit, tunc idem de consilio Confessoris est totum pauperibus erogandum, vel eidem, si egeat, ut præmittitur, relinquendum. Facienda est enim restitutio ejus, quod quis per furtum, rapinam, oppressionem, dolum, vel calumniam acquisivit; ut per hoc omnes casus comprehendamus, in quibus sive per accusationes, sive judicis officio competit repetitio. (r) Tenetur quis etiam restituere, quod alteri debitum est, sive jure naturali & civili, sive naturali tantum; quale est illud, quod servo debetur. Si vero civili tantum debitum est, ut si heres credens hereditatem sufficere, solvit integre legatum, de quo poterat falcidiam detrahere, legatarius ei restituere tenetur, quamvis quidam contradicant, pro eo, quod falcidiam detrahere æquum est, super qua æquitate lex facta est: & idem videtur in eo, qui scripsit se pecuniam spe futuræ (s) munerationis debere; qui tamen nihil in veritate accepit, quia licet biennium, post quod *exceptio pecuniæ non numeratæ* non competit, lapsum sit; non tamen tenetur in foro conscientiæ reddere, seu dare aliquid illi creditori, cui jure civili teneretur per exceptionem admissam.

CXXVIII. (t) *Contra hypocritas.*

Item hypocrita, qui sub specie boni Christiani multa acquisivit recipiendo in se executiones testamentorum, vel alia, (u) ea restituere tenetur, quæ per fraudem quæsivit: sed forte non illi, qui dedit, quia mercedem suam jam consecutus est: sed faciat sibi amicos de Mammona iniquitatis, in pios usus talia convertendo. (x) Sane restituisse seu satisfecisse quis videtur, qualitercumque quis satisfecerit, etiamsi re non restituta ei, cui restitutio, seu emenda facienda est, [y] actionibus minime præcedentibus, ex quo sibi donavit, vel remisit: dum tamen sit persona talis, quæ donare vel remittere possit: quia satisfacere est ad voluntatem creditoris satisfacere.

CXXIX. (z) *De illis, qui ad restitutionem tenentur.*

Ceterum si is, qui ad restitutionem tenetur, evidenter omnino non solvendo factus est; tunc juxta præmissa sufficit contritio cum proposito reddendi, quando commode poterit: quia ejus, qui nihil habet, nihil periculo esse potest, & Deus cor interrogat, lex autem opera quærit. Si tamen Confessor dubitat, an ille sit adeo pauper, ut diximus, tunc consulat ei, ut bonis cedat; quod si fecerit, satis est: Tunc ejus nota est paupertas. Sed & quamvis bonis cedat, nihilominus debet ei injungere pœnitentiam salutarem. Quod facere debet etiam si plene solveret, seu satisfaceret. Talis namque duos offendit, scilicet Deum, qui præcepit: *Furtum non facias*, in quo omnis non justa & illicita alienæ rei occupatio, sive acquisitio prohibetur, qui etiam dixit; *Diliges proximum tuum sicut temetipsum*, & iterum: *Non concupisces rem proximi tui.* Unde pro transgressione Divini præcepti, injungat ei pœnitentiam salutarem, per quam Deo satisfaciat. Offendit etiam proximum, rem illius illicite occupando, seu contrectando, vel sibi quomodolibet injuriam irrogando: unde ad restitutionem seu satisfactionem, si facilitas adsit vel non adsit facultas, saltem ad cedendum bonis tenetur, & alter (a) istorum alterum non excludit, unde non sufficit restitutio, seu satisfactio, vel cessio, nisi pœnitentia, per quam satisfaciat, sequatur. Si vero omnino solvendo non est, sed vult in parte vel in toto, solvere poterit, non tamen commode, & sine periculo sustentationis suæ aut uxoris & familiæ: tunc Confessor debet illum ad veram contritionem & pœniten-

(r) Novus titulus, vel potius iteratus: *De restitutionibus.* (s) numerationis
(t) Continuatum sine titulo. (u) vel alias (x) *de eodem* interjectum.
(y) pactionibus (z) *de eodem* interjectum. (a) alterum istorum

nitentiam inducere, dicens illi, " Fili, " restitue, quod potes, ut sic pœnam " inferni evites, & cum Deo in Cœlis " æternaliter glorieris, " & ponat secundum Augustinum ante oculos ejus judicium Dei: terreat ejus conscientiam, & persuadeat pænitentiam. Et si nolit restituere, nec converti, vel conteri; non potest sibi pœnitentia, sed solum consilium juxta præmissa impendi debet. Si vero ad pœnitentiam & contritionem potest induci, tunc dicat illi, quod statim, vel infra certum tempus quicquid commode emendare poterit, emendet; & de reliquo ab eo, cui satisfieri debet, veniam postulet humiliter & devote: quam si obtinere potest, bene est: alioquin componat, seu ordinet cum ipso, ut cum ejus voluntate paulatim singulis annis, & mensibus emendet, quod poterit, donec fuerit plene satisfactum, moderatâ tamen vitæ sustentatione sibi & familiæ reservatâ.

CXXX. (*b*) *De restitutione Testamenti & de emendatione.*

Quod si forte plures sunt, cum quibus satisfacere, vel emendare debet; quorum aliqui dilationem concedere, aut totum remittere voluerint, alii vero non; tunc Confessor consulat illi, ut ad judicem fori contentiosi accedat: qui vocatis omnibus stabit judicio majoris partis. Hæc autem majoritas in hoc casu intelligitur, tam respectu debiti, quam etiam respectu (*c*) minorum personarum. Si vero omnia paria sunt; præferenda quidem erit humanior sententia, scilicet illorum, qui in concedenda dilatione consentiunt, ne quantum ad hoc interesset inter Hypothecarios & Chyrographarios scriptores, *al.* creditores. Si autem nullam potest misericordiam invenire, tunc tenetur statim solvere, vel bonis cedere, quia talis peccator semper est in mora, præsertim ubi is, cui restitutio seu emenda fieri debet, multum periculose eget. Jura tamen reis condemnatis etiam quadrimestre tempus ad solvendum concedunt. Ubi autem non est tanta, & tam periculosa creditoris egestas, nec ipse induci potest ad dilationem aliquam concedendam, nec etiam (*d*) debitorum ad statim emendandum, vel restituendum; sunt qui dicunt, quod tunc Sacerdos potest suam conscientiam informare ex eo quod intendit utiliter agere negotium creditoris. Si enim videt, quod creditor non potest in promto, vel in cito, aut ita commode suum recuperare; potest pœnitenti, recepto ab eo juramento, & idonea cautione, si quam præstare potest, moderatam dilationem ad (*e*) absolvendum concedere; & sub conditione, scilicet si hoc infra diem statutum adimpleverit, absolvere: ut sic creditor debitum sibi recuperet, & ille in desperationem non incidat: quamquam rigor juris positivi aliud suadeat in hoc casu.

CXXXI. (*f*) *Contra fures, qui faciunt eleemosynas.*

Nemini licet furari furi vel raptori, usurario, vel avaro, rem furtivam, vel raptam, ut ipse ex ea eleemosynam faciat, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Aufert enim illi facultatem restituendi rem, qui ad eam tenetur. Nec rapinam seu furtum justificat, eo quod largas raptor ex invasa re eleemosynas facit: imo species furti est, velle de alieno largiri, qui rem aliquam sibi ad certum tempus recepit commodatam, eam alteri (*g*) committendo, furtum committit: sed & creditor, qui re sibi obligata utitur, inscio debitore, furtum committit. Quo casu ad æstimationem usus, etiam re Domino restitutâ tenetur.

CXXXII. (*h*) *Si circa illicite acquisitorum restitutionem ambiguitas oritur, tunc erit Episcoporum consilium.*

Illud quoque notandum est, quod si circa illicite acquisitorum restitutionem ambiguitas oritur, aut si res vel summa, quæ restitutioni subjacet, magna est: tunc erit nostrum & Episcoporum consilium expectandum. Ad hoc statuimus, quod Sacerdos damna data, seu fore facta sibi a confitentibus, ut aliis restituant assignata, restituere non differat, nec sibi retinere præsumat.

CXXXIII.

(*b*) Nulla intercapedo in Treverico, sed continuatio.
(*c*) respectu numeri personarum. (*d*) debitor ad statim (*e*) ad solvendum
(*f*) Est divisio in Treverico, sed titulus idem: *De restitutionibus.*
(*g*) commodando (*h*) Titulus novus, cum in Treverico sit continuatio.

CXXXIII. [*i*] *Contra excommunicatos, qui tenent Beneficia, si salvari desiderant.*

Illud quoque præterendum non est, quod qui excommunicatus, vel ab homine suspensus, vel aliter absque titulo Canonico Ecclesiasticum recipit Beneficium; si salvari desiderat, omnia inde recepta Ecclesiæ restituat, & Beneficium dimittat, nisi cum eo per Sedem Apostolicam fuerit dispensatum.

CXXXIV. (*k*) *Contra illos, qui faciunt guerras.*

Item declaramus, & denuntiamus, quod quicumque Dominum temporalem, vel alium potentem inducit ad guerram injuste movendam, vel prædam capiendam; in solidum ad restitutionem tenetur. Ceterum si duo facientes principaliter guerram pacificantur ad invicem, & damna hinc inde data remittant: talis quidem remissio non extenditur ad homines, & subditos illorum, nisi de expresso eorum consensu sit facta remissio: imo est [*l*] emenda & restitutio facienda. Nam & ab illis non possent ipsi diu, guerra non existente, sine rapina extorquere tantumdem, vel nisi pax forsan aliter fieri non posset. Nam tunc utiliter partis utriusque negotium geritur.

CXXXV. (*m*) *Contra illos, qui judicant injuste.*

Assessores quoque, & Advocati incitantes & inducentes ex certa scientia, & contra conscientiam judicem ad injuste judicandum, in solidum ad restitutionem tenentur: quia si occasionem damni dat, damnum dedisse videtur: si vero Judex simplex est, & judicat secundum conscientiam, deceptus tamen consilio Assessoris bona fide electi, qui communiter justus, & peritus credebatur; excusatus est, & Assessor tenetur. Tenentur etiam & Judex & Assessor ad restitutionem, si se imperitos scientes de judicando vel assistendo intromittant: quia culpa est se immiscere rei non ad se pertinenti, & talem Assessorem scienter eligens in culpa est. Rursus Assessor percipiens certum salarium, & ultra illud aliquid extorquens, ad restitutionem tenetur. Alii vero inferiores officiati & nuntii, sive missi & similes, si certum percipiunt salarium, & ultra illud aliquid extorquent, ad restitutionem tenentur: si vero certum non percipiant salarium, & ultra debitum modum & loci morem aliquem per vim, per immoderatam improbitatem, (*n*) tunc quidem, licet ad restitutionem non teneantur, debent tamen inde tanquam de improbe acquisito eleemosynas facere. Prohibitus advocare, & Religiosus, Beneficiatus, & in sacris constitutus, si in certis casibus advocare præsumit, licet non cogatur salarium ei, a quo percipit, restituere, quia ejus non interest, ex quo ille in aliqua culpa amissionis causæ non fuit: tenetur tamen juxta Sacerdotis consilium, illud in pias causas elargiri. Si vero per cavillationes & malitias suas adversario advocato (*o*) justam causam abstulit, vel aggravavit contra conscientiam allegando, seu positionem duplicem, vel capriosam faciendo, vel falsum testem instruendo, vel clientulum suum ad vera neganda inducendo, vel litem ex industria protrahendo & similia; tunc in solidum illi ad verum interesse (*p*) tenentur. Quod si propter ejus negligentiam, vel ignorantiam clientulus suus causam amiserit, tenetur illi non solum salarium extortum; verum etiam damnum litis restituere. Nam imperitia culpæ (*q*) annullatur. Verum, quamquam liceat ei vendere justum patrocinium, & (*r*) jurisperito consilium: pauperi tamen gratis consulere debet, si absque labore magno & studio respondere potest, ut sicut gratis accepit, sic & gratis det.

CXXXVI. (*s*) *Contra testem corruptum.*

Testis corruptus ad restitutionem damni ei faciendam tenetur: (*t*) quia propter ejus falsum testimonium causam suam amisit. Si vero recipit præmium propter verum testimonium dicendum: tunc

(*i*) In Treverico Caput XCVIII.
(*k*) Cap. XCIX. *De guerra injusta.*
(*l*) & eis emenda
[*m*] Cap. C. *De Assessoribus & Advocatis.*
[*n*] extorquent
(*o*) Advocatus
(*p*) tenetur.
(*q*) annumeratur.
(*r*) jurisperitorum
(*s*) Caput CI. *De testibus corruptis.*
(*t*) qui, *pro:* quia.

tunc quod percepit, juxta Sacerdotis consilium in pios usus erogare tenetur.

CXXXVII. *Contra Judicem, qui recipit pecuniam.*

Idemque est de Judice receptâ pecuniâ justam sententiam proferente, testis tamen & judex delegatus sumtus moderatos, & assessor competens salarium licite recipere possunt.

CXXXVIII. (*u*) *Contra accusatores.*

Accusatores, & denunciatores criminum hoc calumniose agentes ad illati damni restitutionem tenentur. Sed qui ex odio, non ex caritate denuntiant, pœnitentiam inde agere debent. Tales etiam non solum ad restitutionem damni, seu pecuniæ (*x*) tenentur: ut si forte, vel per se, vel per alios cantilenas dixerint, vel libellum famosum scripserint, seu legerint, vel famam & honorem illius detraxerint in locis illis, in quibus sciunt illum ex præmissis fore infamatum, profiteantur publice, se mentitos fuisse. Ubi autem a diversis, & super diversis infamatus est: tunc arbitrio infamati, vel saltem judicis se se super purgent, veniam insuper ab eo super hoc postulantes. Deteriores si quidem sunt, qui aliorum vitam, mores, famamque corrumpunt; quam hi, qui aliorum substantias, prædiaque diripiunt.

CXXXIX. (*y*) *Item de Judice.*

Constitutiones contra salutem animæ editæ servandæ non sunt: imo conditores earum, & statutorum iniquorum, quæ sunt contra jus naturale, quod in Evangelio continetur, & in Ecclesiarum præjudicium, & contra Ecclesiasticam libertatem, & eorum Consiliarii & Scriptores, & secundum ea judicantes, & ea observantes & extorquentes, ad restitutionem damni ex hoc secuti in solidum obligantur. Idemque est, si fiat contra jus positivum ad pauperes opprimendos & justitiam impediendam, & (*z*) super leges ipsæ & statuta ipso jure non (*a*) tenentur.

CXL. (*b*) *Item de usuris.*

Usurarii (*c*) inhonesta & prohibita lucra exercentes, ad eorum restitutionem tenentur. Quidquid autem sorti accidit, usura est: unde scriptum est: (*d*) *Mutuum date nihil inde sperantes.* Sed nec ab infideli usuras recipere licet. Si quis tamen receperit, satisfaciat inde auctoritate Ecclesiæ illis Christianis, a quibus forsan ille infidelis usuras extorserat, vel quibus est alteri obligatus, vel in æde sacra ad id faciendum deponat, & taliter liberatur. Quodsi usurarius multa de fœnore lucratus est, de rigore juris etiam talia lucra restituere tenetur, sicut fur, vel raptor, inter quos numeratur, quia tamen, qui (*e*) *nimis emungit, sanguinem elicit*; videtur nobis, prout & sapientibus visum est, in hoc casu sufficere debitori, si sortem, & sumtus, & moderatum interesse dumtaxat, & non talia reciperet lucra, qualia hoc suum repetere (*f*) usuris. Cautum inde est, quod post talem restitutionem, remissionem de talibus lucris ab illo postulet debitore.

CXLI. (*g*)

Ceterum uxor & filii, & familiares usurarii, furis & raptoris de talibus lucris concedentes, & inducentes, & unde vivant, aliunde non habentes, excusati videntur, si inde peccato non consentiunt; sed potius illum ad restituendum & corrigendum inducunt: quod verum est, si sit (*h*) species verisimilis de illius correctione, & utantur tali moderamine, ut super hoc non subtrahatur illi in totum, vel in magna parte restituendi facultas. Si enim nulla sit (*h*) species de ejus correctione, tunc illi, si sunt in illis eis aliqua bona separata, de eis vivant. Quia potius debent omnia mala pati, quam tali & tanto malo consentire. Si autem vir crudelis non permittit uxorem de alio comedere, nihilominus tamen vivat

(*u*) Cap. CII. *De accusantibus & denuntiantibus crimina.* (*x*) verum etiam famæ
(*y*) Caput CIII. *De pravis constitutionibus contra Jura & Evangelia.*
(*z*) insuper leges ipse (*a*) tenent. (*b*) Cap. CIV. *De lucris inhonestis.*
(*c*) & alii (*d*) Lucæ VI, 35. (*e*) Proverb. XXX, 31.
(*f*) cum usuris tantum. (*g*) Continuatur sine numero novo aut titulo in Trever.
(*h*) spes verisimilis

vivat de dote sua, seu sponsalitio, si quod habet, hoc denunciet amicis, vel Episcopo, ut illum compescat: quod si nulla monitione compesci poterit, comedat cum cordis dolore, potius quam fame moriatur. Nam talis necessitas pœnam furti excusat, quam citius & commode poterit, restituat, & ad cautelam pœnitentiam agat.

CXLII. [i] *De quæstis collectis.*

Circa quæstas collectas, tallias, sciendum est, quod si Dominus in [k] concessionem rei suæ [l] retinuit, quod possit talliare homines, & [m] collectiones, potest licite facere, omnino (n) colonus de hoc aliquis ex certa scientia retinens, vel subtrahens, vel celans, ad restitutionem tenetur: dum tamen antiqua & solita fiat tallia, & talis, quæ etiam scitur, & (o) probatur, traditurque ab initio, quod ex justa causa fuerit imposita: verum, si non fuit dictum quota tallia fiat, sed in concessione rei fuit (p) interminatæ dictum, quod Dominus in tali homine, vel casamento possit talliam facere; intelligendum est de modica tallia, considerata hominis facultate, & casamenti qualitate; si vero Dominus immoderate extorsit, debet (q) restitutio per Sacerdotem induci. Si (r) colonus exactus tacite & expresse Domini (s) dolo, & fraude aliquid Domino offert, Dominus gratis recipiens restituere non tenetur; secus tamen est, si violenter, aut minis, vel terroribus extorsit. Quod si forte ipse, & ejus prædecessores (t) exegerint ab hominibus suis, quæ si venderet quidquid habet, restituere non posset; tunc consulat ei Sacerdos, ut remittat hominibus in compensationem aliquam servitutem, vel aliquos casus, ad quos ei forte tenentur: vel concedat eis aliquam libertatem, vel construat hospitale, vel aliquid aliud pium agat, cum consensu (u) passorum, vel successorum illorum, certum facientes eleemosynam de alieno, seu illicite acquisito.

CXLIII. (x)

Volumus omnes scire, quod si habens (y) omnia aliena bona ad restitutionem tenetur, puta, quod habuerit ex injusto bello, vel ex furto, vel rapina, vel simonia, vel usura, vel ex naufragio, vel ex injusto pedagio, vel ex injustis talliis, vel vi, vel metu extorsit, in ludo causa cupiditatis acquisivit, vel Judex, vel Assessor, seu Officialis indebita aliqua acquisivit, in his quidem, & similibus casibus, si sunt notorii, quibus quis ad restitutionem (z) non tenetur: (a) puta, quia histrionatu vel similibus acquisivit, ex talibus quidem acquisitis vel eleemosyna vel personalis decima dari & recipi possunt. Nam licet tales turpiter agant, non tamen turpiter recipiunt. Sed & ubi aliquis ad restitutionem non tenetur; si tamen ex notorio peccato provenit, Ecclesia recipere non debet, ne peccatum comprobare videatur. Secus, si occultum sit, licet Prælatus hoc sciat.

CXLIV. (b)

Regulariter autem quicumque ex illicita negotiatione, vel aliter sine calumnia aliquid acquirit, quod (c) cum juxta præmissa restituere non tenetur, prudenter agit, si illud in pios usus eroget, de sui Confessoris consilio. Non damnamus tamen eum, si suis heredibus talia relinquit. De eo vero, quod restitutioni subjacet, eleemosyna fieri non debet. Nam species furti est, velle, ut prædiximus, de alieno largiri. Non debet, quis male (d) inquirere, ut bene dispen-

(i) Caput CV. *De quæstis & talliis.* (k) in concessione
(l) instituit, *pro:* retinuit, (m) & colonos (n) imo colonus
(o) & probabiliter creditur, quod ab initio ex justa causa fuerit imposita:
(p) indeterminate (q) ad restitutionem
(r) Sed si colonus non exactus (s) absque omni dolo & fraude
(t) tot exegerint [u] damna passorum,
[x] Caput CVI. *De facientibus eleemosynam de alieno.*
[y] omnia, *abest.* [z] non, *abest.*
(a) Eleemosyna vel decima a tali dari vel recipi non debet. Si vero ad restitutionem non tenetur, puta, quia in histrionatu
(b) Nullus novus numerus, sed continuatio. (c) cum, *abest.*
(d) acquirere

dispenset. Nam abominabiles sunt hostiæ, quæ ex scelere offeruntur. Religiosi autem & Clerici administrationem habentes possunt eleemosynam & oblationem facere: quinimo quidquid eis superest, tenentur pauperibus erogare: quoniam (e) aliquid habent Clerici, pauperum est. Nisi forte suis Superioribus vel Ecclesiis illud ex debito restituere teneantur, parique ratione hoc licite facere possunt in studio, vel peregrinatione de suorum Abbatum, & Prælatorum licentia exeuntes. Religiosus, (f) seu Claustralis cujuscumque religionis proprio carens, nullam administrationem, vel officium habens, quia nec proprium, nec etiam voluntatem habendi habere debet, eleemosynam & oblationem facere non potest, nisi forte cum Abbatis voluntate de omnibus rebus hoc faciat, vel nisi forte hominem ad mortem esurientem videat: tunc ei de licentia summi Abbatis (g) Dei omnia sunt communia, id est communicanda, juxta illud: *Pasce fame morientem, Si non paveris, occidisti.*

CXLV. (h) *De uxore, quæ potest facere eleemosynam de propriis bonis.*

Uxor quoque de rebus (i) paternalibus, id est, suis propriis, potest etiam viro invito eleemosynas & oblationes facere, sed & de bonis viri, de illius licentia & permissione, hoc indistincte facere potest & debet: quin imo de pane, vino, & similibus, qui de laudabili & approbato more, quasi ubique ad uxoris dispensationem pertinere solent, etiam sine illius expressa licentia, moderate tamen, hoc facere potest; informans sibi conscientiam, quia vir ejus ratum habere debeat, etiam si aliquando hoc leviter sibi, ad terrorem forte, ne immoderate det, effectum prohibuerit. Informans etiam sibi conscientiam ex pauperis qualitate, credens, quod si vir illum videret, id ipsum faceret: sin autem creditur omnino viro displicere, nec aliquo modo valet suam conscientiam informare, nullatenus cum (k) alius scandalo det.

CXLVI. *De dotalibus.*

Quod vero de rebus viri diximus, idem est de dotalibus, quorum maritus Dominus est, intelligi debet: (l) Filius familias de castrensi, & de quasi castrensi peculio. Nam (m) quoniam ad illa, Pater familias censetur, eleemosynam & oblationem facere potest: de adventitio & profectitio sine Patris licentia vel permissione id agere. (n)

CXLVII. (o) *Omnes Fideles flexis genibus debent adorare Corpus Christi.*

Quando Corpus Domini fertur vel refertur ad infirmos, omnes fideles illud devote & reverenter, flexis genibus eundo & redeundo adorent. Nos autem omnibus pœnitentibus, & humiliter confessis ipsum Corpus Christi (p) assequentibus, XL. dies de injunctis sibi pœnitentibus misericorditer relaxamus.

CXLVIII. (q) *Ne Moniales pro delictis priventur præbendis.*

Item sub pœna excommunicationis firmiter inhibemus, ne Monachi, seu Moniales pro delictis ab eis commissis præbendis suis priventur: sed in suis Monasteriis recipiantur, in quibus puniantur & corrigantur, considerata (*) qualibet delicti, secundum regulares observantias & alias, prout secundum Deum & justitiam Superioribus & Prælatis eorumdem Monasterii videbitur expedire.

CXLIX. (r) *Nullus excommunicari debet, nisi pro peccato mortali.*

Item cum nullus excommunicari debeat, nisi pro peccato mortali, & contumacia, de qua dubitandum non est, quin peccatum mortale existat.

CL.

(e) quidquid habent (f) tamen, *pro:* seu (g) scilicet Dei,
(h) Trevir. continuat: hic novus titulus. (i) *forte:* paraphernalibus
(k) illius scandalo (l) Divisio est in Treverico, sed non novus numerus.
(m) quantum ad illa, *pro:* quoniam.
(n) nequit, nisi in casibus illis, in quibus de jure donare potest.
(o) Caput idem, sed numero CVII. [p] associantibus
[q] Caput CVIII. (*) qualitate [r] Caput CIX.

CL. (s) *Ut Presbyteri moneant omnes Parochianos.*

Præcipimus ſub pœna excommunicationis, quod omnes Presbyteri moneant in ſuis Eccleſiis, & inducant Parochianos ſuos, ut cum ſuper excommunicationibus in eos latis fuerint per Eccleſiam militantem abſoluti; nihilominus confiteantur & conterantur de peccato contumaciæ vel inobedientiæ, pro quo excommunicati fuerunt. Hoc enim expedit eis ad ſalutem.

CLI. (t) *Contra Religioſos.*

Item ſub pœna excommunicationis omnibus Religioſis mendicantibus utriusque ſexus, cujuſcumque religionis exiſtant, noſtræ Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ, firmiter inhibemus, ne extra ſua Monaſteria & Clauſtra novas manſiones ſibi appropriare, ſeu nova beneficia (*) ad ſuos uſus conſtituere præſumant, ſine noſtra & Epiſcoporum locorum licentia ſpeciali; niſi hoc eis a Sede Apoſtolica ſpecialiter ſit indultum: ſuper quo Nobis & locorum Ordinariis fidem facere teneantur.

CLII. (u) *De Decimis Eccleſiarum.*

Item cum decimæ de jure communi ad Parochiales Eccleſias pertineant, omne dubitationis ſcrupulum amoventes, declaramus, quod omnium novalium decimæ ad eaſdem Eccleſias pertinent pleno jure. Nullus itaque hujusmodi novalium decimas contra voluntatem Presbyterorum Parochialium ſibi appropriare præſumat, ſeu recipere, niſi ſuper hoc Sedis Apoſtolicæ Privilegio ſit munitus. Novale vero volumus omnes ſcire (x) agrum ſeu quodcumque prædium de novo ad culturam redactum: de quo non exſtat memoria, quod aliquando cultus fuit. Privilegiaque ſuper hujusmodi novalibus Religioſis conceſſa, non de quolibet tali novali intelligenda fore credimus, ſed de illo duntaxat, cujus decimam religioſus (y) poteſt convenienter absque gravi detrimento Parochialis Eccleſiæ retinere: tum talis ſit ſæpe locus incultus, de quo Parochialis Eccleſiæ percepit magnos decimarum ratione proventus.

CLIII. (z) *Contra Tabelliones.*

Item (*) ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ omnibus auctoritate Imperiali Notariis & Tabellionibus præcipimus, ut quandocumque in cauſis Spiritualibus & Eccleſiaſticis conficere contigerit inſtrumenta, ſuper eisdem inſtrumentis faciendis prius recipiant prothocolla, quæ penes ſe dimittant in cartis: ut ex hoc per eos in eſſentialibus nihil mutetur. Et quia *qui male agit, odit lucem*, ſtatuimus, ut iidem tabelliones non occulte in privatis domibus, ſed publice & in loco publico hujusmodi prothocolla & (a) creanta ſuper conficiendis ab eis inſtrumentis recipiant, adhibitis ad minus duobus teſtibus fide dignis, niſi contractus talis ſit, qui de conſenſu partium contrahentium uſque ad certum tempus; vel ad voluntatem eorumdem contrahentium teneri debeat in ſecreto.

CLIV. *Contra Sacerdotes qui nolunt recommendare ſtatuta.*

Item in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus Suffraganeis noſtris & eorum vices gerentibus præcipimus, ut hæc ſtatuta ſalubria recipiant infra menſem, & ea in ſuis *Synodis Epiſcopalibus*, vel alias quamprimum potuerint, congregatis omnibus Eccleſiarum ſibi ſubditarum Prælatis, Rectoribus, Vicariis, & perſonis Eccleſiaſticis utriusque ſexus, & publice legere & nuntiare procurent, ac deinceps annis ſingulis in perpetuum ſuis ſubditis *& in ſuis Synodis* eadem ſtatuta provincialia recommendari faciant; ea præcipientes ab omnibus obſervari, & inſuper omnium Eccleſiarum Cathedralium, Collegiatarum, & Monaſteriorum, tam Monachorum, quam Monialium Abbates, Abbatiſſæ, Priores, nec non Archi-Presbyteratuum, Decanatuum, Archi-Presbyteri vel Decani quamprimum commode

[s] Eſt continuatum cum præcedenti ſine novo numero.
[t] Caput CX. *De ædificiis religioſorum mendicantium.*
(u) Cap. CXI. *De Decimis Novalium.*
(z) Caput CVII. *De receptione Statutorum.*
(a) ſic habent tria MSS.
(*) *forte:* ædificia
(x) eſſe agrum.
(y) poſt conventus
(*) Hoc Caput abeſt a Treverico.

mode potuerint, sub pœna excommunicationis, copiam de hujusmodi statutis cum moderatis expensis recipiant, & de eis Vicariis Ecclesiarum & aliis personis Ecclesiasticis præfati Archi-Presbyteri & Decani in suis Archi-Presbyteratibus, & Decanatibus fiat copia: in tantum quod modis omnibus sub pœna prædicta omnes personæ Ecclesiasticæ eadem statuta penes se habeant infra instantem Nativitatem Domini.

CLV. (*b*) *Ut Presbyteri bis in anno statuta legant.*

Et quia dilatio temporis oblivionem inducit, præcipimus sub eadem pœna ut illi in suis Decanatibus congregati, omnibus Presbyteris sibi subditis, annis singulis, certa die, vel diebus eadem statuta relegant, ut super eis plenius instruantur. Presbyteri autem saltem bis in anno statuta eadem legant & videant, & in quantum Parochianos suos tangunt, & super eis instrui possunt, ipsa statuta in suis Ecclesiis semel in anno una die; si fieri potest, vel pluribus in vulgari publicent, exponant, prout melius poterunt secundum (*c*) sententiam a Deo sibi datam, ut nemini in nostra Civitate, Diœcesi, & Provincia lateant ea, quæ in *nostro provinciali Concilio* sunt causa salubritatis instituta.

CLVI. (*d*) *Ad dandam absolutionem.*

Postremo Venerabilibus Fratribus nostris, Episcopis Suffraganeis nostræ Provinciæ committimus cuilibet in sua Civitate & Diœcesi plenariam potestatem absolvendi suos subditos ab omnibus prædictis sententiis per nos latis, si quas incurrerint: ita tamen quod prius satisfecerint commissis, eisdem statutis semper in (*e*) solo robore duraturis. Item omnibus Presbyteris Nobis subditis Civitatis, Diœcesis, & Provinciæ nostræ Trevirensis vere pœnitentibus & confessis, qui quolibet mense, vel sæpius unam Missam celebraverint *de sancto Spiritu*, & aliis personis Ecclesiasticis, & sæcularibus preces Deo devotas & orationes, & præcipue orationem Dominicam cum salutatione beatæ Virginis, erga Deum pia devotione effuderint, pro statu pacifico Imperii, & Regni, & personarum piissimi Principis charissimi Domini & Fratris nostri HENRICI, (*f*) Dei Gratia Romanorum Regis semper Augusti, & Serenissimæ Dominæ Augustæ, *Margaretæ*, (*g*) felicissimæ Conjugis suæ, quæ sibi a Deo data est, & ut Deus ipsos & Nos ab omnibus adversis protegat, & deffendat, progressusque eorum, & nostros ad laudem Dei de virtute in virtutem dirigat, & prosperari faciat: quoties dictam Missam celebraverint, & predictas preces celebraverint, XL. dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Et hoc Presbyteri in suis Ecclesiis, quamprimum commode potuerint, non differant omnibus intimare. Insuper (*b*) scire volumus universos, quod nos *Balduinus* prædictus Trevirensis Archi-Episcopus Nobis super præmissis omnibus & singulis reservamus potestatem addendi, minuendi, corrigendi, interpretandi, & declarandi, quoties visum fuerit expedire.

Martene Tomo IV. Thesauri ancedotorum eam Synodum divisam in Capita CLVI. describit ex tribus MSS. codicibus: 1. Ecclesiæ Metensis. 2. Collegii Soc. JESU Metensis. 3. Conventus Cælestinorum Metensis.

Lunig Continuatio II. Spicilegii Ecclesiastici ex eodem Martene a pag. 92. ad pag. 120. sed non laudato Auctore.

Illmus Hontbemius Historiæ pragmaticæ Trevericæ Tomo II. eum edidit *ex codice Treveris impresso Statutorum Treverensium anno* 1549. cujus variantes tum titulorum divisiones, tum variarum vocum diversas Lectiones hic annotavimus.

(*b*) Continuatur sine titulo.

(*c*) scientiam a Deo sibi datam,

(*d*) Caput CXIII. & ultimum hujus Provincialis Concilii.

[*e*] suo, *pro:* solo

(*f*) Henricus VII. Rex Germaniæ electus anno 1308. 27. Novembris, Comes Luxemburgensis, & Frater Balduini Archiep. Treverici.

(*g*) Margarethæ Brabantinæ Comitissæ, Conjugis Augustæ, Fratriæ Balduini.

(*b*) Hic incipit Caput CXIV. Trevericæ impressionis: cum Marteniana editio distinxerit hoc Concilium in Capita CLVI. Ex Treverica impressione variantes sumptæ.

CONCILIUM SALTZBURGENSE
PROVINCIALE XXVIII.
Anno Christi MCCCX. Clementis V. Papæ VI. Henrici VII. Regis II.
SUB CONRADO IV. ARCHI-EPISCOPO.

SUMMA. Determinatio Decimæ biennii solvendæ summo Pontifici quoad quantitatem, terminos solutionis, a quibus, & ex quibus.

Concordaverunt (*a*) omnes in hoc, quod summa decimæ duorum annorum, si qua fuerit, vel esse potuerit persolvenda, solvi debeat summo Pontifici CLEMENTI PP. V., in terminis infra scriptis: ita duntaxat, quod primus terminus solutionis faciendæ *de primo anno*, qui incipiet in isto proximo festo S. Georgii, sit in proximo futuro festo B. Martini. Et *secundus terminus* solutionis faciendæ *ejusdem anni* sit in proximo subsequenti festo S. Georgii. Et primus terminus *secundi anni*, sit in alio subsequenti festo S. Martini, secundus vero terminus & ultimus sit posthoc in subsequenti festo S. Georgii. Et quod decimam dabit de omnibus possessionibus, bonis, & redditibus & Beneficiis Ecclesiasticis. Hæc de eis, qui Beneficiorum intuitu possident, expensis necessariis deductis. Necessarias vero expensas esse dixerunt quas stando, colendo, colligendo, conservando impendunt, sine quibus res subsistere non potest, & quod Ecclesiæ, quarum reditus pro majori vel pro media parte in obligationibus, legatis & testatis consistunt, de iisdem oblationibus legaciæ seu test. decimam solvere teneantur. Item Capitula, Collegia seu Conventus in communi de suis redditibus decimabunt. Item si quis ex uno Beneficio 6. marcarum argenti ponderis (*b*) prię redditus duntaxat, eos non decimabunt. Ultra vero si habuerit, decimas inde solvet. Aut si plura beneficia habuit, quæ conjuncta prædictarum marcarum excedant numerum, de ambabus insimul decimabunt. Hospitalis vero & domus leprosorum, cum annexis sibi Ecclesiis super quibus fundata sunt, decimas non præstabunt: de infirmariis, Vestiariis, Sacristiis & Hospitalibus Religiosorum non decimabitur, nisi si ultra provisiones necessarias de illis officiis exhibendas esset excessus reddituum illorum officiorum, tunc de illo residuo fiet decimatio communi decimæ apponenda. Pastores vero & Vicarii insimul, vel quilibet pro parte sua decimabunt, ita tamen, quod plene de omnibus redditibus Ecclesiæ decima persolvatur. Ordinarii personas providas deputabunt, qui eandem decimam colligent & servabunt, & si Nuntius Domini Apostolici eisdem unum aut plures voluerit adjungere, suæ relinquatur optioni. Præterea sub juramento solventium decima persolvatur. Item Ordinarii subjectos ad solutionem decimæ per Censuram Ecclesiasticam poterunt coarctare; Item Decima fiat de Bonis Ecclesiarum hac taxatione præmissa, ut tempus æstimationis solvendæ decimæ bladi & vini sit inter festum S. Michaelis, & S. Martini. De caseis autem solvatur decima, sicut Prælati consueverunt, denaria suis rusticis loco caseorum recipere in festo S. Georgii secundum jus & terræ consuetudinem.

Codex Bibliothecæ Cæsareæ ab Hansizio adductus.
Hansiz. Tom. II. German. sacræ fol. 442.
Canisius Tom. I. antiq. Lection. pag. 623.

DECLA-

(*a*) Bernhardus Pataviensis, qui obiit anno 1313. die S. Pantaleonis, centenarius ipse, & cæteri Suffraganei pag. 167. enumerati.

In Concilio lectæ sunt Literæ Papales, continentes gratias factas volentibus transfretare, vel eleemosynas suas largientibus in subsidium terræ sanctæ, & processus habiti contra Templarios; & Papa petivit decimam omnium Proventuum Ecclesiasticorum per biennium sibi dari, quam petitionem Concilium admisit. *Hansiz. loco citato.*

(*b*) præsentiæ

DECLARATIO STATUTORUM PRÆCETIUM, EODEM ANNO, IN EODEM CONCILIO EDITA.

§. *I. Statuti de Clericis tabernariis.*
§. *II. Statuti de rationibus faciendis a Prælatis Ecclesiarum.*
§. *III. Statuti de Clericis joculatoribus.*
§. *IV. Statuti de annali Capitulo Benedictinorum & Præpositorum Canoniis.*
§. *V. Statuti contra laicos facientes exactiones, talias, collectas a Clero.*

NOS CONRADUS Dei Gratia S. Saltzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus A. S. Legatus. Wernhardus Pataviensis, Joannes Brixinensis, Heinricus Gurc. Albertus Chyem. Fridericus Secovi. Wernhardus Lavent. Ecclesiarum Episcopi in hoc sacrosancto Provinciali Concilio Salzburg. congregato, de consilio & consensu Procuratorum Venerabilium Frising. & Ratisp. Episcoporum, plenum ad hoc mandatum habentium, ac assensu Prælatorum Saltzb. Provinciæ in hoc Concilio aggregatorum nec non Procuratorum assensu, hujus sacri approbatione Concilii, quædam statuta pœnalia Priorum *Provincialium Conciliorum* ex certis & legitimis caussis, ut animarum periculum caveatur, taliter duximus moderanda; *Primo* statutum de Clericis tabernariis, quod incipit; CLERICUS NON VIATOR, cum hoc moderamine declaramus quod causæ rationabiles & honestæ intelligi debeant istæ. Quod si Clericus non viator in sacris constitutus, aut religiosus tabernam intraverit ad honorandum quempiam amicum, Dominum & quamcunque honorabilem personam, vel si inpræmeditate intret, oblitus constitutionis, seu ex quacunque necessaria vel utili causa, non voluptuosa, ibique biberit vel comederit, pœna statuti præhabiti non ligetur. Hæc tamen moderatio ad Lusores non extendatur.

§. II. Item statutum de rationibus faciendis, quod incipit: *Item ne*, taliter mitigamus, quod revocata pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, Prælatus, qui collegio, aut tribus per collegium deputatis saltem semel in anno non fecerit rationem, & a claustri Officialibus præsentibus aut Vicinis claust. bis, & a remote distantibus semel in anno non audierit rationes, ab administratione temporalium sit suspensus, quam suspensionem si per tres menses post annum rationibus deputatum sustinuerit, animo indurato, ex tunc arbitrio Ordinarii puniatur.

§. III. Item juxta constitutionem Domini Bonifacii, quæ est talis: *Clerici*, qui clericali ordini non modicum detrahentes, se *Joculatores* seu *Galiardos* faciunt, aut Buffones, si per annum artem illam ignominiosam exercuerint ipso jure, si autem tempore breviori, & tertio admoniti non resipuerint, careant omni privilegio clericali. Monemus hujus approbatione Concilii omnes & singulos tales, ut talem habitum & vitam non assumant, & assumptam deponant, infra tres menses, quorum unum pro primo, alterum pro secundo, & tertium pro tertio termino peremptorio assignamus, si pœnam prædictam, quam ipso facto incidunt, voluerint evitare.

§. IV. Item monemus Abbates Ord. S. Benedicti & Præpositos & Prælatos S. Augustini totius nostræ Provinciæ, ut Provincialia Capitula sua usque ad festum Purificationis proxime futurum celebrent, juxta formam a sacris Canonibus eis datam, & deinde de triennio in triennium juxta formam sacrorum Canonum jam prædictam.

§. V. CLEMENS &c. Pastoralis cura solicitudinis Nobis divinitus super cunctas Christiani populi nationes injuncta, Nos vigilare remediis subjectorum, eorundem periculis obviare, ac scandala removere compellit, sane q. ex constitutione fe. re. hôi. Pap. (c) 8. nostri,

(c) *forte*: Bonifacii octavi *corrigit Canisius Tom. I. antiquar. Lection.*

ſtri; quæ incipit: *Clericos Laicos.* Et ex declaratione ſeu declarationibus ex illa poſtmodum ſubſecutis nonnulla ſcandala pericula magna, & incommoda gravia ſunt ſecuta & ampliora ſequi, niſi cleri (*d*) remedio ſuccurratur, præſumitur veriſimilis (*e*) in futurum, Nos de conſilio Fratrum noſtrorum conſtitutionem & declarationem ſeu declarationes prædictas & quicquid ex eis ſecutum eſt, vel ob eas penitus revocamus, & eas habere volumus pro infectis, volentes & firmiter ſtatuentes illud contra quoſcunque laicos, exigentes ſeu extorquentes ab Eccleſiis; Eccleſiaſticisque perſonis talias ſeu collectas, aut exactiones quaſcunque & contra dantes ad id faciendum auxilium, conſilium, vel favorem nec non circa præſtandas ſubventiones laicis ab Eccleſiarum Prælatis & aliis Viris Eccleſiaſticis inviolabiliter obſervari, quod ſuper his a Prædeceſſoribus noſtris in *Lateran.* & generali Concilio, quæ Nos ſub obteſtatione Divini Judicii præcipimus obſervari diſtricte, ſalubriter eſt proviſum. Data Lugduni Cal. Febr. Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Henrici Caniſii Tomo I. antiquæ Lectionis anno 1601. *impreſſæ, ex quo Binius & Synodographi.*

(*d*) *forte*: celeri remedio (*e*) *lego*: veroſimiliter.

CONCILIUM ULTRAJECTINUM

Anno Chriſti MCCCX. Clementis V. Papæ VI. Henrici VII. Regis II.

SUB GUIDONE DE HANNONIA, EPISCOPO TRAJECTENSI XLII.

STATUTA XL.

Hæc ſunt Statuta Reverendi in Chriſto Patris, Domini GUIDONIS, Dei gratia, Epiſcopi Trajectenſis.

I. Imprimis præcipimus & mandamus, quod tantum tres perſonæ ad ſuſcipiendum puerum de ſacro fonte Baptismatis per Sacerdotem admittantur, ſic videlicet, quod, ſi ſuſcipiendus puer ſit maſculus, una mulier & duo viri interſint. Si vero fœmina, unus vir & duæ mulieres; & pater ſuſcipiendi pueri nullatenus admittatur.

II. Item præcipimus & mandamus, quod Sacerdos in ſuis Eccleſiis publice, & pluries ſuis Parochianis inſinuet, quod in Confirmatione, quæ poſt Baptiſmum in frontibus puerorum per Epiſcopos habet fieri, ſicut in Baptiſmo paternitas contrahatur, quæ non ſolum matrimonium impedit contrahendum, ſed etiam dirimit jam contractum.

III. Item ſtatuendo præcipimus, quod Sacerdotes confeſſiones audientes reſervent Nobis *majora peccata*, utpote homicidia, ſacrilegia, incendia, peccata contra naturam, ſive Sodomitica, ſive concubitus perſonarum Conventualium, in ſacris Ordinibus conſtitutarum; inceſtus, videlicet cum conſanguinea, vel affine, vel cum ea, quæ votum caſtitatis emiſit. Injectores manuum in parentes: oppreſſiones parvulorum, negligentiam parentum, in igne vel aqua natos amittentium: veneficia, perjuria ſolemnia, fidei fractores ac votorum fractores, ſimonias, adulteria manifeſta, hæreſes, apoſtaſias, maleficia eorum, qui maleficiunt conjuges, ne poſſint coire, vel qui procurant ſterilitatem mulierum, vel aborſum, vel falſarios, qui litteras, aut ſigillum, aut monetam falſificant. In his autem caſibus Presbyteri, confitentes ad Nos mittant perſonas abſolvendas, nec etiam eas abſolvant, niſi de noſtra licentia ſpecialiter, vel in mortis articulo conſtitutas. Licentiam autem conceſſam a Nobis, ſeu auctoritate noſtra, quibuscumque perſonis, ſive Religioſis, ſive aliis a peccatis hujusmodi abſolvendi, his præſentibus penitus revocamus. Intendimus etiam de novo ſuper his ſalubriter diſponere, & ſuper hoc aliquibus perſonis idoneis, pro ut videbitur expedire, committere vices noſtras.

IV.

IV. Item præcipimus statuendo, quod Sacerdotes, & Ecclesiarum Rectores diligenter attendant, si qui Parochianorum suorum non veniant saltem semel in anno ad Confessionem, & ipsos Nobis, seu Officiario significent puniendos.

V. Item statuendo præcipimus omnibus Sacerdotibus, quod in principio Missæ ab eis celebrandæ moneant omnes excommunicatos, ut Ecclesia exeant, nec Missæ intersint. Moneant etiam omnes Christi fideles in Ecclesia existentes, ut si aliquem in Ecclesia sciverint excommunicatum, illum denuncient Sacerdoti, & cum ei innotuerit, non celebret, nisi excommunicatus exierit.

VI. Item præcipimus & prohibemus, ne Clerici sine nostra licentia armati incedant, vel arma, nisi itinerantes extra civitatem, vel villas deferant. Item prohibemus, ne Sacerdotes vel Clerici calceos, vel sotulares portent laqueatos. Item præcipimus sub pœna excommunicationis Clericis quibuscumque nostræ Civitatis & Diœcesis, ut tonsuram assidue deferant Clericalem, & vestibus non virgulatis, non ptitis, sed Clericalibus utantur honestis, ut a laicis discerni possint habitu & tonsura.

VII. Item excommunicamus, & excommunicatos in his scriptis publice denunciamus, tam auctoritate nostra, quam etiam virtute Constitutionis felicis recordationis Domini *PETRI*, *Sancti Georgii ad velum aureum quondam Diaconi Cardinalis*, omnes Sacerdotes & Clericos nostræ Civitatis & Diœcesis, (*a*) focarias habentes, donec eas a se, alias non admissuri amoverint, & absolutionis beneficium meruerint obtinere.

VIII. Item inhibemus expresse in his scriptis, quod Clerici peregrini & incogniti, tam nostræ Civitatis & Diœcesis, quam alienæ, se Presbyteros asserentes, nullatenus in nostra Civitate & Diœcesi admittantur ad celebrandum Divina, nisi ostenderint legitime se promotos.

IX. Item præcipimus districte in virtute sanctæ obedientiæ Rectoribus & Presbyteris Ecclesiarum universis, ut eorum Parochianis *Pater noster*, & *Credo* præter *articulos Fidei* qualibet die Dominica, nec non *decem Præcepta* & *septem Sacramenta* Ecclesiæ semel in mense vel saltem ter, vel quater in anno populo intelligibiliter, & lingua materna exponant. Decem Præcepta, prout in Exodo continentur, sunt ista: Non habebis Deos alienos. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Memento, ut diem Sabbathi sanctifices. Honora Patrem tuum & Matrem tuam. Non occides. Non furtum facies. Non loqueris falsum testimonium contra proximum tuum. Non concupisces rem proximi tui. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. De Sacramentis vero Ecclesiasticis quinque dicuntur necessaria, & duo voluntaria. Sacramenta necessaria sunt ista: Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Corpus Christi, extrema Unctio. Sacramenta vero voluntaria sunt ista: Ordo, & Matrimonium. Sine autem Sacramentis necessariis nemo salvari potest, si ex contemptu omittantur.

X. Item præcipimus, quod Curati habeant decretalem: DECREVIMUS &c. in Rubrica: *De sententia excommunicationis*, & est Domini Alexandri quarti, & legatur populo, & exponatur lingua materna, ut sciat populus, quomodo evitari debeat excommunicatus, ut hic decrevimus, & ut Judices sæculares, per censuram Ecclesiasticam ab Ecclesiasticis Judicibus Canonica monitione præmissâ, repellant excommunicatos, & ab agendo, patrocinando, & testificando in suis Curiis & Judiciis expellantur.

XI. Item prohibemus, ne aliqui Clerici & laici Ecclesias destructas per diluvium vel incendium, vel alias quoquo modo ad alia loca transferant, sine nostra licentia speciali; & si facta fuerit hujusmodi translatio, monemus eos, qui hujusmodi translationem fecerunt sub pœna

(*a*) Per focarias seu ancillas culinarias intelliguntur concubinæ Clericorum & Sacerdotum hic & passim in Conciliis Germaniæ. *Cangii Lexicon*, verbo: *focaria.*

Guido, Frater Comitis Hollandiæ, Ecclesiæ Leodiensis Thesaurarius, contra æmulum Adolphum Waldeck a Clemente V. ad Generale Concilium Viennense invitatus, anno 1311. oblatum Cardinalitium pileum recusat. Obiit anno 1317. 4. Kal. Junii. Sedit annos XVI.

na excommunicationis latæ ſententiæ in his ſcriptis, ut infra menſem a tempore notitiæ, Nobis & paſſis injuriam ſatisfaciant in præmiſſis.

XII. Item prohibemus, ne aliquis Presbyter celebret, niſi de horis Canonicis ſaltem *Matutinas & Primam* expleverit. Item inhibemus, ne aliquis Sacerdos duas Miſſas celebret in una die, niſi neceſſitas in jure permiſſa permittat; & tunc in priori Miſſa ablutionem poſt ſanguinem non ſumat.

XIII. Item prohibemus, ne aliquis Presbyter duabus Eccleſiis ſine Noſtra, ſeu Officiarii noſtri licentia deſerviat, niſi una ab altera dependeat, vel unam intitulatam, & aliam a Nobis, ſeu Officiario noſtro habeat commendatam.

XIV. Item prohibemus, ne Sacerdos vel Eccleſiarum Rectores, Proviſores, vel Procuratores earundem, calices, ſacra vaſa, libros & ornamenta Eccleſiæ pignori exponant, niſi evidens Eccleſiæ neceſſitas requirat; & tunc hoc fiat de conſenſu illorum, quorum intereſt. Alioquin inpignorantes & recipientes ſunt ipſo facto excommunicati.

XV. Item præcipimus, ut Presbyteri Parochiales ſæpius populum ſuum habeant commonitum, ut ſi aliquis infirmetur, citius pro Sacerdote mittat, ut confiteatur, & Eccleſiaſtica Sacramenta recipiat, quæ ſine exactione pecuniæ eis præcipimus exhiberi. Item ſtatuimus, ut Cuſtodes Eccleſiæ de cætero portent tonſuram Clericalem.

XVI. Item ſtatuimus, ut bigami de cætero non recipiant cuſtodias, ſeu ab aliquibus recipiantur ad easdem, niſi ſint adeo tenues & exiles, quod Clerici non poſſint ſuſtentari, & hoc Officiarii noſtri arbitrio relinquatur.

XVII. Item præcipimus diſtricte, ne quis Chriſma, vel Oleum ab aliquo alio Epiſcopo recipiat, quam à Nobis. Item præcipimus, quod Chriſma & Oleum ſacrum ſub diligenti clauſura, cujus claves Presbyter habeat, reſervetur.

XVIII. Item in his ſcriptis excommunicamus omnes illos & illas, qui vel quæ de Sacramento altaris, vel de ipſo altari, vel in altari, vel in Chriſmate, vel de alio Sacramento, vel Sacramentis ſortilegia faciunt, vel fieri procurant quoquo modo.

XIX. Item ſtatuimus, quod, ſi Canonicus, vel Presbyter, vel Clericus intra Civitates & Diœceſes noſtras capiatur, niſi ille vel illi, qui jurisdictioni temporali præſunt ibidem, infra quindenam a die perpetrati delicti ipſum procurent a vinculis abſolvi, & res ablatas ſibi reſtitui, ac etiam contumeliam irrogatam Eccleſiæ, & ſibi emendari, ex tunc in antea Parochia, in qua idem captus fuerit, Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto. Etiam ſi extra illam in aliam transferatur, quam ſimiliter interdicimus, quamdiu in illa detinebitur, una cum alia in qua captor, ſeu captores morabuntur; & nihilominus malefactores hujusmodi, ſi plures fuerint, cum fautoribus complicibus & receptoribus eorundem, quos ſimiliter in his ſcriptis excommunicamus, tam auctoritate *Canonum*, quam noſtra, & tamdiu excommunicati publice nuncientur, quoùſque Deo, Eccleſiæ, & Nobis, ac paſſo injuriam, condigna præſtetur emenda, & abſolutionis debitæ beneficium meruerint obtinere.

XX. Si vero occidantur, quod abſit, niſi ille, vel illi, qui jurisdictioni inibi præſunt temporali, infra menſem a die perpetrati delicti computandum, Deo, Nobis, & Eccleſiæ de tanto exceſſu, quantum in ipſis fuerit, procuraverint præſtari emendam, (*b*) addicimus, quod ex tunc illud territorium, officium, civitas, vel oppidum, in quo delictum tale fuerit perpetratum, etiam ſi in eo plures ſint Eccleſiæ, Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto: & nihilominus malefactorem, vel malefactores, item omnes & ſingulos impedientes noſtram jurisdictionem Eccleſiaſticam, ſeu perturbando qualitercunque, ſive litteras rumpendo, ſeu rapiendo, aut nuncios, ſeu portitores earundem lædendo, capiendo, detinendo, ſeu damna, injurias & moleſtias inferendo, complices ac fautores eorum, quos etiam in his ſcriptis excommunicamus, & excommunicatos *a Canone* declaramus, ſtatuentes, quod, niſi illi, vel ille, qui jurisdictioni inibi præſunt temporali, ubi prædicta delicta, vel eorum aliqua fuerint perpetrata, malefactores, ſeu perpetratores hujusmodi

(*b*) *forte*: edicimus, qualiter

modi, infra quindenam a die perpetrati delicti computandum, Nobis præsentaverint, vel de injuria emendam præstari condignam procuraverint, ex tunc cessetur a Divinis in Parochia, in qua tale impedimentum, perturbatio, seu violentia, seu molestia perpetrata fuerit. Et etiam ubi dictos malefactorem, seu malefactores morari contigerit, quousque Deo, Nobis injuriam passo, &c.

XXI. Item omnes & singulos excommunicamus in his scriptis, spoliatores, raptores, seu prædones Ecclesiarum, & bonorum Ecclesiasticorum. Ne autem quis cum discrimine alieno incerto vagetur, volumus & mandamus, ut si collegium vel aliqua persona Ecclesiastica singulariter se deprædatum, vel spoliatum, aut spoliatam a quoquam asseruerit, illud summarie coram Nobis seu Officiario nostro proprio; si sit singularis persona, & si Collegium, per duos eorum pro fratribus corporaliter præstito juramento affirmet; spoliatores, prædones, aut raptores specificans, & res ablatas exprimens, & valorem: quo facto, si admonitionem nostram seu Officiarii nostri raptor, seu spoliator bona hujusmodi ablata non restituerit, & Nobis, & passo vel passis injuriam, condignam emendam non præstiterit; ex tunc authoritate nostra excommunicatus publice nuncietur, & ad interdicti sententiam, & ad alias pœnas Canonicas, si excommunicati pertinacitas meruerit, procedatur, nisi idem, qui hujusmodi forefactum commisisse asseritur, infra tempus præmissum coram Nobis seu Officiario nostro comparuerit, suam innocentiam propositurus, & causam rationabilem, quare ad id minime teneatur; ostensurus. Quam si legitime ostenderit, & ille, qui se spoliatum asseruit, inventus fuerit injustam quærimoniam detulisse, in expensis legitimis ac omnium interesse adversario condemnetur, alias puniendus, pro ut juris rigor vel æquitatis ratio suaserit judicanti, & suadebit.

XXII. Item prohibemus tam Clericis quam laicis; cujuscunque conditionis aut status existant; sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in his scriptis, ne quis impediat publice vel occulte, minis aliquibus aut precibus, per se vel per alium aut alios, quo minus bona, aut prædia, aut decimæ Ecclesiarum, venditione, locationeve, vel per emphiteosim, denfiatione, seu aliis modis, scilicet per Procuratorem, vel Procuratores Ecclesiarum utiliter disponatur. Quam excommunicationis sententiam, si qui in contrarium faciendo incurrerint, præcipimus, in ipsos innovari, & eos publice excommunicatos nunciari, donec Ecclesiæ, contra quam prædicto modo deliquerint, dictum excessum emendaverint, vel nisi infra mensem coram Nobis seu Officiario nostro, contra præmissa rationem ostenderint efficacem.

XXIII. Item statuimus & monemus quoscunque Presbyteros & Clericos, in nostra civitate & Diœcesi Beneficiatos aut Beneficiandos, ut infra duorum mensium spatium, postquam primum in pacifica possessione beneficiorum suorum & perceptione eorum fructuum fuerint, si eorum beneficia residentiam personalem exigant, secundum beneficiorum ipsorum exigentiam eadem cum affectu deserviant, & personaliter resideant in eisdem. Alioquin eos & eorum quemlibet, quos ex tunc pro ut ex nunc excommunicamus, & excommunicatos publice volumus nunciari; nisi infra prædictum tempus dispensationes super hujusmodi residentia, aut causam, quominus residere teneantur, ostendant, & super hoc a Nobis, seu Officiario nostro litteras testimoniales meruerint obtinere.

XXIV. Item præcipiendo inhibemus omnibus & singulis Archidiaconis, Præpositis ac quibuscunque aliis Prælatis nostræ Civitatis & Diœcesis, & eorum Officialibus & Decanis, sub pœna suspensionis ab officio & excommunicationis, quas in eos, & in eorum quemlibet ferimus in his scriptis, si contra præsentem inhibitionem venerint quoquo modo quatenus nullus, eorum se intromittat, de causis seu casibus ad nostram jurisdictionem, seu cognitionem spectantibus, nec per se, vel alium, vel alios cognoscant judicialiter de eisdem, absque nostra licentia speciali; quod si fecerint, dictas suspensionis excommunicationisque sententias ipso facto incur-

rant, & processus eorum nullius penitus sint momenti.

XXV. item prohibemus sub pœna prædicta, ne quis Decanus ruralis de causis matrimonialibus, seu hæresis aliquatenus se intromittat.

XXVI. Item prohibemus sub pœna excommunicationis, ne quis nuptias celebret temporibus prohibitis, videlicet a prima Dominica Adventus Domini usque ad octavas Epiphaniæ ejusdem, & a LXXma usque ad octavas Paschæ, & a Dominica ante Ascensionem Domini, usque ad Dominicam Trinitatis omnibus inclusive, nisi ab Officiario nostro licentiam meruerit contrahendi.

XXVII. Item omnes clandestina matrimonia contrahentes, excommunicamus. Item ne aliquis clandestinis intersit matrimoniis, sub pœna excommunicationis inhibemus. Clandestina autem matrimonia appellamus, quæ sine denunciatione solemni, seu bannis competentibus in Parochiis contrahere volentium, per Presbyteros eorum publice non præmissis, contrahuntur.

XXVIII. Item prohibemus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in his scriptis, ne laici se intromittant de decimis novalium Sz. ad illos pertineant, ad quos de jure aut consuetudine pertinere dinoscuntur.

XXIX. Item præcipimus expresse & prohibemus, quod nullus Capellanus sine licentia sui Rectoris seu Rectorum Ecclesiarum, cui vel quibus contrahere volentes subsunt, ipsos matrimonialiter copulare præsumat.

XXX. Item prohibemus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in his scriptis, ne quis aliquem excommunicatum in Ecclesia, seu Cimiterio ejusdem audeat sepelire, seu cadaver excommunicati in Ecclesia seu Cimiterio ponere super terram.

XXXI. Item prohibemus sub pœna excommunicationis, ne aliquis in Cimiteriis interdicto, vel violato a quoquam sepeliatur.

XXXII. Item Prohibemus, ne in Ecclesiis, Porticu, seu Cimiteriis eorundem, secularia placita teneantur.

XXXIII. Item prohibemus sub pœna excommunicationis, ne aliqui, qui mortem sibi consciverunt, se ipsos laqueo suspendendo, vel qui suspensi, decollati vel rotati, aut alias propter suum scelus interfecti sunt, in Eclesiis vel Cimiteriis sepeliantur, nisi de nostra seu Officiarii nostri licentia speciali.

XXXIV. Item excommunicamus in his scriptis, & excommunicatos denunciari volumus omnes & singulos, qui in homicidium, furtum, vel raptum, incendium, veneficium, seu quodcunque aliud scelus enorme committendum conspiraverint quoquo modo, quorum etiam absolutionem Nobis seu illis, quibus illam specialiter duxerimus committendum, præsentibus reservamus.

XXXV. Præterea pactiones, promissiones, obligationes in hujusmodi conspirationibus ab ipsis conspiratoribus interpositas, etiamsi juramento, vel qualibet alia firmitate vallatæ fuerint, cùm contra justitiam & proximi caritatem sint interpositæ, decrevimus non tenere, & hujusmodi juramentis tanquam illicitis. (*a*)

XXXVI. Item præcipimus in virtute obedientiæ omnibus Provisoribus seu Officiariis nostris foraneis & Decanis, Christianitatis nostræ Diœcesis sub pœna excommunicationis & suspensionis ab officio, quam in eos & singulos eorum ferimus in his scriptis, nisi fecerint, quod mandamus, quatenus nomina beneficiorum seu officiorum quorumcunque, quæ vacant, vel a festo omnium Sanctorum proxime præterito vacaverint, aut infra tempus per nostram Diœcesim Trajectensem vacare contigerit; nec non etiam nomina beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ tanto tempore in nostra Diœcesi vacaverint, quia eorum collatio ad Nos seu Sedem Apostolicam secundum *Lateranensis* statuta consilii est devoluta, Nobis seu Officiario nostro infra unius mensis spatium a tempore scientiæ eorum personaliter, aut per patentes litteras studeant intimare.

XXXVII. Item statuendo præcipimus, quod de cætero in perpetuum per nostram civitatem & Diœcesim data annorum Domini ipso die nativitatis ejusdem

(*a*) *Supple*: neminem teneri.

dem ſecundum morem Romanum, ac ſtatuta noſtræ *Metropolitanæ* Eccleſiæ innovetur. Scribendo anno Nativitatis Domini MCCCX.

XXXVIII. Item præcipimus & mandamus, ut nullus Sacerdos vel Clericus Quæſtores eleemoſynarum ad petitiones ſuas faciendas, in Eccleſiis, ſeu cæmiteriis earum deinceps admittat, niſi noſtras vel Officiarii noſtri litteras ſuper hujusmodi quæſtoribus admittendis habuerint teſtimoniales.

XXXIX. Item præcipimus & mandamus ſub pœna excommunicationis prædicta, ut de cætero nullus Sacerdos in Capellania aliqua tanquam Capellanus audeat celebrare, niſi ipſa Capellania confirmata, & ipſe Capellanus a Nobis ſeu Officiario noſtro, cui ſpecialiter commiſerimus, in eodem Canonice fuerit inſtitutus.

XL. Item cum inter cætera crimina crimen HÆRESIS deteſtabilius, & fidei Chriſtianæ magis obnoxium reputatur, præcipimus & mandamus omnibus Proviſoribus & Decanis Chriſtianitatis, ut diligenter inquirant. Et ſi quem vel quos ſuper hujusmodi crimine diffamatum ſeu diffamatos invenerint, Nobis ſeu Officiario noſtro, quantocitius poterunt, non differant intimare, & converſationem eorum plenius diſcribendo.

Hæc Statuta & Præcepta præcipimus inviolabiliter obſervari, & a quolibet Proviſore & Decano ante eorum ab hinc receſſum & a quolibet Presbytero Parochialis Eccleſiæ infra menſem recipi, & haberi, & ſub pœna excommunicationis ſententiæ latæ in his ſcriptis prædicta ſtatuta, per ſingulos Presbyteros & Sacerdotes in ter, vel quater publicari, & exponi diligenter. Datum Anno Domini MCCCX. Feria tertia poſt Miſſas Domini Alleluja, alleluja, Alleluja.

Expliciunt Statuta Synodalia Domini Guidonis, Epiſcopi Trajectenſis.

Heusden Batavia ſacra a pag. 474. *ad* 477.

GUIDO Avennius, Leodienſis, Epiſcopus Ultrajectinus XLII.

Wilhelmo occiſo, diverſis Canonicorum ſuffragiis certatum: Aliis Guidonem, Fratrem Comitis Hollandiæ, Eccleſiæ Leodienſis Theſaurarium; Aliis Adolphum Waldeck, majoris Eccleſiæ Præpoſitum, eligentibus.

Sed Guido pro eo annitentibus magnis Principibus, obtinuit Epiſcopatum.

Erat autem Guido Epiſcopus aſpectu decorus, ſtatura venuſtus, ſermone facundus, ingenio clarus, conſilio cautus, ac multis virtutibus extollendus. Inter cæteras mira parcimonia; maximis enim debitis prægravatus, ad tempus ſeceſſit in Galliam, illic parce victurus, donec pecuniam, cui obſtrictus erat, exſolvere poſſet. Nam a CLEMENTE V. qui primus Sedem Avenionem tranſtulit, anno 1311. *ad Generale Viennenſe Concilium, in quo de recuperatione terræ ſanctæ tractabatur, & Templariorum ordo ſublatus eſt, vocatus, & eodem anno*, teſte Trithemio, *illuc adveniens, oblatum ſibi mediante Rege Francorum PHILIPPO Cardinalitium Galerum, religioſus Antiſtes recuſavit; indignum ſeſe tanto*, ait Noviomagus, *bonore exiſtimans, quem hodie tam multi etiam ambiunt. At Rex conſiderans integritatem, & modeſtiam viri, annuum ei deſignat ex publico ærario ſtipendium. Stellingwerffii, Tranſiſalaniæ populus, falſo rumore de morte Epiſcopi deluſi, adverſus eum rebellant: ſed a Guidone reduce compeſcuntur. Quid a victis poſtulaverit Guido, patet ex Charta anni* 1313, *quam exhibet* Matthæus Analect. Tom. V. pag. 868. *demum cum civibus Trajectenſibus ſua jura & privilegia, (quorum diplomata a Buchelio in Hedam pag.* 235. *&c. recenſentur) confirmaſſet Guido, ſubita vi morbi preſſus, (non ſine ſuſpicione accepti veneni) obiit* 4. *Kal. Junii anno Chriſti* 1317. *initæ dignitatis XVI. Sepultus in Eccleſia majori ad partem Chori meridionalem ex oppoſito deceſſoris, ad altare D. Laurentii.*

Ejus Statuta Synodalia hic repræſentavimus.

Necrologus S. Petri Ultrajecti hæc refert de Guidone: " *IV. Kal. Junii anno* CIↃCCC. *ſeptimo decimo obiit Guido de Hannonia, Epiſcopus Trajectenſis.* Majoris vero Eccleſiæ Memoriale ſic de eodem: *IV. Kal.*

Kal. Junii, anno Domini CIƆ.CCC.XVII. *obiit Reverendus Pater, Dominus Guido, Episcopus Trajectensis, in cujus memoria dantur centum libræ bonarum, quas ministrabit Comes Hollandiæ, qui pro tempore fuerit, Camerario nostro, de Decimis sitis in Nigencoop, dividendis in omnes Prælatos & Canonicos civitatis, tali conditione, quod omnes convenient ad majorem Ecclesiam; & quicumque non fuerit præsens a principio Vigiliarum & Missæ usque ad finem, nihil recipiet, omni exceptione exclusa. Inde quilibet Vicariorum habebit XII. den. bonorum, & debebit dare pro qualibet libra viginti grossos antiquos bonos.*

Batavia sacra pag. 172.

Concilium Monasteriense IV.

Anno Christi MCCCX. Clementis V. Papæ VI. Henrici VII. Regis II.

LUDOVICUS, DEI gratia, Monasteriensis Ecclesiæ electus & confirmatus; Universis præsentia visuris volumus esse notum, quod in Generali Synodo Ecclesiæ Monasteriensis, cui personaliter præsedimus, coram Nobis per sententiam Synodalem extitit definitum, videlicet quod omnis inhabitans domum vel casam infra septa dotis ad Ecclesiam aliquam pertinentis non teneatur sequi forum sæculare, imo ab jure & coercitione sæculari penitus sit exemptus. Datum anno 1310.

Schatenus Tomo II. Annal. Paderbornens. pag. 220. *nec plura habet.*

CONCILIUM MOGUNTINUM PROVINCIALE XLII.

SUB PETRO ARCHI-EPISCOPO

Anno Christi MCCCX. Clementis V. Papæ VI. Henrici VII. Regis II.

COMPLECTITUR CAPITULA CLXVI. SECUNDUM COD. MS. MEMBRANACEUM ACADEMIÆ JULIÆ HELMSTADIENSIS.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

PETRUS, DEI gratia, Sanctæ Moguntinensis Sedis Archi-Episcopus, Sacri Romani Imperii per Germaniam Archi-Cancellarius: Universis Prælatis, Capitulis, Conventibus, Cleris, & Clericis, ac Christi fidelibus, sive Religiosis, sive Sæcularibus per Moguntinensem Civitatem, Diœcesis, (a) *ac Provinciam constitutis, Salutem in Domino, & præsentium repetite* (b) *lectionis notitiam & observantiam* (c) *inconvulsam.*

PRO-

(*a*) Diœcesim *edit. Moguntina* 1509. *Neumanni.* (*b*) repetitæ, *eadem editio.* (*c*) observationem.

PROHEMIUM.

AD honorem Dei Omnipotentis, gloriosissime Virginis Mariæ Matris ejus; beatorum Petri & Pauli Apostolorum; beati Martini Patroni nostri ac Sanctorum omnium pro communi Ecclesiarum ac Cleri Civitatis, Diœcesis, ac Provinciæ Moguntinensis bono statu, diversas constitutiones a venerabilibus Patribus feliciſsime recordationis Prædecessoribus nostris (quorum vestigiis inheremus) editas: in diversis chartulis seu libellis dispersas, ita ut de quibusdam earum, an essent constitutiones Provinciales, aut constitutionum hujusmodi vim habuerint, poterat verisimiter dubitari: in unam compilationem, seu libellum, ad tollendum [d] hoc dubium ex officii nostri debito: superfluis resecatis, duximus redigendas sub certis & consuetis titulis ordinando: quasdam ex his obscuras declarando, quasdam etiam per novellas editiones nostras innovando: causâ etiam brevitatis & utilitatis paucula de communi jure pro flosculis fructu tamen non vacuis admiscendo; pro loci & præsentis temporis qualitate. Volentes igitur ut universi, qui nobis sive Diœcesana lege sive Metropolitana auctoritate subesse censentur: hoc tamen libello pro constitutionibus Provincialibus in futurum utantur, districtius inhibemus, ne quis in antea pro constitutionibus hujusmodi præsumat in judicio vel extra, aliis uti chartulis, seu quaternis, quos fide carere decernimus in hac parte, hoc (e) sacro Concilio (cui una cum *Fratribus* & *Prælatis* nostris aliis præsidemus) auctore Domino, approbante.

INCIPIT LIBER PRIMUS. (f)

DE SUMMA TRINITATE ET FIDE CATHOLICA.

Summarius.

Laici simpliciter; Clerici autem explicite credant, quod Romana credit Ecclesia.

QUæ propter sui exquisitam & probatissimam perfectionem, ac clarissimam ac lucidissimam veritatem, adjectione, vel declaratione ulla non indigent [ad quas in primis tanquam ad principium, medium & finem saluris omnium, corda nostra manus & oculos, elevamus devoti. Nihil aliud est credendum, tenendum vel docendum, nisi quod Romana credit, tenet & docet Ecclesia, piissima, sanctissima & prudentissima Mater nostra. Ita tamen, ut omnes Prælati articulos fidei principales (g) fideliter suos subditos doceant: laicos simpliciter credere sicut Ecclesia; Clericos vero explicite & distincte.

Summarius.

Ne quis præsumat prædicare, quod Sacerdos in mortali peccato non possit conficere: solvere vel ligare.

Ex Concilio Asschaffenburgensi Domini (h) Petri Archi-Episcopi Moguntini contra hæreticos.

In primis igitur statuimus, ut si (i) aliquis Clericorum vel laicus utriusque sexus, cujuscunque dignitatis, religionis, vel status existat, ausus sit præsumptione damnabili publice prædicare, vel occulte docere, credere vel tenere, quod Sacerdos in mortali peccato existens, non possit conficere Corpus Christi, seu (k) sic ligatus non possit ligare vel solvere suos subditos a peccatis, pro hæretico & incredulo habeatur, quem errorem hujusmodi sacri Concilii approbatione condemnamus, anathematizamus & penitus reprobamus, cum sacre Scripture dicat auctoritas, quod sive bonus sive malus sit

(d) in hoc
(e) hæc
(f) Distinctio Capitulorum hujus Concilii in IV. Libros, sola extat in antiquissima editione in Folio, sine anni & loci mentione, quæ impressio dividit omnia Capitula in LXII. non, uti Codex Helmstadiensis in CLXVI. Capitula.
(g) Provinciales
(h) sub Gerardo Archi-Episcopo.
(i) alias
(k) seu si sit

fit Minifter, per utrumque Deus effectum confert. Non enim que fancta funt, coinquinari poffunt, nec ipfa Sacramenta poteft hominum malitia prophanare. Unde Sacerdos, quantumcunque pollutus exiftat, Divina non poteft polluere Sacramenta, quæ Purgatoria cunctarum contagionum exiftunt. Licite ergo a quocunque Sacerdote ab Ecclefia tolerato Divina Myfteria audiantur: & alia recipiantur Ecclefiaftica Sacrmenta.

DE CONSTITUTIONIBUS.

Summarius.

Canones & Conftitutiones Provinciales Clerici fciant.

Ex Concilio, ut fupra.

Canonum ftatuta primum, & demum conftitutiones provinciales tam a noftris Predeceffforibus, quam a Nobis editas, ab omnibus (*k*) fciri, ac inviolabiliter obfervari mandamus fub obtentu juris & honoris. Poft præfentem publicationem ignorans ignorabitur & negligens negligetur.

Summarius fequentis Capituli.

Statuta provincialia habeantur in Choris Cathedralium & Collegiatarum Ecclefiarum, & in Synodis omni anno legantur.

Statutum D. Petri Archi-Epifcopi Moguntini.

Statuimus, ut prefens libellus conftitutionum Provincialium, in fingulis Cathedralibus fub figillo noftro, at deinde in aliis Ecclefiis Conventualibus infra tres menfes a publicatione prefentium computandos fub figillis Ordinariorum fine excufatione qualibet habeatur confcriptus, & in Choro jaceat, fic ut poffit patere cuilibet legere feu videre volenti. Ut autem communis utilitas predictarum conftitutionum in notitiam luculentam cunctorum deveniat, Venerabilibus Fratribus & Coepifcopis noftris injungimus & mandamus in virtute fancte obedientie, quatenus ipfas mox fcribi faciant & procurent, ac anno quolibet in fingulis *eorum Synodis* coram toto Clero ibi, fi commode fieri poterit; Alioquin alibi legi faciant, & injungant fubditis fuis, ut quilibet eas fibi procuret, & tenorem earum memorie commendet, & maxime Archi-Diaconis, ut & fuis fubditis fcilicet Decanis ruralibus, Camerariis & Plebanis hoc injungant. Nos infuper de Omnipotentis DEI mifericordia, Beatorum Petri & Pauli Apoftolorum ejus auctoritate, nec non Beati Martini Patroni noftri meritis confifi, omnibus vere pœnitentibus & confeffis, qui eas fibi procuraverint, legerint, audierint, quotienscunque fecerint, quadraginta dies de injuncta fibi pœnitentia mifericorditer relaxamus.

DE RESCRIPTIS.

Summarius.

Nullius Legati vel Subdelegati citatio, vel proceffus admittatur, nifi a fine Diœcefis ad unam dietam.

Ex Concilio D. Petri Archi-Epifcopi Moguntinenfis.

Cum fecundum fanctiones: Prefes Provintie delegatos Principis ad ipfius Prefidis Provintiam declinantes non debeat ex officii debito (*l*) fincere amplius facere, quam eorum legatio fe extendit, facro approbante Concilio ftatuimus, ut nullus Plebanus, feu Vicarius, feu quifcunque alter Clericus, vel Prelatus citationem vel proceffum alium a Judice delegato Sedis Apoftolice, vel Subdelegato fibi directos, de citando quemcunque, vel trahendo ultra unam dietam vulgarem notorie computandam a fine Diœcefis, ipforum Judicum, de quorum auctoritate ante omnia conftare debet, aliquatenus (*m*) exequitur. Super forma vero refcripti, fi aliquis dubitaverit, ad Officiales recurrat. Si quis autem contrarium attentare prefumpferit, cum hoc quoque (*n*) ipfo jure irritus eft [*o*] proceffus, per menfem ab ingreffu Ecclefie fufpendatur.

Ex Concilio D. Petri.

Mortuo mandatore mandatum expirat: fi eo vivente non fuerit perpetuatum. Fines autem mandati exacta diligentia funt fervandi.

DE

(*k*) fervari, inviolabiter cuftodiri. (*l*) finere (*m*) exequatur.
(*n*) qui [*o*] proceffu

DE CONSUETUDINE.

Summarius.

Appellationes Sedis Moguntinenſis ſubditis Suffraganeorum poſſunt committi.

Ex Concilio Fritzlarienſi D. Siffridi Archi-epiſcopi Moguntini.

Eccleſia Moguntina & antiqua & rationabili conſuetudine dinoſcitur obtinuiſſe, quod cauſas ad eam per appellationem delatas, ſubditis Suffraganeorum ſuorum committere valeat, & compellere (*p*) juriſdictionem hujusmodi ſuſcipere detrectantes: que ex his cauſis noſcitur introducta, *Primo*, ut vitetur circuitus, cum per Diœceſin Metropolitanus eos ad id poſſit compellere. *Secundo*, ut propter locorum diſtantiam parcatur partium laboribus & expenſis: quorum, ſi non reciperent delegationes hujusmodi: cogerentur partes cum diſpendio apud Sedem Metropolitanam litigare. Hujusmodi ſacri approbatione Concilii ſtatuimus, antiquam conſuetudinem declarantes, ut ſedes Moguntinenſis cauſas hujusmodi ſubditis Suffraganeorum ſuorum valeat delegare, & animadvertere in rebelles.

Ex Concilio Moguntino D. Petri Archi-Epiſcopi Moguntinenſis.

Huic ſtatuto adjicimus & obſervatum ex conſuetudine declaramus ex cauſis premiſſis idem in (*q*) citationibus, aliis proceſſibus cauſarum hujusmodi apud ſedem ipſam in (*r*) antea ventilandis, ac omnino decernimus ac precipimus obſervandum.

Summarius.

Male conſuetudines in Eccleſia deleantur.

Ex eodem Concilio D. Petri Archi-Epiſcopi.

Conſuetudines, que gravamen Eccleſiis inducere dinoſcuntur, invalidas publicamus, locorum Ordinariis, ut in omnem eventum eis reſiſtant, firmiter injungentes.

DE SCRUTINIO IN ORDINE FACIENDO.

Summarius.

Vicarii in Spiritualibus ad ſacros Ordines, & Prelati ad Beneficiorum inveſtituram neminem admittant, cujus patres, avi, aut progenitores Clericum captivaverunt, aut mutilarunt.

Ex Concilio D. Petri Archi-epiſcopi Moguntinenſis.

Statuimus ad terrorem malefactorum, ut univerſi Epiſcopi Provintie Moguntinenſis, ac eorum Vicarii, qui volunt & debent ſuis temporibus Ordines celebrare, committant expreſſe Examinatoribus Clericorum ordinandorum ſub anathematis interminatione, ut inter cetera perquirenda, fideli diligentia perquirant ſub obtentu honoris percipiendi a ſingulis ordinandis, ut ſi patres, avi, aut progenitores eorum uſque ad quartam lineam aſcendentes captivaverint, captivum detinuerint, occiderint, aut mutilaverint temere Clericum aliquem in ſacris Ordinibus conſtitutum, & pro Clerico ſe gerentem. Eum autem, quem in aliquo premiſſorum effectuum per aliquem progenitorum ſuorum uſque ad lineam memoratam invenerint: ſi factum hujusmodi ſit notorium, non admittant, Prelati quoque vel eorum vices gerentes, quorum intereſt inveſtire, inſtruereque preſentatos, ante inveſtituram ſive inſtitutionem cum ſumma diligentia de his querant, & quos tales invenerint, nullo modo inveſtiant, vel inſtituant ad aliquod beneficium vel officium Eccleſiaſticum, juxta formam Statutorum a Predeceſſoribus noſtris deſuper editorum. Examinatores inſuper & Prelati, ac eorum vices gerentes, qui ſecus in premiſſis agere preſumpſerint in futurum, ſuſpenſionis ſententia percellantur: alias per locorum Ordinarios graviter puniendi.

DE RENUNTIATIONE VEL PERMUTATIONE BENEFICIORUM.

Ex Concilio D. Petri Moguntini, ut ſupra.

Nullus Eccleſiam vel Beneficium Ec-

(*p*) interdictione, (*q*) in juribus & aliis (*r*) Moguntia

Ecclesiasticum dimittere vel recipere presumat, sine Superioris sui auctoritate, quod sub pœna excommunicationis omnibus firmiter inhibemus.

DE TEMPORIBUS ORDINUM, ET QUALITATE ORDINANDORUM.

Summarius.

Ordinandus, & ante examinis admissionem sit recenter, & de impedimentis Ordinationum [si quod habeat] confessus, & ad Vicariam nonnisi perpetuam ordinetur.

EX Concilio Moguntino D. Gerhardi.

Statuimus, quod nullus ad examinationem aliquatenus admittatur, nisi recenter confessus fuerit omnia delicta sua idoneo Sacerdoti, & quia pauci sunt, qui sua delicta vel sequelas intelligant delictorum, per discretum Confessorem (*s*) studeat instrui ordinandus; an sibi expediat ordinari? vel ob irregularitatis alicujus sequelam ei sit potius abstinendum? Item nullus promovendus ad Ordines admittatur ad titulum Vicarie, nisi sit perpetua Vicaria, a qua non possit ad (*t*) Pastoris sive Ordinantis placitum amoveri.

DE ETATE, ET QUALITATE, ET ORDINE PREFICIENDORUM.

Summarius.

Nemo ante vigesimum quintum ad Curatum investiatur beneficium.

EX Concilio Moguntino D. Petri.

Jus commune pœnæ adjectione juvamus, districtissime inhibentes, ne aliquis Prelatus, vel ejus Vicarius, aut ejus vices gerens, cujus interest investire: aliquem minorem annis, qui videlicet non attingat vicesimum quintum annum, ad Parochie Ecclesiam investire presumat: alioquin & factum ipsum irritum, & Prelatum, seu ejus Vicarium hujusmodi inhibitionis temerarium transgressorem (*u*) & facto hujusmodi ab ejus officio decrevimus suspendendum per unum annum proxime subsequentem, alias etiam ad arbitrium sui Ordinarii puniendum.

DE FILIIS PRESBYTERORUM.

Summarius.

Illegitime natus, neque ad Ordines, neque ad Beneficium sine dispensatione admittatur.

EX Concilio D. Petri Moguntin.

Nullus illegitime natus ad aliquem sacrum Ordinem, vel Beneficium, aut Officium curam habens animarum sine dispensatione Sedis Apostolice admittatur in aliqua Ecclesia seculari. Et tales, qui hactenus sunt admissi, si de his constiterit, per eorum Ordinarios repellantur. Alioquin scienter contrarium facientes per unum mensem ab ingressu Ecclesie noverint se suspensos.

DE CLERICIS PEREGRINIS.

Summarius.

Advene & ignoti ad Ordines vel Officium sine literis non admittantur.

EX Concilio Fritzlariensi D. Siffridi.

Peregrini & ignoti Clerici nullo modo recipiantur ad Ordines vel Officium, nisi literis Episcoporum suorum commendatitiis & dimissoriis sint muniti.

DE OFFICIO ARCHI-DIACONATUS. [*x*]

Summarius.

Nemo inhibeat; quominus appelletur.

Inhibemus Episcopis, Archi-Diaconis, & Prelatis, ac eorum Officialibus universis sub pœna suspensionis, quam in omnes facientes contrarium promulgamus, ne in (*y*) subditos suos, aut eos, qui litigant, aut litigaverunt coram eis aliquam faciant inhibitionem, seu impedimentum aliquod, sub quocunque colore vel modo, publice vel occulte, quominus causas suas appellationum, seu quascunque alias ad examen Superiorum possint deferre.

Summarius.

Archi-Diaconi in certis causis usque ad XX. solidorum summam; Diœcesani in reliquis cognoscunt.

Felicis recordationis Domini WERNHERI Predecessoris nostri vestigiis inherentes, quædam ex statutis ipsius pro com-

(*s*) valeat instrui (*t*) ad inordinatum placitum amoveri.
(*u*) ex facto (*x*) Hoc Caput postponitur Cap. sequenti: *De officio Archi-Diacon.*
(*y*) subditis suis aut eis,

communi bono in hoc facro Concilio duximus innovanda: cum moderatione infra fcripta: de Fratrum noftrorum Concilio ftatuentes, ut Archi-Diaconi, & Officiales eorum Civitatis, Diœcefis, & Provintie Moguntinenfis fuper caufis decidendis per ipfos certis finibus, quos prefatus Dominus WERNHERUS Archi-Diaconis Ecclefiarum Moguntinenf. & eorum Officialibus pofuiffe dinofcitur, fcilicet, ut de caufis fuper matrimoniis, Ecclefiis, inveftituris (z) & ufuris, usque ad fummam XX. folidorum Moguntinenf. cognofcentes dumtaxat, fint contenti. Caufis aliis Diœcefanorum examini & eorum officiis refervatis. Quod fi contrarium facere prefumpferint, judicata per eos alias, quam in dictis cafibus fint irrita ipfo jure. Et nihilominus per Ordinarios a fuis officiis fufpendantur.

DE OFFICIO VICARII.

Summarius.

Sufficiens & honefta provifio fiat Vicariis de proventibus Ecclefie.

Ex Concilio Fritzlarienfi D. Siffridi.

Et quia Ecclefiarum Rectores Vicariis fuis (*a*) relinquunt adeo exiguam portionem, quod ex ea congrue nequeant fuftentari, GENERALI Concilio inherentes, ftatuimus, ut ipfis Vicariis fufficiens, & honefta portio de proventibus Ecclefie affignetur. Alioquin ipfos Rectores fuis Ecclefiis decernimus fpoliandos.

Summarius.

Sine legitima caufa Vicarius non amoveatur.

Ex Concilio Afchaffenburgenfi Domini Gerhardi.

Preterea quorundam Paftorum malitiis [qui fingulis annis Vicarios a fuis Ecclefiis, in quibus per confenfum Diœcefani vel Archi-Diaconi inftituti nofcuntur: ob quendam turpem queftum amovere fatagunt] obviare volentes, Predecefforum noftrorum ftatutis duximus annectendum, ut Vicarius taliter inftitutus ab eadem Vicaria ad inftantiam veri Paftoris, non [*b*] aliqua ratione, nifi Paftor actu Sacerdos exiftens fuam velit Ecclefiam regere per fe ipfum, vel aliquam caufam rationabilem, amotionis contra fuum Vicarium coram Diœcefano vel loci Archi-Diacono affignare velit & valeat probare.

Ex Concilio Fritzlarienfi D. Siffridi.

Summarius.

Ne conducti Sacerdotes ponantur ad beneficia, fed Vicarii perpetui auctoritate Superioris.

Quia enormis quedam confuetudo in quibusdam Alemannie partibus contra Canonicas Sanctiones invaluit, ut ponantur in Ecclefiis Sacerdotes conducti, vel Vicarii temporales, ne id de cetero fiat, auctoritate legationis, qua fungimur, modis omnibus inhibemus. Sed cum Vicarius poni debeat & poffit, perpetuus inftituatur de affenfu & auctoritate Diœcefani, & Archi-Diaconi loci ejusdem. Nec Epifcopus, vel Archi-Diaconus talem inftituat, nifi ei tantum de bonis Ecclefie coram eo fuerit affignatum: unde jura Epifcopi & Archi-Diaconi poffit perfolvere, & congruam ac fufficientem fuftentationem habere.

DE OFFICIO DELEGATI.

Summarius.

Legatis & Subdelegatis Refcriptorum fuorum fines excedentibus, & invocationi brachii fecularis, quam faciunt Sacerdotes, parere non tenentur.

Ex Concilio Fritzlarienfi D. Gerhardi.
MS. Helmftadienfe ex Concilio Afchaffenburgenfi.

Ad hec (*c*) plerumqne contingit, quod Judices delegati vel fubdelegati, ad quos fimplices commiffiones fub forma [*d*] communi impetrantur feu diriguntur, ultra quam patiantur fines refcripti precedentis, terras, civitates, oppida, & villas Ecclefiaftico fubjiciunt interdicto: Invocantes etiam fuper hoc brachium feculare. Nos igitur volentes hujusmodi iniquis proceffibus obviare, prefenti fcripto declaramus, de Fratrum noftrorum confilio & affenfu, quod Sacerdotes noftre civitatis ac Provintie ad obfervationem feu publicationem fenten-

(z) & ufuris, *omiffum.* (*a*) negant fuftentationem (*b*) non alia
(*c*) adhuc (*d*) Decreti

ſententiarum hujusmodi interdicti minime teneantur, nec invocationi brachii ſecularis, quam ſic faciunt, aliquatenus eſt parendum. Super interdicto autem ponendo recurratur ad decretalem extravagantem Bonifacii octavi, quæ incipit: PROVIDE ATTENDENTES.

DE OFFICIO ORDINARII.

Summarius.

Plebanus & ipſe reverenter ad infirmos Eucharistiam deferat, & plebem ſuam, quomodo tunc & in elevatione Altaris veneranda ſit, edoceat.

Ex Concilio Fritzlarienſi D. Siffridi.

Sacerdos vero quilibet plebem ſuam doceat diligentur, ut cum in celebratione Miſſarum elevatur Hoſtia ſalutaris, quilibet devote flectat genua, vel ſaltem reverenter ſe inclinet. Idem faciat, cum Presbyter eam portat ad infirmum, quam in decenti habitu; ſuppoſito mundo velamine, ferat manifeſte ac honorifice ante pectus ſuum cum omni reverentia ac in timore: ſemper nolâ parvulâ & lumine (niſi locorum repugnet diſtantia, & temporis quantitas) precedente, ut ex hoc apud homines fides & devotio augeatur.

Summarius.

Epiſcopi in ſummis feſtis per ſe, vel alios predicent, & in Eccleſiis ſuis Cathedralibus niſi neceſſitate impediti, celebrent.

Ex eodem Concilio quo ſupra.

Antiquum ſtatutum Moguntin. Concilii renovantes precipimus, ut Epiſcopi ſummis feſtivitatibus populo Verbum Dei proponant, vel per ſe præſentibus, vel per alios ad hoc idoneos proponi faciant & indulgentiam populo faciant, Miſſamque in eisdem feſtivitatibus in Eccleſiis Cathedralibus celebrent, niſi magna neceſſitate fuerint impediti.

Summarius.

Singuli Epiſcopi pro Clericis incorrigibilibus carceres habeant juxta Eccleſiam ſuam Cathedralem.

Ex eodem Concilio quo ſupra.

Ad hec ſtatuimus, ut ſinguli Epiſcorum ſuos carceres habeant juxta Eccleſiam Cathedralem; in quibus falſarii Clerici vel Monachi incorrigibiles & apoſtate vel alii qui hoc meruerunt, includantur, ad quod efficacius exequendum alie Eccleſie, ſi opus fuerit, ſubſidium conferant & juvamen.

DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA.

Summarius.

Capellani nobilium in arcibus reſidentes: ſub ſuſpenſionis & excommunicationis pœna, Epiſcopo vel Archi-Diacono obedientiam præſtent: ad Synodos veniant, & ubi perſona Eccleſiaſtica captiva vel preda ſpiritualium perſonarum detinetur, a Divinis abſtineant.

Ex eodem Concilio euſdem D. Siffridi.

Sacro etiam approbante Concilio ſtatuimus, ut nulli Clerici, nobilium Capellani, in Caſtrorum, Dominorum ſuorum celebrare præſumant: vel alia Sacramenta Eccleſiaſtica conferre, niſi ante Epiſcopo vel loci Archi-Diacono obedientiam faciant manualem, & ad Synodos veniant, & Capitula certis temporibus & ſtatutis, recepturi mandata Eccleſiaſtica & prolaturi ſuis Dominis & eorum caſtrenſibus, ſecundum quod fuerit opportunum. Cum plebani, in quorum terminis caſtra conſiſtunt, hoc facere frequenter non audeant, propter tyrannidem Dominorum. Qui autem ante obedientiam præſtitam Capellas tales officiare preſumpſerint, a Prelatis ſuſpenſi & excommunicati per vicinarum Eccleſiarum plebanos tanto tempore denuntientur, quousque ſatisfaciant, & obediant, ut eſt (e) dictum. Statuentes etiam ſub excommunicationis pena jam late ſententie, diſtricte mandantes, ut ſi quis (f) preda vel ſpolium ſpiritualium perſonarum, ſeu etiam Eccleſiaſticam perſonam captivam ad aliquam civitatem, villam vel oppidum ſive caſtrum adduci contigerit. Sacerdotes Capellani civitatum, villarum, vel caſtrorum; poſtquam hoc ſciverint, non exſpectato ſuper eo Superioris mandato, abſtineant à Divinis.

(e) debitum (f) ſi quando

Summarius.

Canonici solitam reverentiam Prælatis suis subtrahentes exclusione a consortio Capituli, & ad arbitrium Episcopi puniantur. Ipsis autem temere se Capitulo ingerentibus, usque ad satisfactionem cessetur a Divinis. Prelati autem & Canonici, qui prædictos transgressores ad Capitulum sine emendatione admittunt, excommunicentur.

Ex Concilio Aschaffenburgensi D. Gerhardi.

Præterea in quibusdam Ecclesiis Conventualibus talis consuetudo invaluit ex antiquo, quod Prælatis earundem Eccesiarum in assurgendo & in aliis prerogativis, a Canonicis exhiberi consuevit reverentia specialis: ut per hujusmodi insignia ipsi Prelati, qui columne Ecclesiarum censentur, ab aliis simplicibus Canonicis possint discerni. Sed quidam Canonici immemores juramenti in eorum receptionibus præstiti de Ecclesiarum consuetudinibus observandis; nec advertentes, quod sicut legum, sic antiquarum consuetudinum transgressores juxta utriusque juris præcepta non immerito sunt plectendi, quod contra hujusmodi consuetudines rationabiles, juri consonas & præscriptas, quadam arrogantia vel simultate motu proprio venire præsumunt. Propter quod non est dubium inobedientiæ notam, debitam Prelatis reverentiam subtrahendo & perjurii reatum contra suarum Ecclesiarum consuetudinem veniendo, prædictos incurrere presumptores. Considerantes igitur, quod Ecclesiasticus ordo confunditur, cum unicuique honor debitus non servatur, & antiquas honestates & approbatas consuetudines & omnia Ecclesiarum jura illibata servare volentes, Predecessorum nostrorum consilio annectendum duximus, statuendo, ut quicunque Canonicorum reverentiam Prelato suo debitam, juxta consuetudinem in sua Ecclesia approbatam, proprio motu subtraxit trina vice, & de hoc per duorum de Capitulo juramentum ipsi Capitulo facta fuerit fides: a consortio sui Capituli, & perceptione proventuum sue Prebende tamquam inobediens & perjurus, ad arbitrium sui Episcopi ipso facto, auctoritate hujus Concilii sit exclusus per ipsum Episcopum, si ejusdem presumptoris meruit pertinacia, gravius puniendus. Si qui vero Prelati, vel Canonici, presumptores hujusmodi (dispensatione a suo Episcopo non obtenta) ad Capitulares tractatus, vel ad perceptionem suarum admiserint Prebendarum, excommunicationis sententiâ hujus sacri Concilii approbatione decernimus percellendos. Quod si presumptores prefati tractatibus capitularibus se ingerere, aut prebendarum suarum proventus ante dispensationem super predicta inobedientia & perjurii nota a suo Diœcesano ipsis impensam: temeritate propria ipsis contingere (g) presumpserint ullo modo, extunc in illa Ecclesia, cui talis contumelia fuerit irrogata: octo dierum per ejusdem Ecclesie Capitulum monitione premissa, cessetur ab officiis Divinorum, usque ad predictorum excessuum satisfactionem condignam juxta Diœcesani, & lese Ecclesie Capituli arbitrium imponendam. Si autem iidem presumptores post cessationem Divinorum infra duos menses non satisfecerint plene de commissis, vel saltem non inceperint emendare, per suos Diœcesanos Beneficiis Ecclesiasticis spolientur.

Summarius.

Ecclesiastici fideliter orent Deum pro Rege Romano, Regina & liberis suis.

Ex Concilio Moguntin. D. Petri.

Insuper universis Sacerdotibus, & cunctis, qui Christiana Religione censentur, tam religiosis quam sæcularibus constitutis per civitatem, Diœcesim & Provinciam Moguntinam injungimus & mandamus, ut pro Gloriosissimo Rege nostro Domino N. Romanorum Rege semper Augusto, & pro Serenissima Domina nostra Regina, Romanorum semper Augusta ejus Uxore, Domina nostra, nec non eorum liberis, in Missis & Orationibus suis devotissime deprecentur Deum, ut eos semper dirigat & conservet in bono. Amen.

DE POSTULANDO.

Summarius.

Sacerdotes non nisi pro certis personis postulare permittuntur.

Ex Concilio Fritzlariensi D. Siffridi.

Item cum Sacerdotis sit, nulli no-

 cere

(g) colligere

cere, omnibus velle prodesse, districte precipimus, ne Presbyteri, nisi pro se ipsis, Ecclesia sua, vel dum necessitas imminet, pro personis conjunctis vel miserabilibus vel Dominis suis, & tunc gratis & sine quæstu quolibet postulare presumant, alias a patrocinio repellantur, quod multo fortius de Ecclesiarum (b) Prælatis volumus observari.

Summarius.

Religiosi tamen in Monasteriorum suorum causis advocare permittuntur.

Statutum D. Wernheri.

Preterea cum servum Dei non oporteat litigare: omnibus religiosis præcipue Monachis (qui non docentis sed plangentis habent officium) advocationis officium sub quocunque pretextu, nisi de licentia Prelatorum suorum literis declarata, & in causis Monasterii sui tantum, inhibemus, sub interminatione Divine maledictionis & sub pena suspensionis ab officio, quam extunc ferimus, exercere. Statuentes, ut Prelati, qui tale genus potius ranarum coaxantium, quam Monachorum regulari discipline vacantium neglexerint, districtione, qua convenit, coercere, suspensionem ab administratione spiritualium & temporalium, incidant ipso facto.

Summarius.

Monachi neque in Ecclesiastico neque civili judicio, nisi pro Monasterio suo advocare præsumant.

Ex Concilio D Wernheri.

Ceterum cum dicat A. [i] *Nemo militans Deo, implicet se secularibus negotiis.* Et juxta decretum Eugenii Pape. Nullus Monachorum pro lucro terreno de Monasterio exire nefandissimo ausu presumere debeat: sacrorum Canonum statuta imitantes, districtius inhibemus, ne quis Monachus in quocunque judicio Ecclesiastico vel civili præsumat aliquatenus advocare, nisi forte de licentia &c. ut supra.

DE HIS, QUE VI METUSVE CAUSA FIUNT.

Summarius.

Metus amissionis rerum aut corporis, nisi legitime probatus, Clericos, quominus superiorum mandata exequantur, non excusat, in non faciendis autem nullus omnino excusat.

Ex Concilio Fritzlariensi D. Siffridi.

Quia Clerici & Religiosi nonnulli, non attendentes, quantum sit obedientie bonum, quod victimis antefertur, & quod peccatum est ariolandi, nolle acquiescere, (k) & scelus idololatriæ obedire non velle, amissionem rerum suarum & corporis, vanum metum allegant frequenter, ne cogantur mandatum exequi Prælatorum, quocunque (l) prosperitatis tempore multa bona receperint, laute vixerint de Patrimonio Crucifixi, imminente Ecclesie necessitatis articulo, pro honore *illius* adversitates sustinere detrectant, qui cum foret summe dives, ad obediendum Deo, qui pro nostra salute onus subiit voluntarie paupertatis; ex quo propter contemptum clavium Ecclesie, nervus Ecclesiastice discipline dissolvitur, & animas miserabiliter periclitari contingit, sacri hujus Concilii necessaria deliberatione statuimus, ut nulla rerum perditio, aut metus corporis, legitime, nisi sit probatus, subditos inobedientes, mandatum Prelati exequi non curantes, valeat excusare, adeo quod si metus corporis, non simplici proprio juramento, sed legitimis coram eo, a quo mandatum subditus recepit, ostensus fuerit documentis, nihilominus loco cedat, ne notam transgressionis incurrere videatur. In his autem, que in non faciendo consistunt, ut puta, cum mandatur non communicare excommunicatis, non celebrare coram interdictis, ac aliis hujusmodi, nullus omnino nec rerum, nec corporum quantumcunque probatus fuerit metus, excuset, cum pro nullo metu quis debeat peccatum mortale committere, quod ex inobedientia surgere Sanctorum auctoritatibus comprobatur.

Summa-

(b) Presbyteris (i) Apostolus, II. Tim. II, 4. (k) I. Regum XV, 23.
(l) qui, cum *Lunig Continuat. II. Specilegii Ecclesiastici pag.* 42.

Summarius.

Excommunicationis, suspensionis, vel interdicti absolutionem, vel revocationem extorquens, excommunicatus est ipso jure.

EX Concilio Domini Petri.

(*l*) Nos, qui absolutionem, vel quamcunque revocationem ab excommunicationis, suspensionnis vel interdicti sententiis per vim vel per metum extorserint, cum hoc, (*ll*) quod hujusmodi revocationis sententie subjacere.

DE ALIENATIONE JUDICII MUTANDI CAUSA FACTA.

Summarius.

Actioni cessurus justa de causa, & in judicis presentia ac licentia cedat, se quoque vere cedere juret.

EX Concilio quo supra.

Quia plerumque cessiones actionum in fraudem fiunt. (*m*) Aliqui vero jure & simpliciter ex causa legitima vel ex causis; statuimus, ut cessiones actionum, que justis causis vel causa precedunt, in præsentia Episcoporum, seu Judicum, vel Officialium suorum de licentia eorundem (si subsunt legitime causæ) fiant. Jurent (*n*) etiam cedentes, quod non simulate sed vere cedant, alioquin secus factas decernimus non tenere

LIBER SECUNDUS.

DE JUDICIIS.

Summarius.

Qui propter crudelitatem vel potentiam commode citari non possunt, in eorum Parochia citentur. Quod si fieri non potest, & id legitime probari, sint quoque citandi infra unam dietam a Cathedrali, in eadem tribus Dominicis, alioquin ad tres quindenas in ambone publice citentur.

Ex Concilio Fritzlariensi D. Siffridi.

Et quia quidam per potentiam, quidam propter crudelitatem magnam personaliter citari non possunt, quidam etiam, qui in castris habitant, ita quod nulla ad eos citatio possit pervenire. Idcirco provida & necessaria deliberatione statuimus, ut contra tales, citationes (*o*) edictum, apud Parochialem ipsorum Ecclesiam publice & legitime proponatur. Quod si Parochialis Sacerdos tales citare non posset, coram superiore (*p*) non simplici vel proprio juramento, sed justis probaverint documentis, in Cathedrali Ecclesia tribus Dominicis continuis publice citentur in ambone, dummodo citandi infra unam dietam sint a Cathedrali Ecclesia constituti. Alioquin ad tres quindenas solenniter evocentur, & extunc contra hujusmodi ac si personaliter citati fuerint, procedatur (*q*) ne ex malicia commodum valeant reportare, statutum novissime celebratum, quantum ad hunc articulum, corrigentes.

Summarius.

Reus per se vel alium nuncios judiciales quomodocunque offendens pro convicto habetur. Actor in reconventione super actione instituta amplius non auditur, uterque vero & omnes, talia perpetrantes ad satisfaciendum judicibus & læso excommunicatione compelluntur.

Ex Concilio ubi supra.

Præterea quidam crudeles homines & perversi, dum ad forum Ecclesiasticum, in causis etiam, de quibus merito Ecclesia habet cognoscere, ab actoribus advocantur, illius auctoritatis, qua dicitur, *Qui honorat missum, mittentem honorat*, immemores existentes, nuncios Ecclesiasticorum Judicum, citationis, excommunicationis, vel alias judiciales, vel juris literas deferentes, verbis probrosis, & quibuscunque diris verberibus, quosdam etiam captivantes, alios interdum suis rebus temere & publice spoliantes multipliciter afficiunt & perturbant, & impediunt citationum & literarum executiones, in non modicam Ecclesiastice libertatis contumeliam & jacturam. Considerantes igitur maliciis hominum obviviandum,, & non esse aliquatenus indulgendum, hoc sacro approbante Concilio duximus statuendum, ut reus nuncios, acta judicialia deferentes per se vel per alium verberans, spolians, vel captivans, lite etiam non contestata, auctoritate hujus Concilii habeatur penitus pro convicto,

(*l*) Eos, (*ll*) quod hujusmodi revocationes sint irritæ, statuimus & publicamus, excommunicationis sententiæ subjacere. *Lunig. loc. cit.*
(*m*) alienam, non procedentes (*n*) jurent (*o*) citationis
(*p*) motivo sufficienti, vel proposito juramento, vel justis
(*q*) *Deest in typo Moguntino A. 1509.*

victo. Actor vero in causa reconventionis, si talia perpetrare per se vel per alium (r) non formidans, super instituta contra reum actione, amplius nullatenus audiatur. Et insuper uterque ac omnes alii, qui nomine & occasione eorum talia facere præsumpserint, usque ad condignam satisfactionem leso & judicibus, summaria cognitione super hujusmodi forefacto præhabita, excommunicationis sententia percellantur.

DE FORO COMPETENTI.

Summarius.

Actor Clericum malitiose trahens ad seculare iudicium, postea coram Ecclesiastico etiam judicio non auditur. Judex autem, qui citationem decernit, excommunicetur.

Ex Concilio Moguntino D. Gerhardi.

Ad hoc (s) quod Prælati tam Regulares quam seculares & alii Clerici passim trahuntur contra Ecclesiasticam libertatem ad judicium seculare, cum hoc penitus sit absurdum: Statuimus, ut actor, qui talem malitiose attentaverit actionem, etiam coram Ecclesiastico Judice conquerens, postmodum nullatenus audiatur, & nihilominus, si compertum fuerit eum de Ecclesiastica persona calumniose hujusmodi movisse querelam, ipse Judex, qui ea recepta citationem emisit, excommunicationis sententia constringatur usque ad condignam satisfactionem artius evitandus.

Summarius.

Pro nulla re persona Ecclesiastica ad judicium trahatur seculare.

Ex Concilio Aschaffenburgensi D. Gerhardi.

Preterea nullus Ecclesiasticam personam in criminali causa, vel civili quæstione, nec (t) aliquam pro rebus, bonis, vel possessionibus Ecclesiarum, sive jure personali (quod vulgo *Libgeding* dicitur) (u) quis earundem Ecclesiarum possessiones vel bona possideat, sive alio quicunque titulo, trahere presumat in judicium seculare.

Summarius.

Judices Ecclesiastici de causis mere laicis se non intromittant.

Ex eodem Concilio, quo supra.

Huic adjicimus sanctioni, *prioris Statuta Concilii* sectantes, ne Prelati, vel quilibet Judices Ecclesiastici de causis, quas habent ad invicem laici, se nullatenus intromittant, nisi tales sint cause, quas ad forum Ecclesiasticum non sit dubium pertinere, ne ex hoc seculare judicium (quod est valde in congruum) enervetur.

DE SEQUESTRATIONIBUS

Summarius.

Redditus Parochialis Ecclesie vel Capelle vacantis, a duobus ejusdem Capituli Presbyteris collecti, victori assignentur, ejusdem autem investitor, sub pœna restitutionis dupli, & privationis investiendi in perpetuum, nihil de eisdem sibi usurpet.

Ex Concilio Moguntino. Moguntinum impr. Aschaffenburgensi, & Lunig.

Ad hec quandam consuetudinem imo potius corruptelam vidimus, que in quibusdam partibus inolevit, videlicet, quod aliqua Ecclesia Parochiali vacante, plures ad eam Clerici a diversis Patronis in discordia presentantur: quibus coram Diœcesano, vel loci Archi-Diacono super ipsa Ecclesia contendentibus, is, ad quem investitura, vel institutio Ecclesie talis spectat, redditus sive fructus ipsius sequestrat, & in suos usus convertit, lite coram ipso durante. Immo quod deterius est, & merito detestandum, litem, cui juxta utriusque juris præcepta finem imponere deberet, per diversos circuitus satagit prorogare, ut sic de predictis redditibus magis & magis valeat imbursare. Cum igitur hujusmodi consuetudo animabus pernitiosa & sacris Canonibus sit repugnans, hujus sacri Concilii approbatione statuimus, ut non obstante consuetudine supradicta (quam penitus reprobamus) per omne illud tempus quo Parochialem Ecclesiam vel Capellam Vicariam vacare contigerit, is ad quem investitura vel institutio ejus spectat, per duos idoneos Presbyteros & illius

(r) similia (s) Ad hæc
(u) quamvis, *pro*: quis. *Lunig*: qui.

(t) ut, *pro*: nec

illius Capituli, in quo Ecclesia vel Capella talis consistit, universos redditus sive fructus, qui vero Rectori cedere consueverunt, faciat, procuret, & mandet colligi & fideliter conservari, ita quod ei, qui vicerit, totaliter assignentur. Alioquin si ille, ad quem vestitura pertinet, de hujusmodi redditibus occulte vel manifeste aliquid sibi servaverit, ac usurpare presumpserit, jure investiendi ad aliqua Beneficia obtinenda in perpetuum sit privatus. Et tale jus ad Superiorem proximum devolvatur. Qui etiam duplum ejus, quod per hujusmodi sequestrationem recepit, irremissibiliter restituere teneatur.

DE JUREJURANDO.

Summarius.

Monachorum, & Canonicorum regularium, vel secularium contra Canonicas sanctiones confederatio, sive fiat interposita cautione, sive sine ea, neminem obligat, ipsi autem conjurantes sunt excommunicati; & detecta conjuratione, hi quidem a Monasteriis suis excludendi, illi vero Officiis & Beneficiis suis privandi.

EX Concilio Fritzlariensi D. Siffridi.

Excommunicamus preterea Clericos, Monachos & Canonicos universos, qui colligationes sive confederationes ullas fecerint, fidei vel juramenti interposita cautione, sive in detectionibus faciendis, sive pro aliis quibuscuque negotiis contra Canonicas sanctiones. Cum ex hujusmodi colligationibus suboriantur discordie, que Ecclesiasticam dissolvunt disciplinam, bona Ecclesiastica dissipant, & pericula patiuntur animarum: volentes ex confederatione hujusmodi neminem obligari. Eadem quoque excommnicationis sententia innodamus eos, qui conjurationes sive confederationes tales fecerint, sine difficultate & dilatione quomodolibet, quousque ab invicem se absolvant. Et quicumque detecti fuerint, confederationes hujusmodi attentare, si Monachi aut Canonici fuerint regulares, de suis Monasteriis tamquam membra putrida excludantur. Si Clerici seculares fuerint, Officiis & Beneficiis in perpetuum spolientur.

DE APPELLATIONIBUS.

Summarius.

Appellantes a sententia diffinitiva, si infra duos menses appellationem non persequuntur, ab inferioribus judicibus in pristinas sententias retrudantur, eisque stare cogantur, donec vel appellationem persequantur, vel pareant judicatis.

EX Concilio Moguntino D. Petri.

Quia sepe contingit in causis appellationum interpositarum a sententiis diffinitivis revocari per Superiores, ante omnia secundum formam juris attentata: & absolvi appellantes, & ipsis revocantibus, predicti appellantes in elusionem juris, judicum, & partis appellate a prosecutione appellationis suæ desistunt. Ne igitur provisio facta ad remedium (ut experimento didicimus) tendat ad noxam, statuimus, ut si infra duos menses post revocationem hujusmodi ipsi appellantes prosequi appellationes suas non curaverint, extunc per inferiores judices, a quibus appellarunt, in pristinas sententias retrudantur, & tamdiu eisdem ligati publice denuncientur, quousque justa causa cessante ad appellationum suarum prosecutionem moram expiando redire festinent, (*x*) vel pareant judicatis.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

summarius.

Clerici officia & commercia secularia non exerceant. Tabernis, nisi in itinere, choreis & spectaculis non intersint. Tonsuram congruam habeant, caste vivant. Propter incontinentiam autem suspensi, si celebraverint, & Beneficiis priventur, & perpetuo deponantur, a solo Papa dispensationem obtenturi.

EX Concilio Fritzlariensi D. Siffridi.

Clerici officia vel commercia secularia non exerceant, maxime inhonesta, prorsus tabernas evitent, nisi forte causâ necessitatis in itinere constituti. Choreis & publicis spectaculis non intersint, (*y*) coronam & tonsuram habeant congruentem, ad quod per Prelatos suos per subtractionem beneficii & officii compellan-

(*x*) *Reliqua omissa in impresso Moguntiæ A.* 1509.

(*y*) cômam & tonsuram.

pellantur. Et si Prelati eorum in his desides fuerint & remissi, per Episcopum suum vel Metropolitanum (si Episcopus negligens fuerit) a suis dignitatibus suspendantur, & ut Clericorum mores & actus in melius reformentur; continenter, & caste vivere studeant universi, presertim in sacris Ordinibus constituti, quatenus in conspectu Dei Omnipotentis puro corde & mundo corpore valeant ministrare. Quicumque autem propter vitium incontinentie a suo Prelato suspensus presumpserit celebrare Divina, non solum Ecclesiasticis spolietur Beneficiis, verum etiam pro hac duplici causa perpetuo deponatur. Nec credat aliquis posse per alium cum talibus celebrantibus, nisi per Romanum Pontificem dispensari.

summarius.

Clerici vagabundi non recipiantur, nihil eis detur, ad Ordines & Beneficia, nisi bene prius emendati, non admittantur. Pauperes tamen tam Clerici, quam Laici justa necessitate peregrinantes, ab eleemosyna & hospitio non excludantur.

Clericos vagabundos (quos vulgus *Eberhardinos* vocat) quorum vita est Deo odibilis, & laicos scandalizat: *priori inherentes Concilio* a Clericis & personis Ecclesiasticis (z) recipi prohibemus, firmiter (a) statuentes, ne aliquid eisdem detur. Nolumus tamen, ut hujus occasione statuti, Clerici, vel seculares pauperes, quos quæcunque justa necessitas peregrinare compellit, a charitatis operibus excludantur, dummodo pauperes eleemosynam vel hospitium sibi postulent intuitu Divine remunerationis impendi, cùm necessitatis tempore sine personarum differentia eleemosyna sit impendenda, adjicientes, qui *Eberhardini* prefati vitam ducunt reprobam & infamem, ne ad sacros Ordines vel Ecclesiastica Beneficia aliquatenus admittantur, ut nostrum non vituperetur ministerium, nisi per longam morum emendationem, ac honeste vite conversationem (Diœcesani judicio moderandam) temporis anteacti inventi fuerint infamiam expiasse, & tunc dispensative ad sacros Ordines & Ecclesiastica Beneficia eis aditus concedatur.

summarius.

Clerici vagabundi celebrare presumentes, de mandato Episcopi vel Archi-Diaconi cum auxilio, si opus est, seculari incarcerentur.

Ad hec, quia Clerici vagabundi (qui *Eberhardini* dicuntur) quorum vita Deo est odibilis, Clericos & ipsos laicos scandalizant, discurrendo per terras in villis, que carent propriis Sacerdotibus, alioquin (b) celebrare presumunt, seu quod verius est, quantum in ipsis est, Divina Officia prophanare, statuimus, ut tales ad mandata tum Diœcesani, seu loci Archi-Diaconi teneantur in custodia carcerali. Ad hoc, si necesse fuerit, invocando auxilium brachii secularis, salvis nihilominus constitutionibus contra tales a nostris Predecessoribus promulgatis.

summarius.

Monialium claustra nullus Clericorum, Monachorum, aut Prelatorum sine necessitate ingrediatur. Ipse etiam Moniales clause, de Monasteriis, nisi ex necessitate non ingrediantur, Prelatis suis obediant, nemini nisi de eorum licentia confiteantur, & fenestre earum parlatorie duplicata habeant ferramenta.

EX Concilio Fritzlariensi D. Siffridi.

Claustra Monialium nullus Clericorum vel Monachorum, sine causa honesta & bono testimonio introeat. Alioquin Prelatus suus ipsum debite subjiciat ultioni. Neque Moniales de suis egrediantur Monasteriis, nisi Monasteriorum necessitas id exposcat, & tunc velate incedant. Illis autem tamen ob hanc causam egredi liceat, quibus administratio est commissa, vel que a Superiori hoc receperunt in mandatis: hoc quidem non de illis Monialibus, que clause sunt, volumus intelligi, cum illis exire omnino non liceat, sed de illis, que sine clausura vitam consueverunt ducere laxiorem. Statuimus insuper, ut in singulis Monasteriis fenestre parlatorie duplicata habeant ferramenta. Et ut Moniales suis Prepositis, & Prelatis in rebus licitis & honestis obediant, nec (c) cuicunque propter eorum licentiam sua confiteantur peccata. Ipsi autem Prepositi, sive Prelati claustra Monia-

(z) velut personas Ecclesiasticas, *pro:* & personis Ecclesiasticis.
(a) finaliter, *pro:* firmiter. (b) aliquando (c) cuiquam alteri

Monialium nullo modo introeant, nisi magna & evidens causa necessitatis id exposcat.

summarius.

Sacerdotes superpelliciis, & Campanarii camisiis, ex eleemosynis Parochie, aut propriis sumptibus procuratis in Divinis Officiis & Sacramentis ministrandis utantur. Alioquin Sacerdotes cessent a Divinis: damnum autem in oblationibus sibi tunc emergens populus refundat. Rurales etiam Presbyteri, loco campanariorum personas literatas disponant, quibus campanariorum emolumenta cedant, neque tales sine Archi-Diaconi consensu amoveantur.

EX Concilio, quo supra. Aschaffenburgensi impr. Mog. A. 1509.

Item, quod Sacerdos & Campanarii, qui Sacerdotibus ad altare, circa Baptismum, deportationem Olei, & Corporis Domini ad infirmos assistunt, & (juxta quod officium eorum requirit) ministrant, super vestimenta sua superpelliciis, Sacerdotes & Campanarii camisiis albis utantur, districte precipimus observari. Quas quidem camisias campanariorum & superpellicia Sacerdotum populus cujuslibet Parochie, quando & quotiens necesse fuerit, de eleemosynis, que in Parochia haberi possunt, procurent, alioquin de suis propriis sumptibus procurabunt. Approbatione totius Concilii statuentes, ut Sacerdotes, qui post publicationem hujus (*d*) statuti superpellicium pro se, & camisiam pro suo campanatore non habuerint, infra duos menses post eandem publicationem (*e*) prime subsequentes, tamdiu cessent ab officiis Divinorum, donec defectus hujusmodi suppleatur, & damnum, quod ex tali cessatione in oblationibus contigerit, Sacerdotem sustinere, per populum sue Parochie refundatur eidem. Verum quia (*f*) in Parochiis ruralibus plurimum & maxime hoc contingit, quod propter defectum Clericorum, Sacerdotes solos oporteat celebrare contra Canonicas Sanctiones, inhibemus, ne Presbyter sine Ministri suffragio Divina Officia, & maxime Missarum solennia celebrare presumat, inherentes *Concilio Tholetano*, ubi dicitur: *Væ soli,* (g) *quia cum ceciderit, non habet sublevantem.* Provida deliberatione sacri Concilii duximus statuendum, ut omnes Sacerdotes in villis, extra oppida celebrantes, loco campanariorum illiteratorum, personas de cetero habeant fide dignas, legere & cantare scientes, que quidem persone de ornatu Parochie fideliter conservando sufficienti prestita cautione universos redditus percipiant campanariis laicis hactenus deputatos: Nec ab illis officiis sine Archi-Diaconi consensu valeant amoveri. Alioquin contrarium facere presumentes, per Diœcesanum vel loci Archi-Diaconum ad id compelli poterunt faciendum, Ecclesiasticam per censuram.

Summarius.

Sacerdotes Eucharistiam ad infirmos deferentes calopedibus non incedant. Nullus etiam Beneficiatus, vel in Sacris constitutus, ullam ejusdem loci Ecclesiam tempore Divinorum sine habitu religionis, aut mitratus sub pœna suspensionis ingrediatur.

EX Concilio Aschaffenburgensi.

Et licet omnes Christi Fideles in deportatione Venerabilis Eucharistie ad infirmos sequi conveniat reverenter, precipue tamen Sacerdotes, dum ipsum Dominicum corpus in manibus suis gestant, procedere condecet humiliter & devote, obinde precipiendo statuimus, ut nullus Sacerdos in deportando hujusmodi maximum & saluberrimum Sacramentum, quantumcunque aura mala, via lubrica, vel lutosa existat, (*h*) in calopedibus ire presumat. Item precipimus, statuimus, & monemus, quod nullus Beneficiatus, vel in sacris Ordinibus constitutus, Ecclesiam, vel Chorum Ecclesie Cathedralis, aut aliarum Ecclesiarum tempore Divini Officii sine religione, vel mitratus intrare presumat. Contrarium facientes, pœnam suspensionis incurrant, per Decanos, sive Prelatos, sive alios Superiores Ecclesie illius, quibus constiterit, aut per nos infligendam.

Summa-

(*d*) hujus Concilii (*e*) proxime sequentes
(*f*) plerumque & maxime in Parochiis (*g*) Ecclesiast. IV, 10.
(*h*) Calopodium, genus calcei ex ligno, quod sollum socculum vel calopedes vocant.

Summarius.

Clerici vagabundi, Goliardi, sive Joculatores, si per annum tales permanserint, Clericali careant privilegio, & ad nullos Canonicos actus admittantur.

Ex Concilio D. Petri.

Cum Clerici vagabundi seu Goliardi non modicum detrahere dinoscantur Clericalis Ordinis dignitati, statuimus, ut si per annum artem predictam ignominiosam exercuerint, ex tunc careant omni privilegio Clericali, neque ad aliquos actus canonicos & legitimos admittantur, sicque publica respersi infamia & repulsa, ruboreque suffusi, a statu hujusmodi pestifero retrocedant.

Summarius.

Clerici beneficiati per assumptionem status secularis apostatantes, si ad Ecclesiam vel Prebendas redire voluerint, tamdiu inclaustrentur, quamdiu se ab Ecclesia vel Prebenda alienaverant.

Ex Concilio Fritzlariensi 171. *Contra Clericos militares, qui quemcunque habitum portant Clericalem, quemcunque secularem.*

Contra Clericos militares, qui Clericali stemmate derelicto (g) comam nutriunt, & gestant habitum laicalem coram Prelatis suis, & in Ecclesiis, & in quibus habent beneficia, neque reverenter incedunt, demum post tyrocinia, & actus alios militares, quos interdum exercent, habitum pristinum resumentes, ad beneficia se per ipsa admitti impune desiderant. Sic terram viis duabus ingredi non verentur. Hoc sacro Concilio approbante statuimus, ut apostatantes hujusmodi, si antequam a suis Prelatis, sive Capitulis evocati, & prius quam habitis beneficiis fuerint spoliati, ad suas Ecclesias sive Prebendas redire voluerint, non aliter admittantur, nisi disciplinæ claustralis carcerem tanto tempore sustineant, quanto a suis Ecclesiis constiterit eos se taliter alienasse. (h) Ne minus satisfactionis prolixitas, quam prevaricationis diuturnitas prorogetur.

DE COHABITATIONE CLERICORUM ET MULIERUM.

Summarius.

Prelati, quorum interest, publicam Clericorum & Mulierum cohabitationem corrigant. Qui autem hoc propter quæstum negligunt, a Prælationis sue honore dejiciantur. Et hoc ad minus semel in anno in Archi-Diaconali Capitulo, & semel in Episcopali Synodo publicetur. Et quisquis eorum hoc omiserit, ab officio est suspensus.

Ex Concilio Fritzlariensi.

Publice cohabitationis vitium multis successive laboribus extirpatum, quorundam negligentia Prælatorum, imo, quod detestabilius est, aliquorum malitia, qui *questum existimant pietatem*, sentitur iterum pullulare. Qua propter Prælatis universis, Archidiaconis videlicet, Decanis, ac aliis, quorum interest hujusmodi excessus corrigere, hujus sacri Concilii auctoritate districte precipimus, ut tam periculose recidivo pervigili studio succurrere non prætermittant, ne subditorum sanguis de eorum manibus requiratur, ac eorum negligentia per locorum Episcopos gravissime puniatur. Si quis autem, quod absit, ob quæstum turpem, peccatum hujusmodi ad se delatum, in subditis suis fovere, vel dissimulare presumpserint, illi per suos Prælatos ab eis dejiciantur honoribus, quos acceptio sordium talium dehonorat. Ut autem hec statuta saluberrima districtius & efficacius observentur: *Auctoritas hujus Sancti Concilii* provida deliberatione constituit, ut singuli Archidiaconi in Capitulo Clericorum suorum bis vel saltem semel in anno ea publice legi faciant, & nihilominus semel in anno in Episcopali Synodo publicentur. Ne quis per ignorantiam se valeat excusare. Si quis autem in publicatione horum statutorum cessaverit, temporibus pretaxatis hujus sacri auctoritate Concilii, ab officiis noverint se suspensos.

Summarius.

Clericus post Canonicam admonitionem publice concubinam tenens, Officio, & Beneficio spolietur, quod si non curaverit, excommunicetur. Qui vero usque ad hec tempora eam tenuerit, si sit Cano-

(g) militari zeumate

(h) *Sequens comma abest ab impresso A.* 1509.

Canonicus, ad cibum quadragesimalem quadraginta diebus inclaustretur, quod si contempserit, neque Prebende sue fructus ei ministrentur, neque ad Chori & Capituli consortium admittatur, nisi penitentia peracta aut saltem incepta, & nisi juret eam non resumere. Quod si eam resumpserit, Beneficio privetur. Prelati autem hunc excessum dissimulantes excommunicationi subjaceant.

EX Concilio Fritzlariensi D. Siffridi.

Licet multa super incontinentia Clericorum, sanctorum Patrum hactenus emanarunt instituta, quia tamen adhuc nonnulli Clerici lumbos suos cingulo continentie, ut accepimus, non accingunt, & in anime sue grave periculum, & scandalum plurimorum, non attendentes, quod scriptum est. (*i*) *Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Nos, qui saltem circa undecimam horam missi sumus, ut nociva de vinea Domini Sabaoth ex officio Nobis injuncto, quantum ipse dederit, extirpemus, *quia* [*k*] *zelus nos comedit Domus Dei.* Hujus sacri Concilii approbatione duximus statuendum. Precipimus igitur, ut Clerici continenter & caste vivere studeant universi, maxime in sacris Ordinibus constituti, quatenus in conspectu omnipotentis Dei puro corde valeant ministrare. Si quis autem Clericorum visus fuerit deinceps incontinentie vitio laborare, detinendo concubinam, nisi post admonitionem Canonicam illam prorsus a se expulerit, extunc Officio & Beneficio spolietur. (*l*) Si vero tectorem sue libidinis non curaverit evitare, quia crescente contumacia crescere debet & pena, anathematis gladio feriatur. Qui vero obscenis voluptatibus inhiantes, concubinas ipsas usque ad hæc tempora publice tenuerint, ne delictum preteritum transeat impunitum, eos sub tali pena duximus religandos, ut si Canonici fuerint, quadraginta diebus in claustris suis quadragesimali cibo jejunent. Si autem hoc agere contempserint, Præpositis, Decanis, & Capitulis Ecclesiarum sub anathemate prohibemus, ne præbendarum fructus eis ministrent, vel ad chorum vel ad consortium Capituli eos admittant, nisi digna penitentia incepta vel peracta, & prestito juramento, quod eas ulterius non resumant. Qui vero sic amotas resumpserint, decernimus eos beneficiis esse privandos. Statuentes, ut illi ad quorum collationem eorum beneficia pertinent, ea personis idoneis *assignant* infra tempus (*ll*) *in Lateranensi Concilio* comprehensum, alioquin primus superior extunc ea studeat assignare. Si vero Decani vel alii eorum Confratres excessum scientes dissimulare presumpserint, eos excommunicationis vinculo subjacere denuntiamus.

SUMMARIUS.

Sacerdos publice concubinam tenens de facto est ab officio suspensus, qua sententia durante, si celebrat, a Diœcesi expellatur.

EX Concilio Moguntino D. Wernheri.

Item Sacerdos, qui (*m*) in domo publice ausu sacrilego presumpserit retinere, suspensionis ab officio sententiam Canonis incidat ipso facto, qua sententia durante, si Divina presumpserit celebrare, sciat se omni misericordia postposita, de nostra Diœcesi expellendum.

SUMMARIUS.

Archidiaconi Clericos suos rurales concubinarios foventes aut dissimulantes, sunt ab officiis suspensi, & si in tali presumptione permanserint, Episcopi eos a dignitatibus amoveant, & eas aliis assignent.

Ex Concilio Fritzlariensi D. Siffridi.

De Clericis concubinariis ruralibus rigor superius expressus observetur, quorum Archidiaconi, si eos in suis iniquitatibus voluerint confovere, vel eorum dissimulare excessus, sciant ab officiis se suspensos, & si in (*n*) presumptione permanserint, eos precipimus per Episcopos suos (*o*) vel alios, ad quos donatio spectat, personis idoneis assignentur.

(*i*) Levitici XI, 44. (*k*) Psalmo LXXVIII, 10. Joannis II, 17.
(*l*) *Sequens comma*: Si vero... feriatur, *abest ab impr. A.* 1509.
(*ll*) Lateran. Concil. anni 1215. Can. 14. (*m*) concubinam (*n*) in suspensione
(*o*) a dignitatibus removeri, quæ dignitates per episcopos, vel alios, ad quos denominatio spectat,

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.

summarius.

Presentie, que in Divinis Officiis, Vigiliis, & Missis Defunctorum distribuuntur, nonnisi interessentibus debentur, exceptis, quos aut egritudo aut evidens Ecclesie utilitas, aut Superioris excusat auctoritas. Preter has, aut alias causas, absentes, & presentias recipientes, ad restitutionem tenentur, a quo nulla eos consuetudo excusat.

EX Concilio D. Petri

Statuimus, ut in Ecclesiis Cathedralibus & aliis Collegiatis Canonici, & alii Beneficiati nullas distributiones quotidianas seu manualia Beneficia, que (*p*) tamen residentibus, & qui Divinis intersunt officiis dari debeant, in absentia percipiant. Qui vero aliter de distributionibus ipsis quicquam receperint, exceptis illis, quos corporalis necessitas, aut evidens utilitas Ecclesie seu Superioris auctoritas & dispensatio (*q*) revelat & excusat, ad restitutionem omnium que receperint, Ecclesie teneantur. Nec ante restitutionem ad Capitula seu tractatus Capitulares aliquatenus admittantur. Et idem de distributionibus pro defunctorum anniversariis largiendis decrevimus observandum. Contra predictam vero nolumus aliquam consuetudinem suffragari.

summarius.

Habentes in civitatibus unum Curatum, & aliud in Collegio Beneficium aut eligant alterum, in quo resideant, aut ad dimittendum unum compellantur, nisi ex gratia Episcopi ambo retinere permittantur.

EX Concilio Fritzlariensi.

Quia vero plebani civitatum, locum in Ecclesiis conventualibus obtinentes, circa curam Parochiarum frequenter occupati minus possunt in Ecclesiis, & maxime in prælaturis, quas obtinent (prout eorum spectat officium) deservire, statuimus, ut eligant, quod in Parochia vel in conventuali Ecclesia resideant, & ad dimittendam alteram compellantur, nisi utramque de gratia Archi-Episcopi vel Diœcesani, qui pro tempore fuerint, valeant retinere.

DE INSTITUTIONIBUS.

summarius.

Admittendus ad curam juret, in adeptione se Simoniam non commisisse.

EX Concilio Fritzlariensi.

Statuimus, ut nullus Clericus ad curam animarum admittatur ab Episcopo vel Archidiacono, nisi prius juraverit, quod nullam in adeptione Beneficii, ad cujus est curam presentatus, commiserit Simoniam.

summarius.

Clericus a Patronis sive laicis sive Clericis, sine Episcopi vel Archidiaconi licentia ad Beneficium institutus eodem Beneficio privetur: Ejusdemque collectio ea vice ad primum Superiorem devolvatur; Patronus autem temere de investitura se intromittens, si laicus sit, jure suo perpetuo privetur, Religiosi vero & illas & alias sibi unitas Ecclesias amittant.

EX Concilio Aschaffenburgensi.

Quanquam antiqua Predecessorum nostrorum statuta prohibere inveniantur, (*r*) ne aliquis Clericus a laico de Beneficio Ecclesiastico, in quo jus obtinet Patronatus, institui se permittat, sed potius presentatus ab eo, ab Episcopo, vel loci Archidiacono investituram recipiat ab altero eorundem, cui id de jure vel de consuetudine competit approbata. Licet etiam Templariis, & Hospitalariis, & aliis Religiosis in eisdem prohibitum sit statutis, ne Ecclesias Parochiales, quas de consensu Diœcesani & Cathedralium Ecclesiarum suis domibus, seu Monasteriis uniri obtinent, per suos Confratres officiare presumant; sed Clericos seculares Episcopis sive Archidiaconis locorum presentent, qui ipsos investient, tanquam perpetuos Vicarios in eisdem, ordinata ipsis competenti pro sua sustentatione prebenda. Quia (*s*) cum pena sufficiens nondum est prodita contra hujusmodi transgressores: Considerantes, quod facilitas venie incentivum tribuit delinquendi; sacri approbatione Concilii hujus hac pœna presumptores predictos duximus puniendos; ut Clericus a Patrono laico vel etiam Clerico in Beneficio Ecclesiastico sine Episcopi, vel loci Archi-Diaconi licentia, vel con-

(*p*) tantum residentibus
(*q*) *forte*: relevat
(*r*) districte præcipimus
(*s*) quare, *pro:* quia

consensu institutus, eodem beneficio in perpetuum sit privatus, & ipsius collatio ea vice ad Superiorem proximum devolvatur. De quo quidem beneficio, si temeritate propria intromiserit se Patronus, jure, quod sibi competebat in eo, perpetuo sit privatus. Templarii vero, & Hospitalarii, & alii Religiosi contrarium facere presumentes, non solum Ecclesias ea vice, sed etiam alias (si quas habebant) ipsis unitas sine spe restitutionis ipso jure hujus Concilii decreto amittant.

summarius.

Templarii, Hospitalarii, & ceteri Religiosi sine Episcopi vel Archi-Diaconi institutione in Ecclesiis Diœcesano subjectis celebrantes, sententias inter se vel Ecclesias suas latas violantes, eorum in predictis defensores : in talibus interdictis Ecclesiis celebrantes, & in eisdem Divina audientes, ipso facto sunt excommunicati, Prelati autem infra mensem, post monitionem Diœcesani hos excessus corrigere dissimulantes, una cum Conventibus suis, jus sibi & ordini suo in dictis Ecclesiis competens, de facto amittunt.

EX Concilio Aschaffenburgensi.

Ad hoc, quum Templarii, & Hospitalarii, & alii Religiosi, qui a Prelatis ordinis sui ad regendas Parochiales Ecclesias destinantur, Episcopis Diœcesanis subjectas sine institutione ipsorum, aut Archidiaconorum ministrare presumunt, in illis sententias Ecclesiasticas in se, vel in Ecclesias predictas ab Episcopo, vel Archidiacono, sive Decanó prolatas aliquotiens temeritate propria, & nonnunquam de Prelatorum suorum conniventia, vel mandato violare presumunt: dicentes, se ad observantiam sententiarum hujusmodi non teneri, obtentu privilegii ordinis sui ab Apostolica Sede concessi. Statuimus hoc sacro Concilio approbante, quatenus in predictis Ecclesiis sine institutione debita Diœcesani, ac Archidiaconi celebrantes, & sententias aut in se, aut in Ecclesias predictas per Diœcesanum, vel Archidiaconum, vel alios delegatos ipsorum prolatas violantes, exceptis casibus a jure permissis, nec non defendentes eos in contemptu hujusmodi, ac in Ecclesiis predictis interdictis celebrantes, aut audientes Divina, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, Prelati quoque eorum regulares, cum suis Conventibus scienter dissimulantes excessus hujusmodi, post admonitionem Episcopi Diœcesani corrigere infra mensem (*t*) jus sibi, & ordini suo in predictis Ecclesiis competens ipso facto amittant.

DE CONCESSIONE PREBENDE AUT ECCLESIE NON VACANTIS.

summarius.

Ad Canonicatus nondum vacantes, unus tamen eligi, & talis ad residentiam compelli debet, sed non nisi cum hoc justa necessitas, & utilitas exegerit, que ante hujusmodi electionem est Episcopo exponenda. Si vero plures simul, aut successive eligantur, ipso jure electio non tenet, & tunc Episcopus ad tot prebendas eligere potest, quot persone fuerunt nominate.

EX Concilio Aschaffenburgensi.

Item nullus in Canonicum eligatur Beneficio non vacante, nisi justa necessitas vel utilitas (*u*) id postulaverit, & tunc unum tantum & non plures assumi permittimus, & is qui taliter assumptus fuerit, statim ad residentiam compellatur. Si qui contra hoc statutum aliquos vel successive vel simul plures elegerint, quod factum est, ipso jure non teneat. Et Episcopus ad tot Prebendas potestatem habeat eligendi, quot persone fuerint assumpte, *hujus auctoritate Concilii* statuentes, ut ante receptionem persone in Canonicum assumende, persone necessitas, & utilitas ex receptione hujus secutura, loci Episcopo primitus exponantur, ne per surreptionis astutiam in fraudem hujus Concilii aliquid attentetur.

NE SEDE VACANTE ALIQUID INNOVETUR.

summarius.

Qui pro vacante Episcopatu aut Prelatura consequenda, potentum sibi laicorum attrahunt favorem, aut filiis suis beneficia pro assistentia permittunt. Ipso facto & jure sunt excommunicati, & deinceps ad hujusmodi dignitatem ineligibiles. Qui vero taliter ad Prelaturas aspirantibus pecunias mutuant, actione pro mutuo repetendo privatur.

EX

(*t*) infra mensem, *abest ab impr. A.* 1509.

(*u*) Ecclesiæ

EX Concilio Aſchaffenburgenſi, ex Fritzlarienſi impr. A. 1509.

Quoniam nonnunquam contingit, quod ad vacantem Epiſcopatum, vel aliam Prelaturam duo in diſcordia eliguntur, & alter, qui minori juri innititur, ut eum, cui majus jus eſt adquiſitum, per potentiam vel tedium fatigare & exhaurire poſſit, attrahit ſibi favorem potentum laicorum, quibus ut ei mutuent, & aſſiſtant, promiſſiones facit de beneficiis, filiis eorum conferendis, & de juribus, & de libertatibus Eccleſiaſticis remittendis. Nos huic morbo occurrere volentes, remedio ſalutari preſenti ſtatuto hujusmodi promiſſores, & potentûm laicorum attractores, volumus ipſo facto & jure excommunicationis eſſe ſententiis innodatos, & nihilominus eum fore ineligibilem ad hujusmodi dignitatem. Mutuatores etiam pecuniarum taliter in hoc caſu volumus carere actionibus, pro mutuo hujusmodi repetendo.

summarius.

Epiſcopo defuncto, vel Sede vacante Eccleſie bona occupans, de facto eſt excommunicatus, quem ſucceſſor ſine ſatisfactione & Capituli conſenſu abſolvi non patiatur.

EX Concilio Moguntino. EX eodem Fritzlarienſi impr. A. 1509.

Quicumque autem defuncto Epiſcopo relicta ab eo, ac ſede vacante, bona Eccleſie occupaverit, ipſo facto (quam nunc in talem ferimus) ſententiam excommunicationis incurrat, quam Succeſſor inviolabiliter faciens obſervari nullatenus relaxet, ſine reſtitutione, & ſatisfactione condigna de ſui Capituli conſilio & conſenſu.

UT ECCLESIASTICA BENEFICIA, SINE DIMINUTIONE CONFERANTUR.

summarius.

Laicus in Eccleſia Jus Patronatus habens, ſi in preſentatione ad eandem, decime vel aliarum obventionum partem ex pacto ſibi vel ſuis reſervat, excommunicetur, ejusque terra, donec Eccleſiam liberam demiſerit, interdicatur. Clericus autem talem præſentationem acceptans Officio & Beneficio privetur, neque ad Beneficia vel actus Eccleſiaſticos admittatur, niſi per Papam fuerit ſecum diſpenſatum: Epiſcopus vero vel Archidiaconus, qui talibus ſcienter curam committit animarum, perpetuo a Beneficiorum inſtitutione ſuſpendatur.

EX Concilio Fritzlarienſi.

Quoniam in quibusdam Alemanie partibus Fundatores Eccleſiarum, vel heredes ipſorum, poteſtate (in qua hucusque Eccleſia eos ſuſtinuit) abutuntur, partem decimarum vel aliarum obventionum Eccleſiaſticarum, in quibus jus obtinent Patronatus, ſibi retinentes ex pacto, cum preſentant Clericos ad easdem: Huic vulneri canceroſo & ſimoniaco cenſure ferrum (x) apponimus, decernentes, ut ex quo conſtiterit Patronum hoc perpetraſſe flagitium, anathemate feriatur, & ejus terra ponatur ſub Eccleſiaſtico interdicto, donec Eccleſiam liberam ſub ſuo jure dimittat, ſalvo jure Patronatus, quod eis de jure reſervamus, quod (y) poſſint per juris ignorantiam excuſari. Qui vero ceca cupiditate ducti taliter a Patronis preſentationem receperint, Officio, Beneficioque priventur, nec ad Beneficia vel actus Eccleſiaſticos admittantur, niſi per Sedem Apoſtolicam ſecum fuerit diſpenſatum. Epiſcopi vero vel Archidiaconi, qui talibus ſcienter curam commiſerint animarum, ab inſtitutione Beneficiorum & collatione perpetuo ſint ſuſpenſi.

summarius.

Clerici notantes ſe a Patronis certa Beneficii ad quod præſentandi ſunt, portione privari; ſi id Epiſcopis non conqueruntur, ab eisdem & ſuſpendantur & Beneficiis priventur. Si vero conqueſti ſint: Epiſcopus talem Patronum per cenſuram Eccleſiaſticam cohibeat, & ſi pertinax perſtiterit, futura preſentatione privetur.

EX eodem Concilio quo ſupra.

Cum Beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione conferri debeant, quidam Eccleſiarum Patroni, (perſonis idoneis pretermiſſis) tales ad ea preſentant, qui portione quantalibet debeant eſſe contenti, reliquam totaliter uſibus ſuis applicando. Unde ad hujus mali perniciem extirpandam, ſtatuimus, ut ſi tales Cleri-

(x) frænum (y) cum poſſint, *impreſ. A.* 1509.

Clerici ſe portione debita ſpoliari videntes, ad Epiſcopum ſuum querelam non detulerint, auctoritate hujus Concilii ſint ipſo jure ſuſpenſi, & nihilominus eisdem Eccleſiis ſpolientur per Epiſcopum, & plebano idoneo provideatur de ipſis. Si vero ad Superiorem hanc detulerint queſtionem, ipſe Patronum per cenſuram Eccleſiaſticam ab hujusmodi moleſtationis onere compeſcat. Adjicientes nihilominus, quod ſi in hoc pertinax Patronus extiterit, ad preſentationem talis Eccleſie, cum proximo vacaverit, nullatenus admittatur.

DE REBUS ECCLESIE NON ALIENANDIS.

Summarius.

Sine conſenſu Capituli, Adminiſtratores, neque res Eccleſie penitus alienent, neque nemora ſecari faciunt. Abbates vero, & eorum officiati, ſi id fecerint, ab officiis in perpetuum deponantur, in mutuo autem & rerum immobilium obligatione, Canones obſerventur.

ex Concilio Fritzlarienſi.

Interdicimus etiam prioris Concilii Statuta ſectantes, ne Adminiſtratores de rebus ad eorum adminiſtrationem pertinentibus ſine conſenſu majoris & ſanioris partis Capituli quicunque (z) penitus alienare preſumant. Verbis autem alienationis, donationis, venditionis, obligationis, permutationis, vel emphitheoſim (*a*) (ſic in quibusdam Eccleſiis fieri conſuevit) perpetuum contractum volumus comprehendi, & ſi quid contra factum fuerit, irritum decernimus & inane. Foreſta quoque nemorum ſecari non faciant, ſine Fratrum conſilio & conſenſu, quod ſi fecerint, in uſum fratrum pretium convertatur. Abbas vero, vel officiati cujuscunque Monaſterii, ſi de rebus Eccleſie ſue quecunque citra formam Canonicam alienare preſumpſerint, ipſum Superior (cum id ei ex certis claruit argumentis) a ſuo in continenti deponat officio, nec de cetero ad dignitatem aliquam vel adminiſtrationem Eccleſiaſticam admittatur, niſi ſecum ſit per loci Epiſcopum miſericorditer diſpenſatum: auctoritate *preſentis Concilii* decernentes, ut in mutuo contrahendo, nec non obligatione immobilium ſacri Canones obſerventur, qui eos creditores tantum appellant, niſi probent mutuum in Eccleſie utilitatem ceſſiſſe.

Summarius.

Ad obligandum, nulli privato aliquid de rebus Eccleſie concedatur: conceſſa vero infra menſem redimantur, & Eccleſie reddantur.

ex eodem, quo ſupra.

Item de rebus Eccleſie & ornatu nulli private perſone ad obligandum aliquid concedatur, & ſi aliquibus ſunt conceſſa, illa infra menſem redimere & Eccleſie reſtituere compellantur.

Summarius.

In qualibet Eccleſia Procuratores Fabrice annuos ejus proventus in utilitatem Eccleſie convertant, & omni anno de ipſis rationem reddant: omnino autem caveant, ne inter perſonas dividantur, aut Prebendarum expenſe de eis ſolvantur, que ex ſuſpenſionibus ſunt faciende.

ex eodem, quo ſupra Concilio.

Item ſtatuimus, ut proventus annui fabrice, uni vel duabus perſonis fide dignis in ſingulis Eccleſiis committantur, qui eos ad opus Eccleſie convertant utiliter. Et ſingulis annis juſtam de ipſis & certam Capitulo reddant rationem, & ne idem redditus dividantur, vel ad expenſas meſſium vel autumni, ſeu extraordinaria onera convertantur, que de Prebendis ſuſpenſis ſunt potius facienda, diſtrictiſſime prohibemus.

Summarius.

Ornatus & libri Eccleſie ſemel ad minus in anno viſitentur, & ſub ſigillo conſcribantur.

ex eodem.

Statuimus (*b*) etiam, quod ornatus & libri Eccleſie bis vel ſemel ad minus in anno inſpiciantur a Capitulo diligenter, & ſub ſigillis Prelatorum & Capituli ponantur ſigillatim in ſcripto, ut ſciatur impoſterum, ſi de ipſis augmentatum ſit aliquid, vel ſubtractum.

Summa-

(z) quidquam (*a*) *lego*: emphyteoſeos (*b*) *Totum hoc Capitulum abeſt ab impr. A.* 1509.

Summarius.

Ecclesiarum, Dignitatum, & Officiorum ejus predia & redditus, ac ad quelibet officia spectantia, omnia sub sigillo Prelatorum & Capituli conscribantur.

EX eodem.

At quoniam pauci sunt in singulis Ecclesiis, qui predia & redditus plene cognoscant, nisi illi officiati forsan fuerint: & multa, vel aliqua propter negligentiam officiatorum vel statum temporis inequalem, ex eo sunt perdita vel distracta; (*b*) Statuimus, quod predia & redditus Ecclesiarum communes & specialiter dignitatum & officiorum, & (*c*) que quali ratione cujuslibet officii fieri debeant, sub sigillo Prelatorum & Capituli plenissime conscribantur.

Summarius.

Residentes & de licentia Capituli in studio existentes equaliter participant redditus comparatos de proventibus annorum fabrice, & quæ intuitu pietatis sine speciali conditione Ecclesiis conferuntur, hoc est, in corpore Prebendarum, *non autem* in distributionibus quotidianis.

EX eodem.

Volumus (*d*) etiam & presentium auctoritate statuimus, ut redditus, qui de proventibus annorum fabrice exnunc in posterum poterunt procurari, & proventus illorum bonorum, qui de cetero sine speciali conditione fuerint collata Ecclesiis intuitu pietatis, fratres presentes, & qui sunt in studio per licentiam Capituli, integre & plene percipiant. Ut libentius & frequentius in choro deserviant, & fideles quilibet ad eleemosynas Ecclesie conferendas ardentius invitentur.

Summarius.

Ecclesiarum Advocati stipendiis & servitiis ad defensionem jurium, possessionum & hominum sibi assignatis sint contenti. Nihil aliud pro tantis sibi usurpent: Advocatias, si quas diviserint, reintegrent: feudatarii taliter occupatas dimittant, alioquin & Advocati & Feudatarii per excommunicationem & interdictum ab Ordinariis ad hoc compellantur.

EX Concilio Moguntino.

Ceterum (*e*) nonnulli Ecclesiarum Advocati spe defensionis eorum, in Advocatos ea conditione primo assumpti, quod de certis stipendiis & servitiis spontanee deputatis eisdem, ipsarum Ecclesiarum jura, possessiones, & homines defendere debeant, facti sunt ex defensoribus offensores, eo quod tam immoderatis exactionibus & servitiis angariant homines, quod non possunt propriis Dominis persolvere census suos, aliasque illicite dividentes Advocatias in partes, (*f*) inferioribus suis eas in grave ipsarum Ecclesiarum dispendium infeudare presumant: & quia privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate; statuimus, quod sponte sibi assignatis stipendiis & servitiis sint contenti, prout *coram Imperio est obtentum, sententiâ Principum approbante*, aliasque Ecclesiarum jura, possessiones, & homines defendant & protegant, ut tenentur. Nihil aliud potestatis sibi in eorum juribus, possessionibus & hominibus usurpantes, reintegrent Advocatias, quas in partes dilacerasse & suis infeudasse dinoscuntur. Feudatarii vero eas taliter occupatas dimittant. Quod si non fecerint infra mensem moniti per Ordinarios, aut alios suos Superiores, ipse Advocatus & Feudatarius ad id faciendum per excommunicationis & interdicti sententias compellantur. Demum statuimus, ut si quis Ecclesiarum vel Clericorum bona vel homines temere invaserit, spoliis, incendiis, vel rapinis, aut tollendo pignora, occasione etiam cujuscumque questionis, quam contra Ecclesie alicujus Advocatum se proponit habere, *secundum Statuta Concilii Moguntinensis* contra hujusmodi temerarios invasores edita procedatur.

Summarius.

Ecclesiarum Advocati juribus in prima Advocatie susceptione sibi assignatis sint contenti, Ecclesiasque suas pro viribus defendant.

EX Concilio Aschaffenburgensi.

Hac in Constitutione sancimus, cunctos Ecclesiarum Advocatos infra Provincie

(*b*) destructa. *impr. A.* 1509. (*c*) & quæ, *hoc comma omissum in impr. A.* 1509.
(*d*) *Totum Caput:* Volumus. *abest ab impresso A.* 1509. (*e*) Cum nonnulli
(*f*) in partes; *abest:* ab aliis

vincie noſtre terminos conſtitutos, cujuscumque præeminentis ſint ſtatus; eisdem juribus eſſe contentos, que ipſis ſeu eorum anteceſſoribus fuerint conceſſa tempore, quo Advocatiam hujusmodi ſuſceperunt, ac Eccleſias, quarum Advocati exiſtunt, defenſare ſtudeant, ac manutenere pro poſſe.

Summarius.

Nemo Eccleſiam, ejus bona, jurisdictiones, jura, aut eorum vaſallos violenter, aut propria auctoritate occupet, vel occupantibus per ſe, vel alium conſilium, auxilium, & favorem preſtet. Quisquis autem hoc fecerit, niſi requiſitus infra menſem damnum reſarcierit, ipſo facto ſit excommunicatus.

EX eodem Concilio, quo ſupra.

Inſuper ſtatuimus, ne perſona, quantumcunque nobilitate, aut preeminentia ſtatus prefulgeat, Eccleſias, aut Eccleſiaſtica bona, jurisdictiones, jura, & vaſallos eorum violenter, aut auctoritate propria publice occupare, aut occupando invadere, vel ſcienter occupantibus Eccleſias, vel bona Eccleſiaſtica & predicta, preſtare preſumat quomodolibet per ſe, vel per alium, aut alios conſilium, auxilium, & favorem. Et niſi requiſitus infra menſem Eccleſie leſe, aut Prelato ipſius, damnum illatum emendaverit, ipſo facto ſit anathematis vinculo innodatus.

Summarius.

Bona Eccleſie non dentur in ſuppignus, ad perpetuum contractum alienationis rerum Eccleſie roborandum, ſine conſenſu Epiſcopi & ſolennitatibus juris ſub pena Epiſcoporum ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſie, aliorum autem Prelatorum ab officio & beneficio, reliquarum vero perſonarum excommunicationis.

EX Concilio D. Petri.

Hoc ſacro Concilio approbante diſtrictius inhibemus, ne aliquis Epiſcopus, vel Prelatus, Capitulum, vel Conventus, aliqua bona (g) immobilia pro ſuppignoribus (que vulgariter Unterpfand dicuntur) ponant, aut obligent quibuscunque perſonis ad contractum alienationis rerum Eccleſie perpetuum roborandum, ſine expreſſo conſenſu loci Epiſcopi, & juris ſolennitatibus, que in hujusmodi rerum alienationibus requiruntur. Alioquin factum ipſum decernimus irritum & inane. Epiſcopos, qui hec fecerint, ab ingreſſu Eccleſie ſuſpendendos, alios vero Prelatos ab officio & beneficio, perſonas vero alias excommunicationis ſententiis ipſo facto decernimus innodandas.

Summarius.

Nullus Prelatus cuicunque penſionem de rebus Eccleſie conſtituat, donec ei de beneficio provideat; factum enim non tenet, & tam promiſſor, quam promiſſarius ab officio & beneficio ſunt ſuſpendendi.

EX eodem Concilio D. Petri.

Inſuper inhibemus diſtricte, ne aliquis Prelatus cuicunque annuam penſionem de rebus Eccleſie conſtituat ſe daturum, donec provideat ſibi de beneficio competenti. Alioquin factum ipſum decernimus non tenere, ac promiſſorem, ſive promiſſarium ab officio & beneficio decernimus ſuſpendendos.

DE VENDITIONE ET EMPTIONE.

Summarius.

Nemo ſcienter predam emat vel teneat, ſed mox reſtituat, alioquin excommunicetur.

EX Concilio Fritzlarienſi.

Nullus etiam predam aliquam ſcienter emere vel tenere preſumat, alioquin niſi ipſam ſtatim reſtituat, excommunicationis ſententia percellatur.

DE PIGNORIBUS.

Summarius.

Licet predium, cui jus Patronatus annexum eſt, alteri obligetur, ipſum tamen jus Patronatus ſemper apud obligantem manet.

EX Concilio, quo ſupra.

Ad omnem quoque dubitationis ſive queſtionis materiam amputandam ſtatuimus, ut ſi quis predium ſuum, cui jus attinet Patronatus, cuicunque obligaverit, indiſtincte jus preſentandi apud ipſum obligantem reſideat, cum tale jus eſtimari non poſſit, & ergo in ſortem nequeat computari, (h) cum ſemper fructus

(g) mobilia (h) *Sequentia duo commata abſunt ab impr. A. 1509.*

fructus rei pignoratæ in sortem debeant computari juxta Canonicas & legitimas Sanctiones.

DE TESTAMENTIS ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

Summarius.

Legata, quæ Clerici de rebus Ecclesie concubinis & filiis suis faciunt, non tenent, debent autem Ecclesie applicari.

EX Concilio, quo supra.

Clericus de proventibus anni gratie, vel alias de rebus Ecclesie adquisitis, concubine sue, vel filiis in fornicatione genitis, (i) quicunque penitus non relinquunt: quod si fecerit, legatum non teneat, & quod taliter est relictum, Ecclesie applicetur.

Summarius.

Ecclesiastica Clericus privetur sepultura, qui de rebus Ecclesie aliquid in testamento relinquit concubinis & spuriis suis, qui & ipso facto eisdem rebus careant, eorum etiam Ecclesia interdicatur, qui tale testamentum manutenere, aut res tales dictis personis presumunt ministrare.

EX eodem Concilio, quo supra.

Ad abolendam de domo Domini consuetudinem, vel potius corruptelam, seu temeritatem, qua Clerici (qui signum pudicitie deberent laicis ostendere, quibus sunt positi in exemplum) in articulo sue finalis pœnitentie, fructus prebendarum suarum concubinis & spuriis suis legant in ultima voluntate, rigor Ecclesiasticus debet exerceri. Quare sub anathematis vinculo prohibemus, ne de cetero Clerici annis gratie abutentes, cum de rebus Ecclesie nullum possint condere testamentum, fructus beneficiorum etiam Ecclesiasticorum spuriis vel concubinis dimittant. Qui vero contra hanc inhibitionem venire presumpserint, in signum perditionis sue Ecclesiastica careant sepultura; & quibus taliter fructus legantur, eis careant ipso jure. Qui autem testamentum tale post mortem manutenere volunt, & per quorum manus personis illis fructus Prebende fuerint ministrati, Ecclesia ipsa supposita sit interdicto.

Summarius.

Morienti, qui in vita manufideles non elegit, duo ex Ecclesia deputentur, qui ejus legata exequantur.

EX Concilio Fritzlariensi.

Item legata (k) secundum dispositionem morientium ordinentur, Collectoribus ad hoc duobus de Ecclesia deputatis, si in vita sua non manufideles (*) elegerant super eis.

Summarius.

Fructus anni gratie non nisi in relevamen debitorum quam aliunde solvi non possent, aut pro aliqua pia causa decedentis Clerici in usum Ecclesie concedantur.

EX Concilio D. Gerhardi Moguntini.

Sunt nonnulli, qui anno gratie, qui pro relevatione debitorum in fructibus Beneficiorum defunctis Clericis est concessus, damnabiliter abutuntur, fructus ipsius anni consanguineis suis vel aliis, quibus voluerint, relinquentes, ex quo provenit duplex injuria, Ecclesie, sed & persone: fraudatur (l) etiam Ecclesia per dictum anni spatium (m) servitore, privatur etiam persona succedens in percipiendis fructibus jure suo: quod de cetero fieri prohibentes, sacri *approbatione Concilii*, statuimus, quod nisi pro relevatione debitorum, (n) quam aliunde solvi non possint, anni gratie Clerici non utantur, vel nisi ipsius anni fructus pro aliqua pia causa ipsi relinquant Ecclesie, a qua idem Beneficium habuisse noscuntur.

Summarius.

Omnibus, quibus jura testamentorum factionem non prohibent, libera semper sit facultas disponendi de bonis suis ad pia loca & Ecclesiasticas personas, dummodo heredes suos (o) preteream. Eos autem, qui vel defunctorum legata, vel ultimas voluntates impedire nituntur, Episcopi & Archidiaconi per excommunicationem in personas, & interdictum in loca coerceant. Ad quod exequendum dicti Prelati, quorum est testamenta defendere, merito se debent benivolos exhibere.

EX Concilio Aschaffenburgensi.

Ad hec, quia quedam in quibusdam partibus consuetudo imo corruptela detesta-

(i) quidquam penitus non relinquat. *Impr. A.* 1509.
(*) elegerint
(n) quando
(l) enim, *pro:* etiam
(o) *lege:* non prætereant
(k) seu dispositiones
(m) fruitione

teſtabilis obſervatur, videlicet quod tam Clericus, quam laicus in lecto egritudinis conſtitutus, ultra v. ſolidos uſuales monete, vel aliam ſummam juxta loci illius conſuetudinem limitatam, nec piis locis nec perſonis Eccleſiaſticis pro anime ſue remedio & ſalute aliqua poſſit ordinare legata. Conſiderantes predictam conſi etudinem & ſacris Canonibus & ſecularibus etiam legibus obviare, cum omnia jura clament, quod ultima voluntas, & ultimum hominis teſtamentum (o) immobile perſeveret, & nihil ſit, quod magis hominibus debeatur, quam ut ſupreme voluntatis liber ſtilus exiſtat; eandem conſuetudinem Deo odibilem, animabus & moribus inimicam, auctoritate hujus ſacri Concilii penitus reprobamus, firmiter ſtatuentes, ut quibuscunque, quos jura a teſtamentorum non prohibent factione, & in ſanitate, & in lecto egritudinis conſtitutis, legandi, ordinandi, & diſponendi de bonis ſibi collatis circa pia loca & perſonas Eccleſiaſticas (dummodo contra ſuos, legitimas non pretereant ſanctiones) libera ſit voluntas & facultas. Volentes & precipientes diſtricte, ut per locorum Epiſcopos & ceteros Prelatos jurisdictionem habentes, univerſi Clerici & laici impedientes defunctorum legata, vel ultimas voluntates, per excommunicationis in perſonas, & interdicti in loca ſententias, octo dierum monitione premiſſa ferendas, ab hujusmodi impedimentis deſiſtere compellantur, ad quorum (p) executiones & debitas aggravationes procedente tempore faciendas, Epiſcopi & Prelati (ad quos teſtamentorum defenſio utroque jure ſuadente dinoſcitur pertinere) tam benevolos ſe exhibeant & paratos, ne hujusmodi negligentia de eorum manibus in die diſtricti judicii requiratur.

summarius.

Ordinarii Executores compellant, ut pruſquam de rebus defuncti ſe intromittant, ſub fide digno teſtimonio inventarium faciant, & infrà annum omnia exequantur.

EX Concilio D. Petri Moguntino.

Statuimus & a cunctis precipimus inviolabiliter obſervari, ut manu fideles, & ad exequendum ultimas decedentium voluntates electi, antequam de rebus & de bonis defuncti ſe aliquatenus intromittant: inventarium faciant ſub fide dignorum teſtimonio de eisdem, ac infra annum cuncta diſponant ſecundum placita defunctorum, ad que per locorum Ordinarios diſtrictiſſime compellantur.

DE SEPULTURIS.

summarius.

Quadraginta dies indulgentiarum conſequuntur, qui ſe in Parochiis ſuis faciunt ſepeliri.

EX eodem Concilio, quo ſupra.

Cum ſacris Canonibus ſit conſonum, ubi quis vivus recepit Eccleſiaſtica Sacramenta, quod ibi etiam mortuus requieſcat: omnibus Chriſti Fidelibus, qui ſepulti fuerint in ſuis Eccleſiis Parochialibus, de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, & beati Martini Patroni noſtri meritis confiſi, in relevamen ſuorum peccaminum quadraginta dies indulgentiarum de injuncta ſibi penitentia miſericorditer relaxamus.

summarius.

Omnes Sacerdotes provintiæ Moguntine tenentur [ceſſante cauſa legitima] dicere Miſſam pro defunctis pro Archi-Epiſcopo vel Epiſcopo infra octo dies, poſteaquam ſibi de morte alicujus eorum conſtiterit.

EX eodem Concilio, quo ſupra.

Inſuper ſtatuimus, & ſub pena ſuſpenſionis precipimus firmiter & mandamus, ut omnes Sacerdotes provintie Moguntinenſis cujuscunque dignitatis, eminentie, ſtatus vel religionis fuerint, infra octo dies (cauſa legitima ceſſante) poſtquam eis de morte Archi-Epiſcopi vel Epiſcopi cujuscumque predicte provincie conſtiterit, Miſſam pro defunctis dicant in remedium anime Epiſcopi memorati.

DE PAROCHIIS, ET ALIENIS PAROCHIANIS.

summarius.

Sub juramento in receptione Sacerdotii preſtito, & Divini Judicii interminatione inhibetur omnibus Religioſis & ſecularibus Sacerdotibus, ne extra caſum neceſſitatis alienum Parochianum ad confeſſionem recipiant, vel aliquod Sacramentum

(o) inviolabile (p) excommunicationes

mentum conferant, nisi de obtenta proprii Sacerdotis licentia. Et hoc plebani singulis Dominicis debent subditis suis publicare.

Ex Concilio Moguntino D. Petri.

Sane gravis & clamosa querela nostris auribus inculcatur, quod nonnulli suis juribus & finibus non contenti, Parochianos alienos presumunt recipere temere ad Divina, contra Canonicas sanctiones, & cum dictorum Parochianorum Judices non existant, nec ligandi nec solvendi in eos acceperint potestatem, se tamen judices faciendo, in foro penitentiali periculose absolvunt & ligant pro sue libitu voluntatis, sicque ipsis, qui proprios spernunt Presbyteros, minime absolutis, illud salutiferum nostre peregrinationis viaticum (q) quod non proficit, nisi prius a criminum labe mundatis, (q) in animarum suarum, & eorum qui id non dijudicantes, indiscrete recipiunt, conferre periculum non verentur. Sicque dicti eorum Sacerdotes (qui curam recipiendo, suam pro ipsis animam obligaverunt) dum sibi taliter subtrahunt, (r) statum ignorantes ipsorum, non possunt, quod in eis egrotum est, sanare, nec consolidare infirmum, nec alligare confractum, & sic dum curationis necessaria non adhibentur remedia, invalescentibus morbis usque ad interremptionem lesio dilatatur, unde Sacerdotes nullam possunt de sic pereuntibus animabus superno judici reddere rationem; Nos sanctorum Patrum, qui Ecclesie sancte Dei, & personis Ecclesiasticis terminos, quos non licet transgredi, posuerunt, statuta considerantes, hujus sacri *approbatione Concilii*, universis Sacerdotibus tam Religiosis quam secularibus cujuscumque conditionis, ordinis sive status existant in Civitatibus, Diœcesibus vel Provincia Moguntina degentibus, sub debito juramenti, quod Episcopo in receptione Sacerdotii prestiterunt, & sub interminatione Divini judicii firmiter inhibemus, ne quis alienum Parochianum (cujus cura per Episcopum, vel loci Archidiaconum, seu ejus super eo Vicarium alii est commissa) presumat excepta necessitatis causa, (que legem non habet) ad confessionem recipere, vel ad porrigendum ei aliquod Ecclesiasticum Sacramentum, nisi petita desuper & obtenta licentia proprii Sacerdotis. Cum certi & indubitati juris existat, talem a tali crimine solvi non posse aliquatenus, vel (s) ligari, & ex hoc ordinem Ecclesiæ per majores & sanctos Patres Divina providentia institutum confundi. Quod per universos plebanos singulis diebus Dominicis & Festivis coram suis plebibus precipimus publicari.

DE STATU MONACHORUM.

Eadem verba habes supra de vita & honestate Clericorum, Capitulo quarto ad finem.

Ex Concilio Fritzlariensi.

Statuimus insuper, ut in singulis Monasteriis fenestre Parlatorie duplicata habeant ferramenta. Et ut Moniales suis Prepositis & Prelatis in rebus licitis & honestis obediant, nec cuicunque alteri preter eorum licentiam sua confiteantur peccata, ipsi Prepositi sive Prelati claustra Monialium non introeant, nisi magna & evidens necessitas id exposcat.

Summarius.

Monachi & Moniales compaternitatem non contrahant. Moniales egentes ab amicis sine scitu Magistrarum suarum nihil recipiant; sed & oblata & labores earum venire debent in commune.

EX eodem Concilio quo supra.

Compaternitatem a Monachis, & Monialibus contrahi districtissime prohibemus, statuentes, ut si aliqua claustra Monialium ad inopiam tantam devenerint, quod ibi de proventibus Monasterii sustentari non possunt, & ab amicis panem & vinum, denarios vel aliquid hujusmodi transmittatur eisdem, non hoc prius recipiant, quam Abbatisse vel Magistre sue id significent; ut ejus arbitrio, quod de hoc, quod missum est fieri debeat, statuatur, & labores earum veniant in commune, quod & de Monachis irrefragabiliter volumus observari.

Summa-

(q) quod non proficit, *usque:* in animarum suarum *omisit impressio A.* 1509.
(r) subtrahuntur, (s) ligari *impr. A.* 1509.

Summarius.

Nullus Religiosus utatur vestibus alterius coloris, quam ordini suo congruat. Nullus Abbas vel Abbatissa habeat duas Abbatias. Nullus Monachus vel Monialis duo officia in Monasterio.

EX eodem Concilio.

Statuimus etiam, ut juxta Concilium proxime celebratum Monachi & alii Religiosi quilibet alterius coloris vestibus, quam eorum ordini congruat, non utantur, seu quotidiane, sive pluviales existant. Ut etiam Monasteria sanctorum Augustini, Benedicti ad observationem sue regulæ efficacius reformentur, prohibemus districte, ne quis Abbas vel Abbatissa duas habeat Abbatias, & nulli Monacho vel Moniali duo officia in Monasterio assignentur, nisi Abbatis providentia de consensu Capituli propter evidentem necessitatem vel utilitatem Monasterii aliter duxerit ordinandum.

Summarius.

Nullus non professus vel non professa, etiamsi diu in religione perstiterit, in Abbatem vel Abbatissam, vel ad officium aliquod eligatur.

EX eodem Concilio.

Nullus Monachus in Abbatem, & in aliquod officium, nisi dudum professus fuerit, assumatur. Et siqui jam aliter sunt assumpti, a suis removeantur officiis, & alii substituantur eisdem. Quod de Monialibus etiam decernimus observandum. Hoc priori Concilio in non Professorum odium adjungentes, ut cum juxta decretum Pelagii, Abbas sit a Monachis eligendus; nullus omnino non professus, quantacunque temporis diuturnitate in religione duraverit, ad electionem Abbatis aliquatenus admittatur, nec ei valeat suffragari, sive de facto, sive de consuetudine, quod una cum ceteris Monachis ad alios tractatus Ecclesie antea sit admissus.

Summarius.

Sequens Capitulum disponit de Abbatum, Abbatissarum, Monachorum, Monialium, & Canonicorum Regularium, post Novitiatum Professione, proprietatibus, abdicatione, de ludis, vestibus, dormitionis & comestionis locis, pellitiis, calceis, cappis, secularium habitaculis juxta Monasteria, de alterius Monasterii Monachis recipiendis, de victu, de lapsu in carnale vitium, de necessariorum administratione, de mulierculis nullam regulam, vel continentiam professis.

Ex eodem Concilio.

Novitii jam adulti, si post annum probationis in manum Abbatis facere professionem recusaverint, de Monasterio expellantur, quod etiam de Monialibus observetur. Nullus Monachus vel Monialis in duobus Monasteriis locum habeat vel prebendam. Item quicquid Monachus vel Monialis, undecunque provenerit, adquirit: suis appropriare usibus non presumat, sed totum in communes usus Monasterii redigat. Item nullus Monachus vel Monialis proprium quid habeat, & qui proprium habuisse in morte fuerint deprehensi, Ecclesiastica careant sepultura, & qui sepulti sunt, jam exhumentur. Si quis vero ipsorum ad mandatum sui Prelati propriis renuntiare noluerit, de Monasterio expellatur. Ludos alearum, chorearum, scacorum, taxillorum, annulorum & globorum Monachis & Monialibus prohibemus districte. Item Abbates & Monachi mantella & chirothecas non portent, nec pannos de nigro bruneto, vel alios preciosos. Sed quanto possunt haberi precii vilioris, juxta quod precipit regula eorundem. Abbates & Abbatisse in communi dormiant dormitorio cum Monachis vel Monialibus suis, & in refectorio communi vescantur, nisi quenquam justa necessitas propter magnos & honestos hospites id minime observare compellat. Item Abbatibus quam Monachis vulpina pellicia & de cuniculis prohibemus, sed agninis tantum utantur. Item Monachi calceos, qui stivales dicuntur, non habeant, sed alios sue regule competentes. Item Abbates cappas rotundas ad modum Episcoporum in usu quotidiano non portent, sed cum manicis, ut eorum ordo postulat & requirit: nec ipsi nec Monachi, qui equitant, mantella deferant super cappas, quas clausas fore censemus. Hoc etiam statutum lucidius declarantes, statuimus, ut tam Monachi quam Abbates in cappis nigris equitent & rotundis, vel in habitu usitato. Insuper inhibemus distri-

districte, occasione qualibet (t) seclusa a responsione ne domos vel habitacula sua faciant juxta Monasteria Monachorum, quia frequenter ex hoc contra Monachos sinistra presumptio est exorta, nisi forte alicui persone omni suspitione carenti id de consensu & auctoritate Diœcesani Episcopi permittatur: Abbas vero, qui contra hoc fieri consenserit, gravi subjaceat ultioni. Item Abbas nullum Monachum alterius Monasterii, sine literis dimissoriis proprii Abbatis, in suo Monasterio recipere vel tenere presumat. Item Monachi carnibus in refectorio non vescantur, nisi in infirmaria, cum egrotant. Item quicumque Monachus in lapsum carnis ceciderit, de quo fuerit manifestum, ad nullam deinceps dignitatem, nec ad aliquod officium Monasterii assumatur, nisi propter manifestam emendationem, & honestam, ac religiosam conversationem ipsius, per Diœcesanum Episcopum secum fuerit misericorditer dispensatum. Eidem quoque pene subjaceat, si de hoc infamatus fuerit, nec canonice potuerit se purgare, & in pœnam sui criminis de cetero ultimus sit in Choro, & in Capitulo, vocem non habeat ad aliquam Monasterii ordinationem tractandam, nisi propter emendationem manifestam, Abbatis providentia de consensu Conventus ipsum duxerit admittendum. Si vero Abbas, vel Monachus in officio constitutus, in similem lapsum ceciderit, a suo statim removeatur officio, quod & circa Præpositum fieri volumus, si de hoc infamatus fuerit, nisi canonice se expurget, (u) & nihilominus penis illis subjaceat, que de simplici Monacho superius sunt expresse. Idem de Abbatissis & Monialibus statuimus observandum. Et hec omnia, que statuta sunt de Monacho circa continentiam, propriorum abdicationem, & similia, ad Canonicos volumus regulares extendi, licet ad esum carnium, & quedam alia, regule inserviant laxiori. Item præcipimus Abbatibus, Abbatissis, nec non aliis omnibus Monasteriorum Rectoribus, ut subditis suis secundum unicujuscunque Monasterii facultatem, tam in victu, quam in vestitu necessaria amministrent. Item juxta prioris Statuta Concilii prohibemus, ne muliercule, que votum continentie emiserunt, mutantes habitum secularem, nec tamen alicui certe regule se astringentes, per vicos passim discurrant. Sed si proprie suppetant eis facultates, continenter in suis vivant domibus & honeste, si vero sunt pauperes, manuum suarum laboribus & honestis servitiis necessaria sibi quærant: Plebanis suis sint subdite, & eorundem consilio regantur.

summarius.

Nulla in Beginam assumatur, nisi quadragesimum annum excesserit, & probate opinionis existat.

EX eodem.

Ad hoc, quia juvencularum Beginarum lapsus frequens & evidens, statum religionis deformat, & scandalizat plurimos; statuimus, ut nulla de cetero in earum numerum admittatur, nisi quadragesimum etatis sue annum excesserit, probate opinionis existat, sexagenarium numerum (quem scripsit Apostolus talibus assumendis) propter fragilitatem nostri temporis, ad quadragenarium numerum restringentes.

summarius.

Singuli Plebani sub pœna suspensionis tribus Dominicis & Festivis diebus, Beghardos & Beguttas moneant, ut sectam suam singularem, & ab Ecclesia non approbatam derelinquant. Alioquin ex Parochiis suis sub pœna excommunicationis eos ejiciant, & tales vicinis Sacerdotibus denuncient.

Sectam & habitum, nec non conventicula suspicione mali non vacua BEGHARDORUM, clamantium per vicos, & plateas civitatum, oppidorum & villarum hoc vulgare (Brod durch Gott) nec non quaslibet alias singularitates a sancta Dei Ecclesia non receptas colentium reprobamus *in hoc sacro Concilio*, & damnamus, mandantes sub pœna suspensionis universis Plebanis per civitates, Diœceses, & Provinciam Moguntinensem constitutis, ut tales Beghardos, aut (x) Bicornos publice tribus Dominicis diebus & Festivis admoneant, quos &

(t) sæculares domos, *reliquis vocibus omissis impr. A.* 1509.
(u) & nihilominus, *omissum in impresso A.* 1509. *usque ad*: Idem de Abbatissis.
(x) Bitomos *impr. A.* 1509.

& nos presentibus admonemus, ut hujusmodi singularitatibus derelictis se teneant, sicut alii Christiani, (*y*) & quod non predicent in cameris vel aliis locis publicis vel secretis, & cum Beginis se conformantibus eisdem in moribus, habitu, & incessu. Alioquin extunc ipsos extra terminos suarum Parochiarum per excommunicationis sententiam *auctoritate hujus Concilii* repellere (*z*) non omittant, denuncientque (*a*) vicinis Sacerdotibus, ut tales sic repulsos in suis Parochiis non admittant. Idem de *Beginis* predictis pestiferis duximus statuendum.

Summarius.

Sub anathemate nullus Clericus vel Religiosus domos Beginarum ingrediatur.

Sub pena etiam anathematis prohibemus, ne Clericus vel Religiosus quispiam in domum intret earundem, sed si quis ex justa causa & honesta cuicunque earum loqui voluerit, hoc in Ecclesia sub bono testimonio faciat manifeste, ne sinistra contra ipsum suspitio oriatur. Alioquin gravi subjaceat ultioni.

Summarius.

Religiosi in Cœnobiis cum secularibus convivia non faciant, neque ad convivia facienda, neque alias, quidquam usibus suis approprient sub pœna carceris octo dierum.

EX Concilio Moguntinensi.

Plerique Religiosi maxime Ordinis Sancti Benedicti non verentur convivia frequentare, seculares etiam personas ad ipsa Cœnobia pro comessationibus invitantes, ex quo non solum scandalizantur extranei, sed etiam Confratres eorum, religio dissolvitur, & honestas monastica deformatur. Cum igitur juxta Sanctorum Statuta Canonum, & Venerabilium Conciliorum Decreta, Monacho non liceat, undecunque provenerit, aliquid suis usibus appropriare privatis, *Sacri approbatione Concilii* talia de cetero fieri, ex quacunque causa prohibemus. Si quis autem transgressor extiterit, pro qualibet transgressione carceralem octo dierum in graviori culpa subeat disciplinam.

Summarius.

Cujuscunque ordinis aut sexus apostate, redire volentes: a Prelatis suis sub pœna suspensionis non excludantur, neque victus aut vestitus eis subtrahatur, disciplina tamen consueta & regulari puniantur.

EX Concilio Aschaffenburgensi.

Preterea etsi contra Monachos & Moniales de suis claustris propter aliquos enormes excessus, aut animi levitate temere fugientes, & in seculo seculariter per aliquot temporum spacia conversantes, & tandem pœnitentia ducti, ad claustra, de quibus profugere presumpserunt, humiliter redire volentes, certe & varie pœne juxta qualitatem, & quantitatem excedentium a sanctis Patribus sunt statute. Quidam tamen Abbates, & Abbatisse, ac ceteri Magistratus pœnis in sacris Canonibus, sive in sui Ordinis Regula contra hujusmodi profugas personas expressis non existentes contenti, graviores, & quasi importabiles pœnas in sui reversione imponere non verentur. Vel (quod deterius est) easdem personas quantumcunque humiliter postulantes, ad sua claustra, a quibus taliter exiverint, admittere inhumaniter contradicunt. Cum igitur juxta Sanctorum Canonum diversas auctoritates, pene non ampliande, sed potius sint (*b*) laxande, & longe sit securius de misericordia, quam de crudelitate reddere rationem. Cum & Dominus per os Prophete pollicitus sit, sic dicens: *Peccator* (c) *in quacunque hora conversus fuerit, & ingemuerit, omnium iniquitatum suarum amplius non recordabor:* Nos advertentes, quod ubi Pater familias largus dispensator existit, non decet famulum esse tenacem, ut peccandi materia, & occasio personis talibus precludatur, provida deliberatione *hujus sacri Concilii* decrevimus statuendum: Et sub pœna suspensionis universis Abbatibus, Abbatissis, & ceteris monasticis Magistratibus, cujuscunque ordinis aut conditionis existant, aut quocunque nomine appellentur, injungimus firmiter & districte, ut suis fratribus & sororibus in apostasie labem ex quacunque causa prolapsis, desi-

(*y*) *Hæc absunt ab impr. A.* 1509. *usque ad* Alioquin.
(*z*) repellentes, non admittant.
(*a*) *Hic sensus abest usque ad* Idem de Beghinis.
(*b*) *credo:* restringendæ,
(*c*) Ezechiel. XXXIII, 12.

desiderantibus ac petentibus cum humilitate ac devotione regressum, sinum misericordie (quem alma mater Ecclesia claudere nulli pœnitenti consuevit) more pii Patrisfamilias, qui filium primo prodigum, & postmodum pœnitentem paterne recepit, liberaliter studeant aperire, ita, quod hujusmodi personas redire ad sua claustra volentes, quantumcunque graves fuerint earum excessus vel enormes, juxta cujuslibet Ordinis disciplinam, sive regulam, & consuetudinem observatam, sine qualibet contradictione recipiant & admittant, ita tamen, quod propter eorum excessus, nec victus nec vestitus subtrahatur eisdem, sed alias, sicut prediximus, regulariter puniantur. Alioquin predictam suspensionis sententiam per Ordinarios locorum, seu Officiales eorum in omnes contradictores procedente tempore, juxta quod eorum protervia meruerit, precipimus promulgari.

DE CAPELLIS MONACHORUM.

Summarius.

Episcopi & Archi-Diaconi sine consensu Capituli Ecclesie Cathedralis; consensum non prestent Hospitalariis, & aliis Religiosis, ad Ecclesiarum incorporationem.

EX Concilio Fritzlariensi.

Renovantes etiam Concilium, quod novissime celebratum fuit, firmiter prohibemus, ne Episcopi vel Archidiaconi concessionibus Ecclesiarum, que (d) fiunt Templariis, Hospitalariis, & aliis Religiosis, cujuslibet approbationis consensum ullo modo exhibeant, nisi requisito & habito prius consensu Capituli Ecclesie Cathedralis. Aliter concessiones hujusmodi sive factas, sive de cetero faciendas, vires decernimus non habere.

Summarius.

Religiosi Ecclesias suas per seculares Presbyteros faciant inofficiari.

EX Concilio Moguntinensi.

Ad hec cum Religiosi quidam alicui per Fratres sui Ordinis officiant Ecclesias sibi unitas; & id fratribus ipsis sit dissolutionis occasio, quia iidem eo promptiores sunt ad lubricum, quo ex religioso titulo se autumant exemptos, ac Prelati eorundem per Archi-Diaconos tales corrigi minime patiantur, sed quasi pro Ordinis (e) scandalo vitando ipsos ad domos suas revocant, vel ad alias Parochias mittunt illos, auctoritate hujus sacri Concilii hoc duximus annectendum, ut Religiosorum Ecclesie non per Fratres eorum officientur, sed per Clericos seculares, ut saltem de reliquiis, qui de mensa Religiosorum ceciderint, sustentari valeant pauperes Sacerdotes, qui in vituperium nostri (f) misterii publica egestate laborant, ita quod sint verissima illa verba Hieronymi dicentis in Canone: *Mendicat infelix Clericus in plateis.*

DE JURE PATRONATUS.

Summarius.

Tam Clericus, quam laicus a jure presentandi ea vice suspenditur, sed & excommunicetur; qui Rectore defuncto dotem & Ecclesiam in mobilibus vel immobilibus spoliat, eandem autem Ecclesiam tunc Archi-Diaconus, aut eo negligente, Superior conferat.

EX Concilio Moguntino D. Petri.

Ad extirpandam illam detestabilem corruptelam quorundam Patronorum Ecclesiarum, qui Rectoribus eorum defunctis spoliant dotem, & Ecclesiam omnibus rebus mobilibus, & interdum immobilibus, in salutis proprie dispendium & scandalum plurimorum, statuimus, ut sive Clericus, sive laicus hoc facere presumpserit, sit a jure presentandi ea vice suspensus, [g] & loci Archi-Diaconus, & si ipse negligens fuerit, Superior, Ecclesiam conferat ipsa vice. Uterque autem excommunicetur, & artius evitetur, donec cum debita satisfactione restituat sic ablata.

Summarius.

Ecclesiarum Advocati, & Patroni, si aliud, quam quod eis ab antiquo debebatur, ab Ecclesiis, aut Clericis decedentibus diripuerint, & post trinam monitionem non restituerint, Advocati a jure Advocatie, Patroni vero a jure Patronatus & presentandi cadunt ipso facto, quod Ordinarii cum invocatione auxilii secularis districtissime exequantur.

EX Concilio quo supra.

Quia plerique Advocati Ecclesiarum suis

(d) fuerint *impr. A.* 1509.
(f) ministerii *impr. A.* 1509.
(e) fama tegenda, loco scandalo vitando
(g) *Reliqua usque ad* debita satisfact. *absunt ab impr.* 1509.

ſuis terminis non contenti, ultra penſionem, & redditus ſeu proventus ab antiquo eis deputatos, diripiunt & uſurpant ſibi bona & res dictarum Eccleſiarum, propter quod ſpiritualia, que ſine temporalibus conſiſtere non poſſunt, dictis Eccleſiis ſubtrahuntur: Statuimus, ut ſi poſt trinam monitionem de reſtituendis hujusmodi ablatis factam, predicti non reſtituant, nec ſatisfaciant, ut tenentur, extunc ipſo facto a jure Advocatie decernimus predictos cecidiſſe. Idem contra Patronos Eccleſiarum, qui bona Clericorum decedentium ſibi uſurpant, contra Statuta LUGDUNENSIS CONCILII, ut a jure Patronatus ac preſentandi cadant, & hoc ſtatutum per locorum Ordinarios diſtrictiſſime (invocato adhoc, ſi opus fuerit) auxilio brachii ſecularis, decernimus exequendum.

DE CONSECRATIONE ECCLESIE, VEL ALTARIS.

Summarius.

Eccleſiam violatam, nemo, quam Epiſcopus reconciliare poteſt.

EX Concilio Fritzlarienſi.

Et quia de Eccleſiarum reconciliatione dubitari conſuevit a multis, *preſentis auctoritate Concilii* declaramus, quod Eccleſia violata per alium, quam per Epiſcopum reconciliari non poſſit, cum ea, que ſunt Epiſcopalis ordinis, non niſi Epiſcopo valeant demandari.

DE CELEBRATIONE MISSARUM.

Summarius.

Sub Miſſa animarum ſolenni alie pro defunctis non celebrentur, niſi ſubmiſſa voce & ſine nota.

EX Concilio quo ſupra.

Auctoritate quoque preſenti diſtrictius prohibemus, ne aliqui Sacerdotes in Eccleſiis vel Parochiis infra Miſſam animarum ſolennem, Miſſam celebrent pro defunctis, niſi rogati fuerint a defuncti parentibus & amicis, & tunc unam vel plures celebrent ſubmiſſa voce & ſine nota.

Summarius.

Sacerdotes in Sacramentis miniſtrandis, & aliis Divinis Officiis, induantur ſuperpelliciis, que penes altare reſerventur.

EX Concilio quo ſupra.

Ut Sacramenta Eccleſie mundius & reverentius miniſtrentur, *priori Concilio* inherentes, ſtatuimus, ut Sacerdotes Baptismum, Oleum infirmorum, ſeu Viaticum miniſtrantes, camiſiis albis, vel ſuperpelliciis ſint induti, que penes altare reſerventur, & in eundo, & redeundo, cum infirmos viſitant, (b) pariter & in Miſſa eis utantur.

Summarius.

Novi Sacerdotes convivia per ſe vel alios in primiciis non procurent, ante tamen vel poſt octo dierum ſpacio interpoſito, amicos, ſine tamen inſolentiis convocare poſſunt.

EX Concilio Moguntinenſi D. Petri.

Predeceſſorum noſtrorum ducti veſtigiis ſtatuimus, inhibentes ſub pœna ſuſpenſionis, quam in omnes temerarios transgreſſores hujus *Sacri approbatione Concilii* decernimus proferendam, ut nullus Sacerdotum novitiorum, illa die, qua celebrare debuerit, primam Miſſam, in exordio publicationis ſacratiſſimi ſui officii, oblaturus Deo primitias gratie ac ſalutis ſibi collate, aliquos ad convivium iuvitare, aut invitatos habere, aut procurare per ſe vel per alium ullo modo preſumat, ſed ad ſolum Deum (cujus militie eſt adſcriptus) dirigat aciem ſui cordis, maxime die illa devotus, curis & ſolicitudinibus temporalium, quibus mentes hominum diſtrahuntur, exutus, remotis vanitatibus, hiſtrionum curſibus, tumultibus, & inſolentiis reproborum, qui etiam ſepe venire aſſolent non vocati. Si quis autem ante vel poſt (i) octo pluriumve dierum ſpacio intermedio, amicorum honeſtam convocationem habere voluerit, illud absque hiſtrionum tumultibus fieri non vetamus.

DE

(b) portent, *impr. A.* 1509.

(i) duorum triumve dierum *impr. A.* 1509.

DE BAPTISMO, ET EJUS EFFECTU.

Summarius.

In baptizandis pueris formam Baptiſmi, & ipſi Sacerdotes in latino fideliter obſervent & doceant laicos in ſuo idiomate rite obſervare, poſſeque in neceſſitate pueros a parentibus baptizari, verum tunc de obſervata forma fideliter inquirant, quam ſi ſervatam invenerint, factum approbent, unganturque pueri pectus & ſcapulas oleo, verticem autem Chriſmate: ſin minus, tunc rite baptizetur puer a Sacerdote.

EX Concilio Fritzlarienſi.

Baptismus cum ſumma reverentia celebretur, maxime in diſtinctione & prolatione verborum, in quibus Sacramenti virtus conſiſtit: his ſcilicet verbis: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Doceant etiam Sacerdotes tam mares quam fœminas in neceſſitate debere parvulos baptizare eadem forma in ſuo idiomate, & quod patres & matres proprios infantes, ſi ſumma neceſſitas exigat, poterunt baptizare. Et ſi Sacerdotes ſuper hoc diligentius requirentes, debitam formam in Baptismate obſervatam invenerint, quod factum eſt, approbent, ſupplentes circa baptizatum, quoad unctiones olei in pectore & in ſcapulis, & Chrismatis in vertice, quod a laicis eſt omiſſum. Si autem in Baptismate debitam formam non invenerint obſervatam, non differant pueros baptizare.

DE CUSTODIA EUCHARISTIE.

Summarius.

Eccleſiaſtica Sacramenta fideliter ſub clavibus cuſtodiantur, corporalia, palle, vaſa ſacra, & Miniſtrorum veſtimenta munda ſerventur.

EX eodem, quo ſupra.

Item ſtatuimus, ut in cunctis Eccleſiis Baptismus, Oleum, Chriſma, & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis conſerventur, ne poſſit ad illa manus temeraria extendi. Palle quoque altaris, vaſa & corporalia, & veſtimenta Miniſtrorum munda & nitida conſerventur. Nimis enim videtur abſurdum in ſacris ſordes negligere, que non decerent etiam in prophanis.

DE OBSERVATIONE JEJUNIORUM.

summarius.

Adulti & diſcreti Statuta ab Eccleſia jejunia neque infringant, neque cum votivis commutent.

EX Concilio Fritzlarienſi.

Ad huc etiam prohibemus, ne quis adultus pariter & diſcretus ordinaria & Statuta jejunia, ut Quadrageſime, quatuor Temporum, & Vigiliarum preſumat infringere. Nec hujusmodi neceſſaria jejunia pretextu votivi & extraordinarii jejunii violent, cum tale damnum tali lucro Deus nolit compenſari, inherentes etiam *priori Concilio* pravam quorundam conſuetudinem reprobamus, qui ſextam feriam violant, ſabbato, quarta feria vel alia die hebdomadali jejunantes, hoc de cetero fieri *bujus auctoritate Concilii* reprobamus & firmiter prohibemus.

DE ECCLESIIS EDIFICANDIS. (*k*)

summarius.

Quisquis ſine Diœceſani Epiſcopi conſenſu, & primaria lapidis Benedictione Eccleſiam novam fundaverit, aut fundatam tranſtulerit, Eccleſiaſticus ab officio ſuſpendatur, laicus autem ad ſatisfactionem uſque excommunicetur. Altaria ſuperflua tollantur, neque novum Altare fiat, niſi cum Epiſcopi conſenſu dotetur.

EX eodem Concilio quo ſupra.

Prohibemus etiam, ne Religioſi vel quilibet alii Eccleſias de novo fundare vel fundatas transferre, ſine Epiſcopi Diœceſani licentia & ſine primaria lapidis benedictione preſumant, aliter fundata Eccleſia diruatur, & is, qui fundavit, ſi Clericus exiſtat vel Monachus, ab officio ſuſpendatur. Alia pena nihilominus juxta ſuperioris arbitrium puniendus. Si laicus exiſtat uſque ad ſatisfactionem condignam, excommunicationis vinculo innodetur. Item Altaria ſuperflua per Eccleſias Parochiales omnino tollantur, (*l*) cum ſingulis Eccleſiis non Conventualibus, ad plus tria ſufficiant. Nec Altare aliquod de novo fiat, niſi Epiſcopo permittente. Nec tunc etiam, niſi eidem Altari tantum in proventibus aſſignetur, ut ſaltem luminaria ultra victum miniſtri habeant competenter.

Summa-

(*k*) ordinandis *impreſ. A.* 1509.

(*l*) *omiſſum uſque:* Nec altare.

summarius.

Suffraganei sive Episcopi aliorum in Pontificalibus Vicarii sine speciali suorum Episcoporum licentia Ecclesiam ullam, aut Oratorium non dedicent. In quorum etiam assumptione caveatur, ne Parochiali Ecclesiæ, sub qua manebunt, sint nocumento, & sciant se ex generali sibi data commissione, nullam dispensandi, ligandi aut solvendi in Diœcesanorum subditos, nisi nominatim exprimatur, habere potestatem.

Ex Concilio Moguntino.

Inhibemus, ne Religiosi vel alii quilibet Ecclesias de novo fundare vel fundatas transferre &c. (*m*) Cum igitur ex hoc, quod aliqui in civitatibus, oppidis, villis, & interdum in rure vel nemore se passim receptantes, Ecclesias, Oratoria construant & Capellas, quas abinde postmodum recedentes, desolatas dimittunt, loca sacra contingat sepius prophanari: auctoritate *sacri Concilii* duximus statuendum, quod nullus ex Episcopis istis, qui interdum in consecrationibus Ecclesiarum vices Diœcesanorum exercent in locis de novo fundatis, vel fundandis, Ecclesiam, Oratorium, dedicent seu Capellam, aut lapidem primarium ponant, nisi de Diœcesani licentia speciali, ut juxta provisionem *Prioris Concilii*, ad taxationem Diœcesani sacre Domui provideatur de dote & lumine competenti, ne talibus recedentibus ea facilitate, qua veniunt, loca sacra desolari & prophanari contingat. Et ob hoc etiam, quod antequam adventantes: (*n*) de novo firmiter in loco, Diœcesani providentia precaveat, ne Parochiali Ecclesie (infra cujus terminos se recipiunt) sint successu temporis nocumento. Ad hec illis Episcopis, qui vices Diœcesanorum in consecrationibus gerunt, prohibemus expresse, ne generalis commissionis pretextu, aliquas Conventuales Ecclesias dedicent quoquo modo, vel in eis primarium lapidem ponant: nisi eis hoc a Diœcesano specialiter committatur. Interpretatione congrua declarantes, quod iidem Episcopi ratione commissionis hujusmodi, cum Diœcesanorum subditis dispensandi, ligandi & solvendi eosdem in manifestis casibus vel occultis, nullam obtineant potestatem, nisi Diœcesanus eis hoc duxerit specialiter concedendum.

summarius.

Solus Episcopus primarium lapidem benedicere & locare, aut hec alteri Episcopo demandare debet.

Ex Concilio Fritzlariensi.

Hoc presentis auctoritate Concilii declarantes, quod Episcopus primarium lapidem benedicere, & in fundamento locare in persona propria teneatur, nec benedictionem lapidis, nec positionem ejusdem debeat alii, quam Episcopo demandare.

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM, CIMITERII ET RERUM AD EAS PERTINENTIUM.

summarius.

Ecclesias incastellantes & ob hoc ejectis mortuorum ossibus cimiteria perfodientes, ipsorumque auxiliarii, & consultores sunt excommunicati, eorum etiam loca, omnia domicilia & receptacula cum talibus Ecclesiis interdicuntur, sed & eorundem familie Sacramenta subtrahuntur, Ecclesiastica sepultura negatur, donec munitio demoliatur.

Ex Concilio Moguntinensi.

Excommunicamus etiam & anathematisamus omnes, qui dedicatas Deo Ecclesias ausu sacrilego prophanantes, faciunt munitiones de ipsis, & ad firmandum eas, (*o*) profodiunt cimiterium, ossibus mortuorum ejectis, omnes quoque adhibentes operam, consilium vel juvamen decernimus excommunicationis sententie subjacere. Ecclesias etiam taliter prophanatas, & nihilominus omnia illa loca, in quibus auctores, aut opem, consilium, operam, vel juvamen prestantes, habent domicilia vel receptacula, subjicimus exnunc Ecclesiastico interdicto. In graviorem etiam penam (*p*) subtrahantur eorum familie Sacramenta, Ecclesiastica careant sepultura, donec cum debita satisfactione munitio destruatur.

(*m*) intendant *impr. A.* 1509.
(*n*) advenientes de novo firmentur in loco. *impr.* 1509.
(*o*) perfodiunt *impr. A.* 1509.
(*p*) *omissum in impr. A.* 1509. *usque ad* Ecclesiastica.

Summarius.

Ordinarii per Ecclesiasticas precaveant censuras, ne a spiritualibus personis pedagia, telonea, & alie hujusmodi angarie contra libertatem longo tempore obtentam injuste extorqueantur, extorte ut restituantur.

EX Concilio Moguntinensi.

Preterea, quia quidam a personis Ecclesiasticis contra libertatem earum & approbatam consuetudinem ex antiquis obtentam temporibus, ab eis pedagia & telonea interdum extorquent injuste, tales ad abstinendum ab hujusmodi eorum angariis, & ad restituendum sic extorta injuste, per Ordinarios suos monitione premissa per Ecclesiasticam cogantur censuram.

Summarius.

Irrita sunt Statuta & consuetudines, que edite sunt vel servantur a quocunque contra Ecclesie, aut Ecclesiasticorum libertatem judicantes, aut secundum eas, inhabiles sunt ipso facto ad omnem legitimum actum in Ecclesia Dei.

EX Concilio Aschaffenburgensi.

Ad hec sacro approbante Concilio irritamus & irrita nunciamus omnia statuta & consuetudines, que civitates vel loca, potestates, consules, vel quecunque alie persone contra libertatis Ecclesie, aut personas Ecclesiasticas edere vel servare contra Canonicas sanctiones presumpserint, & easdem a suis Capitulariis mandamus infra duos menses post hujusmodi publicationem statuti penitus aboleri, & (o) similia de cetero attentaverint, ipso jure decernimus esse nulla. Potestas vero & omnes Statutarii ipsorum locorum, & qui secundum statuta, & consuetudines memoratas judicaverint, extunc inhabiles ad omnem sint in Ecclesia legitimum actum, salvis nihilominus penis aliis contra tales *in generali Concilio* promulgatis.

Summarius.

Quisquis Ecclesiis, piis locis, vel personis Ecclesiasticis collectas, exactiones, vel angarias imposuerit, vel bona Ecclesiastica invaserit, nisi satisfecerit, quadruplum refundat.

(p) Item statuimus, ut quecunque civitas vel communitas, persona publica, vel privata, collectas, sive exactiones, angarias sive perangarias Ecclesiis, vel aliis piis locis aut Ecclesiasticis personis imposuerint, vel bona Ecclesiastica invadere præsumpserint, quadruplum refundant, si requisiti contempserint emendare.

Summarius.

Jurisdictionem Ecclesiasticam impedire, & emunitatem sacrorum locorum infringere vel violare nemo presumat.

Jurisdictionem Ecclesiasticam (preterquam per vias a Canonibus indultas) nullus attentet aliquatenus impedire & Ecclesiarum & aliorum locorum emunitatem hactenus de jure vel de consuetudine obtentam infringere, aut aliqualiter violare.

Summarius.

Ungeltam communitas nulla instituat, institutam deponat, rerum venalium mensuras non immutet, servorum autem & mancipiorum Ecclesie decedentium jura, quibus debentur, permittat.

Novas etiam (q) exactiones (que vulgo UNGELT dicuntur) nulla civitatum instituat; & ab institutis post hujusmodi edicti publicationem infra mensem desiistat, nec (r) mensuras rerum venalium ab antiquo servatas & a fidelibus approbatas minuere vel immutare presumat. De servis & mancipiis Ecclesiarum in civitatibus residentibus post eorum servorum mortem, (s) etiam debita jura, quorum servi & mancipia fuerunt, recipere minime prohibeantur.

Summarius.

Nemo Ecclesias, Ecclesiasticorum bona, jura, jurisdictiones, aut eorum vasalla violenter occupet, invadat, vel ad hoc auxilium, consilium, vel

(o) si *impres. A.* 1509.
(q) novas exactiones
(s) Ecclesiæ, *loco:* etiam
(p) *Caput totum omissum in impr. A.* 1509.
(r) usuras, *loco:* mensuras

vel favorem per se vel per alium prestet. Occupata nisi infra mensem reddiderit, sit ipso facto excommunicatus. Nullus etiam laicus sub anathemate debet decedentium Clericorum peculium occupare.

Insuper statuimus, ut nulla persona quacumque nobilitate, aut preeminentie statu prefulgeat, Ecclesias, aut Ecclesiastica bona, jura, jurisdictiones, & vasallos eorum violenter, aut auctoritate propria publice occupare, aut occupando invadere, vel scienter occupantibus Ecclesias & bona predicta prestare presumat quomodolibet per se, vel per alium aut alios, consilium, auxilium vel favorem, & nisi infram mensem Ecclesie sese vel Prelato ipsius damnum illatum emendaverit, ipso facto sit anathematis vinculo innodatus. Decedentium etiam Clericorum peculium occupare, vel (*t*) occupantium detinere, omnibus laicis sub anathematis pena, ex nunc prout ex tunc in ipsos lata districtius inhibemus.

LIBER QUARTUS.

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIIS.

Summarius.

Matrimonium in conspectu Ecclesie reverenter celebretur, sed ante ejus contractum, fiat in Ecclesia per Presbyteros tribus Dominicis vel Festivis proclamatio de impedimentis sub pena excommunicationis, si quibus constiterit revelandis. Impedimentum autem celantes, postea neque ad accusationem, neque ad testimonium contra matrimonium admittantur.

Ex Concilio Fritzlariensi.

Matrimonium, secundum quod *in Concilio* novissime celebrato, statuitur cum omni reverentia & honore in conspectu Ecclesie celebretur. Et cum matrimonium fuerit contrahendum, per Presbyteros in Ecclesiis tribus Dominicis & Festivis a se distantibus publice proponatur, ut si quoddam impedimentum contrahendi matrimonium noverint aliqui, illud infra terminum competentem ab ipsis Presbyteris prefigendum in facie Ecclesie sine difficultate revelent. Excommunicationis quoque sententia in genere proferatur in omnes hujusmodi impedimentum celantes, a qua sine satisfactione debita nullatenus absolvantur. Et si qui tempore hujusmodi denuntiationis presentes fuerint, & impedimentum celaverint, postmodum nec ad accusationem, nec ad testimonium contra ipsum matrimonium admittantur.

Summarius.

Nullus Sacerdos, etiamsi Plebanus sit vel Archi-Presbyter, causas matrimoniales audire debet.

Ex eodem Concilio quo supra.

Causas matrimoniales nullus Sacerdos, Archi-Presbyter, vel Plebanus (sine speciali mandato Episcopi) audire presumat, aliter ejus sententia vel processus nullam obtineat firmitatem, & ipse transgressor durissime puniatur.

DE COGNATIONE SPIRITUALI.

Summarius.

Nullus a Sacerdote baptizatus potest cum ejusdem Sacerdotis filia matrimonium contrahere.

Item Statuta Canonum, in quibus est provide ordinatum, ut nullus baptizatus a Sacerdote cum (*u*) eadem Sacerdotis filia audeat matrimonium contrahere, cum inter talem baptizatum & Sacerdotis filiam spiritualis fraternitas generetur, firmiter precipimus observari.

Summarius.

Ad Baptismum & Confirmationem unus tantum Patrinus assumatur.

Statuimus (*x*) ut unus tantum sumatur Patrinus in Sacramento baptismatis & confirmationis, ad impedimenta matrimonii precavenda.

DE SIMONIA ET NE ALIQUID PRO SPIRITUALIBUS EXIGATUR.

Summarius.

Ordinandus cautionem vel promissionem de non petendo ab Ordinatore beneficio, quia simoniacum est, non interponat.

EX Concilio Aschaffenburgensi.

Nullus quoque ordinandus de non (*y*) petendo Beneficio ab Ordinatore sive Presentatore ipsius cautionem vel promissionem aliquam interponet, quia hoc simoniacum est, & contra Canonicas sanctiones.

Sum-

(*t*) occupatum (*u*) ejusdem *impr.* 1509. (*x*) *Hoc Capitulum abest ab impr. A.* 1509.
(*y*) non, *abest.*

Summarius.

Pro Euchariſtia, Oleo infirmorum, Baptiſmate, Chriſmate, Oleo ſancto, Sepultura, & aliis Sacramentis miniſtrandis ſponte quædam oblata licet, quomodolibet vero exacta munera ſub pena excommunicationis recipere non licet. Qui vero taliter in Synodo convictus fuerit, ſi Vicarius eſt, omnino ab Archidiaconatu amoveatur. Si autem Paſtor ab Officio & Beneficio, donec ab Epiſcopo ſuper eo diſpenſationem obtinuerit, ſuſpendatur. Et Sacerdos, qui interea Eccleſie deſervit, ſingulos ejusdem proventus recipiat.

EX eodem Concilio, quo ſupra.

Verum, quia aliqui Sacerdotes ex ſimplicitate, ſive juris ignorantia, quidam ex avaritiæ vicio (quod fere omnium oculos excecavit) dum Euchariſtiam, Oleum (z) ſanctum, Sepulturam, aut alia Sacramenta Eccleſiaſtica ſuis ſubditis adminiſtrant, pretium extorquent ex ipſis, pro ſui erroris & reatus defenſione, longam illius loci conſuetudinem pretendentes, nec advertentes, quod diuturnitas temporis peccatum non diminuit ſed augmentat. Nos inherentes Concilio Turonenſi, quod hujusmodi conſuetudinem maxime deteſtatur, ne pro hujusmodi aut aliquibus Sacramentis conferendis aliqua de cetero munera quantumcunque modica per Prelatos vel Sacerdotes a ſuis ſubditis (tamquam debitum) exigant, ſub pena excommunicationis ſententie jam late, *de approbatione hujusmodi ſacri Concilii* diſtrictiſſime prohibemus: niſi munera hujusmodi ſponte & charitative a Chriſti fidelibus offerantur Archidiaconis, & eorum Officialibus, ſub eadem pena firmiter injungentes, ut in ſingulis *Synodis ſive Capitulis*, quibus ſolent Clerici convenire, de hujusmodi vicio inquiſitionem faciant ſpecialem, & quos in eodem per probationes legitimas invenerint laborare: ſi Vicarii fuerint, ipſos ſine omni ſpe reſtitutionis a ſuis Archidiaconatibus amoveant: Paſtores vero ab Officiis & Beneficiis tamdiu ſuſpendedere non ommittant, donec ſuper hujusmodi ſimoniaca pravitate cum ipſis per ſuos Epiſcopos fuerit diſpenſatum. Predicta vero ſuſpenſione Paſtorum durante Archidiaconi de redditibus Beneficiorum nihil percipiant eorundem, ſed Sacerdotes idoneos in Eccleſiis conſtituant taliter ſuſpenſorum, qui per omne tempus ſuſpenſionis percipiant, & in ſuos uſus convertant univerſos redditus Eccleſiaſticos ipſis Paſtoribus competentibus, (a) dignum enim eſt, ut qui Altari ſervit, vivere debeat de Altari, ſed & illi proventus Eccleſiaſtici merito ſubtrahuntur, cui Eccleſie communio denegatur.

DE JUDÆIS.

Summarius.

Judæi per excommunicationem, Chriſtiani autem communitatum Rectores per Divinorum ceſſationem compellantur efficere, ut Judæi habitum & ſigna, quibus a Chriſtianis internoſcantur, publice gerant, Dignitates vel Officia publica & mancipia Chriſtana non habeant, viſus etiam in paraſceve in plateis Judeus, aut per oſtium ſive feneſtram proſpiciens, Diœceſano marcham argenti tenetur. Que omnia Rectores Parochiarum ſub pena excommunicationis in locis ubi Judæi morantur, ſingulis Dominicis poſt ſingulas quatuor angarias publice populo inſinuabunt.

EX Concilio Aſchaffenburgenſi.

Licet enim in *generali Concilio* provide fuerit ſtatutum, ut uterque ſexus, de gente Judeorum in omni Chriſtianorum provincia ſignum (b) publice deferre debeat (c) quo a populo Chriſtiano manifeſti diſtingui valeut & diſcerni, fuitque adjectum & ſalubriter proviſum in Concilio memorato, ut in diebus Dominice Paſſionis in publicum prodire non debeat gens prædicta, ſed in ſuis ſe continere domibus, clauſis oſtiis & feneſtris, ne ſicut in eodem Concilio tangitur, Chriſtianis, quo ſacratiſſime Paſſionis memoriam exhibentes lamentationis ſigna pretendunt, illis diebus ab eodem populo Judeorum illudatur. Licet etiam alias in ſacris Canonibus prohibitum inveniatur expreſſe, ut Judei nec publica officia, nec aliquas ſeculares dignitates habeant, aut in ſuis domibus & ſervitiis mancipia teneant Chriſtiana. Quia tamen nec contra Judeos in predictis proibitis caſibus contrarium facientes, nec contra Chriſtianos potentes (ipſos ſine diſtrictionis ſigno vel habitu in ſuis terminis tolerantes, aut publicis officiis vel ſecularibus dignitatibus preficientes eosdem, certa

(z) Oleum infirmorum & Baptisma,
(b) vel habitum

(a) competentes
(c) frequenter *abeſt.*

certa & ſufficiens pena in Canonibus reperitur) conſiderantes, quod facilitas venie incentivum tribuat delinquendi, & plus ſolet timeri, quod ſpecialiter precipitur, quam quod generaliter imperatur; de multa deliberatione & unanimi *approbatione hujus ſacri Concilii* irrefragabiliter duximus ſtatuendum, ut in univerſis civitatibus, oppidis, caſtris, & villis Civitatis, Diœceſis, & Provincie Moguntine gens Judæorum utriusque ſexus infra duos menſes poſt publicationem hujus ſtatuti, talia ſigna & habitum (quibus ſine qualibet ambiguitate a Chriſtiano populo diſtinguatur) ſibi eligat & deferat manifeſte, dignitatesque ſeculares & officia publica, quibus de gente prefata forte aliquis preeſt, & mancipia Chriſtiana, prorſus dimittat. Alioquin in omnibus locis, ubi Judæi huic ſacro & ſalubri Concilio in hac parte obedire nolentes habitare, vel domicilia obtinere noſcuntur, in pœnam Chriſtianorum potentum, tamdiu ceſſetur ab Officiis Divinorum, donec per Principes, Poteſtates, & Nobiles Chriſtianos, in quorum territorio predicta gens converſatur, ad obſervationem premiſſorum omnium compellatur. (*d*) Ipſi autem Judæi per locorum Diœceſanos indirecte per ſubtractionem communionis fidelium excommunicationis ſententia percellantur. Si quis vero de gente predicta in die Paraſceves viſus fuerit in plateis, vel per oſtium ac feneſtram ſue domus proſpicere, ad quod probandum duorum Chriſtianorum ſtabitur juramento, idem loci Diœceſano in marcha argenti pœne nomine teneatur, ad cujus ſolutionem reus, & omnes defendentes eundem, per excommunicationis ſententiam compellantur. Et ne quis Chriſtianus aut Judæus hujus ſtatuti ignorantiam valeat allegare, univerſis Parochiarum Rectoribus per Moguntinenſem Civitatem, Diœceſes, & Provinciam conſtitutis, in quorum Parochiis Judæi morantur, ſub pœna excommunicationis in quoslibet transgreſſores, auctoritate preſentis Concilii, exnunc late precipimus firmiter & diſtricte, ut quilibet in ſua Parochia ſingulis Dominicis diebus, (*e*) ſingula quatuor tempora immediate ſubſequentibus, infra Miſſarum ſolennia, publice prefatum ſtatutum lingua materna exponere non omittat.

Summarius.

Per excommunicationis ſententiam, & excluſionem commercii Judæorum cum aliis Chriſtianis, prohibeantur Chriſtiani in domibus Judæorum, & cum Judæis habitare.

EX Concilio Moguntino D. Petri.

Item cum in ſacro Concilio olim ſacratiſſime ſit ſtatutum, ne Judæi ſub alendorum puerorum obtentu, nec pro ſervitio, nec pro qualibet alia cauſa, Chriſtiana mancipia habere permittantur in domibus ſuis. Et quod excommunicentur Chriſtiani, qui cum ipſis preſumpſerint habitare, cum ipſi propter continuam converſationem & aſſiduam familiaritatem ad ſuam ſuperſtitionem, & perfidiam execrabilem, (*f*) incontinentium poſſint ſimplicium Chriſtianorum animos de facili inclinare. Nos, qui Dei injurias graviter portamus, hujus Canonis auctoritate ſtatuimus, ut omnes Chriſtiani noſtre Provincie ſub quocunque pretextu domos Judæorum inhabitantes, infra duos menſes poſt publicationem hujus ſtatuti, de Judæorum domibus, nunquam poſtmodum reverſuri, recedant. Alioquin Chriſtiani contrarium facientes per ſententiam excommunicationis percellantur, & alii Chriſtiani tamdiu a Judæorum familiaritate & commercio coerceantur, quamdiu Judæi hujusmodi Chriſtianos in domibus ſuis preſumpſerint retinere.

DE HERETICIS.

Summarius.

Omnes heretici ſive laici, ſive Clerici, ſunt excommunicati, qui primo ab Eccleſia per ſententiam damnantur, & deinde a ſeculari judicio puniuntur, Clericis tamen prius ab Ordinibus degradatis.

EX Concilio Fritzlarienſi.

Excommunicamus & anathematizamus (*g*) omnes hereticos, quibuscunque

(*d*) *Hoc comma uſque*: Si quis. *abeſt a Mogunt. impr. A.* 1509.
(*e*) *Hoc inciſum*, ſingulis quatuor : *uſque* : infra Miſſarum. *non eſt in impr.*
(*f*) incontinentium *abeſt.*
(*g*) ante omnia univerſos

que nominibus censeantur, facies quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum. Damnati vero per Ecclesiam, seculari judicio relinquantur, animadversione debita puniendi, Clericis prius a suis Ordinibus degradatis.

Summarius.

Christiani ad Judaismum transeuntes, vel redeuntes, heretici reputantur.

Statuimus, imo Statutum BONIFACII publicamus, ut contra Christianos, qui ad ritum transiverint, vel redierint Judeorum, etiamsi hujusmodi redeuntes, dum erant infantes, aut mortis metu, non tamen precise (*b*) coacti baptizati fuerint, tanquam contra hereticos, si fuerint de hoc confessi, aut per Christianos vel Judæos convicti, & sicut contra fautores, receptatores, & defensores hæreticorum, ita contra fautores, receptatores, & defensores talium per locorum Ordinarios procedatur.

DE RAPTORIBUS.

Summarius.

Sub Archi-Diaconatu, ubi Clericus captus vel detentus est, cessetur a Divinis, infra loca autem, ubi tales captivatores & eorum adjutores domicilium, jurisdictionem, vel receptaculum habent, interdictum servetur.

ALEXANDER EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, Dilectis Filiis, Capitulo, & Clerico civitatis & Diœcesis Moguntinensis salutem & Apostolicam Benedictionem. His, qui ab Ecclesiarum Prelatis pro ipsorum utilitatibus & defensione libertatis Ecclesiastice provide statuuntur, digne adjicimus Apostolici muniminis firmitatem, ut intemerata consistant, cum nostro fuerint presidio communita. Significastis quidem Nobis, quod bone memorie GERHARDUS, Archi-Episcopus Moguntinensis, attendens, quod per statuta bone memorie SIFFRIDI Archi-Episcopi Moguntinensis Predecessoris sui, auctoritate Apostolica edita contra illos, qui Prelatos & Canonicos Moguntinensis Civitatis & Diœcesis ausu sacrilego capere, & detinere captivos contra libertatem Ecclesiasticam presumebant, non fuerat sufficienter eorum maliciis obviatum: Et volens contra tante iniquitatis malum salubriter providere, diligenti meditatione prehabita, de sui *Capituli*, nec non Archi-Diaconorum, aliorumque Prelatorum earundem Civitatis, & Diœcesis consilio & assensu statuit, & ordinavit, ut in terminis Archi-Diaconi illius, ubi Prelatum vel Religiosum aliquem, seu Clericum in sacris Ordinibus constitutum, & pro Clerico se gerentem capi, vel detineri constiterit, eo ipso cessetur ab Officiis Divinorum: Statuit insuper & etiam ordinavit, ut in omnibus locis, in quibus Clericorum captivatores, & eorum complices, qui eis in hujusmodi maleficio consilium vel auxilium prestiterint, domicilium, seu jurisdictionem de facto, vel de jure obtinerent, in illis quoque locis, ubi tales receptacula habuerint, infra easdem Civitates & Diœceses servetur districtissime interdictum, ita videlicet, ut corpora mortuorum ad sepulturam Ecclesiasticam nullatenus admittantur: Et si forte in Ecclesiis vel Cimiteriis per abusum laicalis potentie hujusmodi corpora tumulata fuerint, in eis prefatum interdictum, nisi prius ejectis exinde predictis corporibus, nullatenus relaxetur. Alia etiam statuta salubria & honesta contra presumptores eosdem in favorem ejusdem libertatis Ecclesiastice Archi-Episcopus edidit supradictus, prout in eisdem literis confectis exinde plenius continetur. Nos igitur (*i*) universis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem Archi Episcopo provide factum est, ratum habentes & gratum, illud auctoritate Apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem literarum ipsarum de verbo ad verbum inseri facientes presentibus, qui est talis:

TENOR STATUTI DOMINI GERHARDI,

De quo in Bulla Pape Alexandri fit mentio, quod & in totam Provinciam prorogatum est, & in ea precipitur observari: infra Capitulo: Sacri.

IN Nomine Domini Amen. GERHARDUS Dei Gratia Moguntinensis Sedis Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Germaniam Archi-Cancellarius, universis

(*b*) sed (*i*) vestris

versis per Moguntinensem Diœcesem constitutis, salutem in Domino. Cum per illud statutum, quod Dominus SIFFRIDUS pie memorie Predecessor noster olim contra captivatores Clericorum edidit, auctoritate Sedis Apostolice super hoc statuendo specialiter sibi data, non sit adhuc sufficienter provisum, aliasque Prelati ac Clerus nostre Diœcesis a nonnullis perditionis filiis multipliciter aggraventur contra Ecclesiasticam libertatem: quia nova contra novos morbos oportet antidota preparari; multa deliberatione prehabita, *de consilio & consensu Archidiaconi, Prelatorum, & Capituli nostri*, statuimus, & jam nunc in quoslibet transgressores excommunicationis sententiam promulgamus, ut non solum in terminis illius Archidiaconatus, in quo Prelatum, vel Religiosum aliquem, seu Clericum habentem sacros Ordines, & pro Clerico se gerentem temere captivari; sed in terminis Archidiaconi, in quo quempiam Clericum detineri constiterit, ipso facto cessetur ab Officiis Divinorum, ut sic tam Nobiles, quam (*k*) Magnates, quam etiam populares cum plebe contra (*l*) malefactores hujusmodi & Divinorum carentia provocati, consurgant, ad liberationem illius, qui ausu sacrilego detinetur captivus, auxilium prestituri: specialiter autem in omnibus locis illis, in quibus captivatores & eorum complices nostre Diœcesis in maleficio ipsis consilium, auxilium aut juvamen prestantes domicilium obtinent, & sive de jure jurisdictionem exerceant, aut ubi habent receptaculum, servetur districtissime interdictum. Ita videlicet, quod corpora mortuorum ad Ecclesiasticam sepulturam nullatenus admittantur, quinimo si per violentiam laicalem in Ecclesiis vel cimiteriis fuerint tumulata, ibi (*m*) non relaxetur aliquo modo sententia interdicti, nisi prius ejectis illis corporibus sic per laicalem potentiam tumulatis. Durante etiam hujusmodi interdicto, Sacerdotes aliud facere non presumant, nisi quod in diebus Dominicis proposito suis plebibus Verbo Dei, pronunciatis quoque diebus Festivis, que in illa septimana occurrunt, eos aqua benedicta aspergant, nullum omnino dicant officium in aperto (hic servatur decretalis ALMA) semel in hebdomada absque signo campanarum clausis ostiis, cum suo tantum ministro pro conficiendo viatico sub silentio Missam dicant, prefatum interdictum juxta modum & formam prescriptam reverenter & fideliter servaturi. Archidiaconi quoque & eorum Officiales in aliis locis nostre Diœcesis requisiti, predictos sacrilegos ab omnibus suis subditis excommunicatos denunciari faciant publice singulis diebus Dominicis & Festivis, donec captivatus liber & indemnis cum satisfactione debita dimittatur.

summarius.

Eorum, qui Clericos captivare, detinere, occidere, mutilare, aut vulnerare presumpserunt, tam filii, quam tota eorum usque in quartam generationem posteritas, neque ad sacros Ordines, neque ad beneficia nec claustra admittantur.

EX Concilio Aschaffenburgensi.

(*n*) Preterea cum in Predecessorum nostrorum statutis per penas contra captivatores Clericorum proditas adhuc nec Ecclesiis, nec Ecclesiasticis personis sufficienter provisum existat: Considerantes, quod pro unius delicto sacri Canones interdum puniri precipiunt totam terram, & nonnunquam propter parentum peccata in tertiam & quartam generationem filii puniuntur. Nos de similibus ad similia procedere cupientes, provida deliberatione sacri Concilii, Predecessorum nostrorum statutis duximus annectendum, irrefregabiliter statuentes, ut non solum eorum filii, qui Canonicos etiam in minoribus ordinibus constitutos, & ceteros Clericos pro Clericis se gerentes, ac alias personas Ecclesiasticas captivare, vel captivos detinere, occidere, mutilare, aut letalibus, sive nimis atrocibus vulneribus, quibus per medicorum industriam nequit subveniri, vulnerare presumunt, sed & omnis eorundem sacrilegorum utriusque sexus ab ipsis descendens posteritas usque ad quartam genera-

(*k*) Magistratus. *Lunig & Neumann*: Magnates.
(*l*) molestatores *Mogunt. impres. A.* 1509. (*m*) *Lunig.* enim
(*n*) *Hoc Caput in impresso A.* 1509. *omissum, uti & in Lunig.*

nerationem, nec ad facros ordines, nec ad aliqua Ecclefiaftica Beneficia, nec in clauftris, nec cenobiis cujuscunque ordinis admittantur. Quodfi contrarium factum fuerit ex malitia vel ignorantia; ordinatos ab executione ordinum perpetuo volumus effe fufpenfos. Receptos vero ad Beneficia Ecclefiaftica fecularium Ecclefiarum, pro non receptis haberi decernimus ipfo facto. Sed ne perfonis, in Monafteriis five Clauftris receptis, detur materia ad feculum redeundi, eas in ipfis quidem Monafteriis ita volumus remanere, quod in Conventu fint, & ultimi reputentur, at nunquam ad officia vel dignitates aliquas affumantur. De illis autem perfonis, que in Ecclefiis Conventualibus aut Monafteriis ante hoc noftrum ftatutum inveniuntur promote, auctoritate hujus facri Concilii hoc diftrictiffime precipimus obfervari, ut fi parentes ipforum aliquid commiferint premifforum, predicte perfone ob hujusmodi parentum fuorum delictum nunquam ad Perfonatus vel dignitates aliquas affumantur, fed in fuis gradibus perfiftentes ad ulteriores efficiantur ineligibiles ipfo facto, omnibus aliis penis contra ordinantes, prefentantes & recipientes perfonas hujusmodi, in priori Concilio conftitutis in fuo robore duraturis.

summarius.

Capellani, (o) *Confiliarii, Scriptores captivatorum Clericorum, fi Clerici funt, fub pena excommunicationis a Dominis fuis recedant. Advocati autem, qui detentoribus Clericorum confulendo vel fcribendo patrocinium vel defenfionem preftant, funt excommunicati.*

Ex Concilio Afchaffenburgenfi.

Nos igitur ftatuta ipfa non folum approbamus, verum etiam duximus adjungendum, firmiter ftatuentes, quod fi temerarii captivatores Clericorum, aliquos de familia fua habuerint (p) Clericos, ut puta Capellanos, Confiliarios & Scriptores, iidem fe ftatim retrahant a communione eorum non folum in Divinis, fed etiam in menfa, ac aliis, quibus excommunicato quomodolibet communicatur illicite: item nec confiliis eorum interfint, nifi forte tractatum haberent cum eis de procuranda liberatione eorum, quam fi infra duos menfes procurare non potuerint, fub pena excommunicationis jam late fententie precipimus, quod ex tunc non folum a confilio & fcribendo fe abftrahant, fed omnino recedant ab eis: quam fi iidem Clerici per unum menfem fuftinuerint, ex tunc periculum fuorum Beneficiorum incurrant, ita quod ipforum Beneficia aliis conferri valeant, nec non inhabiles ad alia capienda ex tali mora reddantur. Ad hoc ftatuimus, ut Advocatus, qui patrocinium vel defenfionem affumpferit quorumlibet Clericorum detentorum, ac eos, qui occultum dederint confilium, vel literas excufationis dictaverint, vel fcripferint, vel literas quascunque a Superiore impetraverint, quibus a liberatione Clerici, vel refufione damnorum, vel de fatisfactione Ecclefie fe quoquo modo de facto valeant colorare, nifi prius Clericum dimiferit, ablata reftituerit, ac Ecclefie fatisfecerit de offenfa, excommunicationis fententia innodamus.

summarius.

Quantum amici Clericorum captivatorum dederint, vel promiferint pro liberatione captivati, tantundem tenentur Diœcefano. Detentor autem Clerici, fi per menfem Clericum detinuerit, vel infra annum fe abfolvi non fecerit, cadit ab omnibus feudis ab Ecclefia obtentis. Epifcopo vero captivato, tota captivatorum familia ab eo recedere tenetur. Captivatores autem & eorum pofteritas perpetuo cadunt a feudis, que habent ab Ecclefia, que & deinceps Ecclefie applicentur.

Ex eodem Concilio quo fupra.

Statuimus etiam, ut nullus manu fidelis amicus, vel aliquis habens poteftatem rerum captivati, promittat, vel det aliquid pro liberatione ipfius, vel de dando interponat fe, vel alias aliquam cautionem faciat. Quod fi contra ftatutum *hujus facri Concilii* quisquam in cafu hujusmodi inventus fuerit aliquid dediffe vel promififfe, in tanto Diœcefano pene nomine teneatur. Adjicientes, quod fi detentor Clerici per unum menfem Clericum detinuerit captivatum, aut eo dimiffo

(o) Hoc Caput apud Lunigium tribus præmiffis Capitulis præponitur. *Lunig Continuatio II. Speci̇leg. Ecclef. pag. 60. 61.*

(p) Clericos *omittit Lunig.*

miſſo, infra annum, a tempore captivitatis Clerici computandum, ſatisfactione neglecta, non obtinuerit ſe abſolvi: extunc ab omnibus feudis cadat ipſo jure, que a quibuscunque Eccleſiis dinoſcitur obtinere. Hec omnia contra captivatores Epiſcoporum multo fortius volumus obſervari. Eo adjecto, quod Epiſcopo captivato, Clerici & familia captivatoris ſtatim recedere teneantur. Qui quoque (*q*) tales captivatores ipſo facto non ſolum a jure cadant perpetuo feudorum, que captivitatis tempore a quibuscunque Eccleſiis detinebant, verum etiam ipſo facto cum omni ſua poſteritate fiant inhabiles in eternum, ac feuda quelibet, que habebant captivitatis tempore, proprietati Eccleſie applicenti, (*r*) & hi, qui feuda eis duxerint concedenda, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant. Quod ſi proximi Domini feudorum, feuda illa in quibus caſibus premiſſis Epiſcoporum vel Clericorum captivatores ceciderint, infra menſem unum vel aliis concedere, vel ad ſe neglexerint revocare, ex tunc feudorum ipſorum collatio ad ſuperiorem proximum devolvatur, quod de occiſoribus & mutilatoribus Clericorum multo fortius volumus obſervari.

SUMMARIUS.

Quod, & quomodo contra perſonarum Eccleſiaſticarum ſpoliatores in jure ſit procedendum, non obſtante ſtatuto quodam Moguntino, quo cavetur, ſpolii reſtitutionem infra octo dierum ſpacium faciendam.

EX Concilio Aſchaffenburgenſi.

Item a nonnullis in dubium revocatur, qualiter ſtatuta (*s*) contra Eccleſiaſticarum perſonarum ſpoliatores a noſtris Predeceſſoribus edita, intelligi debeant & ſervari, preſertim cum ſpoliator non infra octo dierum ſpacium, quod ſuper reſtitutione ſpolii facienda, *Concilium* ſtatuit *Moguntin.* coram Judice, a quo emanavit monitionis edictum, comparuit, & ſe juri obtulerit pariturum, dummodo circa ſpolium ſibi impoſitum ordo judiciarius obſervetur. Nos hujusmodi ambiguitatem approbatione *hujus ſacri Concilii* taliter duximus declarandam, ut ſi conquerens de ſpolio, ipſum ſpolium eſſe notorium aſſeveraverit coram Judice, & ſuper tali ſpolio notorio monitionis literas impetraverit, actor in pœnam rei, infra octo dierum ſpacium venire non curantis, (*t*) poſt lapſum ipſorum octo dierum, ad probandum hujusmodi notorium admittatur: ſive reus abſens fuerit per contumaciam, ſive preſens: quo probato, reus ad reſtituendum ea, que actor ſe per ipſius violentiam amiſiſſe declaraverit, cum expenſis ob inde factis, & ſatisfactione condigna ſententialiter compellatur. Si vero in probatione *notorii* defecerit, reo condemnabitur in expenſis, & ex tunc lite quaſi conteſtata ſuper ſpolio probando obſervabitur debitus ordo juris. Quod ſi is, cui impoſitum eſt ſpolium, infra terminum monitionis comparens ſe juri obtulerit pariturum, libellumque & inducias deliberatorias petierit ſibi dari; in hoc caſu dicimus taliter diſtinguendum: Aut actor tanquam ſuper *notorio* contra reum, aut in ſimplici citationis forma literas impetravit: In primo caſu ad probandum notorium, lite etiam non conteſtata, ſine prorogatione qualibet admittatur, & hoc probato, rem ablatam juxta legitimam declarationem ipſius cum expenſis legitimis & ſatisfactione debita per (*u*) condonationem judicis conſequetur. Alioquin reus ab actoris inſtantia, quantum ad ſpolium ſibi impoſitum totaliter abſolvetur, cum refuſione legitima expenſarum. Et hunc modum & proceſſum, ſimiliter circa eum, qui infra monitionis terminum juſto impedimento detentus venire non poterit, & hoc legitime probaverit, per omnia volumus obſervari. Literas autem ſuper ſpolio a ſolis Diœceſanis locorum, vel eorum Officialibus precipimus impetrari, alias ab aliis judicibus impetratas carere viribus decernentes.

Sequens Capitulum ſupra ponitur ſub titulo:

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM, *in fine.*

Inſuper (*x*) ſtatuimus, ne perſona quantacunque nobilitate aut preeminentia ſtatus prefulgeat, Eccleſias, aut Eccleſiaſtica bona, jura, jurisdictiones, & vaſal-

(*q*) quodque tales
(*r*) applicentur,
(*s*) quælibet, *omiſſo* qualiter *Lunig.*
(*t*) Verba intermedia *omittit Lunig.*
(*u*) condemnationem *Lunig.*
(*x*) *Lunig continuat cum antecedentibus.*

vaſallos eorum, violenter, aut auctoritate propria publice occupare, aut occupando invadere, vel ſcienter occupantibus Eccleſias aut predicta bona, preſtare preſumat, quomodolibet per ſe, vel per alium, aut alios conſilium, auxilium, vel favorem. Et niſi requiſitus infra menſem [y] Eccleſie ſeſe, aut Prelato ipſius, damnum illatum emendaverit, ipſo facto ſit anathematis vinculo innodatus, decedentium etiam Clericorum peculium occupare, vel occupatos detinere omnibus laicis ſub anathematis pœna ex nunc prout ex tunc in ipſos lata diſtrictius inhibemus.

Summarius.

Statuta de Clericorum, Epiſcoporumque captivatoribus, detentoribus, occiſoribus, mutilatoribus, vulneratoribus, & ſpoliatoribus precipiuntur per totam Provinciam Moguntinam diſtricte ſervari. Prorogantur etiam ad incendiarios, effractores, & temerarios Eccleſiarum deſtructores. Ubi autem abſolutio vel diſpenſatio neceſſaria eſt, eam Moguntinenſis Archi-Epiſcopus impertitur, dummodo tamen prius de ſatisfactione per Epiſcopum loci ſit certior factus.

EX Concilio Moguntino D. Petri.

Sacri hujus approbatione *Concilii* ſtatuta Predeceſſorum noſtrorum contra captivatores, detentores, occiſores, mutilatores, vulneratores, & ſpoliatores Clericorum, nec non multo fortius Epiſcoporum edita, ſpecialiter innovamus, approbamus, & per totam *Provinciam Moguntinenſem* precipimus, ut pupillam oculi cuſtodiri ab omnibus, & cum ſumma diligentia obſervari. Etiam contra incendiarios, effractores, & deſtructores temerarios Eccleſiarum Dei, contra quos ſimiliter ſtatuta hujusmodi prorogamus, provide ſtatuentes, ut in omnibus caſibus, in quibus abſolutio vel diſpenſatio eſt petenda in cauſa vel cauſis, in Conciliorum ſtatutis quomodolibet comprehenſis, & maxime in preſcriptis, ut Clerus & Eccleſie conſerventur in pace. Poſt ſatisfactionem debitam & condignam, Metropolitanus, qui pro tempore fuerit Moguntin. valeat ratione previa diſpenſare, ſi ei per Epiſcopum loci, vel Officialem ſuum ſuper ſatisfactione hujusmodi patentibus literis & bonis nunciis deſtinandis, fuerit facta fides.

DE USURIS.

Summarius.

Notorii uſurarii Eccleſiaſtica careant ſepultura, non minus tamen heredes ad reſtitutionem compellantur, uſurarium autem ſepeliens, beneficio privetur, & ſingulis Dominicis uſurarii excommunicentur, qui, ſi ſint notorii, in egritudine non audiantur, niſi vel ipſi ſatisfecerint, vel heredes.

EX Concilio Fritzlarienſi. *Lunig.* ex Aſchaffenburgenſi.

Contra uſurarios juxta ſtatutum LATERANENSIS Concilii procedatur, ut ſi notorius fuerit ipſorum exceſſus, ſine diſtinctione qualibet, Eccleſiaſtica careat ſepultura: nihilominus eorum heredibus ad reſtituendum uſuras per cenſuram Eccleſiaſticam compellendis. Si quis autem tales ſepelire preſumpſerit, ſuis beneficiis ſpolietur. Excommunicationis etiam ſententia ſingulis diebus ſolennibus proferatur in omnes, quicunque uſuras de cetero preſumpſerint exercere. Hoc priori Concilio adjungentes, ut ſi notorii uſurarii demum in egritudine conſtituti abſolvi deſiderent, nullatenus audiantur, niſi primitus ſatisfaciant (z) in quantum poſſibile fuerit de uſuris.

Summarius.

Definit hoc Capitulum pœnam uſurariorum publicorum, convictorum, vel confeſſorum, a juratis proclamatorum, de uſura ſuſpectorum, & uſuras ſolventium, nec tamen uſurarios accuſantium: preterea uſurariorum oblationem non recipiendam, Eccleſiaſticam ſepulturam, altarisque Communionem eis negandam, & Sacerdotum predicta admittentium, pœnam. Item uſurarios non niſi ab Epiſcopis & Archi-Diaconibus eſſe abſolvendos. Inſuper quomodo agendum cum uſurariis reſipiſcere nolentibus, ſed & abſolutionem ſuam uſque ad extrema differentibus. Poſtremo de familia uſurariorum temere per menſem in excommunicatione durantium.

Statuit & hoc Dominus GERHARDUS,

(y) infra menſem, *omittit Lunig.*
(z) vel heredes ſuos tales habeant, quod pro eis ſatisfaciant, in quantum poſſibile fuerit de uſuris. *Ita Lunig.*

DUS, ut in usurarios omnes cunctis diebus Dominicis & Festivis per locorum Plebanos, & eorum Vicarios auctoritate nostra excommunicationis sententia proferatur, ita ut, qui publice exercent usuras, aut qui coram Ecclesia de usura convicti fuerint vel confessi, aut qui per juratos villarum pro usurariis sunt publice proclamati, excommunicentur solenniter nominatim: qui verò de usure vicio sola sunt suspicione notabiles, nisi datis sibi super hoc a Prelatis, Plebanis, sive Vicariis certis terminis, se de hujusmodi vicio legitime coram Ecclesia expurgaverint, & debitores usurarum & fidejussores datos forsitan super eis absolverint simpliciter & publice ab usuris, excommunicentur similiter nominatim, cum eis, qui solvunt usuras, nec accusant eos post monitionem factam eisdem infra mensem. Ab usurariis autem manifestis juxta LATERANENSE Concilium nullus omnino oblationes recipiat, nec ad communionem admittantur Altaris. Nec si in hoc decesserint peccato, recipiantur ad Ecclesiasticam sepulturam. Qui autem contra premissa fecerint, ea, que acceperint, restituere compellantur: & donec secundum nostrum arbitrium satisfecerint, ab officii sui maneant executione suspensi. Tales autem si resipiscere non curaverint a peccato, deinde post restitutionem, que male extorserunt per usurariam pravitatem, si ad restitutionem omnium eorum suffecerint facultates, vel si in totum solvendo non fuerint, prius restituta ea, ad quam sufficerent, portione, de reddendo residuo fortuito tempore sufficientem cautionem adhibeant eis, vel eorum heredibus, si existant, a quibus extorserint usuras: alioquin pauperibus vel piis locis juxta ordinationem Judicum sedis nostre, aut Archidiaconorum satisfactione, idonea prestita cautione, ab eisdem judicibus, aut Archidiaconis absolutionis beneficium consequantur. Nos enim solum eis absolutionem talium duximus committendam, ne per quorundam Sacerdotum simplicitatem, & per malitiam aliorum, qui contra (a) constitutionem hujusmodi proprium questum querunt, non salutem animarum vel commodum proximorum, quibus est merito restitutio facienda, contra usurarios aliquid incongruum statuatur. Quod si usurarii prescripti spe finalis penitentie & absolutionis extreme, claves Ecclesie sani contempserint, & temere sustinuerint anathema, seque in extremis absolvi petierint, juxta provisionem Fritzlariensis Concilii non statim sub proprio juramento est eis absolutio impendenda, nisi prius cuncta male extorta restituant, dummodo tantum in bonis mobilibus & immobilibus habeant, quod restituere valeant universa, vel saltem refundant, in quantum eorum facultates se extendunt, & de reliquo refundendo & satisfaciendo Ecclesie, sanitate recepta & copia rerum nacta, dederint fidejussores idoneos, consanguineosque & affines: quod si fidejussores tales non extiterint, & in eis appareant vere signa penitentie, recepto sub forma prescripta proprio juramento, admittantur ad penitentie & Eucharistie Sacramentum. Sed in penam tam diuturni contemptus clavium Ecclesie, ad terrorem aliorum, negetur eis extrema Unctio, & Ecclesiastica sepultura, nisi forte suadente causa legitima hoc a Nobis ex gratia contigerit indulgeri. Ad que etiam duo ultima consequenda, non sufficiant, proprium juramentum, & penitentie signa premissa, cum Pater & Mater male adquisita restituere sint parati, sed forsitan filii contradicunt, & pro parentibus nolunt premissas exponere cautiones; vel cum uxor pro marito vel e converso maritus pro uxore similia facere detrectaverint. Adjicientes, quod si usurarii manifesti per mensem unum temere in excommunicatione duraverint, extunc uxoribus & filiis, ac propriis ipsorum mancipiis Divina Sacramenta & Eucharistia subtrahantur, baptismate parvulorum, & penitentia morientium exceptis, servientibus aliis, & ancillis, & conducticiis, & colonis eorum, excommunicationis gladio feriendis.

Summarius.

Nullum privilegium Usurarios, Ecclesiarum & Clericorum spoliatores & captivatores tuetur, quominus super tali eorum crimine possint conveniri.

Preterea cum delictum, privilegium emunitatis non habeat, & delinquen-

(a) restitutionem

quentem pena, non dignitas merito (d) comitetur. Statuimus, ut quilibet sive miles, sive ministerialis noster existat, seu quocunque privilegio fori prescriptione prefulserit, super usuris, cessante in hoc crimine omni privilegio, a nostris Judicibus valeat conveniri, cum privilegium meretur amittere, qui sui fori & honoris tam utiliter abutitur potestate. Nihilominus & hec contra captivatores, spoliatores Ecclesiarum & Clericorum, sive ministeriales sint, vel alias gaudeant privilegio, & contra fidejussores datos ab usurariis, volumus observari, videlicet quod per nostros Judices valeant de talibus insolentiis coartari.

DE CRIMINE FALSI.

Summarius.

Apostolicas & aliorum literas afferentes non admittantur, nisi prius per Diœcesanum vel Cathedrale Capitulum sint examinate, & ipsi per alterius eorum literas sint admissi. Tales autem citra predictam formam recipiens ipso jure ab Officio & Beneficio est suspensus. Quisquis vero aliter petitiones suas promovere presumpserit, debet a plebanis & aliis, ad quos venerit, una cum rebus suis occupari, & Diœcesano vel Archi-Episcopo presentari.

EX Concilio Fritzlariensi.

Et quia plerique falsarii literis Apostolicis & aliorum Prelatorum testimoniis afferunt se munitos; hoc sanctum decrevit Concilium, ne tales, qualiacunque scripta deferant, a Clericis, vel a quibuslibet aliis personis Ecclesiasticis recipiantur in Ecclesiis, vel in domo, nisi prius ipsorum litere per Episcopum Diœcesis, si ejus copia possit haberi, alioquin per Capitulum Ecclesie Cathedralis examinate fuerint diligenter, & nisi ipsius Episcopi [e] literis testimonialibus sint muniti. Et hoc ideo, quia per Sacerdotes simplices non potest de facili literarum veritas vel falsitas indagari. Sane quecunque persona Ecclesiastica citra hanc formam tales receperit, ipso jure ab officio & beneficio per triennium sit suspensa, alia pœna nihilominus juxta Superioris arbitrium punienda. Illud quoque presentis auctoritate Concilii huic Capitulo duximus annectendum, ut si tales sine dictis literis testimonialibus petitiones suas presumpserint promovere, Plebani civitatis & villarum, ac alii, ad quos veniunt, eos cum rebus eorum per seculare judicium, si alias detineri non possint, non dubitent occupare, Diœcesano, seu Archi-Diacono presentandos.

DE SORTILEGIIS.

Summarius.

Omnes sortilegi sunt excommunicati, & a solis Episcopis extra mortis articulum absolvendi, quod singulis Dominicis & Festis est per Plebanos in Ecclesiis publicandum.

EX Concilio Fritzlariensi.

Excommunicamus & anathematizamus omnes sortilegos, firmiter prohibentes, ne ab alio, quam a suo Episcopo, nisi forsitan in mortis articulo, absolvantur: & hanc excommunicationis sententiam singulis diebus Dominicis & Festivis per Sacerdotes in eorum Ecclesiis & Capellis precipimus publicari.

DE CLERICO EXCOMMUNICATO MINISTRANTE.

Summarius.

Clericus excommunicatus vel suspensus ingerens se Divinis ab officio deponitur, fit infamis, & ad beneficia inhabilis, nisi a Sede Apostolica secum dispensetur.

EX Concilio Fritzlariensi.

Cum scriptum sit in lege Domini, quod quicunque *non obtemperasset* (f) *Sacerdotibus, ut extra castra positus dilapidabatur* a populo, aut gladio cervice subjecta expiabat contemptum: Et in primitiva Ecclesia, inobedientes ejecti de Ecclesia, rabido ore dœmonum trahebantur: multi nomine Sacerdotes censuram Ecclesie contemnentes, excommunicati vel suspensi a Prelatis suis, exigentibus culpis eorum, & immemores, quod Episcopis & Prelatis clavium cœlorum sit collata potestas, attentare sibi interdicta ministeria non verentur. Contra quos volumus rigorem Ecclesiasticum exercere. Statuimus igitur, ut tales sine spe restitutionis ab officio deponantur, & infames ac detestabiles facti, de cete-

(d) communicetur. *Lunig.*
(f) Deuteronom. XVII, 12.
(e) vel Capituli, vel Capellani, *Lunig.*

cetero ad Beneficia Ecclesiastica nullatenus admittantur, nisi per pœnitentiam approbatam, & conversationem laudabilem Sedis Apostolice gratiam meruerint obtinere.

DE PRIVILEGIIS ET EXCESSIBUS PRIVILEGIATORUM.

Summarius.

Religiosi privilegiorum suorum fines non excedant, jura Patronatus ad Beneficia habentes, ea temere suis usibus non usurpent, sed idoneos Sacerdotes ad ea presentent. Alioquin lapso juris termino, Ordinarius de eis providebit. Excommunicati sunt etiam ipso facto, qui auxilium Religiosis prestant, ut de bonis, unde decimas solvere tenentur, Ecclesias in decimis defraudent, qui, si Clerici fuerint, beneficiis & dignitatibus sunt privati, locorum vero filii & nepotes in quartam usque generationem, ad dignitatem Ecclesiasticam sint inhabiles.

EX Concilio Aschaffenburgensi.

Preterea statuimus, ne Religiosi, cujuscunque religionis vel ordinis existant, privilegiati fines suorum excedant privilegiorum; cum privilegium mereatur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. Si qui etiam Religiosorum per donationem, vel alium legitimum titulum jura Patronatus aliquorum Beneficiorum Ecclesiasticorum acquisiverint, talia Beneficia propria temeritate suis usibus non usurpent, sed ipsis vacantibus, ad ea Sacerdotes *idoneos* presentent, alioquin elapso tempore a jure statuto, Ordinarius loci, prout Ecclesie expediet, providum instituat Vicarium. Si (g) quis etiam Ecclesias Parochiales, infra quarum limites, grangias, & Monasteria haberent, terras, agros, prata, vel vineas, aut alia bona, de quibus jure decimam solvere tenentur, in decimatione defraudaverint, omnes ipsis ad hoc opem vel operam dantes, & ipsorum servitiis intendentes, decernimus ipso facto excommunicationis sententiam incurrisse. Quicunque vero ausu temerario contra predictam constitutionem venerit, cujuscunque status fuerit, vel conditionis, ipso facto sit anathematis vinculo innodatus. Et si Clericus fuerit, qui talia commiserit, aut opem vel operam, consilium aut auxilium predicta, vel aliquid predictorum adhibuerit perpetrandi, omnibus sit Beneficiis Ecclesiasticis & dignitatibus privatus, & ad ulteriora percipienda sit omnino inhabilis & indignus. Laicorum etiam contra presentem nostram constitutionem in aliquo venientium filios & nepotes, usque in quartam generationem, nisi sufficienter injuriam passis satisfactum fuerit) ad omnem honorem & dignitatem Ecclesiasticam inhabiles decernimus esse, & etiam inhibemus sub anathematis pena; quam exnunc in omnes contrarium facientes ferimus, eosdem in Ecclesia Dei ulterius promoveri.

DE INJURIIS ET DAMNO DATO.

Summarius.

Canonicus publice convicia dicens Canonico, per quartam Prelato, per mediam anni partem a Capitulo & fructibus sit suspensus; manus injiciens violentas, dupliciter; vulnerans quadrupliciter dictas penas patiatur, & priusquam restituatur, juxta Diœcesani arbitrium leso satisfaciat. Quod si mutilaverit etiam, omni beneficio sit ipso jure privatus, que omnia circa alios etiam Clericos beneficiatos eque sunt servanda.

Ex Concilio Aschaffenburgensi.

Et quia de Canonicis & ceteris Clericis conviciatoribus & percussoribus, per Predecessorum nostrorum *Concilia* seu Statuta, nulla certa forma vel pena, preter eam, que jure communi comprehenditur, invenitur expressa. Nos attendentes, quod plus timeri solet, quod specialiter injungitur, quam quod generaliter imperatur, *approbatione totius Concilii* necessario duximus statuendum, ut Canonicus, qui sue vel alterius Ecclesie Canonicum verbis probrosis affecerit manifeste, per quartam; si vero convicia manifesta dixerit in Prelatum, per mediam partem anni a tractatu & consortio sui Capituli, nec non a perceptione fructuum sue prebende penitus sit exclusus. Si quis autem Canonicorum in predictas personas, etiam citra sanguinis effusionem, manus injecerit violentas, penas predictas dupliciter patiatur, pro vulnere vero hujusmodi personis ab aliquo Canonicorum illato, si etiam

(g) Si quas. *Lunig.*

am nulla membri mutilatio ex tali vulnere fuerit ſubſecuta, ſine omni remiſſione per premiſſas penas quadrupliciter puniatur, & inſuper in utroque caſu juxta ſui Diœceſani arbitrium leſo ſatisfaciat competenter, antequam reſtitutionis beneficium aſſequatur. Sed pro temeraria membri mutilatione, omni Beneficio Eccleſiaſtico ſit ipſo jure privatus. Que omnia & ſingula circa alios Clericos Beneficiatos, ſi perſonas Eccleſiaſticas predictis modis ledant, vel ledantur ab ipſis, juxta premiſſam formam & ordinem ſub penis eisdem precipimus obſervari. Salvis tamen aliis penis in ſacris Canonibus contra temerarios violentarum manuum in Clericos injectores expreſſis. Salvis etiam aliis juribus, que vim vi repellere permittunt.

DE PENIS. (k)

Summarius.

Hoc Capitulum inſequens veſtigia C. Felicis (l) eo tit. Lib VI. Primo *punit inſequentes, percutientes, aut capientes Archi-Epiſcopos vel Epiſcopos, & ejus criminis ſocios.* Secundo: *Eorum filios & nepotes.* Tertio: *Ipſis inſecutoribus penam addit.* Quarto: *Ponit, a quo ſint abſolvendi.* Quinto: *Quam ſatisfactionem, cum abſolventur, facere debeant.* Sexto: *Quid per abſolutionem talem conſequantur?* Ultimo: *Precipit ſecularibus poteſtatibus, ut hanc conſtitutionem diſtricte obſervent, & obſervari faciant, & contrafacientibus penam imponit.*

EX Concilio, quo ſupra.

Hoc ſacro approbante Concilio ſtatuimus, ut ſi quis in hoc ſacrilegii genus irrepſerit, quod Archi-Epiſcopum fuerit hoſtiliter inſecutus vel percuſſerit, aut ceperit, vel fieri juſſerit, vel factum ratum habuerit, vel conſilium dederit, aut favorem, aut poſtea receptaverit, vel defenſaverit eundem, ſicut reus criminis leſe Majeſtatis perpetuo ſit infamis, diffidatus nihilominus & bannitus, ſit inteſtabilis, & dentur cuncta ejus (m) edificia in ruinam. Et ut perpetue notam infamie, perpetua ruina teſtetur, nullo tempore reparentur, nullus ei debita reddere, nullus in judicio reſpondere teneatur. Quidquid etiam in bonis ipſius invenitur, ipſi Eccleſie, cujus eſt Epiſcopus, applicetur, ut ex illis nihil transmittat ad poſteros, ſed potius cum ipſo quodammodo damnentur & ſua. Si quis vero feuda, Officium vel Beneficium ſpirituale ſeu temporale ab aliquibus Eccleſiis obtinet, ſit eis ipſo jure privatus, que ſic libere ad Eccleſias revertantur, quod Eccleſiarum Rectores de ipſis pro ſua voluntate diſponant. Quod ſiquis predictorum, filios habeat vel nepotes per rectam lineam deſcendentes Beneficiatos, quovis Beneficio, ſint eis ipſo jure privati. Nulli preterea talium filiorum vel nepotum per virilem ſexum deſcendentium ab eisdem alicujus aperiatur janua dignitatis aut honoris Eccleſiaſtici vel mundani. Et ut magis famoſa ſit ejus infamia, ab omnibus actibus legitimis repellatur. Volumus etiam & ſtatuto preſenti adjicimus, ut ex inſecutione predicta ſicut ex injectione manuum violenta, ipſo facto excommunicationis ſententiam quis incurrat, & tam inſecutor quam alii ſupradicti tanti mali participes, quamdiu in ſua contumacia perſeveraverint, ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis, pulſatis campanis, & candelis accenſis, per omnes illius loci Eccleſias, in quibus tantum fuerit facinus perpetratum, nec non civitatum & Diœceſium vicinarum excommunicati publice denuntientur. Nec ab alio, quam a Provinciali Concilio, vel a ſummo Pontifice poſſint abſolutionem (preterquam in mortis articulo) obtinere. Cum autem fuerint abſolvendi, primo ſufficienter & idonee caveatur, quod inferende pene parebunt, & auxiliante Domino penitentiam peragent injungendam. Deinde per omnes illius loci Eccleſias principales, vicinorumque locorum diebus Dominicis & ſolennibus incedant nudi coram populo, femoralia tantum habentes, & virgas ſeu ferulas ferentes in manibus, cum quibus per easdem Eccleſias publice fuſtigentur: ituri poſtmodum ad Sedem Apoſtolicam, & ibidem acturi penitentiam per annum integrum, nec inde poſtmodum reverſuri, absque dicti Archi-Epiſcopi vel Epiſcopi leſi ſeu ſic offenſi, & Eccleſie ſue licentia ſpeciali. Ceterum cum tales

(k) qui Epiſcopum percuſſerit, *addit Lunig.*

(l) Honorii tertii renovata a Bonifacio VIII. Tit. IX. Libri V. Decretalium in VI. De Pœnis.

(m) beneficia *impr. A.* 1509.

tales gratiam reconciliationis meruerint, beneficio abſolutionis obtento , indulgeatur eis licentia, ut ſuam & ſuorum injuriam perſequantur , & debitorum illorum, que contracta fuerint, de poſtmodum adquiſitis repetitio non negetur. Preterea precipimus , ut Preſides, provinciarum Domini ſeu Rectores , Sculteti, & alii Domini temporales , civitatum, oppidorum, caſtrorum, villarum, & aliorum locorum contra preſumptores predictos, preſentis ſtatuti tenorem diſtricte obſervent & faciant obſervari : quod ſi non fecerint , tam ipſi quam Officiales eorum infra menſem, (*l*) poſtmodum res ad notitiam eorum pervenerit , eo facto ſententiam excommunicationis incurrant, civitates vero & univerſitates alie, quam (*m*) talia preſumentes receptaverint, vel qui in his conſilium vel auxilium dederint ; vel infra menſem ſaltem taliter delinquentes, prout tanti facinoris enormitas exegerit, & facilitas (*n*) eis affuerit, non duxerint puniendos, Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto.

DE PENITENTIIS (*o*) ET REMISSIONIBUS.

Summarius.

Confeſſor ſummam in confeſſionibus diligentiam adhibeat , confitentis conditionem vel ſtatum taceat, peccati qualitatem , locum, vel circumſtantias non ſpecificet. Quin imo peccatorem nullatenus prodat , alioquin & ab officio deponatur, & in Monaſterium detrudatur.

EX Concilio Fritzlarienſi.

In confeſſionibus audiendis, maximam adhibeant diligentiam Sacerdotes, ita ut à penitentibus uſitata peccata, & communia ſigillatim: inuſitata vero tantum per quasdam circumlocutiones caute perquirant, ne inexpertis detur materia, quod ante neſcierant, perpetrandi. Caveat autem omnino Sacerdos , ne verbo vel ſigno vel aliquo modo aliquatenus prodat peccatorem , ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit , illud absque omni perſone expreſſione caute perquirat, quam (*p*) qui peccatum in penitentiali judicio ſibi detectum preſumpſerit revelare, non ſolum a Sacerdotali officio deponendum decernimus , verum etiam ad agendum penitentiam in artum Monaſterium detrudendum. Verum quia quidem Confeſſores, etſi perſonam confitentis non exprimant , circumlocutionibus tamen confitentium & peccati confitentium & peccati confitentis circumſtantiis ſub quodam generalitatis involucro indirecte publicant confitentem : Adeoque Concilium proxime celebratum clarius elucidando ſtatuimus, ut nullus Sacerdos expreſſa religione, conditione, ſeu ſtatu , alicujus peccatum recitet confitentis , imo nec peccati qualitas, locus, ſeu vicinia perpetrati facinoris ſpecificetur ullo modo , cum ex hujusmodi circumlocutionum indiciis, auditoris induſtria perſonam interdum eliciat peccatoris, & ex ſpecificatione peccati humana fragilitas ad perpetrandum ſimilia forſitan provocetur.

Summarius.

Prius infirmi confeſſio (extra tamen mortis periculum) ſecrete audiatur, & deinde ſalutaris Euchariſtia ad eum deferatur.

(*q*) EX eodem, quo ſupra.

Et quia plerumque infirmus confiteri ſua peccata propter multorum (*r*) penitentiam erubeſcit , id a Sacerdotibus precipimus diſtrictiſſime obſervari , ut prius familiariter & ſecrete audiant confeſſionem ipſius, ſi mortis periculum non exiſtat , & poſtea ad eum deferant cum devotione, reverentia & habitu condecenti, Euchariſtiam ſalutarem.

Sum-

(*l*) poſtquam. *Lunig.* (*m*) quæ. *Lunig.* (*n*) facultas. *Lunig.*
(*o*) & de pœna Confeſſorum revelantium confeſſiones. *Lunig.*
(*p*) quoniam, *loco:* quam. *Lunig.*
(*q*) De Viſitatione infirmorum & Confeſſione eorundem. *præmittit Lunig.*
(*r*) præſentiam. *rectius Lunig.*

Summarius.

Penitentes ad reconciliationem non admittantur, nisi de peracta & vera penitentia Sacerdotis sui literas exhibeant, in quibusdam etiam vestis & tonsura solenniter penitentis requiratur.

(*s*) EX Concilio, quo supra.

Quia reconciliationis ministerium vilipenditur a plerisque, eo quod ad reconciliationem passim quilibet admittatur. (*t*) Districte precipimus, ne quisquam ad reconciliationis beneficium de cetero admittatur, (*u*) nisi literas Plebani sui vel Sacerdotis exhibeat, continentes (*x*) veram penitentiam injunctam sibi, vel saltem partem ejus peregerit,& utrum penitens videatur. Nec ad reconciliationem recipiantur aliqui, nisi vestem & tonsuram habeant solenniter penitentis, ut ex his, utrum vere & perfecte peniteant, vel non, cognoscantur.

Summarius.

Confessor aliorum peccata expresso nomine non inquirat, Missas pro penitentia non injungat, ut ipse legat, neque efficiat, ut pro vivis tricenarium fiat.

Ex eodem, quo supra.

Prohibemus etiam,ne quis Sacerdos ab uno sibi confitente de aliorum peccatis, nominibus expressis inquirat, & ne Missas, quas penitentibus procurandas injunxerit, ipsemet celebrare presumat, & ne pro vivis fiat aliquod tricenarium vel annuale.

(*y*) *Summarius.*

Religiosi neque Beginis aut Beghardis, neque secularibus aliis Eucharistiam, aut alia Sacramenta porrigant, a Processionibus solennibus predicando, aut quibuscunque allectivis populum non abstrahant, sed ut eis intersit, & matricem Ecclesiam in Festivitatibus frequentet, populum sepe admoneant.

EX Concilio Moguntino.

Quamvis Ecclesia toleret, quod cum conniventia proprii Sacerdotis subditi plebanorum pro maturiori consilio adipiscendo religiosis quibusdam confiteantur interdum: Nolumus tamen, imo sacri Concilii auctoritate sub pena excommunicationis jam late sententie vetamus omnibus religiosis, ne subditos plebanorum, maxime autem *Beginas* & *Beghardos*, aut inclusas ac alias personas hujusmodi communicent Corpore Domini, aut alia porrigant Ecclesiastica Sacramenta parvulis vel adultis. Hoc etiam sub eadem pena omnibus religiosis firmiter inhibentes, ut, cum stationes, & processiones solennes, quas observat Ecclesia generalis, ex institutione Ecclesie, & magne auctoritatis, & multe opitulationis existant, utpote in quibus Dominus honoratur votis communibus, & placatur, ne populum abstrahant ab eisdem, predicationes tunc temporis instaurando, imo in predicationibus suis sedulo proponant eisdem, quod talibus tenentur interesse, & quod peccant se ab hujusmodi abstrahendo. Eidem etiam populo frequentius exponant, quod ad Matricem Ecclesiam in precipuis Festivitatibus tenentur accedere & illam sui presentia honorare, a qua Sacramentorum gratia in eos quasi ex fontali gurgite influit, & descendit. Ipsique tunc abstineant ab omnibus allectivis, quibus abstrahi posset populus, quo minus ad solennitatem veniat sue matris.

Summarius.

In Dedicatione Ecclesie, etiamsi a pluribus Episcopis dedicetur, non dentur indulgentie ultra annum, in anniversario autem dies quadraginta, carenarum vero relaxatio & penitentium introductio soli diei Cene Domini reserventur.

(*z*) EX eodem quo supra Concilio.

Preterea, cum indulgentiarum nimietas claves Ecclesie (*a*) exceptibiles reddat, penitentialem satisfactionem enervet, & Pontificalem auctoritatem annihilet, *generali Concilio* inherendo statuimus,quod nullus in dedicatione cujuslibet Basilice det indulgentiam ultra annum, seu ab uno Episcopo seu a pluribus dedicetur, & in anniversario XL. dies, in dedicationibus autem talium, ac ordinum

(*s*) De reconciliationibus pœnitentium, *titulum præmittit Lunig.*
Inter duo (*t*) & (*u*) *posita, omisit Lunig.* (*x*) utrum veram. *Lunig.*
(*y*) De Confessionibus audiendis. *Lunig. præmittit.*
(*z*) De indulgentiis in Dedicationibus. *Titulus apud Lunig.*
(*a*) contemptibiles reddat. *Lunig.*

num temporibus relaxari carenas, ac penitentes introduci omnino vetamus. Sed hoc fiet tantummodo in Festo Cene Domini ad hoc ordinato.

Summarius.

Plebs inducatur, ut in Quadragesime initio confiteatur, & in Paschate communicetur.

Ex Concilio Fritzlariensi.

Sacerdotes frequenter moneant plebem suam, ut initio Quadragesime ad confessionem veniant, & saltem in Resurrectione Christi accipiant corpus Dominicum, si velint inter Catholicos reputari.

Summarius.

Episcopi duos penitentiarios, unum penes se, alium in Ecclesia Cathedrali habeant, ad quos in casibus Episcopis reservatis recurratur, & ipsi Episcoporum auctoritate dispensent, quod Archi Diaconi, Archi-Presbiteri, & Plebani suis Presbyteris subditis intimare & injungere debent.

Ex Concilio Fritzlariensi.

Quia frequenter in penitentiis injungendis quidam casus emergunt, qui propter Sacerdotum ignorantiam expediri non possunt, & qui etiam dispensationem Episcopalem requirunt, omnino salubriter duximus statuendum, quod quilibet Episcopus, eo quod propter occupationes multiplices, ejus copia quanquam (b) haberi non possit, unum penitentiarum juxta se habeat honestum providum & discretum, & nihilominus alium instituat in Ecclesia sua Cathedrali, ut saltem ad ipsorum alterum sit recursus in hujusmodi casibus, in quibus Episcopi dispensandi obtinent facultatem, ipsorum auctoritate dispensent, Archi-Diaconi quoque, Archi-Presbiteri, & Plebani suis subditis (c) Presbyteris in penitentiali judicio discrete injungant, ut in casibus memoratis sive occulti sive manifesti existant, recursum habeant ad Penitentiarios supra dictos, opportunum ab eis consilium requirentes.

Summarius.

In peccatis, quibus restitutio annexa est, ipsa ante omnia injungatur, si fieri possit.

Ex eodem quo supra.

In furto, rapina, usura, fraude, ante omnia injungant penitentibus, ut si possint ablata restituant, alias nulla valebit eis satisfactio ad salutem, cum non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Summarius.

Tres casus Apostolico reservati.

Cum autem tria sint peccata, que in satisfactionibus injungendis sunt Domino Apostolico reservanda, sed (d) in Clericos vel quoscunque Religiosos injectio manuum violenta, Ecclesiarum vel Religiosorum locorum incendia, & simonia in ordine perpetrata. In aliis vero peccatis minoribus secundum quantitatem culpe & pluralitatem, confitentis possibilitatem, satisfactionem temperent Sacerdotes.

Summarius.

Casus Episcopis reservati.

Statuimus, quod Sacerdotes in satisfactionibus injungendis in religione sedeant, majora majoribus reservent, utpote homicidia, sacrilegia, incendia, peccata contra naturam, concubitum personarum conventualium in sacris Ordinibus constitutarum, incestus (e) victus cum consanguinea vel affini, vel cum ea, quæ votum castitatis emisit publice, injectiones manuum in parentes, oppressiones parvulorum, negligentia parentum in igne vel in aqua natos amittentium, veneficia, perjuria, solennia, fidei fractores, votorum transgressores, simoniam, adulteria, hereses, apostasias, maleficia eorum, qui maleficiunt conjuges, ne possint coire, vel qui procurant sterilitatem mulierum vel aborsum, falsarios, qui sigilla litere, vel monetam falsificant, in hujusmodi peccatis vel similibus detentos mittant Sacerdotes ad Episcopos absolvendos, nec absolvant preterquam in mortis articulo absque loci Episcopi licentia speciali. Declarantes,

(b) quandoque. *Lunig.* (c) Plebanis (e) scilicet in Clericos
(d) videlicet

tes, quod illi, quibus hoc duxerimus committendum, poteſtatem illud aliis perſonis non habeant committendi. In dubio autem conſulant Epiſcopum vel ejus vices gerentem, vel alios ſapientes, quorum conſilio penitentem abſolvant, vel transmittant ad alium abſolvendum.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Summarius.

Excommunicationem & ejus abſolutionem tempore ſanitatis parvi facientes non niſi preſtito juramento, & data cautione idonea de ſatisfactione, quantum eſt poſſibile, in extremis ad reconciliationem non admittantur.

Ex Concilio Fritzlarienſi.

Quia Clerici & quidam laici vinculo excommunicationis aſtricti, fiducia finalis penitentie, & abſolutionis extreme, claves Eccleſie contemnunt tempore ſanitatis, hujus ſacri Concilii auctoritate ſtatuimus; ut tales in extremis ad reconciliationis beneficium nullatenus admittantur duntaxat ſub proprio juramento, niſi idoneam cautionem preſtent, quod ſive moriantur, ſive convaleſcant per ſe vel per ſuos, in quantum eſt ipſis poſſibile, ſatisfaciant de commiſſo.

Summarius.

Ad excommunicatorum vitationem, ad interdicti obſervantiam non oportet, ut ſingulis intimatio fiat, ſed ſufficit in loco aliquo ſolennitatem publicationem fieri.

Ex eodem Concilio, quo ſupra.

Plerique Clerici ac etiam alii, cum excommunicatis publice communicaſſe contra (*f*) ſcientiam arguuntur, eo ſe pretextu maliciose excuſant, quod excommunicatio talium eis ſpecialiter non fuerit nuntiata, unde neceſſario *Sancti approbatione Concilii* ſtatuimus decernendo, ut poſtquam excommunicationis vel interdicti ſententie publice proferantur, & in Cathedrali *Eccleſia, Synodo, vel Capitulo*, vel alias in locis debitis ſolenniter promulgantur, non ſit neceſſarium eas diverſorum auribus inculcari, imo poſt publicationem hujusmodi, ſinguli ad vitandum taliter excommunicatos, etiamſi ſpecialiter eis denuntiati non fuerint, dummodo qualitercunque eis excommunicatio innotuerit, teneantur. Cum talis ignorantia craſſa ſit penitus & ſupina.

(*g*) Summarius.

Excommunicatio in neminem feratur, niſi admonitione, quæ per idoneas perſonas probari poſſit, premiſſa.

EX eodem Concilio.

Quante preſumptionis & temeritatis exiſtat, quod, qui ſervare debent Canonicas Sanctiones, in quibus apertius continetur (quod nullus aliquem ſine rationabili cauſa excommunicare preſumat) eas frangere non formidant, pluresque non animo juſticie, ſed livore odii vel favore adverſariorum, excommunicationis vinculo innodantes, nullus peritus ignorat. Quare firmiter prohibemus, ne quis excommunicationis ſententiam in aliquem (niſi competenti admonitione premiſſa, & preſentibus perſonis idoneis, per quas, ſi neceſſe fuerit, poſſet probari admonitio) promulgare preſumat. Et ſi Prelatus contra hoc fecerit, & admonitus errorem ſuum non revocaverit, per menſem ab ingreſſu Eccleſie ſit excluſus.

(*h*) Summarius.

Excommunicatum ab excommunicante Epiſcopo vicinis Epiſcopis denuntiatum, debent ipſi etiam vicini Epiſcopi vitare. Alioquin Eccleſie Cathedralis Canonici eosdem Epiſcopos excommunicato communicantes, aut non vitantes, vitare tenentur.

Ex Concilio Fritzlarienſi.

Si Epiſcopus aliquem excommunicaverit certa de cauſa, denuntiet vicinis Epiſcopis per ſuas patentes literas, ut excommunicatum faciant denuntiari & vitari. Et tunc ſine difficultate aliqua, vicini Epiſcopi excommunicatum faciant publice denuntiari, & in Diœceſibus ſuis artius evitari. Si vero Epiſcopi in hoc fuerint negligentes, vel excommunicatis communicaverint, tamdiu Cathedralium Eccleſiarum Canonici ſibi non

(*f*) conſcientiam (*g*) De injuſta excommunicatione. *Titulus præmiſſus apud Lunig.*
(*h*) De excommunicatione. *Lunigio titulus.*

non communicent, quamdiu huic salubri statuto presumpserint obviare.

(i) Summarius.

Quisquis intra cimiterium, loci interdicti defunctum sepelierit, vel opem ad hoc prestiterit, est ipso facto excommunicatus, & a solo Episcopo, vel ejus Vicario absolvendus, exhumato tamen prius corpore sepulti, & injuriam passis satisfacto. Et quod super predictis duobus expeditis, Ordinariorum vel Officialium suorum literas ostendat.

EX Concilio Aschaffenburgensi.

Item in quibusdam locis (ut accepimus) in tantum excrevit temeritas, & presumptio laicorum, quod si quando auctoritate ordinaria seu delegata in terram, villam, castra interdictum generale ponatur, iidem laici officium Sacerdotum, imo quod tunc temporis ipsis Sacerdotibus est prohibitum, usurpare conantes, ut Ecclesiasticam per hoc censuram magis elidant, apud loca taliter interdicta sepelire presumunt in cemiterio corpora mortuorum. Licet autem jam pridem contra presumptiones hujusmodi inter alia sit provisum, ut non prius resumantur Divina, quam tumulata sic corpora fuerint exhumata, quia tamen per illos, contra quos interdictum ponitur, antequam satisfaciant, frequenter in pactum deducitur, ut exhumationis pena ab ordinario seu delegato ante omnia simpliciter dimittatur. Ne forte hujusmodi delinquentium temeritas hac occasione impunita remaneat, & per hoc ceteris detur audacia similia presumendi, *Sacri approbatione Concilii* statuimus, & mandamus, ut quicunque amodo intra cimiterium loci interdicti aliquid corpus seu corpora defunctorum sepelire presumpserint, qui talia presumentibus opem vel operam quocunque modo exhibuerint, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto, a qua non nisi per solum Metropolitanum vel Diœcesanum, aut cui super hoc vices suas specialiter commiserint, absolvantur. Metropolitanus vero, vel Diœcesanus, vel eorum in hac parte Vicarius, ne (k) quisquam ad impendendum talibus beneficium absolutionis, procedant, nisi prius sepultis taliter corporibus exhumatis, Ecclesie & personis, quibus ex hoc injuria dinoscitur irrogata, satisfactum fuerit competenter, & (l) super facta exhumatione (m) prestita, ordinarii, aut si copia ipsius haberi non valeat, officium (n) suorum literas absolvendi ipsi pro testimonio exhibeant & ostendant

Ex Concilio Moguntino D. Petri.

Juxta sanctorum Patrum statuta excommunicatis nec vivis nec defunctis communicare licet, & statim cum in suis Ecclesiis Parochialibus, vel in aliis, prout jura permittunt, denuntiate fuerint nominatim, mox ab omnibus tam exemptis quam non exemptis debent vitari, nec extunc aliquis, qui hoc scire tenetur, credat se per ignorantiam excusari, cum talis denuntiatio publica neque possit, neque debeat singulorum auribus inculcari.

DE VERBORUM SIGNIFICATIONIBUS.

Intelligentia verborum ex causis dicendi assumenda est, verba intentioni deserviunt, ea enim, que in voce, earum, que in anima passionum, sunt notæ, in omni sermone ad communem verbi intelligentiam recurrendum est.

DE REGULIS JURIS.

Sanctorum Patrum regulis & statutis quivis Christianus regatur in vita, verbis & factis, ut sciat & faciat, quod acceptum est omnipotenti Deo, qui vivit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

FINIS CONCILII PROVINCIALIS MOGUNTINI ANNI M.CCC.X.

Impressum 1*mo*. in Folio sine anno & die in Bibliotheca Coloniensi S. J. majori.

Impressum 2*do*. Moguntiæ A. 1509.

Impressum 3*tio*. Hagenoæ A. 1512. in 4to expensis Conradi Hyst, typo Henrici Gran.

Impressum 4*to*. in 4to. post Concilia Egstetensia solus Index.

Idem Concilium Moguntinum Anni M. CCC. X. recusum fuit 5*to*. à *Clariss. Lunigio Continuatione secunda Spicilegii*

(i) De his, qui corpora mortuorum sepeliunt tempore interdicti. *Titulus apud Lunig.*
(k) nequaquam. *Lunig.*
(l) nisi. *Lunig.*
(m) & satisfactione præstita
(n) Officialium

gii Ecclesiastici. I. Theil impresso Leipzig bey Lankisischen Erben A. MDCCXXI. pag. 38. ad 67. sed in fine post: *Per omnia sæcula sæculorum. Amen.* §. ultimo: *De regulis juris*, subjungit sequentia Lunigius: Unde, Deus scit.

" Felicis recordationis Domini " WERNHERI, Predecessoris nostri, " vestigiis inherentes quedam ex statutis ipsius, perquam bona in hoc " *sacro Concilio* duximus innovanda, cum " moderatione infra scripta, de Fratrum nostrorum consilio statuentes, " ut Archi-Diaconi, & Officiales eorum " Civitatum, Diœcesis, & Provintie Moguntine super causis decidendis per " ipsos certis finibus, quos prefatus Dominus WERNHERUS Archi Diaconis Ecclesiarum Moguntinarum, & " eorum Officialibus posuisse dignoscitur, " scilicet: ut de causis super matrimoniis, Ecclesie investituris, & usuris " usque ad summam viginti solidorum " Moguntin. duntaxat contra delinquentes statuere sint contenti: causis aliis " Diœcesanorum Vicarii examini, & eorum Officialium reservatis.

" Quod si contrarium facere presumpserint, judicata per eos aliis, quam " in dictis casibus, sint irrita ipso jure, & " nihilominus per Ordinarios ipsorum " a suis officiis suspendantur.

Hoc sacrum Concilium Domini Archi Episcopi PETRI Moguntin. habitum est Moguntie anno Domini Millesimo trecentesimo decimo, feria II. III. & IV. post Dominicam, quâ cantatur: Jubilate Deo.

Nos edidimus hoc Concilium ex typo Hagenoensi anni 1512, sed contulimus cum duplici Impresso, nempe *Primo* sine anno & loco in folio impresso. *2do.* Cum editione Lunigii.

Manuscriptum extat hoc Concilium in Bibliotheca Basileensi, referente Theodoro Spitzelio. *2do.* extat MS. Chartaceum in Augusta Guelpherbytana. *3tium* MS. membranaceum in Bibliotheca Academiæ Juliæ, quæ Helmstadii est.

Ex qua Schmidius dedit indicem Capitulorum CLXVI. in quæ hoc Concilium distributum est in Historia Conciliorum Moguntinensium. Cum cæteri indices Capitula referant sine Numeris & Summariis Capitum, quæ solus impressus *Liber Hagenoæ* habet.

Ante Titulum: DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM. *pag. 185. hujus Tomi omissa fuit hæc Divisio:* LIBER III.

IN HOC CONCILIO MOGUNTINO ANNI MCCCX.

Templariorum appellatio acceptatur.

Quid in causa Templariorum in hoc Concilio Moguntinensi anno 1310. *gestum fuerit, ita narrat Serarius.*

Romani Pontificis jussu tractata est Templariorum causa. Comparuit autem in Synodo, quemadmodum refert MS. L. (Latomianum) HUGO Comes Sylvestris & Rheni, qui morabatur in Grunbach prope Meysenheim cum XX. fratribus, sub habitu ordinis probe armatis. Hi omnes, non quidem vocati, sed ultro & subito in consessum Patrum irrumpunt, omnibus attonitis. Archiepiscopus viros considerans, ac violentiam timens, placide jubet, Commendator ut sedeat, & si quid habeat in medium afferendum, ut depromat. Qui clara & libera voce exorsus, se suosque confratres *inquit* intellexisse, hanc Synodum, sui ordinis delendi gratia, potissimum congregatam ex commissione Romani Pontificis: Enormia enim quædam scelera, & plusquam ethnica flagitia illis objici, quæ in privato designarent: quod ipsis sane esset gravissimum & intolerabile: maxime, quod non ordinarie auditi, nec convicti condemnarentur. Quare coram ista Patrum congregatione se *appellare & provocare ad futurum Pontificem, ejusque universum Clerum*: publice quoque protestari, eos, qui propter talia flagigitia alibi igni traditi essent, & combusti, constanter pernegasse, se quidquam eorum designasse; atque in ea confessione tormenta & mortem perpessos. Imo Dei Opt. Max. singulari judicio & miraculo

culo eorum innocentiam comprobatam, quod albæ chlamydes, ac rubricatæ Cruces, igni non potuerunt absumi. Archiepiscopus his auditis, ne tumultus suboriretur, protestationem eorum admisit, seque cum Romano Pontifice acturum respondit, ut quieti esse possint: atque ita ad propria sunt dimissi. Postea vero PETRUS aliam commissionem obtinuit, juxta quam procedens, prædictos censuit absolvendos. Actum anno 1311. Cal. Julii, ut Nauclerus ex quodam Jacobo Moguntino tradit. *Hæc Serarius Moguntiacar. Rer. L. V. in Petro Archiepisc. XXXIX. Quod ultimo loco hic subjungitur: Actum anno* 1311. *Intelligendum videtur de anno, quo prædicti Templarii Fratres absoluti a PETRO Archiepisc. fuerunt, non de tempore, quo in Concilio Moguntinensi comparuere.*

Serarius Lib. V. Moguntiacarum rerum Cap. 39. pag. 850. ex MS. codice.

Templarii in Burgundia, Alsatia, Suevia, Francia orientali, Bavaria, Thuringia, Saxonia constituti fuere mandato Apostolico capti & examinati per tormenta, quorum plures fuere combusti, atque extra Patriam proscripti, vel Cœnobia aliorum Religiosorum ingressi.

Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum MCCCVII. ult. editionis.

Encyclica CLEMENTIS V. PP. ad omnes Episcopos Germaniæ & Principes Europæ Invitatoria ad Concilium Generale Viennense A. 1311. inchoandum.

Carissimo in Christo Filio HENRICO, Regi Romanorum illustri.

Eodem stilo Archi-Episcopo Moguntino, & Episc. Mandamus, quatenus vos Archi-Episcope, ac Pragensis, Moraviensis, Constantiensis, & Argentinens. Episcopi.

In eodem modo Archi-Episcopo Bisuntino, & Episcopis. Mandamus, quatenus vos Fratres, Archi-Episcope, ac Basiliensis Episcope.

In eodem modo Archi-Episcopo Salseburgensi, & Episcopis. Mandamus, quatenus vos Fratres, Archi-Episcope, & Pataviensis, Ratisponens. & Bambergens. Episc.

In eodem modo Archi-Episcopo Bremensi, & Episcopis. Mandamus, quatenus vos Fratres, Archi-Episcope, & Lubicens. & Bardvicens. Episcop.

In eodem modo Archi-Episcopo Magdeburgensi, & Episcopis. Mandamus, quatenus vos Fratres, Archi-Episcope, & Brandenburg. Episcop.

In eodem modo Archi-Episcopo Coloniensi, & Episcopis. Mandamus, quatenus vos Fratres, Archi-Episcope, & Leodiens. Trajectens. Episcop.

In

Concilium Viennæ indictum a Clemente V. anno 1308, fuit Encyclicâ Pictavis scriptâ ad omnes Episcopos & Principes Europæ, inchoandum post biennium Viennæ Allobrogum anno 1711. Kalendis Octobris: duravit circiter VII. menses: tres fuere Sessiones. Finis triplex: I. Subsidium terræ sanctæ recuperandæ, & disciplinæ Ecclesiasticæ instauratio. II. Abolitio Ordinis militum Templariorum saltem provisionalis. III. Variarum opinionum damnatio Petri Joannis Olivi.

Damnatio Fraticellorum, Dulcinistarum, Beghardorum & Beghinarum in Alemannia vagantium.

In eodem modo Archi-Episcopo Treverensi, & Episcopis. Mandamus, quatenus vos Fratres, Archi-Episcope, & Metensis Episc.

In eodem modo Archi-Episcopo Rigensi, & Episcopis. Mandamus, quatenus vos Fratres, Archi-Episcope.

Carissimo in Christo Filio PHILIPPO, Regi Francorum illustri.

REgnans in Cœlis triumphans Ecclesia, cujus Pastor est Pater æternus, cui Sanctorum ministrant agmina, & laudis gloriam Angelorum Chori decantant, in terris ad sui similitudinem & repræsentationem constituit Ecclesiam militantem, Unigenito Filio DEI vivo Domino JESU CHRISTO ineffabili commercio copulatam, in quo idem Unigenitus Dei Filius a Patre progrediens per illustrationem Paracliti procedentis pariter ab utroque, statuit fidei fundamentum. Sane Romana Ecclesia, Mater alma Fidelium, Caput est, disponente Domino, Ecclesiarum aliarum omnium, & Magistra, a qua velut a primitivo fonte ad singulas alias ejusdem fidei rivuli derivantur, ad cujus regimen voluit Christi clementia Romanum Pontificem vice sui deputare Ministrum, ut instructionem & doctrinam ipsius eloquio veritatis Evangelicæ traditam, cuncti renati fonte Baptismatis teneant & conservent: ut, qui sub hac doctrina cursum vitæ recte peregerint, salvi fiant, qui vero ab ea deviaverint, condemnentur. Ipsa nempe Romana MATER Ecclesia juxta exigentiam possibilitatis ipsius, ad cunctas Orbis Provincias, in quibus Divini nominis cultus viget, Fideique Catholicæ observantia rutilat, (*a*) sedulæ considerationis extendens, ac subjiciens ab olim suæ considerationis examini:

Diuturnæ calamitatis angustias, illius specialis hæreditatis Dominicæ, videlicet Terræ sanctæ ab infidelibus miserabiliter conculcatæ, in qua idem Patris æterni Filius nostræ carnis indumento contectus, salutem humani generis pietate ineffabili extitit operatus, quamque sua ipse voluit corporali insignire præsentia, & proprii aspersione sanguinis voluit consecrare, multa sollicitudine studuit. Eidem terræ retro actis temporibus, quibus potuit remediis, ut eriperet ab ipsis impiis subvenire. Et quia inter cæteros, quos professio Christianæ religionis includit Milites & Fratres Domus militiæ Templi Hierosolymitani, sicut est toti orbi notorium, tanquam speciales ejusdem militiæ pugiles & jam dictæ terræ præcipui defensionis ipsius terræ negotium principaliter gerere videbantur, ipsos & eorum Ordinem specialis favoris plenitudine prosequens, eos adversus Christi hostes crucis armavit signaculo, multis exaltavit honoribus, ditavit facultatibus, ac diversis libertatibus & privilegiis communivit.

Ii nimirum, cum crederentur in Domini servitio, sub regulari habitu fideliter militare, sibi quasi cunctorum manus fidelium cum multiplici erogatione bonorum sentiebant multifarie, multisque modis propterea adjutrices.

Sed pro dolor nova & calamitosa vox de malignitatis fratrum ipsorum enormitate progrediens nostrum replevit, imo verius perturbavit auditum. Hæc enim vox nuntia lamentationis & gemitus audientibus horrorem ingerit, commovet animos, mentes turbat, & cunctis fidei Christianæ cultoribus novæ & ineffabilis amaritudinis calicem subministrat, & dum facti seriem ejus necessitate poscente depromimus, noster attenuatur præ angustia spiritus, & valetudinis fatigata confractibus membra singula præ nimio dolore tabescunt.

Dudum siquidem circa nostræ promotionis ad apicem Summi Pontificatus initium (*b*) etiam, antequam Lugdunum, (*c*) ubi recepimus nostræ coronationis Insignia veniremus, & post tam ibi, quam alibi secreta quorundam nobis insinuatio intimavit, quod Magister, Præceptores, & alii fratres dictæ militiæ templi, & etiam ipse Ordo,

(*a*) intuitum

(*b*) Bernardus de Agutis, alias de Goto, Archi-Episcopus Burdegalensis Perusiæ eligitur Nonis Junii A. 1305. Nomen assumpsit Clementis V.

(*c*) A. 1305. XVIII. Kal. Decembris Lugduni in æde S. Augusti, accitis ex Italia Cardinalibus transtulit se Avenionem, ubi Sedes Pontificum hæsit circiter septuaginta annos.

Ordo, qui ad defenſionem Patrimonii ipſius Domini noſtri JESU CHRISTI fuerant in Transmarinis deputati, contra ipſum Dominum in ſcelus Apoſtaſiæ nefandum, deteſtabile idololatriæ vitium, execrabile facinus Sodomorum, & hæreſes varias erant lapſa. Sed quia non erat veroſimile nec credibile videbatur, quod viri tam religioſi, qui præcipue pro Chriſti nomine ſuum ſæpe ſanguinem effundere, ac perſonas ſuas mortis periculo frequenter exponere credebantur, quique multa & magna tam in Divinis officiis, quam in jejuniis, & aliis obſervantiis devotionis ſigna frequentius prætendebant, ſuæ ſic eſſent ſalutis immemores, quod talia perpetrarent, hujusmodi inſinuationi ac delationi ipſorum ejusdem Domini noſtri exemplis in Canonicæ Scripturæ doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare.

Deinde vero Tu, (*d*) cui eadem fuerant facinora nuntiata non *typo avaritiæ*, cum de bonis Templariorum nihil tibi vindicare, vel appropriare intendas, imo a nobis & Eccleſiæ per deputandos ſuper hoc a nobis adminiſtranda, gubernanda, conſervanda, & cuſtodienda liberaliter, & devote in regno tuo dimiſiſti, manum tuam exinde totaliter amovendo, ſed fidei orthodoxæ fervore tuorum Progenitorum veſtigia clara ſequens accenſus, de præmiſſis quantum licite potuiſti, te informans, ad inſtruendum, & informandum nos ſuper iis multas, & magnas nobis informationes per tuos nuntios, & literas deſtinâſti. Infamia vero contra Templarios ipſos increbeſcente validius, ſuper ſceleribus antedictis: & quia etiam quidam miles ejusdem Ordinis magnæ nobilitatis, & qui non levis opinionis in dicto Ordine habebatur, coram nobis ſecreto juratus depoſuit, quod in receptione Fratrum præfati Ordinis hæc conſuetudo, vel verius corruptela ſervatur, quod ad recipientis vel ab eo deputati ſuggeſtionem, qui recipitur, Chriſtum JEſum negat, & ſuper crucem ſibi oſtenſam ſpuit in vituperium Crucifixi; & quædam alia faciunt recipiens, & receptus, quæ non ſunt licita, nec humanæ conveniunt honeſtati, prout ipſe tunc confeſſus extitit coram nobis, urgente nos ad id officii noſtri debito, vitare nequivimus, quin tot, & tantis clamoribus accommodaremus auditum: ſed cum demum fama publica deferente, ac clamoſa inſinuatione, Tui, nec non & Ducum, Comitum, & Baronum, ac aliorum Nobilium, Cleri quoque, ac populi dicti Regni tui, ad noſtram propter hoc tam per ſe, quam per Procuratores, & Syndicos præſentiam venientium (quod dolenter referimus) ad noſtram audientiam perveniſſet, quod Magiſter, Præceptores, & alii Fratres dicti Ordinis, & ipſe Ordo præfatis, & pluribus aliis erant criminibus irretiti; & præmiſſa per multas confeſſiones, atteſtationes, & depoſitiones præfati Magiſtri, & plurium Præceptorum, & Fratrum Ordinis prælibati coram multis præfatis, & hæreticæ pravitatis Inquiſitore in Regno Franciæ factas, habitas, & receptas, & in publicam Scripturam redactas, Nobisque & Fratribus noſtris oſtenſas, probari quodam modo viderentur, ac nihilominus fama & clamores prædicti in tantum invaluiſſent, & etiam aſcendiſſent, tam contra ipſum Ordinem, quam contra perſonas ſingulares ejusdem, quod ſine gravi ſcandalo præteriri non poterat, nec absque eminenti periculo tolerari: Nos illius, cujus vices licet immeriti in terris gerimus, veſtigiis inhærentes, *ad inquirendum de prædictis* ratione prævia duximus procedendum, multosque de Præceptoribus, Presbyteris, Militibus, & aliis Fratribus dicti Ordinis reputationis non modicæ, in noſtra præſentia conſtitutos, præſtito ab eis juramento, quod ſuper præmiſſis meram & plenam nobis dicerent veritatem, ſuper prædictis interrogavimus & examinavimus uſque ad numerum *ſeptuaginta duorum*, multis ex fratribus noſtris nobis aſſiſtentibus diligenter, eorumque confeſſiones per publicas manus in authenticam ſcripturam redactas, illico in noſtra, & dictorum fratrum noſtrorum præſentia, ac deinde interpoſito aliquorum dierum ſpatio in conſiſtorio legi fecimus coram ipſis, & illas in ſuo vulgari cuilibet eorum exponi. Qui perſeverantes in illis, eas ex-

(*d*) Philippus pulcher Rex Franciæ, quem oſtendit Papa perperam accuſari, quaſi ex avaritia Ordinem Templariorum extingui procurâſſet. Hoc comma inſertum ad ſolum Regem Francorum ſpectat: reliqua Epiſtolæ ad omnes Principes & Epiſcopos ſcripta ſunt.

expreſſe & ſponte, prout recitatæ fuerant, approbarunt. Poſtquam cum Magiſtro, & præcipuis Præceptoribus præfati Ordinis intendentes, ſuper præmiſſis inquirere per Nos ipſos ipſum Magiſtrum, & Franciæ, Terræ ultramarinæ, Normandiæ, Aquitaniæ, ac Pictaviæ Præceptores majores, Nobis tunc Pictavis exiſtentibus mandavimus præſentari. Sed quoniam quidam ex eis ſic infirmabantur tunc temporis, quod equitare non poterant, nec ad noſtram præſentiam quoquo modo adduci, nos cum eis ſcire volentes de præmiſſis omnibus veritatem, & an vera eſſent, quæ continebantur in eorum confeſſionibus & depoſitionibus, quas coram Inquiſitore pravitatis hæreticæ in Regno tuo præfato; & præſentibus quibusdam Notariis publicis, & multis aliis bonis viris dicebantur feciſſe, Nobis & Fratribus noſtris per ipſum Inquiſitorem ſub manibus publicis exhibitis, & oſtenſis dilectis filiis noſtris *Berengario tituli Sanctorum Nerei, & Achillei, & Stephano titulo Sancti Cyriaci in thermis*, Presbyteris, ac *Landulpho Sancti Angeli Diacono, CARDINALIBUS*, de quorum præſentia, experientia, & fidelitate indubitatam fiduciam obtinemus, commiſimus, & mandavimus, ut ipſi cum præfatis Magiſtro; & Præceptoribus inquirerent, tam contra ipſos & alias ſingulares perſonas dicti Ordinis generaliter, quam contra ipſum Ordinem ſuper præmiſſis cum diligentia veritatem, & quidquid ſuper his invenirent, Nobis referre, ac eorum confeſſiones & depoſitiones per manum publicam in ſcriptis redactas noſtro Apoſtolatui deferre, ac præſentare curarent, eisdem Magiſtro, & Præceptoribus abſolutionis beneficium a ſententia excommunicationis, quam pro præmiſſis, ſi vera eſſent, incurrerant, ſi abſolutionem humiliter, ac devote peterent, ut deberent, juxta formam Eccleſiæ impenſuri. Qui Cardinales ad ipſos Magiſtrum & Præceptores perſonaliter accedentes, eis ſui adventûs cauſam expoſuerunt, & quoniam tam perſonæ quam res ipſorum, & aliorum Templariorum in dicto regno tuo conſiſtentium in manibus noſtris erant, quod libere absque metu cujusquam plene, ac pure ſuper præmiſſis omnibus ipſis Cardinalibus dicerent veritatem, eis auctoritate Apoſtolica injunxerunt. Qui Magiſter & Præceptores Franciæ, *terræ ultramarinæ*, *Normandiæ*, *Aquitaniæ, ac Pictaviæ* coram ipſis tribus Cardinalibus præſentibus, quatuor tabellionibus publicis & multis aliis bonis viris ad ſancta Dei Evangelia ab eis corporaliter tacta, præſtito juramento, quod ſuper præmiſſis omnibus meram & plenam veritatem, coram ipſis ſingulariter libere ac ſponte absque coactione qualibet, & timore depoſuerunt, & confeſſi fuerunt inter cetera Chriſti abnegationem & ſpuitionem ſuper Crucem, cum in Ordine Templi recepti fuerunt, & quidam ex eis ſe ſub eadem forma ſcilicet cum abnegatione Chriſti, & ſpuitione ſuper Crucem fratres multos recepiſſe: ſunt etiam quidam ex eis quædam alia horribilia, & inhoneſta confeſſi, quæ ut eorum ad præſens parcamus verecundiæ, ſubticemus. Dixerunt præterea, & confeſſi fuerunt, eſſe vera, quæ in eorum confeſſionibus & depoſitionibus continentur, quas dudum fecerant coram Inquiſitore hæreticæ pravitatis, quæ confeſſiones & depoſitiones dictorum Magiſtri & Præceptorum in ſcripturam publicam per quatuor tabelliones redactæ publicos, in ipſorum Magiſtri & Præceptorum, & quorumdam aliorum bonorum virorum præſentia, ac deinde interpoſito aliquorum dierum ſpatio coram ipſis, eisdem lectæ fuerunt de mandato & in præſentia Cardinalium prædictorum, & in ſuo vulgari expoſitæ cuilibet eorundem. Qui perſeverantes in illis, eas expreſſe & ſponte, prout recitatæ fuerant, approbarunt, & poſt confeſſiones & depoſitiones ab ipſis Cardinalibus ab excommunicatione, quam pro promiſſis incurrerant, abſolutionem flexis genibus, manibus completis humiliter & devote ac cum lachrymarum effuſione non modica petierunt: ipſi vero Cardinales, quia Eccleſia non claudit gremium redeunti, ab eisdem Magiſtro & Præceptoribus hæreſi abjurata, expreſſe ipſis ſecundum formam Eccleſiæ auctoritate noſtra, abſolutionis beneficium impenderunt, ac deinde ad noſtram præſentiam redeuntes, confeſſiones, & depoſitiones prælibatorum Magiſtri, & Præceptorum in ſcripturam publicam per manus publicas, ut eſt dictum, redactas Nobis præſentaverunt, & quæ cum dictis Magiſtro & Præceptoribus fecerant, retulerunt: ex quibus

bus confessionibus & depositionibus, ac relatione invenimus sæpefatos Magistrum & fratres in præmissis & circa præmissa licet quosdam ex eis in pluribus, & alios in paucioribus graviter deliquisse. Attendentes autem, quod scelera tam horrenda transire incorrecta absque Dei omnipotentis, & omnium Catholicorum injuria non poterant, nec debebant; decrevimus de fratrum nostrorum consilio per Ordinarios locorum, ac per alios fideles, & sapientes viros ad hoc deputandos a Nobis contra singulares personas ipsius Ordinis, nec non contra dictum Ordinem per certas directas personas, quas ad hoc duximus deputandas super præmissis criminibus, & excessibus inquirendum, iis nempe, quæ magis flere cogimur, quam narrare cor nostrum passione nimia cruciatur, & cum tanta proinde Nobis immineat gemendi materia, fletum non possumus declinare. Quisnam Catholicus hæc audiens, nimis non doleat, & prorumpat in luctum? quis fidelis hujusmodi sinistrum eventum intelligens amara non emittat suspiria, verbaque lamentationis, & mœstitudinis non eruptet (*e*)? cum tota Christianitas hujusmodi doloris sit particeps, & hic casus fideles percutiat universos. Ex his etiam, dum ministerio debitæ considerationis, nostræ mentis præsentatur obtutibus, ignis in nostris meditationibus exardescit, & ad tanta discrimina relevanda suspirat affectus, zelus accenditur, & spiritus anxiatur. Ad quod cum nos sufficere commode non posse sciamus, *levamus oculos nostros ad montem*, montem quidem Dei, montem uberem, montem pinguem, unde opportunum nobis provenire auxilium, & humiliter petimus, & devote speramus, & quia salubre in his adhiberi remedium interest generaliter omnium; Nos cum eisdem fratribus nostris, aliisque viris prudentibus exacto, ac frequenti tractatu præhabito, prout tantæ necessitatis instantia exigebat, de ipsorum fratrum consilio, *universale consilium* sicut imitatione digna sanctorum Patrum consuetudo laudabilis longevæ observationis exemplo nos instruit, *a proximis Kalend. Octobris ad duos annos immediate sequentes* decrevimus congregandum, ut in eo, tam circa dictum ordinem, & personas singulares, & bona ejusdem, & alia, quæ statum tangunt Fidei Catholicæ, quam circa recuperationem, & subsidium terræ sanctæ, ac reparationem, ordinationem, & stabilitatem Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum & libertatum eorum, illa Deo auspice communi consilio inveniatur provisio, & ejusdem approbatione Concilii roboretur; per cujus salutiferam executionem virtus altissimi eliminatis erroribus, roborata fide, ad tramitem veritatis reductis errantibus, redintegrata ejusdem fidei unitate, extirpatis vitiis, virtutibusque plantatis, correctis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertate solida, stabilitate munita, recuperatis deperditis & ejusdem terræ statu prospero reparato, occupata restituat, vastata restauret, & restaurata conservet, Nobisque viam aperiat idem ipse, qui novit; & facultatem tribuat ipse qui potest: ut sic in præmissis juxta intensum animi nostri desiderium sibi ministrare possimus salubriter, quod idem verus ejusdem Universalis Sponsus Ecclesiæ ipsam dilectam suam purgatam maculis, munitam virtute, ac monilibus ornatam, unam semper habeat & formosam ad sui nominis laudem, & gloriam, ad animarum profectum, robur fidei, pacem, & exaltationem populi Christiani. Quia vero prosecutio tanti propositi tempore indiget, ut deductum maturius facilius auctore effectum debitum sortiatur, prædictum tempus ad id duximus deputandum. Unde venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis electis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpositis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, exemptis, & non exemptis; eorumque Capitulis, & Conventibus per alias nostras literas præcipiendo *mandamus*, ut iidem Archiepiscopi nec non ceteri Episcopi per ipsorum Archiepiscoporum Provincias constituti in eisdem litteris nominati, reliquis ipsorum Episcoporum in dictis Provinciis remanentibus ad ea, que *Pontificale officium* exigunt, tam in suis quam illarum dictarum Provinciarum, qui *ad hujusmodi Concilium universale* accesserint, civitatibus, & Diœcesibus exercenda, omni negligentia relegata, cunctis, prout talis, & tanti negotii qualitas exigit dispositis, & paratis, sic medio tempore se

(*e*) *lege*: eructet.

ſe accingant ad iter, quod in hujusmodi decreto termino, quem eis & aliis peremptorie aſſignamus in Viennem, Civitate, iidem Archiepiſcopi, & Epiſcopi taliter nominati perſonaliter: alii vero remanentes Epiſcopi, electi, Abbates, Priores, Decani, Præpoſiti, Archidiaconi, Presbyteri, & Prelati, Capitula, & Conventus per eosdem Archiepiſcopos & Epiſcopos ad prædictum Concilium acceſſuros, quibus ad omnia, quæ in eodem Concilio ſtatuentur, & fuerint opportuna, concedant plenariam poteſtatem, de qua ſufficienter conſtet per publica documenta noſtro ſe conſpectui repræſentent. Quod ſi forſan ipſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis acceſſuris hujusmodi noluerint concedere poteſtatem, eo caſu venire, vel alios procuratores idoneos cum poteſtate ſimili ad idem teneantur Concilium deſtinare. Non obſtantibus quibuslibet privilegiis, ſeu indulgentiis quibuscunque perſonis, Ordini, dignitati, ſeu Collegio ſub quacunque verborum forma vel expreſſione *a prædicta Sede* conceſſis: per quæ poſſit effectus mandati noſtri hujusmodi quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari *mandavimus* inſuper, ut iidem Archiepiſcopi & Prælati per ſe vel per alios viros prudentes, Deum timentes & habentes præ oculis omnia, que correctionis & reformationis limam expoſcunt, inquirentes ſubtiliter, & conſcribentes fideliter, eadem ad ipſius Concilii notitiam deferant Et Nos nihilominus variis modis & viis ſolers ſtudium, & efficacem operam dare proponimus, ut omnia talia *in examen hujusmodi deducta Concilii*, correctionem, & directionem recipiant opportunam. Hoc etiam in eisdem noſtris literis adjecto, ut nullus inobedientiæ notam, & Canonicæ ultionis acrimoniam vitare deſiderans, fallacium excuſationum velamento muniat vel ex impedimentis itinerum, que Domino *prava indirecta*, *& in vias planas aſpera* ſua omnipotentia convertente ceſſabunt, frivolæ allegationis munimenta confingat, ut tam a ſancti proſecutione operis ſe ſubducat: ſed occurrant ſinguli voluntarii ad id, quod & Divinæ congruit voluntati, & ſalutem animarum, ac utilitatem reſpicit ſingulorum. Cæterum quia multipliciter expedit, ut tam celebre Concilium *Tua & aliorum Catholicorum Principum decoretur præſentia ut ſalubri conſilio*, & auxilio fulciatur, ſerenitatem Regiam rogamus, & hortamur attentius in remiſſionem Tibi peccaminum ſuadentes, quod præſcriptis loco & termino in eodem Concilio, captata interim ad hoc opportunitate ſtudeas *perſonaliter intereſſe*, meditatione provida prudenter attendens, quod in hoc non ſolum labor, quem ad tam ſancti & utilis negotii promotionem aſſumes, Tibi cedet ad meritum, verum etiam aliorum, qui ad veniendum ad idem Concilium efficacius tuo inducentur, exemplo, & nihilominus vota Tua nobis poteris familiarius aperire, quæ in omni benevolentia libenter ad exauditionis gratiam, quantum cum Deo, ac Eccleſiæ honore poterimus, admittemus. *Datum Pictavis ſecundo idus Auguſti, Pontificatus Noſtri anno tertio.* (d)

Indixit ergo Papa biennio ante Concilium generale A. 1311. Viennæ celebrandum Kal. Octobris, ſed juxta *Trithemium* Kal. Novembr.

Literæ hæ Encyclicæ Clementis V. extant *apud Binium Concil. Tom. III. Parte II. pag.* 769. *& ſeqq.*

(*d*) Anno 1305. Nonis Junii, Peruſii abſens, electus fuerat Clemens V. ergo annus 1308. erat *tertius*: mortuus eſt Clemens XII. Kalendas Maji A. 1314. ad rupem Mauram Diœceſis Nemauſenſis, dum Burdigalam pergeret anno Sedis octavo, menſe X. die XV. ex quo Pontificatum conſcenderat.

In eodem Concilio Viennenſi ſtatutum, ut in Scholis Romanæ Curiæ & Academiis Pariſienſi, Oxonienſi, Bononienſi, & Salmanticenſi publici linguarum, Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldææ Profeſſores inſtituerentur. *De Magiſtris.* Cap. *Inter ſolicitudines.*
Statutum II. Feſtum Corporis Chriſti ab Urbano IV. inſtitutum, debito honore & cultu peragendum ab omnibus Chriſtianis.

Petierat etiam Rex Franciæ Philippus, ut memoria Bonifacii VII. tanquam hæretici & Pſeudo-Pontificis aboleretur: cui petitioni Regiæ Concilium licet XLIV. articulis Bonifacio imputatis ſollicitaretur, denegavit aſſenſum & Bonifacium VIII. Catholicum & legitimum Papam fuiſſe declaravit.

Lite-

Literæ Commissoriæ (a) ad Henricum Archi-Episcopum Coloniensem, ejusque Suffraganeos scriptæ a Clemente V. PP. de citandis & examinandis Templariis.

Similis formæ Commissiones aliis Germaniæ Archi- & Episcopis delegatæ fuere a CLEMENTE V.

FAciens misericordiam cum servo suo Dei Filius Dominus Jesus Christus, ad hoc nos voluit in specula eminenti Apostolatus assumi, ut gerentes licet immeriti vices ejus in terris, in cunctis nostris actibus & processibus, vestigia, quantum patitur humana fragilitas, imitemur. Sane dudum circa nostræ promotionis ad apicem summi Pontificatus initium etiam antequam Lugdunum, ubi recepimus nostræ coronationis insignia, veniremus, & post etiam &c. ut supra *in Epistola ad Philippum Regem Francorum mutatis mutandis*, *usque ad id;* graviter deliquisse. *Sequitur:* Verum quia in universis mundi partibus, per quas idem ordo diffunditur, ac fratres degunt ipsius, super his non possumus inquirere per nos ipsos, fraternitati vestræ de fratrum nostrorum consilio per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos & quilibet vestrum, videlicet in suis civitate & Diœcesi una cum venerabilibus Fratribus nostris *Moguntinensi*, *Trevirensi* & *Magdeburgensi* Archi-Episcopis, ac *Basileensi* & *Constantiensi* Episcopis, & dilectis Filiis Abbate Monasterii de Crudelio, & Priore de longo Ponte Cluniacensis Ordinis, Vivariensis, & Parisiensis Diœcesis, Paulo de Chadarossa Præposito Cavallicensi, Decano sancti Servatii Trajectensis, Magistro Bernardo, Raymundi Archi-Diacono Majoricensi, Joanne dicto Presbytero Longo Tullensi Capellano nostro & Magistro Laurentio de Fuscisberte Basilicæ sanctæ Mariæ Majoris de urbe, Canonicis Ecclesiarum vel undecim, decem, novem, octo, septem, sex, quinque, quatuor, tribus, duobus, aut uno ex ipsis, quos vobis in hac parte propter negotii magnitudinem duximus adjungendos, vocatis per publicum citationis edictum per vos & ipsos adjunctos, vel eorum aliquos sive aliquem in locis, de quibus vobis & iis videbitur faciendam, qui fuerint evocandi contra singulares personas & fratres dicti ordinis in civitatibus & Diœcesibus vestris degentes etiamsi aliunde venerint, vel illuc adducti forsan extiterint, super articulis, quos vobis sub Bulla nostra inclusas transmittimus, & super aliis de quibus prudentiæ vestræ videbitur expedire, veritatem cum diligentia inquiratis. Volumus insuper, quod inquisitione seu inquisitionibus hujusmodi factis per Provinciale Concilium contra ipsos, singulares personas & fratres, qui in eadem provincia fuerint, seu pro eis super his, de quibus contra eos inquisitum extiterit, absolutoria, seu condemnatoria sententia juxta juris exigentiam proferatur. Inquisitore nihilominus seu Inquisitoribus ejusdem pravitatis hæreticæ in ipsa provincia per Sedem Apostolicam deputatis tam ad dictas inquisitiones, quam ad hujusmodi prolationem sententiæ admissis. Proviso, quod de inquirendo vel sententiando contra prefatum ordinem, & contra magnum Præceptorem dicti ordinis in Regno Alemanniæ constitutum, contra quos per certas personas inquiri mandavimus, vos intromittere nullatenus præsumatis. Nostræ etiam intentionis existit & volumus, quod tu Frater Archi-Episcope in hujusmodi inquisitionis per tuos Suffraganeos, ut præmittitur faciendæ negotio, cum singulis eisdem suffraganeis, quibus ad hoc te similiter duximus adjungendum, una cum prædictis aliis adjunctis, vel undecim, decem, novem, octo, septem, sex, quinque, quatuor, tribus, duobus aut uno ex ipsis, sive etiam per te ipsum, procedas, si potueris, juxta formam super hoc adjunctis traditam memoratis. Datum Pictavis 2. Idus Augusti. Pontificatus nostri anno tertio.

Ex Archæo Ecclesiæ Metropolitanæ Coloniæ Binius descripsit Tomo III. Concil. Part. II.

Com-

(a) Has Literas commissorias ex originali in Archæo Metropolitano asservato, descriptas edidit *Binius Conciliorum Tom. III. Part. II. pag.* 783.

Commiſſionis vero, quæ adjunctis datæ, formam procedendi præſcribunt, Literæ ſic ſe habent:

CLEMENS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILIBUS FRATRIBUS MOGUNTINENSI, TREVERENSI, ET MAGDEBURGENSI ARCHI-EPISCOPIS, AC BASILIENSI, CONSTANTIENSI EPISCOPIS, AC DILECTIS FILIIS, ABBATI MONASTERII DE CRUDARIO, ET PRIORI DE LONGO PONTE, CLUNIACENSIS ORDINIS, VIVARIENSIS, PARISIENSIS DIOECESIS. PAULO DE CHADAROSSA, PRÆPOSITO CAVALLICENSI, DECANO S. SERVATII TRAJECTENSIS, MAGISTRO BERNARDO, RAYMUNDI ARCHI-DIACONO MAJORICENSI. JOANNI DICTO LONGO PRESBYTERO DE ALEMANIA, CAPELLANO NOSTRO ROMARICENSI, ET MAGISTRO LAURENTIO DE FUSCISBERTE BASILICÆ SANCTÆ MARIÆ MAJORIS DE URBE, CANONICIS ECCLESIARUM, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

FAciens miſericordiam cum ſervo Dei Filius &c. *ut præcedente Bulla ad Archi-Epiſcopum Colonienſem data uſque ad illa verba non poſſumus: inquirere per nos ipſos, ſequitur*: diſcretioni veſtræ, de quorum circumſpectione ſpecialem fiduciam gerimus, de fratrum noſtrorum conſilio per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad Colonienſem Civitatem & Diœceſim ac Provinciam perſonaliter accedentes, una cum venerabilibus Fratribus noſtris Archi-Epiſcopo Colonienſi, ejusque Suffraganeis, quibus vos propter hujusmodi negotii magnitudinem in hac parte duximus adjungendos, cum quolibet eorum, videlicet in ſuis civitate & Diœceſi vocatis &c. *uſque ad illa verba*:

Teſtes autem, ſi qui a vobis requiſiti, vel admoniti vel citati, ut ſuper dictis articulis ferant veritatis teſtimonium coram vobis, ſe prece vel precio gratia vel amore, odio vel timore a ferendo teſtimonio ſubſtraxerint, nec non fautores, receptatores, & defenſores prædictorum fratrum, qui a vobis citati vel vocati, ut præmittitur, coram vobis non comparuerint, eos inſuper, qui prædictam veſtram inquiſitionem directe vel indirecte, publice vel occulte vel per ſe vel alium ſeu alios vel alias quoquo modo præſumpſerint impedire, per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcatis. Invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Quod ſi non omnes his exequendis potueritis intereſſe, undecim, decem, novem, octo, ſeptem, ſex, quinque, quatuor, aut duo, ſeu unus veſtrum ea nihilominus exequantur. Noſtræ etiam intentionis exiſtit &c. *ut ſupra mutatis pauculis.*

Captis per Inquiſitores ex hac commiſſione militibus fere omnibus accidit, ut bona eorundem mobilia, diverſorum prædis exponerentur, poſſeſſiones, ac redditus occuparentur, ac jura eorundem occultata ſubtraherentur. Ne itaque detrimentum ſentirent loca pia, quibus eorum bona applicanda erant, idem Pontifex ad omnes Chriſti fideles hoc modo reſcripſit.

CLEMENS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

AD omnium fere notitiam credimus perveniſſe nefanda ſcelera, & crimina abhorrenda hæreſia (*b*) notorie ſapientia, quibus *Ordo & Perſonæ Templariorum* non levibus argumentis, ſed manifeſtis indiciis, & violentis præſumptionibus diffamati noſcuntur ſuper abnegatione, videlicet Domini Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, & ſuper nefanda, temeraria & præſumptuoſa, & hæretica conſpuitione ſuper ejusdem imaginem Crucifixi; nec non & ſuper pluribus articulis, quos, quia fore credimus manifeſtos, exprimi non oportet, ſicque ex crebreſcente infamia, & imminentibus ſcandalis plurimis minime contemnendis, quæ non leviter *totam ſcandalizabant Eccleſiam*, urgente conſcientia, per totum orbem terrarum jam dudum ipſos capi mandavimus, & tandem cepimus; Super

(*b*) *forte*: hæreſin.

Super his contra eos inquirere per Nos ipſos nonnullis ex fratribus noſtris adſcitis ad inquiſitionem prædictam nobiſcum ſollicite peragendum, tandem preſentatis notis perſonis eisdem non parvo, ſed grandi numero, non leviter, ſed magnæ auctoritatis viris olim in ordine ſupradicto Sacerdotibus, Præceptoribus, militibus & ſervientibus, per eorum confeſſiones & depoſitiones ſpontaneas, libere factas coram Nobis & Fratribus ipſis in ſecreto prius, & poſtmodum coram Nobis totoque Collegio Fratrum noſtrorum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, patuit manifeſte, quod ad perſonas ipſas confitentes dicta crimina, & ſcelera eſſe vera: iidemque confitentes omnes & ſinguli, ſuum humiliter recognoſcentes errorem, Noſtram & Apoſtolicæ ſedis non juſtitiam, ſed miſericordiam & veniam implorarunt, quibus cum omni humilitate & reverentia, & proprii eorum recognitione erroris omnino perſiſtentibus, pro abſolutione ab excommunicationis ſententia, quam ex hujusmodi hæreſis reatibus & ſceleribus incurrerant, ipſis miſericorditer impendenda, Nos, qui licet indigni Vicarii ſumus illius, cujus *Miſerationes* (c) *ſuper omnia opera ejus exiſtunt*, quia Romana Mater Eccleſia non claudit, prout nec claudere debet, gremium redeunti, ſed potius errantem ovem ad ovile Dominicum ſuper humeros proprios reportare; facta a ſupradictis confitentibus cum magna humilitate & reverentia debita, abjuratione hujusmodi hæreſeos ſecundum Canonicas ſanctiones, eisdem fecimus juxta formam Eccleſiæ munus abſolutionis impendi, injungendi propterea ſalutarem pœnitentiam, Nobis & dictæ ſedi, ſeu quibus id committendum duxerimus, poteſtate ſpecialiter reſervatâ.

Ex prædictis itaque confeſſionibus, & nonnullis aliis cauſis legitimis non immerito excitati, viſis etiam diverſis proceſſibus contra ſingulares perſonas dicti Ordinis ſuper ipſis ſceleribus & criminibus factis per locorum Ordinarios, & Inquiſitorem generalem hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, in quibus multorum aliorum confeſſiones & depoſitiones contineri videbantur aperte, ex quibus violenta ſuſpicio contrá Ordinem ipſum, & perſonas ejusdem habebatur ſuper criminibus antedictis contra omnes ſingulares perſonas dicti Ordinis, nec non & ipſum Ordinem: cum omni diligentia & ſollicitudine per alias noſtras literas mandavimus inquiri, ut per hujusmodi inquiſitiones de ſupradictis criminibus & infamiis, contra Ordinem & perſonas præſtatos, (d) vel pro ipſis veritas eluceſcat.

Verum, quia occaſione hujusmodi ſubſecutorum proceſſuum & captionum perſonarum, Ordinis prælibati bona ipſius mobilia, quæ vel pro ipſo ordine, ſi reperiatur innocens, vel alias pro ſubſidio Terræ ſanctæ, & contra perfidos Saracenos, inimicos Fidei Chriſtianæ, ad quæ bona prædicta per fideles ipſa largientes deputata fuerunt, & Nos ipſi eadem bona una cum aliis bonis immobilibus eorundem ad ea decrevimus deputanda, nequiter a nonnullis ſubtracta, penes aliquos malitioſe, indebite, & injuſte abſconſa & cælata feruntur in grave ipſorum animarum periculum, Eccleſiæ prædictæ contemptum, & dictæ Terræ præjudicium, diſpendium & jacturam.

Nos volentes debitum in hac parte remedium adhibere, univerſis & ſingulis ſub virtute obedientiæ, ac excommunicationis pœna, quam excommunicationem contra facientes poſt unius menſis ſpacium a notitia præſentium immediate ſequentis cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, ſtatus, vel conditionis exiſtant, Eccleſiaſtici vel mundani, etiamſi Pontificali præfulgeant dignitate, incurrere volumus ipſo facto, auctoritate Apoſtolica diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus habentes, tenentes & poſſidentes, ut prædicitur, per ſe, vel alium, ſeu alios aliquas pecuniarum ſummas, vel alia mobilia bona quæcumque, vel ſe moventia perſonarum vel ordinis prædictorum, ſive cauſa depoſiti, vel alia quacumque cauſa, occaſione vel titulo; ſi qui, qui etiam perſonis vel Ordini ante dictis in quacunque ſumma vel quantitate pecuniæ obnoxii, vel alias quomodolibet fuerint obligati, ex quacumque cauſa vel titulo, vel ab eis aliquid receperint, vel ipſorum nomine per quemcunque; aut pro

(c) Pſalmo CXLIV, 9.

(d) *forte*: præfatas.

pro ipſis; libere integraliter & ſine diminutione reſtituant, reddant & ſolvant, ſub inſtrumentis publicis, locorum Ordinariis, ſive ſuperintendentibus adminiſtrationi bonorum dicti Ordinis per ſedem ipſam deputatis, vel etiam deputandis.

Non obſtantibus quibuscunque promiſſionibus ſuper his ab ipſis præſtitis, pœnis, juramentis, cautionibus, obligationibus, ſeu fidejuſſionibus forſitan roboratis.

Si qui autem etiam nihil habentes de bonis prædictis, nihilque debentes eisdem, ac in nullo ipſis quomodolibet obligati, ſciverint aliquem aliquid habere, tenere vel poſſidere de ipſis bonis, ut ſuperius eſt expreſſum, aut aliquem debitorem dictorum Ordinis & perſonarum, vel eis quomodolibet obligatum, ſive aliquem aliquid ab eis, vel ipſis, vel eorum nomine, vel alicujus eorum recepiſſe, infra idem tempus Ordinariis, vel ſuperintendentibus prælibatis ſub inſtrumentis ſimilibus aperte revelent; alioquin ſupradictam ſententiam ipſos incurrere volumus ipſo facto: quam ſi ipſi & alii ſuperius nominati per ſex menſes ſuſtinuerint animo indurato; Ordinariis ipſis & quibuslibet aliis abſolutionem eorum penitus interdicimus, ipſam Nobis & Succeſſoribus noſtris, præterquam in mortis articulo tantummodo reſervantes.

Et ut prædictorum ignorantiam nemo prætendere valeat, hujusmodi proceſſum noſtrum mandamus & volumus per illos, quibus in aliis noſtris litteris id committimus, in locis contentis in eis ſolemniter publicari. Datum Pictavis 2. Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno tertio.

Binius Concil. Tom. III. Part. II. p. 783. ex Archivio Eccleſiæ Metropolitanæ Colonienſis.

Effectum hujus Pontificiæ Commiſſionis *leges apud Trithemium Tom. II. Chronici Hirſaugienſis* & S. Antoninum, & Joannem Marium, a *Binio* citatos & deſcriptos, clauſula Bullæ: *Quanquam de JURE non poſſumus tamen ad plenitudinem poteſtatis dictum Ordinem reprobamus.* Non fuit ergo juridica damnati Ordinis ſententia, quia nec totus Ordo citatus, multo minus ſinguli ſaltem Præceptores auditi fuerunt, ſed fuit damnatio proviſionalis ex plenitudine Papalis poteſtatis, ut Papa ipſe in Bulla dicit.

In eodem Concilio Viennenſi CLEMENS V. damnat ſectam Beguardorum & Beguinarum in Regno Alemanniæ vulgariter appellatorum, & octo eorum errores: excitans Diœceſanorum & Inquiſitorum officium contra eos. SESSIONE TERTIA.

AD noſtrum (qui deſideranter in votis gerimus, ut Fides Catholica noſtris proſperetur temporibus, & pravitas hæretica de finibus fidelium extirpetur) non ſine diſplicentia grandi pervenit auditum, quod ſecta quædam abominabilis quorundam hominum malignorum, qui *Beguardi*, & quarundam infidelium mulierum, quæ *Beguinæ* vulgariter appellantur in Regno Alemanniæ (procurante ſatore malorum operum) damnabiliter inſurrexit, tenens & aſſerens doctrina ſua ſacrilega & perverſa inferius deſignatos errores.

Primo videlicet, quod homo in vita præſenti tantum & talem perfectionis gradum poteſt acquirere, quod reddatur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valebit. Nam, ut dicunt, ſi quis ſemper poſſet proficere, poſſet aliquis Chriſto perfectior inveniri.

Secundo. Quod jejunare non oportet hominem, nec orare, poſtquam gradum perfectionis hujusmodi fuerit aſſecutus: quia tunc ſenſualitas eſt ita perfecte ſpiritui & rationi ſubjecta, quod homo poteſt libere corpori concedere, quidquid placet.

Tertio. Quod illi, qui ſunt in prædicto gradu perfectionis, & ſpiritu libertatis, non ſunt humanæ ſubjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Eccleſiæ obligantur, quia, ut aſſerunt, *ubi Spiritus Domini, ibi libertas.*

Quarto. Quod homo poteſt ita finalem beatitudinem ſecundum omnem gradum perfectionis in præſenti aſſequi, ſicut eam in vita obtinebit beata.

Quinto. Quod quælibet intellectualis natura in ſe ipſa naturaliter eſt beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum.

Sexto. Quod ſe in actibus exercere virtu-

virtutum, eſt hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat a ſe virtutes.

Septimo. Mulieris oſculum (cum ad hoc natura non inclinet) eſt mortale peccatum. Actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non eſt, maxime cum tentatur exercens.

Octavo. Quod in elevatione Corporis JESU CHRISTI non debent aſſurgere, nec eidem reverentiam exhibere, aſſerentes, quod eſſet imperfectionis eisdem, ſi a puritate & altitudine ſuæ contemplationis tantum deſcenderent, quod circa Miniſterium, ſeu Sacramentum Euchariſtiæ, aut paſſionem humanitatis Chriſti aliqua cogitarent.

Nonnulla etiam alia ſub quadam ſimulata ſanctitatis ſpecie dicunt, faciunt, & committunt, quæ oculos Divinæ Majeſtatis offendunt, & grave in ſe continent periculum animarum. Cum autem ex debito commiſſi Nobis officii hujusmodi ſectam deteſtabilem, & præmiſſos ipſius execrandos errores (ne propagentur ulterius, & per eos corda fidelium damnabiliter corrumpantur) extirpare ab Eccleſia Catholica neceſſaria habeamus.

NOS, Sacro Approbante Concilio, ſectam ipſam cum præmiſſis erroribus damnamus & reprobamus omnino, inhibentes diſtrictius, ne quis ipſos de cætero teneat, approbet, vel defendat. Eos autem, qui ſecus egerint, animadverſione Canonica decernimus puniendos.

Porro Diœceſani, & illarum partium Inquiſitores hæreticæ pravitatis, in quibus Beguardi & Beguinæ hujusmodi commorantur, ſuum officium circa eos diligenter exerceant: Inquirentes de vita & moribus ipſorum, qualiter conſentiant de articulis Fidei, & Eccleſiæ Sacramentis. In illos vero, quos culpabiles repererint (niſi abjuratis ſponte prædictis erroribus pœnituerint, & ſatisfactionem exhibuerint competentem) debitam exerceant ultionem.

Lib. V. Clementinarum. Tit. III. De Hæreticis. cap. Ad Noſtrum.

Tritbemius in Chronico Hirſaugienſi eosdem octo errores refert.

Odoricus autem *Raynaldus in Annalibus Eccleſiaſticis* ad annum 1312. §. 17. refert ex *Henrico Sterone*, ex *Alvaro Pelagio coævo, De planctu Eccleſiæ Tit. II. Cap.* 52. non ſolum originem horum hæreticorum, ſed & loca ſcripturæ, quibus abutebantur ad ſuos errores firmandos, & eorundem locorum per ſcripturæ loca oppoſita Catholice expoſita confutationem. Rurſum eorundem confutationem ex *Cardinali de Turre* cremata, ex *S. Antonino III. Parte Tit.* 21. quæ nos Polemicis Scriptoribus ponderanda relinquimus.

Bizochi, Beghardi Pſeudo-Apoſtoli, Dulciniſtæ, Libertini, nomina ſunt hæreticorum, veluti totidem capitum ex Hydra Waldenſium hæreſeos pullulantium, ait *Alvarus Pelagius.*

Ex eadem Hydra Lolhardi & Fraticelli prodierunt, Germaniam, & reliquas Orbis Catholici Eccleſias invadentes, ſæpius puniti, damnati, ſæpiſſime recrudeſcentes.

In hoc Concilio Viennenſi, celebrato in Delphinatu, adeoque extra Germaniam, fuere hæc tria acta, quæ Germaniam ſpectant:

I. Suppreſſio Templariorum in Germania, & bonorum in Germania ſitorum applicatio facta Ordini Hoſpitaliorum, nunc Melitenſium. II. Inquiſitio & examen Templariorum, commiſſum Archi-epiſcopis, & Epiſcopis Germaniæ. III. Condemnatio Beguinorum & Beguinarum in Alemannia commorantium, quorum punitio & exterminatio negligenter peracta fuit, ut conqueritur *Alvarus Pelagius coævus.* Reliqua illic acta, uti imperatæ ſuppetiæ pro recuperanda Terra ſancta: damnatio errorum Joannis Pauli Olivæ, & Spiritualium inter Minores, & Dulciniſtarum, & exemptio ab Ordinariis conceſſa Ciſtercienſibus, Nos præciſe Germanos non tangunt.

Vide *noſtram Digreſſionem ad Sæculum XIII. §. XIV. pag.* 57. *hujus Tomi*, ubi Anteceſſores & Sectatores Beghardorum & Begardarum enumeravimus, & diverſitatem ſententiarum variarum exhibuimus de iis. De hæreticis, & eorum erroribus confer Concilium Colonienſe anni 1306. Canon. I. pag. 100. hujus Tomi, Concilium Treverenſe anni 1310. Cap. 50. & 51. pag. 139. h. Tom.

CONCILIUM CAMERACENSE

Anno Chriſti MCCCXIII. Clementis V. Papæ VIII. Henrici VII. Regis VI.

In titulo de Reverentia & Jurisdictione, & Libertate Eccleſiarum.

QUia plerumque cum nonnulli Domini, aut juſtitiarii ſæcularium noſtræ Diœceſis, plus ſectantur motum animi, quam judicium rationis, perſonas Eccleſiaſticas ad ſolvendum debita, ſuper quibus coram illis contra ipſos eorum exhibentur litteræ, vel probationes, quibus judicantur, damnabili præſumptione compellunt per captionem dictorum, vel alias, cum eis nulla competat jurisdictio in hac parte. Nos huic præſumptioni peſtiferæ, quæ in noſtra Diœceſi nimium invaleſcit, occurrere cupientes, ſtatuendo præcipimus, quod nulli Domini, aut juſtitiarii temporales talia præſumant facere de cetero. Si quis contra hoc ſalubre ſtatutum perſonas Eccleſiaſticas ad ſolvenda debita contra ſtatuta Canonica compellere præſumpſerit, ipſo facto, ſententia excommunicationis ſit ligatus.

Ex querelis lacrymabilibus perſonarum Eccleſiaſticarum, tam regularium, quam ſæcularium noſtræ Diœceſis percepimus, quod nonnulli diabolico ſuccenſi Spiritu, Divinum Judicium contemnunt, Eccleſias frequenter deſtruunt, animalia interficiunt, & rapiunt, & grangias, & domos ſuccendunt, & nonnunquam perſonas Eccleſiaſticas capiunt, & captas detinent pro ſuæ libitu voluntatis; unde quia multum creſcentibus non opus eſt exemplo, ne de cetero fiant talia, inhibemus, ſtatuentes, quod ſi quis deinceps præmiſſa fecerit, vel fieri mandaverit, ipſo facto excommunicationis vinculo cum omnibus illis, qui in his, ut fiant, dabunt auxilium, conſilium, favorem, ſit ligatus. Is etenim cujus nomine præmiſſa fiunt, ſi poſtquam ad ejus notitiam pervenerit, rata habuerit eadem, ſit ligatus ſententia excommunicationis.

Præcipimus etiam in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis omnibus, & ſingulis curiæ noſtræ Diœceſis, ut diebus Dominicis & Feſtis, dum Miſſarum ſolemnia celebrantur, inter Offertorium, & Præfationem denuntient palam & publice excommunicatos omnes illos, qui litterarum noſtrarum, vel Officialis noſtri Cameracenſis, vel alias ad forum Eccleſiaſticum recurrentes ſuper cauſis, quæ ad idem forum jure, vel antiqua conſuetudine pertinere noſcuntur, ad deſiſtendum coram nobis ad judicium Eccleſiaſticum vel impetrantium, aut litigantium, vel volentium litigare, aut propinquorum ipſorum, ſeu rerum ipſarum, aut Eccleſiarum ſuarum, & captionem, vel modis aliis quibuscumque compellunt, ſeu compelli faciunt, vel procurant, per ſe, ſeu per alios, quominus coram Nobis, vel Officiali noſtro, vel judicibus Eccleſiaſticis querelantur de cauſis, quæ ut præmiſſum eſt, ad cognitionem noſtram pertinent, vel Officialis noſtri, poſſint libere, juſteque obtinere; & qui ad præmiſſa facienda dant conſilium, auxilium, vel favorem; a qua ſententia abſolvi non poſſunt, niſi Nobis, vel Officiali noſtro, ſeu judicibus, quorum cognitio fuerit impedita, vel jurisdictio uſurpata, quam parti, quæ in proſecutione turbata fuerit ſui juris, de injuriis, damnis, vel expenſis, & intereſſe, prius per eundem integre fuerit ſatisfactum, prout hoc in conſtitutione felicis recordationis Domini Bonifacii Papæ Octavi plenius continetur.

Item denuntiamus excommunicatos ut ſupra, qui equos, & animalia perſonarum Eccleſiaſticarum, tam Regularium, quam ſæcularium noſtræ Diœceſis interficiunt, rapiunt, & domos

mos incendunt, & ipſas perſonas Eccleſiaſticas capiunt, prout in noſtra conſtitutione, quæ incipit: *Ex querelis lamentabilibus*, plenius continetur.

Item denuntientur excommunicati diebus quibuslibet Dominicis & Feſtivis, ut ſupra, omnes judices ſæculares noſtræ Diœceſis, qui perſonas Eccleſiaſticas compellunt per litterarum ſuarum captionem vel aliter, ad ſolvendum debita, ſuper quibus coram illis contra ipſos exhibentur eorum litteræ, vel probationes aliquæ inducuntur, prout in noſtra conſtitutione alias edita continetur.

Tomo VII. Collectionis ampliſſimæ Martenii & Durandi.

Hæ ſunt Additiones Statutorum Synodalium Sedis Cameracenſis A. 1311.

Et Additiones ſuper Titulum notantur ordine Alphabeti.

ANno Domini MCCCXI. ſabbato in feſto S. Remigii in Capitulo Octobris, in Synodo Cameracenſi celebrata in Eccleſia B. Martini de Caſtello Cameraceſio. Reverendus in Chriſto Pater ac Dominus P. (*a*) Dei gratia, Cameracenſis Epiſcopus, de Statutis antiquis Synodalibus diminuit, addidit & diſtraxit, ut ſequitur:

Primo in titulo: *De Baptiſmo*, addimus poſt illa verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen:* Nec addantur, nec inſerantur aliqua verba alia.

Item in eodem titulo in paragrapho: *Ad levandum puerum*, poſt illa verba: *In ſacris Ordinibus conſtitutæ*, amovemus iſta verba: *ſeu Religioſæ in religione approbata profeſſæ.*

Item in titulo: *De Confirmatione*, poſt illa verba: *Non pater, nec mater*, addimus iſta verba: *iſtud Sacramentum non eſt iterandum.*

Item, titulo: *De caſibus Presbyteris Parochialibus reſervatis*, in paragrapho: *Sacerdotes confeſſionem*, poſt illud verbum: *non audiant*, addimus iſta verba; *niſi in articulo neceſſitatis.* Cætera verba dicti paragraphi uſque ad paragraphum amovemus.

Item; in eodem titulo, in paragrapho, qui incipit: *Item ſtatuimus, quod in quolibet Decanatu, &c.* taliter amovemus ſtatuendo, quod quilibet Curatus poſſit eligere ſibi idoneum Confeſſorem, qui ipſum abſolvit a peccatis ſibi confeſſis, exceptis caſibus Nobis, & Pœnitentiariis noſtris reſervatis.

Item, in titulo: *De Euchariſtia*, in paragrapho: *Item inhibemus, ne aliquis Sacerdos &c.* poſt illa verba, addimus iſta verba: *ſub pœna excommunicationis*; & de fine paragraphi prædicti amovemus verba, quæ ſic incipiunt: *Illos autem, qui bis in die*, &c. uſque ad finem dicti paragraphi.

Item, in eodem titulo in paragrapho, qui ſic incipit: *Item, ſtatuimus, quod nullus apoſtatam*, amovemus illa verba, quæ ſic incipiunt: *Illi, qui diebus Dominicis, & in Solemnitatibus*, &c. uſque in finem dicti paragraphi.

Item, in titulo: *De Matrimonio*, in paragrapho: *Item, ſtatuimus, quod Matrimonium non celebretur*, &c. amovemus illa verba: *niſi de mandato noſtro, vel Officialis noſtri ſpeciali.*

Item, in titulo: *De vita & honeſtate Clericorum*, in paragrapho: *Veſtibus virgulatis*, volumus paragraphum ita eſſe: *Veſtibus virgulatis pariter, & aliis inhoneſtis Clerici non utantur, niſi a Nobis cum eiſdem fuerit diſpenſatum: quod ſi Beneficiati fuerint, vel in ſacris Ordinibus conſtituti, ſententiam excommunicationis incurrant ipſo facto. Alii vero Clerici ad pœnam XL. ſolidorum Turonenſium Nobis teneantur.* Cætera vero dicti paragraphi amovemus totaliter.

Item, in titulo: *De reverentia & juriſdictione Eccleſiarum*, ſub paragrapho: *Item*

(*a*) Petrus de Levis, ſeu de Mirepois, Epiſcopus Montis Peſſulani, ad Sedem Cameracenſem evocatur anno 1310, elevat Corpus S. Waldedrudis A. 1313. in præſentia Abbatum Laubienſis & S. Gisleni: ob continuam civium ſeditionem Sedem hanc reliquit, & Bajocenſem acceptavit anno 1324. Epiſcopus XIV. Cameracenſis. *Caſtillon. ſacra Belgii Chronologia.*

Item ſtatuimus, ut qui maleficium perpetrant &c. circa finem dicti paragraphi poſt illa verba: *Parochi Eccleſiarum*, addimus iſta verba: *ſi ſint in culpa.*

Item, in titulo: *De Teſtamentis*, in paragrapho: *Item ſtatuimus, quod ſinguli Presbyteri* &c. apponimus iſta verba: *de conſilio proprii Sacerdotis, juxta diſpoſitionem teſtatorum.*

Item, in eodem titulo, in paragrapho: *Item ſtatuimus omnibus Presbyteris curatis*, in fine dicti ſtatuti amovemus iſta verba poſita: *Incurrunt ipſo facto in loco*, & loco illorum ponimus: *graviter puniantur.*

In titulo: *De Juriſdictione Eccleſiarum, & cimiteriorum*, ut ſupra in paragrapho: *Statuimus, quod cimiteria excommunicatorum.* &c. amovemus illa verba: *interdictorum, & abortivorum.*

Cum laicis diſponendi de rebus Eccleſiæ nulla ſit poteſtas, ſtatuimus, quod ſi Abbates, Priores, Conventus, & perſonæ Eccleſiaſticæ contingat poſſeſſiones, redditus perpetuo, vel ad vitam aliquibus perſonis vendere, aut alio modo, ordinare, vel alienare, quod pro hujusmodi alienationibus tenendis, & obſervandis, ſe coram Dominis temporalibus, ſeu Officiariis ſuis nullo modo ſe obligent, ſuper hoc ad eosdem recurrant, nec ad dona, vel ad pœnam quamcumque ſuper his, vel bonis ſuis capiendis, vel levandis per dictos temporales ſe obligent: & etiam hujusmodi alienationes faciant ſecundum Canonicas ſanctiones, cum omni debita juris ſolemnitate, decreto, & confirmatione noſtris intervenientibus: quod ſi ſecus attentare præſumpſerint, declaramus alienationes irritas, & omnes contrarium facientes excommunicamus, & jam factas irritas nunciamus.

Item ſtatuimus, quod ſi aliqua Eccleſia noſtræ Diœceſis interdicto particulari ſit interdicta, quod in Capella ejuſdem contigua interdictum hujusmodi obſervetur.

Statuimus, quod ſi contigua non exiſtat, intentio tamen noſtra eſt, quod ſi per ſtatuta Synodalia in Eccleſia Parochiali ceſſetur, quod in omnibus Eccleſiis & Capellis Parochiæ ceſſetur, etiamſi dictæ Eccleſiæ vel Capellæ ejusdem contiguæ non exiſtant.

Item ſtatuimus, quod quotiescumque continget ceſſari in noſtra Diœceſi a Divinis, cauſas ceſſationis, nomina eorum, quorum cauſa ceſſatur, & alias circumſtantias, Curati, ſeu vices eorum gerentes locorum, in quibus ceſſatur, infra octo dies Decanis ſuis, & Decani infra XV. dies Nobis vel Officiali noſtro referant vel reſcribant; alias ad pœnam XX. ſolidorum Turonenſium, quotiens-cumque contra fecerint, Nobis ſolvere teneantur.

Item ſtatuimus, quod ſi in Eccleſia noſtræ Diœceſis contingit, quod abſit, aliquos exceſſus enormes & deteſtabiles committi, ſcilicet homicidia in Eccleſiis, incendia Eccleſiarum, vel ab immunitate Eccleſiæ extrahere violenter; Curati, in quorum Parochia talia acciderint, Decano loci infra octo dies a tempore notitiæ, & Decani infra XV. dies poſtmodum nomina malefactorum, factum hujusmodi, qualiter poſſimus informari, Nobis, vel Officiali noſtro referant; quod ſi ſecus fecerint, ipſos graviter puniemus.

Item, in titulo: *de Matrimonio.* Quod ſi ſponſalibus, & matrimoniis aliquis ſe oppoſuerit, Curati locorum, ſeu eorum vices gerentes, quibus oppoſitiones hujusmodi fieri contigerit, opponentes, & contrahere volentes coram Officiali noſtro citent, pro hujusmodi oppoſitionibus terminandis, & non coram Decanis noſtris, alioquin contrarium facientes ſuſpendimus a Divinis.

Item titulo: *de Matrimonio*, ſtatuimus, quod ſi duo contrahere volentes matrimonium, ſint oriundi de diverſis Decanatibus noſtræ Diœceſis, Curatus alterius eorum litteras teſtimoniales ſuper matrimonio celebrando ſcribat Decano ſuo. Si vero ſint ejusdem Decanatus, Curatus alii Curato litteras prædictas mittere poterit.

Quod ſi oriundus de Diœceſi noſtra contrahere voluerit, cum aliqua perſona de Diœceſi aliena, Curatus dirigat litteras matrimoniales Decano ſuo, & Decanus Officiali noſtro, pro quibus concedendis, Curatus duos ſolidos Turonenſes, & Decanus totidem recipient, & non ultra. Quod ſi ſecus fecerint, ad intereſſe pariter, & reſtitutionem duplicem partibus teneantur.

EXPLICIUNT STATUTA.

Inci-

Incipiunt Monitiones dicti Episcopi Cameracensis.

Cum tam ex nobilitate principali nostri Comitatus Cameracensis, quam ex concessione Imperatorum in solidum liceat nulli alii monetam infra limites nostri Comitatus Cameracensis facere cudi vel fabricari: Nos quoque pro nostro tempore, & Prædecessores nostri soli & in solidum pro suis temporibus fuerimus in possessione pacifica a tempore, cujus contrarii memoria non existat, faciendi, cudi & fabricari monetam hujusmodi infra limites prædictos; monemus omnes & singulos Nobis subditos cujuscumque sint status, aut conditionis primo, secundo, & tertio, & peremptorie, ne monetam aliquam sub nomine alio, quam sub nostro & charactere nostro infra limites prædictos quomodolibet fabricent, aut fabricam recipiant, seu approbent, aut utantur eadem qualicumque causa ejusdem approbandæ; alioquin contrarium facientes excommunicamus ipso facto, in his scriptis; & nihilominus pœnas, quas fabricantes monetam falsam, & adulteram, ac utentes eadem debent incurrere, se noverint incursuros.

De Testamentis.

Item statuimus, quod quilibet Curatus nomina decedentium in Parochia sua, nomina Executorum, & tempus decessus cujuslibet ipsorum Decano Christianitatis dicti loci notificet competenter infra mensem a tempore decessus numerando, Decani vero intra tres menses a tempore, quo certificati fuerint per Curatum, Nobis, aut Officiali nostro, seu Sigillifero, aut a Nobis super hoc deputando notificent competenter; alioquin omnes, & singuli Decani, qui in præmissis, aut præmissorum aliquibus negligentes fuerint, & remissi, ipso facto teneantur solvere pro emenda centum solidos Turonenses, pro quolibet defectu, Curati vero XX. solidos ejusdem monetæ, Nobis & Archi-Diacono loci applicandos.

Item districte præcipimus & injungimus omnibus Decanis nostræ Christianitatis, quod quilibet in Decanatu suo diligenter inquirat, si sint aliquæ Capellæ minus sufficienter dotatæ, aut non admortificatæ competenter; & si celebretur in Capellis aliquibus per Episcopum non confirmatis, & de nominibus eorum, qui talibus deserviunt contra inhibitionem Synodalem, ut infra Natalem Domini Nos & Officialem nostrum super præmissis omnibus & singulis certificare procurent, vel eos graviter puniemus.

Item statuimus, quod nullus Curatus Capellanum mercenarium habeat de alia Diœcesi, sine nostra, aut Officialis nostri licentia speciali: aliter de factis & excessibus noverit se teneri.

Item Statuta facta per Capitulum nostrum Cameracense, sub quacumque forma verborum edita, sede vacante, auctoritate nostra confirmamus, & ipsa præcipimus observari, quamdiu nostræ placuerit voluntati, absolutionem in eisdem latarum statutis reservantes.

Item revocamus omnes gratias, & litteras generales non perpetuatas, cujuscumque formæ seu tenoris existant, a quibuscumque pœnis, & ex quacumque causa, a Prædecessoribus, a Capitulo Cameracensi sede vacante, a Nobis quoque & a Vicariis nostris seu Officiali nostro Cameracensi concessas, etiam quantumcumque in eis teneantur: Non obstante revocatione generali vel speciali, seu auctoritate nostra facienda.

Item revocamus omnes commissiones, Decanis nostræ Christianitatis, & Presbyteris civitatis, & Diœcesis Cameracensis, & aliis subditis nostris quomodolibet concessas, cognoscendi de causis matrimonialibus, & sponsalia, seu matrimonialia tangentibus quoquomodo.

Item revocamus potestatem, sive licentiam, si quam nos, aut Officialis noster concessit justitiariis sæcularibus quibuscumque laicis super arrestatione, captione, & detentione Clericorum & Ecclesiasticarum personarum & bonorum eorumdem.

Item Pœnitentiarios a Nobis seu auctoritate nostra constitutos, & potestatem concessam revocamus. Præsentia autem statuta, præcepta & mandata, & prohibitiones a subditis nostris sub pœna

na viginti ſolidorum Turonenſium, & aliis pœnis ad noſtrum arbitrium & Officialis noſtri Cameracenſis, ad opus noſtrum & Archidiaconi locorum, quotiescumque contra fecerint, præcipimus inviolabiliter obſervari.

Item præcipimus ſub pœna viginti ſolidorum Turonenſium, ut omnes Decani noſtri Chriſtianitatis infra menſem, & Presbyteri Parochiales civitatis, & Diœceſis infra quindenam immediate ſequentem, præſentia ſtatuta, præcepta & inhibitiones habeant, quibus eos uti volumus, & ex toto mandamus ſub pœnis antedictis.

Martene Collectio ampliſſima Monumentorum Tomo VII.

STATUTA CONCILII CAMERACENSIS ANNI MCCCXI.

Ad publicandum in Eccleſis Parochialibus Dominicis diebus, & Feſtis ſub pœna X. ſolidorum Pariſienſium, a Presbytero negligente recipienda, quod Procurator reſidens in civitate, ſeu ſuburbiis Camerac. pro qualibet aſſignatione diei XII. Pariſienſes dumtaxat pro ſalario recipiat ſine fraude.

Item Procurator Foraneus veniens eques de quindena in quindenam quinque ſolidos Pariſienſes, pedes XXX. denarios Pariſienſes.

Item Procurator veniens eques de ebdomada in ebdomadam tres ſolidos, & ſex denarios Pariſienſes, nec conveniant de majori ſalario, niſi pro Officiali, vel Sigillifero, petita ſuper hoc licentia & obtenta.

Item Procuratores deferentes litteras contumaciales ad Monachos contumaces, ut de contemtu ſatisfaciant Officiali, ſi pars contumax citata ad inſtantiam partis adverſæ, ad videndum fieri taxationem expenſarum velit ſatisfacere de expenſis, non petantur nec recipiantur a perſonis ſic monitis majores expenſæ, quam conſuetum ſit taxari in curia.

Officialis ſedis Cameracenſis vacantis omnibus Decanis, Presbyteris, & Capellanis in Civitate, & Diœceſi Cameracenſi conſtitutis, ad quos præſentes litteræ pervenerint, ſalutem in Domino. Olim felicis recordationis ſummus Pontifex GREGORIUS Decimus uſurariorum voraginem, qui animas detinent, qui animas devorant, & facultates exhauriunt, ſalubriter cupiens refrenare, conſtitutionem *Lateranenſis Concilii quinti* contra uſurarios editam, ſub Divinæ maledictionis interminatione præcepit inviolabiliter obſervari. Attendentes itaque, quod quominus fœneratoribus affutura foret fœnerandi commoditas, eo magis eis eſſet adimenda fœnus exercendi libertas, generali conſtitutione ſancivit, ut nec Collegium, nec alia univerſitas, vel ſingula perſona cujuscumque ſtatus, aut dignitatis exiſtat, alienigenas, & alios non oriundos de terris ipſorum publice pecuniarum (fœnus) exercentes, aut exercere volentes, & ad hæc domos in terris ſuis conducere, vel conductas habere, aut alias habitare permitterent, ſed hujusmodi uſurarios omnes infra tres menſes de terris expellerent, numquam aliquos tales admitterent.

Sancivit etiam, ut nemo det illis ad fœnus exercendum: in pœnam transgreſſorum, ut qui contrarium fecerit præmiſſorum, ſi perſonæ Eccleſiaſticæ, Patriarchæ, Archi-Epiſcopi, Epiſcopi fuerint, ſuſpenſionis; minores vero ſæculares perſonæ, excommunicationis; Collegium autem, ſeu alia univerſitas interdicti ſententia ipſo facto ſe noſcent incurſuros; quam ſi per menſem animo ſuſtinuerint indurato, terræ ipſorum, quamdiu in eis iidem uſurarii morarentur, extunc Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto. Adjecitque, ut laici per ſuos Ordinarios ab hujusmodi exceſſu; ceſſante privilegio, per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcantur. Quia vero nec ſic quorumdam malitia contra Dei timorem conquievit, & parum ſit jura condere, niſi ſit, qui ea teneat, vobis omnibus & ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis, quas in vos ferimus in his ſcriptis, ſi contra quod mandamus, feceritis, firmiter duximus injungendum, quatenus dictam conſtitutionem, juxta quod ſuperius ſcriptum eſt, nec non & prædictam Lateranenſis Concilii, qua cavetur, ut uſurarii manifeſti,

festi, nec ad communicationem Altaris admittantur, nec Christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam, quodque eorum oblationes nullus accipiat in vestris Ecclesiis; singulis diebus Dominicis, & Festivis intra Missarum solemnia publicare, & pœnas in transgressores dictorum constitutas Canonum, quas in dictos transgressores notorios, quantum in nobis est, tenore præsentium publicamus, palam, & publice promulgari, & ad notitiam singulorum, quos de præmissis suspectos habebitis, proferre, & eorum auribus inculcare, ne causari possint ignorantiam, vestra non omittat desidia, dictasque constitutiones observent, & in locis vestris per censuram Ecclesiasticam faciatis firmiter observari, dictosque usurarios in locis vobis subditis commorantes, in generali, nec non in speciali, & nominatim illos, quos usurarum lucris (quos utriusque testamenti nimirum pagina detestatur,) aut per facti evidentiam, sive rei, seu confessionem eorum, vel alterius notorie, & manifeste vobis constiterit damnabiliter institisse, & ad hoc insistere, canonice moneri, ut infra XV. dies post receptam præsentationem, (quorum quinque pro primo, alios quinque pro secundo, & alios quinque pro tertio & peremtorio termino eisdem assignamus,) ab his, & similibus lucris detestabilibus, & eorum exercitio cessent penitus & desistant, extortaque ab eisdem per usurarum pravitatem, eis, a quibus talia sunt extorta, vel eorum heredibus integraliter restituant, & reddant sine fraude infra terminum supra dictum, Nobisque, & Ecclesiæ super his præstent emendam competentem, alioquin ipsos notos, & manifestos, de quorum nominibus constiterit, quos extunc & exnunc excommunicamus in his scriptis, in facie Ecclesiarum vestrarum singulis diebus Dominicis & Festis nominatim, palam, & publice, & alios in generali excommunicatos nuncietis, sine alterius exspectatione mandati, & sine repræsentatione præsentium. Quod nisi feceritis, nomina dictorum Collegiorum, Universitatum, singularium personarum, transgressorum, usurariorum, seu fœneratorum, monitorum, & excommunicatorum, si qui sint, in hoc instanti festo B. Remigii in capite Octobris Cameraci fideliter referentur, si canonicam volueritis effugere ultionem: ita quod in his exsequendis, unus vestrum alium seu alios non exspectet. Datum anno Domini MCCCXCVI. (a) Feria III. post Nativitatem B. MARIÆ Virginis.

Item titulo de vita & honestate Clericorum.

Statuimus, quod omnes Presbyteri Curati sæculares Civitatis & Diœcesis Cameracensis pileos publice & continue in capitibus suis deferant, ut ab aliis Sacerdotibus dignoscantur.

Item in eodem titulo.

Statuimus, ut omnes Curati Parochialium Ecclesiarum Civitatis, & Diœcesis Cameracensis, dum in ipsa civitate fuerint, per vicos & plateas civitatis ejusdem incedentes cappam rotundam, seu honestum tabardum desuper vestimenta deferant. Si autem secus fecerint, post duos menses a tempore statutorum præsentium *in ista Synodo* promulgatorum, noverint se suspensos.

Item eodem titulo.

Statuimus, quod nulli Clerici vestes deferant radiatas: alioquin si in maleficiis, seu in aliquibus forefactis fuerint deprehensi, non defendant eos, sed erunt extorres omnino ab immunitate Ecclesiæ, quæ ad Clericorum cautelam, & laicorum violentiam coercendi (gratia) dignoscitur instituta.

Item statuimus, ut omnes Presbyteri Nobis subditi, propter suam culpam excommunicati, durante excommunicatione ipsa, suorum Beneficiorum Ecclesiasticorum fructus amittant, & Episcopo Cameracensi, & locorum Archi-Diacono applicentur.

Item titulo de jurisdictione, & libertate Ecclesiarum & Cimiteriorum.

Statuimus, ut obsessores Cimiteriorum, & Ecclesiarum, & obsidentes confugientes ad ipsas Ecclesias, seu Cimiteria, nisi exeant, ipso facto, excommunicationis sententiam incurrant.

Item

(a) *forte:* MCCXCVI. *si verus est annus ab initio notatus* MCCCXI.

Item titulo de vita & honeſtate Clericorum.

Alias ſtatutum fuit, quod omnes Presbyteri curati ſæculares civitatis & Diœceſis Cameracenſis, pileos publice & continue in capitibus ſuis, ac per vicos & plateas civitatis ejusdem incedentes, cappam rotundam, vel honeſtum tabardum deſuper veſtimenta ſua deferant, alioquin noverint ſe ſuſpenſos: Nos cum eis mitius agere cupientes, a dicto ſtatuto detrahimus hæc vocabula: *continue*, & eidem ſtatuto adjicientes poſt verba illa: *honeſtum tabardum*, hæc verba: *ſeu rotundum & honeſtum habitum*. Pœnam autem in dicto ſtatuto contentam, videlicet, noverint ſe ſuſpenſos, revocamus: loco illius pœnæ aliam pœnam ſubrogamus, videlicet ſi ſecus fecerint, ipſos in V. ſolidos Turonenſes totiens quotiens convenerint, teneri volumus Domino Cameracenſi Epiſcopo, & locorum Archidiaconis applicandos.

Item eodem titulo.

Statuimus, ne Clerici mitras, ſeu cucufas in capitibus ſuis in choro deferant, dum ibidem Divina celebrantur.

Item de executione ſtatutorum Synodalium.

Statuimus, ut Presbyter ſeu Executor quicumque alienum Parochianum excommunicans, ſeu excommunicatum denuncians ejusdem Parochianum, proprium Sacerdotem infra octo dies ſub pœna ſuſpenſionis ſuper hoc certificare non omittat.

Item cum alias ſtatutum fuerit, quod omnes Presbyteri Nobis ſubjecti propter ſuam culpam excommunicati, durante excommunicatione, ſuorum Beneficiorum fructus amittant. &c. Huic ſtatuto adjicietur: Præcipimus univerſis Decanis noſtris Chriſtianitatis, quod nomina dictorum excommunicatorum, & quantitatem dictorum fructuum Nobis infra menſem a tempore notoriæ, juramento ab ipſis præſtito, intimare non omittant.

Martene & Durand veterum Scriptorum & Monumentorum Collectio ampliſſima Tomo VII. a pag. 1352. *ad* 1356.

STATUTA NOVA CONCILII CAMERACENSIS ANNI MCCCXII.

Statuta hæc ſunt noviter facta, in Synodo Cameracenſi celebrata in majori Eccleſia anno Domini MCCCXII. die Mercurii, in feſto S. Lucæ Evangeliſtæ.

QUoniam legitur in Canone: *Quicumque ex Deo eſſe videntur, arma militaria non ſumant*, ſtatuimus, ut nullus Clericus, cujuscumque generis arma deferat, ſine Noſtra aut Officialis noſtri licentia ſpeciali, alias ad quinquaginta ſolidorum pœnam teneantur, & arma nihilominus amittant.

Item ſtatuimus, quod ſinguli Presbyteri in ſcripturis habeant nomina ſuorum Parochianorum excommunicatorum: qua de cauſa excommunicati ſunt: utrum pro judicato, vel contemtu, vel aliter; & nomina illorum, ad quorum inſtantiam ſunt excommunicati, diem etiam, quo primo denuntiantur: & ſingulis annis per menſem *ante Synodum* Decanis referant Parochianos ſuos excommunicatos per annum, vel ad pœnam XX. ſolidorum Pariſienſium teneantur: & Decani ad Synodum reportent ſecundum antiqua ſtatuta, alias nomine pœnæ ad XI. ſolidos Pariſienſes teneantur.

Item ſtatuimus, ut ſinguli Presbyteri alta voce, & intelligibili in facie Eccleſiarum ſuarum ſingulis diebus Dominicis, & Feſtivis Parochianos ſuos excommunicatos denuntient nominatim & diſtricte, ut rubore confuſi, ad unitatem ſanctæ Matris Eccleſiæ citius revertantur, & eorum nomina habeant in cedula, vel quaterno; alias quotiens omiſerint, in quinque ſolidis Turonenſibus teneantur.

Item ſtatuimus, quod Decani in ſuis litteris abſolutionis nomina exprimant, a qua ſententia abſolvunt, & ad quorum inſtantiam tales abſoluti excommunicationis ſententiam incurrerunt; aliter Presbyteri Decanorum litteras excommunicatorum nullatenus exſequantur.

Item

Item ſtatuimus, quod ſi aliquem contigerit excommunicatum fore pluribus ſententiis, & ab una fuerit abſolutus, nihilominus pro alia excommunicatus nuntietur.

Item in titulo primo, in paragrapho: *item Prælatos*, poſt illa verba: *& Sacerdotes*, addimus: Capitula & Collegia, & quoscumque alios, qui ad noſtram ſanctam Synodum venire tenentur de conſuetudine, vel de jure, *& ſequitur*, & tenentur non venientes.

Item, in titulo: *De Exequutione Statutorum Synodalium*, in paragrapho: *item ſtatuimus, quod ubicumque portatores litterarum*, poſt illa verba: *Organa reſumantur*, ibidem addimus illa verba: ſi poſtquam a Nobis, ſeu Officiali noſtro, aut Decano rurali, vel deputato ab ipſis, ſeu altero eorum requiſiti fuerint, non reſtituantur.

Item quantumcumque contingit Nos concedere licentiam ex certis cauſis aliquibus Curatis, ſeu Capellanis de reſidendo in Eccleſiis vel Capellis ſuis, intentio noſtra eſt, quod domus eorum ſubſtententur, & directæ teneantur. Quod ſi non fecerint, volumus, quod Decani locorum de fructibus dictarum Eccleſiarum, aut Capellaniarum faciant dictas domus, & teneant directas, & quod in his faciendis vigilent diligenter.

Martene & Durand. Collectio ampliſſima Veterum Monumentorum Tomo VII.

CONCILIUM ARGENTINENSE

SUB JOANNE I. EPISCOPO ARGENTINENSI,

Circa annum Chriſti MCCCXI. Clementis V. PP. VI. Henrici VII. Regis III.

JOANNES Ochſenſteinius (*a*) electus a Capitulo, in quatuor factiones diviſo, fuit ab Alberto Rege Clementi V. commendatus, & præ aliis inauguratus Argentinæ Epiſcopus circa A. 1307. magna ſapientia, religione, prudentia, ſacrarum literarum, & utriusque juris doctrina, liberalitate erga Deum & proximos, Eccleſiam commiſſam adminiſtravit.

Statuta non ſolum Provincialia Moguntinæ Metropoleos ſuæ (*fors ea anni* 1310.) Sacerdotibus ſuis patefecit & divulgavit, ſed & propria ſui Epiſcopatûs, quæ *Synodalia* vocantur, auxit, atque edidit, obſervarique præcepit. Curiæ & fori Epiſcopalis ritus reformavit, Advocatorum pretia taxavit. Hypocriſin & ſuperſtitiones, perverſosque ritus, & errores quarundam mulierculārum, quas *Beginas*, aut *Beguttas* appellant, ut bonus & vigilantiſſimus Paſtor extirpavit.

De iis in quodam *Statuto Provinciali* legitur: " Ut nulla de cætero ad ſtatum " *Beguttarum* admittatur, niſi quadrage- " ſimum ætatis ſuæ annum exceſſerit.

Wimphelingus in Catalogo Epiſcoporum Argentinenſium in vita hujus Joannis.

Ex quo Franciſcus Guillimannus in Commentario de Epiſcopis Argentinenſibus pag. 320.

(*a*) Joannes hic poſt laudatiſſimum Regimen Eccleſiæ ſuæ, & ejus ornamenta plura obiit anno 1328. Sedis anno XXV. VIII. Idus Novembris. Exſtant adhuc Divini & Pontificii Juris Volumina, in quibus manus hujus Joannææ Scripturæ indicatur in argumentum honeſtiſſimi ſtudii atque fervidæ lectionis. *Guillimannus.*



CONCILIUM MAGDEBURGENSE

Anno Chrifti MCCCXIII. Clementis V. Papæ VIII. Henrici VII. Reg. Roman. V.

BORCHARDUS, DEI GRATIA, MAGDEBURGENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, UNIVERSIS PRÆLATIS, TOTIQUE CLERO EJUSDEM PROVINCIÆ SINCERAM IN DOMINO SALUTEM.

SCriptum eft in Canone, quo dictum eft: *Seniores Provinciæ tuæ congrega, & eos interroga*; a Sacrofanctæ Romanæ Ecclefiæ Summo Pontifice, Beati Petri Apoftoli Succeffore, ad Metropolitanæ Sedis Antiftitem congrue emanavit: nam & ipfe, ficut olim a Sanctis Patribus dinofcitur inftitutum, cum fuis Suffraganeis, *annis fingulis Provinciale Concilium jubetur celebrare*, propter quod recte dictum eft ad eum: Seniores Provinciæ tuæ congrega; in quo quidem Concilio congregato de corrigendis exceffibus & moribus reformandis, præfertim in Clero habeat cum timore Dei tractatum, & maxime, quæ ftatuta funt juxta Canonicas Regulas, ut ea obfervari faciat, pœnam debitam transgrefforibus infligendo. Et ut hæc omnia confultius & falubrius peragantur, expedit ea fieri *Suffraganeorum fuorum approbatione & confilio* fibi in omnibus affiftente. Spectat nihilominus ad ipfius Metropolitani circumfpectionem & providentiam, juxta creditæ fibi difpenfationis officium, fubditorum commodis, profectibus, & quieti follicitudinis ftudium adhibere, præcipue laicorum quorundam, qui Clericis opido funt infefti, nunc antiquorum Statutorum declaratione & fuppletione, nunc vero novorum editione, prout poffibile fuerit, infultus & aufus nefarios reprimendo. Ipfi namque finibus fuis non contenti nituntur in vetitum, ad illicita fræna relaxant, Ecclefiarum Prælatis, Ecclefiafticisque perfonis, & rebus etiam earundem onera imponunt gravia, ipfasque vexationibus plurimis callidis frequenter aggravant & moleftant: propter quod contra hujusmodi præfumptores fumma fuadet neceffitas, gratia fuffragante Divina pro pace, quiete, ac utilitate publica falubriter providendum.

I. *De captivantibus Archi-Epifcopum, vel Epifcopum intra Provinciam, & eorum pœnis.*

Sacro igitur *approbante Concilio*, ftatuimus, & fanximus: quod fi quis deinceps

Burcardus dictus Lappe, nobilis Dominus de Querfurt, ex gente Schraplavia, anno 1307. die S. Catharinæ eligitur Archi-Epifc. Magdeburgi. Romam petiit & confecratus a Papa, Pallium impetrat. Anno 1308. initio Maji, Roma reverfus, XIV. Templarios ex fua Diœcefi ejicit, eorumque prædia occupat. Anno 1310. ab Henrico Rege VII. infeudatur de omnibus Regalibus feudis, & adminiftratione, ac jurisdictione pleniffima in Magdeburgenfem civitatem & Diœcefin: Primus habuit Suffraganeum in Pontificalibus Joannem de Bockerum, ex Priore Auguftiniano Epifcopum Coroniacenfem.

Anno 1312. a Clemente V. Brevi fcripto, jubentur Burchardus III. Magdeburgenfis, & Gevehardus Merfeburgenfis Epifc. Templariorum bona in Ballivia Brandenburgenfi transferre in Ordinem Johannitarum (*Lunig* Reichs-*Archiv Parte fpeciali Continuation. I. De Ordine Melitenfi vel Johannitarum*) tunc adhuc Rhodiorum Equitum. Cum urbe Magdeburgenfi novennio bellum geffit, anno 1314. a civibus captus: poft juratus liber dimittitur, folutus juramento a Papa, anno 1325. 29. Augufti iterum a civibus capitur, 21. Septembris vecte occiditur in carcere. Cædes anno integro tegitur: anno 1326. 1. Decembris exhumatur, & in fua Metropolitana Ecclefia fepelitur. Joannes XXII. Magdeburgenfes Banno conftrinxit: auctores cædis anno uno exilio urbis multati. Anno 1334. Joannes XXII. abfolvit interfectores Burcardi, tefte *Cl. Lentzen*, qui in ejus famam teterrima fcribit, etfi *Krantzius* & alii magnas & veras laudes Burcardo tribuant. *In Vandalia. Mencken Scriptores rerum Saxonicar. Tom. III. col.* 325. 394. *Tom. II. col.* 979.

ceps in hoc ſacrilegii genus nefandum irrepſerit, quod Archi-Epiſcopum, vel Epiſcopum Magdeburgenſis Provinciæ, intra Provinciam ipſam ceperit, ſeu captum detinuerit in eadem, vel ſocius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, aut conſilium dederit, vel favorem, eandem cum eo excommunicationis ſententiam incidat ipſo facto, ab omnibus arctius evitandus, accenſis candelis & pulſatis campanis per totam Provinciam, denuntietur excommunicatus, ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis, & ceſſetur nihilominus in pœnam ampliorem ipſius, in tota Provincia a Solemniis Divinorum.

II. *De captione vel detentione Archi-Epiſcopi, vel Epiſcopi, extra Provinciam commiſſa.*

Si vero Archi-Epiſcopi, vel Epiſcopi noſtræ Provinciæ captio vel detentio extra Provinciam committatur; ex tunc omnes Epiſcopi alii, & etiam Archi-Epiſcopus ipſe, ſi tunc captus fuerit, cum ſuis Capitulis infra XV. dies, aut etiam prius, ſi commode fieri poterit, poſtquam ad eorum notitiam de captione Archi-Epiſcopi, vel Epiſcopi pervenerit, Archi-Epiſcopum, vel Epiſcopum extraneum, in cujus Diœceſi detinetur captivus, requirere debent, ut exhibens conſilium & auxilium optimum in tota ſua Diœceſi ceſſare faciat a Solemniis Divinorum, omnibus aliis ſupradictis in noſtra Provincia obſervandis, tempore captivitatis hujusmodi in ſuo robore duraturis.

III. *De pœnis filiorum, & filiarum, ac poſterorum hujusmodi malefactorum.*

Cæterum, quia dignum eſt, ut propter enormitatem culparum, pœnarum modus exuberet, ſtatuimus: quod filii, & filiæ, & omnes eorum poſteri, qui, vel quæ uſque in quartam generationem per rectam lineam tam maſculinam, quam fœmininam a prædictis malefactoribus deſcendere dignoſcuntur, in nulla Eccleſiæ noſtræ Provincia ad beneficium aliquod Eccleſiaſticum, ante præſtitam ſatisfactionem debitam & congruentem aliqualiter aſſumantur.

Et, ne in oblivionem veritas veniens vagetur in terra, ſtatuimus, ut nomina prædictorum Epiſcopo loci tradantur per ipſum ſcripturæ memoriæ perhennanda, qui etiam talium nominum copiam ad alios transmittat Epiſcopos.

IV. *De pœnis ſpoliantium res Eccleſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum.*

Quia non ſolum ſacrilegi a jure cenſentur, qui in perſonas Eccleſiaſticas manus mittunt temere violentas, verum etiam & illi, qui res Eccleſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum ſpoliant, diripiunt, & invadunt; præſenti conſtitutione ſanximus, quod ſpoliatores & invaſores hujusmodi, ſi, legitima monitione præmiſſa, de damnis & injuriis irrogatis, infra terminum competentem ad hoc aſſignatum, eisdem ſatisfactionem competentem exhibere contempſerint, excommunicationis vinculo conſtringantur.

V. *De pœnis laicorum Eccleſias incaſtellantium.*

Quia jura Canonum Eccleſias incaſtellari a laicis vetuerunt, Nos volentes prohibitionem eandem pœnarum adjectione juvare, ſtatuimus: quod ſi qui laicorum ipſas incaſtellare, & de ipſis propugnacula facere non formidant, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrant, & terræ ipſorum, ſi quas habent, vel locus, in quo de jure, vel de facto jurisdictionem exercent, Eccleſiaſtico ſit ſuppoſitus interdicto.

VI. *De facientibus ſtatuta contra Eccleſiaſticam libertatem.*

Inſuper ſtatuimus: quod omnes, qui Statuta facere, edere, vel mandare ſervari præſumpſerint in derogationem, ſubverſionem, & conculcationem Eccleſiaſticæ libertatis, & præcipue munera ſacro Altari offerre volentium, ſuis ſtatutis illicitis reſtringentes, excommunicationis ſententiam incurrant, niſi infra menſem ſuper hoc moniti talia ſtatuta omnino revocent, & faciant removeri nullo unquam tempore valitura.

VII. *De pœnis Clericorum, & Monachorum frequentantium tabernas, & abjicientium habitum & tonſuram.*

Cum Clerici debeant non ſolum interiore, ſed etiam exteriore ornatu fulgere, præſentis approbatione Concilii prohibemus: ne quis Clericus, vel Monachus

chus tabernas frequentare præſumat, vel habitum, vel tonſuram congruentem & debitam portare contempnat, quia huic ornatui, qui in ipſis nitere debet videretur non modicum adverſari; transgreſſores vero prædictorum ingreſſu Eccleſiæ ſuſpendantur, & hi, qui contra tonſuram decentem delinquerint, redditus ſuorum beneficiorum non recipiant.

VIII. *De facienda computatione per Eccleſiarum Proviſores.*

Inſuper ſtatuimus, quod laici, Eccleſiarum Parochialium Proviſores, qui Altermanni vulgari vocabulo nuncupantur, de rebus Eccleſiarum, quas receperunt & expenderunt ad requiſitionem Rectoris Eccleſiæ, quem ad hanc in virtute ſanctæ obedientiæ duximus adſtringendum, bis in anno in præſentia honeſtiorum virorum, rationes reddere teneantur.

IX. *De revocatione Statutorum Provincialium præſcriptis ſtatutis habentia adverſa.*

Poſtremo præcipimus & mandamus, ut nulla ſtatuta alia a noſtris Prædeceſſoribus in ſuis Conciliis promulgata, ſi ſtatutis noſtris præmiſſis reperiantur contraria, vel adverſa, quisqam recipiat, vel ſecundum ea judicet. Per hoc nihilominus ſtatuta alia, ſi quæ fuerint, minime revocantes.

Datum Magdeburgi in Concilio Anno Domini MCCCXIII. Nonas Martii.

Ex codice MS. Eccleſiæ Metropolitanæ Moguntinæ deſcripſit Cl. Schannatus.

CONCILIUM HERBIPOLENSE
SUB ANDREA EPISCOPO
A.C. MCCCXIV. XVI. Kal. Junii. Sede Roman. vac. Henrici VII. Regis VI.

ANDREAS, DEI GRATIA, HERBIPOLENSIS EPISCOPUS &c.

VEſtigiis Prædeceſſorum noſtrorum inhærentes, ad animarum ſalutem & Cleri emendationem ampliandam, de conſilio Prælatorum, & Capituli Eccleſiæ noſtræ, quædam in præſenti *Synodo* duximus ſtatuenda, quæ a vobis omnibus ac ſingulis diligenter inantea volumus obſervari.

I.

Prohibemus itaque, quod nullus habeat plures Vicarias; quia cum Vicarii teneantur Eccleſiis perſonaliter deſervire, alienum eſt ab ordine juris, ut Vicarius Vicarium præſumat ſubſtituere quoquomodo; nam taliter ſubſtitutus non Paſtor, ſed mercenarius, cujus non ſunt oves propriæ, potius eſt cenſendus, qui videns lupum fugit, & dimittit oves quas lupus rapit miſerabiliter, & diſpergit. Sane cum majoribus honoribus functos, inferiores recipere non ſit decus, prohibetur: quod nullus Paſtor cujuscumque Eccleſiæ exiſtens, ſe de regimine Vicariæ aliqualiter intromittat, niſi noſtrâ licentiâ hoc fiat, & cauſa rationabilis id expoſcat.

I I.

Quia nonnulli Sacerdotes curati Diœceſis noſtræ in mittendo Parochianos ſuos in Cœna Domini Herbipolim ad noſtram præſentiam, ſunt per omnia deſides & remiſſi, ſtatuimus & præcipimus eis in virtute ſanctæ obedientiæ, ut in omnem eventum ipſos Parochianos ad diem & locum prætactos transmittere non obmittant.

I I I.

Conſuetudini generali, quæ eſt optima Legum interpres, in civitate & Diœceſi noſtris hactenus inconcuſſe ſervatæ, Nos conformare volentes, ſtatuimus: quod funus quodlibet apud alienam Eccleſiam ſepeliendum, prius ad Parochialem deportetur; nam ſicut funeratus a priore Sacerdote Curato, dum viveret, Eccleſiaſtica Sacramenta recepit, ſic congruum eſt & honeſtum, ut habendo Miſſam in propria Eccleſia, ultimum vale recipiat ab eadem.

IV.

I V.

Eleemoſynarum Quæſtores, terminum audaciæ ſuæ ponere neſcientes, ſed ut facultates uno die exhaurire valeant plurimorum, de & ſuper litteras quorundam Prælatorum recipiunt & extorquent *viſionis*, Nos, ſub excommunicationis pœna latæ ſententiæ præſenti Edicto irrefragabiliter inhibemus: ne deinceps Quæſtores quicumque ad petendum eleemoſynas in Eccleſiis & locis quibusvis admittantur, neque promoveantur, niſi veras ac originales (*a*) ſententiam, quam ex nunc in hujusmodi transgreſſorem ferimus, per præſentes incurrere volumus ipſo facto, ſalvis nihilominus aliis pœnis a jure ſtatutis contra tales. Sic quoque, ut firmiter ſperamus, minores, Divina ſuffragante clementia, de theſauris & divitiis ad eos ab eorum parentibus delatis, in egeſtatum miſerias, citra ipſorum vitium, de cætero, ut hactenus lamentabiliter contigit, non dilabentur.

Hoc ſtatutum pro utilitate minorum inductum, per Plebanos locorum annis ſingulis, pluribus diebus Dominicis in theutonico, in ambonibus Eccleſiarum ſuarum ad populum publicetur.

V. *De Jure jurando.*

Statuitur contra conſpiratores: quod Clerici, Monachi, & Canonici univerſi, qui colligationes, ſeu confœderationes ullas fecerint, fidei vel juramenti cautione interpoſita, ſive in Electionibus faciendis, ſive in aliis quibuscumque negotiis, contra ſanctiones Canonicas, excommunicati ſint, nec ex confœderatione hujusmodi debet aliquis obligari.

VI. *De Jure Patronatus.*

Item prohibemus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſub obteſtatione Divinii Judicii, ne Sacerdotes & aliæ Eccleſiaſticæ perſonæ, a Patronis Eccleſiarum ad Eccleſias Parochiales vacantes, nomine & vice alicujus minoris, impuberis, vel alterius, ætatem legitimam non habentis, ſe faciant pro veris Rectoribus præſentari; quia ab iſto execrabili abuſu, qui irrepſit proh dolor! in noſtra civitate & Diœceſi, (ut accepimus) Eccleſia Dei, & animæ Fidelium damnabiliter decipiuntur; &, præter alia mala, quæ ex his pullulant, ipſa Eccleſia inficitur ſimoniaca pravitate; qui quidem ſic inſtituti (apud Laicos *Karthentreger* vulgariter nuncupantur) & qui hactenus præſentati ſic fuerant fraudulenter, eas Parochias a ſe abdicent & reſignent, quod eis ſub prædicta pœna firmiter præcipimus per præſentes.

VII. *De Divinis Officiis.*

Ad decorem Domus Domini, & ad cultum Divini Officii ibidem ampliandum, & ut Chriſti Fideles ad Divinorum Officiorum frequentiam ac etiam devotionem ſalubrius invitentur, ſtatuimus, & ordinamus, & nihilominus Curatis Sacerdotibus in virtute ſanctæ obedientiæ injungimus, quod ipſi de cœtero in Eccleſiis ſuis, debitis horis cottidie, pulſato campanæ ad hoc ſigno, non in cameris, ſtubis, ſeu aliis locis (ut nonnulli ex eis hactenus facere ex acedia conſueverunt) ſaltem Matutinum, & Veſpertinum Officium dicant, cum commode fieri poterit: niſi eos quandoque inevitabilis neceſſitas, ſeu impedimentum legitimum ab hoc retrahat & excuſet: quia ex iſto abuſu plures libri Eccleſiarum hujusmodi furto aſportantur, ac etiam locis præhabitis deteriorantur graviter ipſi libri: alioquin ad ſolutionem librorum, ſic perditorum, & deterioratorum, juxta modum præhabitum, dicti Plebani tenebuntur, & nihilominus ſuper eo legitime puniantur.

VIII.

Item aliquam Eccleſiæ noſtræ, Matris veſtræ, conſuetudinem, quæ retro temporibus in deſuetudine negligenter abiit, innovare volentes, ſtatuimus, imo etiam omnibus Clericis Civitatis, & Diœceſis, maxime Curatis præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ in his ſcriptis: ut in Ordine & in Officio Divino, & in Feſtorum mobilium, dierumque celebrium indictione, Dominicalium quoque Hiſtoriarum expoſitione, jejuniorum publicatione & obſervatione, quoad ſe, & ſubditos ſuos, in omnibus ipſi noſtræ Eccleſiæ ſe ſe conforment, quem Divinum Ordinem in ſcriptis a Succentore Eccleſiæ noſtræ de cætero in perpetuum ſingulis annis recipere debebunt, diem etiam Sancti Kiliani, & Dedicationis ejusdem Eccleſiæ ſolempniter cele-

(*a*) *Supple:* Literas acceptæ facultatis exhibuerint; ſin,

celebrent: eisdem diebus, & in ſeptimana Pentecoſtes, cum plebibus ſuis eandem Eccleſiam noſtram devote viſitent Eccleſiarum Plebani, qui, & quorum Prædeceſſores, ab antiquis temporibus hoc facere conſueverunt. Ipſi quoque Plebani, in diebus Patronorum, & Dedicationis Eccleſiarum ſuarum, ſolempnes ferias cum plebe ſua teneant, & obſervent.

Item in die Dedicationis Eccleſiæ noſtræ, quæ occurrit *in die Columbani*, Divinum Officium Plebani locorum Diœceſis noſtræ, de Maryribus peragant, & obſervent.

Item Anniverſarium Reverendi Domini Brunonis, quondam Epiſcopi Herbipolenſis, per noſtros ſubditos civitatis, & Diœceſis noſtræ, *Sabbato poſt diem beati Urbani*, quo feliciter diem extremum clauſit, peragi præcipimus, juxta conſuetudinem, humiliter & devote.

IX.

Præcipimus inſuper, quod ſingulis annis Sacerdotes Curati, *in Cæna Domini*, vaſa munda *Herbipolim* transmittant ad recipiendum in eis Criſma & Oleum ſanctum, quæ quidem vaſa debent eſſe debitis characteribus conſignata.

X. *De Sponſalibus & Matrimonio.*

Statuimus: ut nullus, cujuscumque conditionis exiſtat, viros, ſeu mulieres, per vim, coactionem. . . . .

. . . . *Hiatus* . . . .

XI. Si, ſede Epiſcopi vacante, Capitulum in Spiritualibus negligenter & perperam adminiſtret, Archi-Epiſcopus ob negligentiam vel violentiam Capituli, eo vocatus, tunc ſuper hoc cognitione præmiſſa, Viſitatorem, ſeu Adminiſtratorem eidem Eccleſiæ licite poterit deputare.

Cum evidens eſt Epiſcopi ſententiam eſſe injuſtam vel indiſcretam.

XII. Cum viſitat Provinciam, poteſt litteras remiſſionis peccaminum concedere.

XIII. Cum viſitat, poteſt Suffraganeorum ſubditorum confeſſiones audire, abſolvere, ac pœnitentias injungere.

XIV. Cum ad eum defertur quæſtio per conſultationem.

XV. In his, quæ tangunt totam provinciam communiter.

XVI. Quoad Congregationem ſacram Concilii Provincialis, & quæ ibi aguntur & ſtatuuntur.

XVII. In injuriis notoriis ſibi, vel Familiæ ſuæ, vel ſuis Nuntiis, cum viſitations exerceret officium irrogatis.

XVIII. Ratione privilegii ſibi a Papa conceſſi.

XIX. Si inter Epiſcopum, & Capitulum ſuum fiat contractus aliquis ſuper rebus immobilibus, tunc, ne Epiſcopus poſſit eſſe autorizator in re propria.

XX. Quando Epiſcopus recuſatur tanquam ſuſpectus, vel alia de cauſa mittit ei partes, & refert totam cauſam.

XXI. Ratione conſuetudinis, dummodo rationabiles ſint & præſcriptæ.

Datum *Herbipoli* Anno Dom. Incar. MCCCXIV. XVI. Kal. Junii.

Ex Schedis Joannis Gamans Soc. Jeſu deſcripſit Cl. Schannatus.

CONCILIUM CAMERACENSE

ANNO DOMINI M.CCC.XV.

Titulo de executione Statutorum Synodalium.

Quia plerumque ex dilata executione Mandatorum vel Statutorum noſtrorum Synodalium ſcandala provenerunt; ſtatuimus, mandamus, & præcipimus, ut ubicunque per Statuta noſtra Synodalia ceſſandum fuerit à Divinis, ceſſetur ibidem juxta Statuta prædicta, absque alterius Noſtri, vel Officialis noſtri Cameraçenſis expectatione mandati.

In

In titulo: De exequiis Mortuorum, & ea tangentibus.

In paragrapho: *Sunt in terris Ecclesiæ ab ipsis excultis*, &c post verba: *decedant inter festa*, addimus ista: *vel in aliqua alia parte anni, dum tamen fructus aliquos non perceperint.*

Item denuntiantur excommunicati, auctoritate Concilii Provincialis. . . . . .

Item titulo de Matrimonio.

Quia in quibusdam partibus nostræ Cameracensis Diœcesis, quod dolentes referimus, nonnulli tam viri, quam uxores simul matrimonialiter copulati, ad suggestionem diaboli, qui semper in hoc mundo parat discordias, & non cessat zizania seminare, Christique fideles ab unitate fidei separare, ex qua volunt displicentia, seu discordia sua, temeritate propria & absque Ecclesiæ judicio contra præceptum Domini & Apostolicas sanctiones se se ab invicem separare, & dividunt de facto, divortium inter se ad sui libitum celebrando, viri scilicet dimissis suis uxoribus propriis alias uxores, etiam viris aliis conjugatas, & uxores alios viros sibi damnabiliter associant & conjungunt, alter alteri in domo, loco, & aliis, quasi vir & uxor conjugati, penitus adhærendo, & in Dei, & Ecclesiæ scandalum publice, & luxuriose vivendo. Nos ergo tantis in Ecclesia Dei scandalis, tantisque erroribus, & subditorum nostrorum animarum periculis, prout ex debito tenemur officii, occurrere cupientes, statuendo præcipimus, ne aliqui de cetero tam viri, quam uxores, absque Ecclesiæ judicio sese ab invicem separent, aut dividant causa divortii inter eos faciendi. Qui vero contrarium fecerit, in excommunicationis sententiam, quam in ipsos ferimus, incidant ipso facto.

Item Titulo de Testamentis.

Quia in quibusdam villis nostræ diœcesis Cameracensis, sunt nonnulli laici, tam Judices, quam non judices, asserentes, & sustinere nitentes ultimas decedentium voluntates, ac eorum testamenta non aliter valere, tenere, aut habere roboris firmitatem, nisi in prædictorum confectione Scabini loci, aut saltem duo de ipsis præsentes intersuerint ad hoc vocati specialiter, & rogati, asserentes secundum usum suum, quem prætendunt, quod per alios testes, quam Scabinos, probari non valeat ultima dispositio testamentorum. Nos igitur attendentes, quod prædictus abusus evidenter est contrarius rationi, quodque per prædictum abusum, si non tolleretur, de cetero prædictas defunctorum voluntates sæpe & sæpius indebite contingeret irritari; statuendo præcipimus, ne quis occasione abusus hujusmodi prædicta defunctorum testamenta, aut eorum voluntates ultimas, aliter tamen rite factas, impedire aut impugnare præsumat. Qui vero contrarium fecerit, in excommunicationis sententiam incidat ipso facto.

Item eodem titulo.

Item, quia in quibusdam locis & villis nostræ Cameracensis Diœcesis, nonnulli laicalis justitiæ asserunt, & sustinere nituntur, quod secundum usum suum legata & donationes causa mortis, quas faciunt decedentes, non valeant, nec habeant roboris firmitatem, nisi testator de lecto mortis consurgens, extra domum, in qua jacet, per XL. pedum spatium pedes vadat, & ibidem de bonis suis ordinet & disponat: Sunt etiam aliqui laici Judices asserentes, quod non valent, nec tenent legata, donationes, & eleemosynæ defunctorum, nisi de datis & relictis testator in vita sua, propria manu legatorum, & donatorum propriam possessionem tradiderit, & saisinam, ad iniquitatem suam, & malitiam tollendam quemdam abusum nefandissimum, pro consuetudine prætendentium; (*a*) Nos igitur attendentes, quam piæ, quam favorabiles sunt ultimæ voluntates, ex quantoque cupiditatis & malitiæ fomite (*b*) sumpserit fundamentum, statuimus, ut legata, donationes, & eleemosynæ defunctorum valeant, & teneant, sive in lecto mortis, sive in domo facta fuerint, etsi de prædictis datis, & legatis, legatorum & donatorum in vita sua possessionem non tradiderit, vel saisinam, dicto abusu contrario non obstante, dum tamen non supersit alia causa legitima, propter quam possint, & debeant impugnari: inhibentes, ne quicumque Judices occasione dictorum abusuum, vel

(*a*) *forte:* prætendentes. (*b*) *Supple:* hæc prætensio.

vel alicujus eorumdem, dicta legata, aut legationes fraudulenter impediant, aut impugnare præsumant. Qui vero contrarium facere præsumpserint, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto.

Item præcipimus & mandamus firmiter injungendo omnibus, & singulis Parochialium Ecclesiarum Curatis Cameracensis Diœcesis, ut hæc statuta, in hac sancta Synodo facta per nos, singulis diebus Dominicis in Ecclesiis suis coram populo in materna lingua publicent, & exponant. Qui vero in his exequendis repertus fuerit negligens, vel remissus, pro sua negligentia graviter se sentiat puniendum.

Excommunicatos a Canone nuntiamus eos, qui exemti, & non exemti, interdicti tempore, in casibus non concessis a jure, vel excommunicatos publice, vel nominatim interdictos, vel usurarios manifestos, scienter in cimiteriis fuerint ausi sepelire.

Item titulo de Matrimonio.

Excommunicatos a Canone nuntiamus eos, qui in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis ac matrimonii constitutionem (a) Canonice prohiberi scientes, contrahere non verentur, quorum nomina per Curatos locorum, ubi moram trahunt, cum ad ipsorum notitiam pervenerint, notificari volumus absque mora, ut contra tales, prout justum fuerit, procedere valeamus.

Item titulo de sententia excommunicationis.

Excommunicatos a Canone nunciamus omnes & singulos Religiosos, tam exemptos, quam non exemptos, qui in civitate Cameracensi, villis, aut castris nostræ Cameracensis Diœcesis, in quibus Cathedralem, vel Matricem loci Ecclesiam auctoritate statutorum Provincialium vel Synodalium interdictum, seu cessationem sciverint observari in suis . . . . *hic laceratum est unum folium.*

(a) *forte*: constitutos canonice

. . . . . ab illo statuto, quod incipit: *Item Sacerdotes excommunicent, & nuntient excommunicatos omnes illos, &c.* illa verba *: excommunicatos denuntient*, subtrahimus, & post illa verba in fine dicti statuta contenta : videlicet *publice vel occulte statuendo*, addimus hæc verba: Quos etiam extunc ipso facto excommunicamus, nec non omnes, & singulos consilium, auxilium, mandatum, aut favorem dantes circa conspirationem hujusmodi, sub qua, & per quam intelligimus, & declaramus contineri alligationes, confœderationes, ac durationes expensarum, seu casuum contributiones.


Item titulo de executione Statutorum Synodalium.

Nonnulli Presbyteri, & Capellani scientes, seu scire debentes, se teneri ad observationem Statutorum Synodalium, Statuta hujusmodi in causa cessationis non observant, sed potius statutis hujusmodi spretis, & contemtis, ignorantiam in hoc casu affectantes, seu fingentes, celebrare, ubi cessari debet, & aliter, quam de jure est permissum, scienter præsumunt. Nos cupientes contra hæc statuendo adhibere remedium optimum, tales ipso facto, extunc a Divinis suspendimus; & si suspensi hujusmodi per sex dies non se abstinuerint, excommunicamus eosdem, & excommunicatos mandamus publice nuntiari.

Item eodem titulo.

Absolutionem, seu relaxationem a sententia excommunicationis, suspensionis, seu interdicti, in dictis statutis antiquis, vel novis contenta, si quis eas incurrerit, Nobis, aut Episcopo Cameracensi, seu ejus locum tenenti, aut Officiali Cameracensi specialiter, præterquam in mortis articulo, reservamus.

Martene & Durand Veterum Scriptorum & Monumentorum amplissima Collectio Tomo VII. pag. 1350. - 1352.



CON-

CONCILIUM CAMERACENSE A. MCCCXVI.

Statuta facta anno MCCCXVI. prima die menſis Octobris in Eccleſia Cameracenſi.

QUoniam pro funeribus, quæ in exequiis defunctorum apportantur, antequam fiant exequiæ, a nonnullis fiunt illicitæ pactiones, Eccleſiis, atque perſonis Eccleſiaſticis damnoſæ, inhibemus præcipiendo in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis, ne de cætero pactiones fiant de ipſis funeribus, antequam ipſæ exequiæ factæ fuerint, & corpus, pro quo fiunt, traditum ſit Eccleſiaſticæ ſepulturæ.

Item denunciamus excommunicatos a *Canone* omnes illos, qui ſervant, & ſervari faciunt ſtatuta edita, & conſuetudines introductas contra Eccleſiæ libertatem.

Item ſtatuimus deſcriptores ſtatutorum ipſorum, nec non Scabinos, Rectores, & Conſiliarios locorum, ubi de cetero hujusmodi ſtatuta & conſuetudines editæ fuerint & obſervatæ, nec non eos, qui ſecundum ea præſumpſerint judicare, excommunicatos eſſe.

Martene vet. Monument. ampl. Collectio Tom. VII.

CONCILIUM MONASTERIENSE

SUB LUDOVICO EPISCOPO, Primum A. 1317. Fer. II. poſt Lætare, Alterum A. 1318. Fer. II. poſt Gereonis.

Anno Chriſti MCCCXVII. Joannis XXII. Papæ II. Ludovici Bavari Regis IV.

Statuta Reverendi in Chriſto Patris ac Domini, Domini LUDOVICI, *Monaſterienſis Epiſcopi, feliciter incipiunt.*

LUDOVICUS, DEI GRATIA, MONASTERIENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS, DILECTIS IN CHRISTO ABBATIBUS, PRIORIBUS, DECANIS, PRÆPOSITIS, ARCHI-DIACONIS, ECCLESIARUM ET CAPELLARUM RECTORIBUS, ET ALTARIUM, NEC NON UNIVERSO CLERO NOSTRÆ CIVITATIS ET DIOECESEOS MONASTERIENSIS SALUTEM IN EO, QUI OMNIUM VERA SALUS EST.

PRæcipimus Sacerdotibus ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, ut cum viſitant infirmos cum ſacro Corpore Dominico, vel etiam pro extrema Unctione facienda, decenter incedant, & reverenter, & ſuperpelliciati ſaltem in domo, in qua Sacramentum hujusmodi debilibus adminiſtrant, vel aliquomodo ſine ſocio, & dato ſigno campanulæ hujusmodi Sacramentum non deportent, niſi evidens periculum morientis aliud expeteret faciendum, etiam duas Hoſtias

Ludovicus, ex Landgraviis Haſſiæ, a Clemente V. Papa electus & confirmatus A. 1309. Epiſcopus Monaſterienſis XXXV. introductus in poſſeſſionem Principatus ab Ottone, Cliviæ Comite, avunculo ſuo. Sedit annos 49. Mortuus A. 1357. die S. Agapeti. XV. bella geſſit, & creditam ſibi Diœceſin pacificavit. V. *Stangenfelt Annal. Weſtphal. Lib. III. pag.* 404.

Filius erat Henrici condicti pueri, Ducis Brabantiæ, & Patris omnium Landgraviorum Haſſiæ, ex ejus 2da uxore Mechtilde, filia Theodorici, Comitis VIII. Cliviæ, 4. fratrum & 7. ſororum frater. Bellicoſus quidem, at Literatorum magnus Patronus, Diœceſin ſuam pacatiorem & mitiorem reddidit laudatiſſimus Princeps.

ſtias ad minus ſecum deferent, cum infirmis Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtrent, ne populus fidelium idololatriam incurrens, credat in pixide Corpus Domini contineri. Cæterum, ut Clericorum mores & actus in melius reformentur, ſtatuimus, ut continenter & caſte Clerici vivere ſtudeant, univerſi præſertim in ſacris Ordinibus conſtituti ab omni vitio libidinis præcaventes, quatenus in conſpectu Dei omnipotentis puro & mundo corde valeant miniſtrare: manifeſtam itaque cohabitationem Clericis ſub diſtrictione firmiſſime prohibemus. Item Clerici officia, vel commercia ſæcularia, maxime inhoneſta, non ſtudeant exercere. Item præcipimus omnibus Clericis, ut ſe, prout onus Beneficii ſui requirit, infra tempus a jure conceſſum faciant, ſi potuerint, vel valuerint, ordinari. Item ſtatuimus, & mandamus, ut Clerici cum habitu incedant ſecundum ſacrorum Canonum inſtituta, nec veſtes diſſolutas, utpote auro vel argento in pectoralibus, manicis, vel alia quacunque ſui parte, deferant confibulatas, vel alias abuſive, & contra Clericalem decentiam deornatas: calceos etiam inciſos, & perforatos ferro vel alio inſtrumento ad hoc apto, vel inſtar laicorum, non deferant quoquomodo: & coronam in capite, per quam inſigne decus Clericalis militiæ eluceſcit, more debito & conſueto raſam absque aliqua palliatione deferant in aperto: cum moribus hujusmodi, quaſi communis in Clero irrepſerit devotio, & ideo neceſſe eſt invigilare curioſius circa ipſum. Omnibus igitur & ſingulis Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, ac Prælatis quibuscunque noſtræ civitatis, & Diœceſis Monaſterienſis, quocunque nomine cenſeantur, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis diſtricte præcipiendo, mandamus, quatenus omnes veſtros ſubditos moneatis, quos etiam Nos monemus per præſentes, ut ab hujusmodi ſe abſtineant infra menſem, ac Clericaliter incedant habitu & tonſura: contrarium facientes Eccleſiaſtica cenſura compeſcatis, alioquin veſtram ſupplentes negligentiam per Nos, vel Officialem noſtrum contra vos & tales diſtrictione, qua convenit, procedemus. Item præcipimus, & provide ordinamus, ut campanarii, ſeu cuſtodes Eccleſiarum ſint litterati, ita ut cum Plebano cantare valeant tempore oportuno, nec de cætero ſine Rectoris Eccleſiæ conſilio vel aſſenſu aliqui ad officium hujusmodi aſſumantur.

Item, quod propter indiſcretam abſolutionem, quam in articulo mortis nonnunquam Sacerdotes incaute impendunt, ab excommunicationis ſententiis abſolvunt homines ſine juris proceſſu, pericula proveniunt animarum, & multarum inſurgit perplexitas quæſtionum; circa hoc taliter duximus ſtatuendum, ut nullus Sacerdotum de cætero excommunicatos pro manifeſta offenſa, ut puta, de qua in jure confeſſus, vel convictus, ſeu per ſententiam condemnatus, vel alias adeo eſt notoria per facti evidentiam, quod nullius poſſit tergiverſatione celari, niſi in articulo mortis abſolvere non præſumat, niſi ſatisfaciant de offenſa, vel ſatisfaciendi præſtent pignoratoriam, ſeu fidejuſſoriam cautionem, vel in eorum defectum juratoriam, quæ, cum refutetur, ubi conſtat ad ſolvendum bona aliqua mobilia, vel immobilia poſſidere. Sed potius cum approbatione & conſenſu hæredum, & cohæredum, ſi commode haberi poſſint, qui ſi conſenſum negarint, ſaltem per abſolvendum, quantum in eo eſt, ipſi læſo vel offenſo, ſi præſto fuit, vel ad manus Presbyteri eorum nomine obligentur: cum experientia, quæ efficax eſt rerum magiſtra, didicimus aliquos in fraudem creditorum, vel per injuriam offenſorum, a ſe abdicaſſe omnia bona ſua, ſeque ſic non poſſe ſatisfacere, nec cavere juramento damnabiliter mentientes. Pro contumacia vero excommunicati de parendo juri ſimiliter præbeant cautionem. Nullus etiam Sacerdotum manifeſtos raptores, maxime propter hoc excommunicatos, (quamvis non habentibus, unde ſatisfaciant, vel cavere non valentibus, ut ſuperius eſt præmiſſum, Sacramentum Euchariſtiæ non negent) ad terrorem aliorum, & in deteſtationem tanti criminis, Nobis, & Officiali noſtro inconſultis, (a) non admittat ad Eccleſiaſticam ſepulturam: nec pro aliquo jure ſibi debito, vel propter injuriam, vel ſimultatem, vel etiam alicujus laici inhibitionem absque Superioris auctoritate Sacerdotes ſuis ſubditis negent Pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ Sacra-

(a) *forte*: non, *omittendum*.

cramentum. Item meminimus alia nos ſtatuta contra manifeſtos uſurarios ediďiſſe, ex quibus, quia rarus aut nullus fructus hucusque provenit, hæc dictis ſtatutis duximus annectenda, & etiam delaranda: mandantes, ut nullus Sacerdos manifeſtis uſurariis in vita, vel in morte beneficium abſolutionis impendat, niſi illis, quibus eſt reſtitutio facienda de uſuris extortis ſatisfaciant pro ſuarum virium facultatum, vel de ſatisfaciendo pignoratoriam, vel fidejuſſoriam, ſi præſto ſint, vel illam, quam ab eis acquirere poſſint, & in eorum defectu Sacerdoti exhibeant cautionem. Manifeſti vero uſurarii ſunt cenſendi, qui de hoc in jure confeſſi fuerint, vel convicti, ſeu per ſententiam condemnati, aut in ſancta Synodo accuſati ſuper hoc, vel a judice ſuo impetiti ſuper hoc, infra terminum competentem ſe de hoc legitime non purgaverint, ſeu defecerint in purgando. Monemus etiam Archi-Diaconos, vel alios Prælatos Eccleſiaſticos, quibus de officio ſuo competit hoc, ut ad extirpandum ſcelus tam execrabile, quod hominum facultates devorat, & exhaurit, tanto ſtudioſius invigilent, quanto damnabilius relinquitur incorrectum. Qui vero contra præmiſſa, vel aliquid præmiſſorum illud eſt (*b*) ſit reſervandum, proinde duximus ſtatuendum, ut laici ſe de cætero de talibus non intromittant absque conſilio, & conſenſu Rectorum Parochialium Eccleſiarum, volentes, quod duo viri honeſti & idonei in ſingulis Eccleſiis Parochialibus Rectori Eccleſiæ adjungantur, qui ſingulas claves habentes cum Plebano, oblationes univerſas ad luminaria, vel ad fabricam pertinentes, in una arca concludent, & de ſimili conſenſu, aſſumptis ad hoc, cum opus fuerit, de Parochiis aliquibus providis & honeſtis facturi, prout expedire viderint utilitatibus & neceſſitatibus Eccleſiarum. Inſuper prohibemus ſub inſinuatione maledictionis æternæ, ne laici de cætero in Eccleſiis, cemiteriis, aut plateis publicis truncos, aut imagines ratione queſtus ponant, vel deferant cum tabulis circumeuntes, queſtum congregantes absque conſilio, voluntate, & ordinatione Rectorum Parochialium Eccleſiarum, niſi taliter conquiſita in uſus & utilitates Eccleſiarum convertantur, de quibus omnibus tam receptis, quam expoſitis, Rectores Eccleſiarum cum Magiſtris fabricarum ſingulis annis *in Synodo Quadrageſimali coram Archi-Diaconis* ſuis teneantur reddere rationem, de qua computatione Archi-Diaconi nihil emolumenti ſibi poterunt vendicare. Qui vero contra fecerint, ſi perſonæ fuerint ſæculares, excommunicationis ſententiam; ſi vero Collegium, vel Univerſitas civitatis, vel caſtri, vel loci alterius, cujuscunque ipſa civitas, caſtrum, vel locus, interdicti ſententiam ipſo facto incurrant. Monitione tamen canonica præmiſſa, nec ab excommunicatione hujusmodi abſolutionem, vel interdicti relaxationem obtineant, donec de transgreſſione competenter ſatisfecerint. Item, ne Clerici noſtræ Civitatis vel Diœceſis vanitatis, vel levitatis, ac indevotionis ſigna prætendere videantur, ipſis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis diſtricte prohibemus, ne rubeas veſtes, ſeu rubeos pileos, aut capillos, aut crocei coloris ammodo portare præſumant: quod niſi infra octo dies hujusmodi habitum mutent, eum de cætero nullatenus portaturi, contra tales utpote rebelles diſtrictius procedemus. Item, quia gravis & damnoſa querela noſtris auribus aſſidue inculcatur de eo, quod multi tam Clerici, quam laici, qui *lætantur, dum malefaciunt, & in rebus peſſimis gloriantur*, noctem vertentes in diem, vagantur per plateas, domos, & hoſpitia, & habitacula mulieircularum frequentantes; cum ad eas cauſa explendæ libidinis non patet introitus, vel acceſſus, domos, hoſpitia, & habitacula hujusmodi jactu lapidum hoſtiliter invadentes, ipſas mulierculas, ac alios homines, cum quibus cohabitant, diffamant, ac multipliciter moleſtant, & perturbant, unde de cætero ſub pœna excommunicationis diſtrictiſſime id fieri prohibemus. Qui vero præmiſſas inhibitiones animo petulanti contempſerit, diem ultionis, & noſtræ potentiæ non immerito acrimoniam poterit formidare. Datum, actum, & pronunciatum *in noſtra Sancta Synodo*, Anno Domini Milleſimo CCC, XVII. Feria ſecunda poſt Dominicam *Lætare*.

(*b*) Latet hic mendum in impreſſo, nec cohærent proxima prioribus.

Aliud Statutum ejusdem.

LUDOVICUS, DEI GRATIA, MONASTERIENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS, PRÆPOSITIS, DECANIS TAM RELIGIOSIS, QUAM SÆCULARIBUS, NEC NON UNIVERSIS ECCLESIARUM RECTORIBUS, ET CLERICIS, ORDINIS, SEU STATUS CUJUSCUNQUE NOSTRÆ CIVITATIS ET DIŒCESIS MONASTERIENSIS, AD QUOS PRÆSENTES LITERÆ PERVENERINT, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

Quamvis secundum sacrorum Canonum instituta, injector ausu temerario venire præsumpserit, Divinæ ultionis, & nostræ acrimoniam non immerito poterit formidare. Actum, & statutum, & pronunciatum anno Domini Millesimo CCC. decimo quinto, Feria secunda post Dominicam *Lætare.*

Impressa Monasterii A. 1486. *recudit Lunig Continuatio II. Spicilegii Ecclesiastici pag.* 802.

CONCILIUM MONASTERIENSE
ANNI MCCCXVIII.

Statutum ejusdem Ludovici Episc. Synodi secundæ anni 1318. *Feria II. post Gereonis.*

LUDOVICUS, DEI GRATIA, MONASTERIENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS, UNIVERSIS MONASTERIORUM, ECCLESIARUM, CAPELLARUM, RECTORIBUS, PRÆLATIS, PRESBYTERIS, ET CLERICIS QUIBUSCUNQUE CIVITATIS ET DIŒCESEOS MONASTERIENSIS CUJUSCUNQUE STATUS, CONDITIONIS, AUT ORDINIS EXISTANT, ET EORUM VICES GERENTIBUS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

Ecclesiasticis utilitatibus deservientes, vel desudantes, Ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere, ut, qui se voluntariis obsequiorum necessitatibus sponte subjiciunt; digne nostris promissionibus consolentur. Sane sicut Nobis querela frequens multorum insinuat, quod nonnulli Ecclesiarum Parochialium Rectores, quos abesse contigerit, ita quod in suis Ecclesiis residentiam facere nequeunt personalem, ab his, quibus locant Ecclesias suas, tantum percipiunt annuatim, quod ipsorum Rectorum Vicarii non possunt de residuo commode sustentari, & jura Episcopalia solvere, & alia eis incumbentia onera supportare, propter quod sæpe contingit, quod non inveniuntur personæ idoneæ, ex quo pericula imminent animarum. Nos itaque volentes super hoc salubre remedium adhibere, præsenti decreto statuimus, ut cum aliqui Ecclesias suas locare propter causas legitimas & rationabiles voluerint, illud in Archidiaconorum præsentia suorum faciant consilio pariter & consensu, qui solum Deum habentes præ oculis ordinent, prout Ecclesiis, & personis hinc inde omni fraude & dolo exclusis, viderint expedire: adjicientes, ut taliter instituti in dictorum Archidiaconorum præsentia singulis annis dictam institutionem teneantur innovare. Propterea qui in Cathedrali *veteris Ecclesiæ Sancti Pauli*, *Sancti Martini*, *Sancti Ludgeri* Ecclesiarum Archidiaconos non habent, illarum Nobis potestatem Ecclesiarum, aut nostro Officiali in similibus reservamus. Item præcipimus & mandamus, ut nulli Ecclesiarum Rectores, quicquam de anno in annum ratione locationis prædictæ vel conditionis recipiant, vel requirant, aut exigere præsumant: quoquomodo contrarium facientes, sententiam excommunicationis volumus incurrere ipso facto; quod summum in rebus bonum est, justitiam colere, ac sua cujusque jura servare, & subjectos non servire, quod potestatis est fieri, sed quod æquum est, custodire. Frequens itaque & assidua querela ad Nos circumstrepit, quod quidam laici ausu sacrilego non solum de rebus & personis Ecclesiasticis, & maxime Parochialium Ecclesiarum se ingerunt, verum etiam de reliquiis oblationum, & lega-

legatis, clavibus, & Ecclesiarum ornamentis se intromittunt contra Ecclesiasticam libertatem: Nos vero attendentes, quod cum laicis de rebus & personis Ecclesiasticis disponendi, & judicandi, vel de eorum vita aliquid investigandi nulla tributa sit facultas, sed Episcoporum judicio, quidquid illud manuum violentarum in Clericos, seu Ecclesiasticas personas, sæculares, vel regulares, ipso facto sint vinculo anathematis innodati. Nos tamen considerantes, quod Clericos, & Ecclesiasticæ personæ nostræ Diœcesis multo plus solito a nonnullis perditionis filiis ausu sacrilego contra Ecclesiasticam libertatem aggravantur, attendentes etiam, quod pro unius delicto sacri Canones interdum puniri præcipiunt totam terram, & nonnunquam propter parentum peccata in tertiam, vel quartam generationem filii puniuntur; unde piæ recordationis Domini EVERHARDI Episcopi, Prædecessoris nostri, vestigiis inhærentes, quibusdam additis & detractis, provida deliberatione præhabita de Concilio honorabilium Virorum, Archidiaconorum, Prælatorum, & Capituli nostri, contra invasores, occisores, mutilatores, captivatores Clericorum hæc in perpetuum valitura constitutione sanximus, ut si quis deinceps in hoc genus sacrilegii irrepat, quod Clericos, vel Ecclesiasticas personas, religiosas, vel sæculares insecutus fuerit hostiliter, vel ceperit, aut percusserit, vel socius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, aut factum ratum habuerit, aut consilium dederit, vel favorem: aut postea receptaverit, vel defensaverit eundem scienter; sicut famæ suæ prodigus ab officiis suis publicis repulsus sit; statuentes, ut non solum in termino ipsius Archidiaconatus, in quo quempiam talium detineri constiterit, ipso facto cessetur ab Officio Divinorum, ut tam nobiles, quam populares cum plebe contra malefactores hujusmodi ex Divinorum carentia provocati consurgant ad emendam occisi, vel ad ipsius debitam liberationem, qui ausu sacrilego detinentur captivi, auxilium præstituri. Præsenti nihilominus adjicimus sanctioni, ut in quibuscunque locis & Parochiis occisores, mutilatores, vel raptores, & eorum complices nostræ civitatis, & Diœcesis in maleficio hujusmodi consilium, auxilium, vel juvamen publice, vel occulte, domicilium, vel receptaculum præstantes eisdem, ad quæ loca pervenerint, ut per triduum post eorum inde recessum, dummodo mandatum emanaverit, ut præmittitur, districtissime observetur interdictum. Archidiaconi quoque, & Officiales Curiæ nostræ in quibuscunque locis nostræ Diœcesis requisiti, prædictos sacrilegos ab omnibus suis subditis excommunicatos, & ab omnibus Christi Fidelibus artius evitandos campanis pulsatis, candelis accensis singulis diebus Dominicis & Festis faciant publice nuntiari, donec emenda de occiso, vel mutilato fiat sufficiens, & condigna, vel captivus liber & indemnis cum satisfactione debita demittatur: adjicientes, quod si detentor Clerici per octo dierum spatium Clericum detinuerit captivatum, ac eo dimisso infra annum, a tempore captivitatis Clerici computandum, satisfactione neglecta, ex tunc omnibus feudis suis careat ipso jure, quæ cum quibuscunque Ecclesiis dinoscitur obtinere. Cæterum, quod dignum est, ut nefandi ratione flagitii ultionis severitas amplius extendatur, & propter enormitatem culparum plagarum modus exuberet, nec penis solitis contentetur; statuimus, & ordinamus, ut non solum eorum filii, qui instinctu diaboli sponte aut malitiose Prælatos, aut Clericos supradictos, aut alias personas Ecclesiasticas occidere, mutilare, captivare, detinere, vel vulnerare præsumunt letaliter, sed omnis posteritas istorum sacrilegorum utriusque sexus ab ipsis descendens usque ad tertiam generationem, nec ad sacros Ordines, nec ad aliqua Beneficia Ecclesiastica, nec in Claustris, aut Cœnobiis cujuscunque Ordinis admittantur. Quod si contrarium factum fuerit ex malitia, vel affectata ignorantia, ordinatos ab executione ordinum perpetuo volumus esse suspendendos, receptos vero ad Beneficia Ecclesiastica sæcularium Ecclesiarum pro non receptis habere volumus ipso facto. Sed ne personis, in Monasteriis, seu Claustris receptis, detur materia ad sæculum redeundi, eas in ipsis quidem Monasteriis volumus remanere, ita tamen, quod in conventu ultimi reputentur, & nunquam ad Officia vel dignitates assumantur. Et quod prætex-

tu

tu potentiæ ſæcularis frequenter ipſa mandata noſtra, Officialis noſtri, ſeu Officialium, vel Archi Diaconorum, vel aliorum Judicum impediri contingit, ne ad loca, in quibus exequenda ſunt, deferantur ſtatuta contra invaſores, occiſores, mutilatores, & captivatores Clericorum, nec non & raptores locorum, Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum perſonarum, ſeu rerum earundem, ac violatores immunitatum, ac alia ſtatuta per Prædeceſſores noſtros, & Nos pro libertate Eccleſiaſtica conſervanda, edita, quo minus obſerventur, contingat effectum debitum non ſortiri: ne malitia prohibentium eadem ſtatuta in ſuis territoriis recipi, & ſervari absque vindicta creſcat; Statuimus eos, qui talia faciunt, pœnam ſtatutorum incidere juxta moderationem ſupraſcriptam in hoc caſu editam contra ipſos.

Quod ubicunque Eccleſiaſticæ perſonæ occiduntur, mutilantur, vulnerantur, capiuntur, arreſtantur, ſeu occupantur: bona Eccleſiaſtica judicio ſæculari vel potentia invaduntur ſæculari in perſonis propriis, vel rebus earundem, ſeu bona Eccleſiaſtica mobilia, vel immobilia, cum de hoc juxta modum prænotatum, per facti evidentiam, vel famam publicam Archidiacono, vel Plebano, vel Presbytero loci, ubi hæc facta fuerint, quibus in hoc fidem adhiberi volumus, innotuerit ſtatuta eadem ab Noſtro, vel Officialis noſtri, ac cujusvis alterius judicio delegati (c) Ordinarii mandati exſpectatione obſervent ipſo facto, ut tam ceſſando a Divinis, quam denuntiando dictos malefactores, & eorum complices in locis, in quibus degunt, & domicilia habuerint, ſeu ſpolium factum fuerit, vel deductum, & conſumptum, vel aliis locis, ut præmittitur, juxta dictorum ſtatutorum continentiam, & ipſorum præcipue declarationem, quæ per bonæ memoriæ Dominum EVERHARDUM Epiſcopum, Prædeceſſorem noſtrum, ſunt ſtatuta; Contrarium facientes pœnas inobedientiæ non evadent. Præſentis noſtri mandati copiam ab omnibus recipi volumus præcipue de Archidiaconis, & locorum Plebanis, ut eo diligentius obſervetur. Ut autem hæc proinde ſtatuta tam a Nobis, quam ab aliis inviolabiliter obſerventur, præſentem paginam tam Noſtro, quam Eccleſiæ noſtræ Monaſterienſis ſigillis fecimus communiri. Datum, actum, & pronuntiatum Monaſterii, anno Domini Milleſimo CCC. XVIII. *in ſecunda Synodo noſtra generali*, Feria ſecunda poſt feſtum Beatorum Gereonis & Victoris Martyrum.

Ex codice impreſſo Monaſterii Weſtphalorum A. 1486. in 4to. una cum Conciliis Provincialibus Coloniæ actis.

(c) *adde:* absque.

SYNODUS DIOECESANA WORMATIENSIS,

Anno Chriſti MCCCXVI. Joannis XXII. Papæ I. Ludovici Bavari Regis III.

Ab EMERICO de SCHONECK, Epiſc. Wormat. celebrata, per quam Divinum Officium ritu æquali ac uniformi celebrari præcipitur, nec non varii abuſus, qui in illud irrepſerant, tolluntur.

EMERICUS, DEI GRATIA, EPISCOPUS WORMACIENSIS, UNIVERSIS PRÆPOSITIS, DECANIS, COLLEGIIS, PLEBANIS, VICE-PLEBANIS, CETERISQUE ECCLESIARUM, ET CAPELLARUM RECTORIBUS, PER NOSTRAM CIVITATEM ET DIOECESIM WORMATIENSEM CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

DUm nuper, juxta Paſtoralis officii debitum, quod nobis incumbit, in majori, & aliis Eccleſiis Collegiatis prædictæ civitatis, & Diœceſis noſtræ Wor-

Wormacienſis, ſanctæ Viſitationis exerceremus officium, invenimus in eisdem Eccleſiis ordinem atque modum Divini officii diſcordem & diſparem obſervari; quod, quia Sanctorum Patrum, & Canonicis obſtat Inſtitutis, ordinem univerſum a Clero ſæculari totius noſtræ civitatis & Diœceſis uniformiter & perpetuis temporibus obſervandum compilari & conſcribi fecimus, & hoc de Capituli noſtri majoris Eccleſiæ conſilio pariter, & aſſenſu.

Quapropter omnibus & ſingulis Decanis, Capitulis, Collegiis, & Archi-Presbyteris, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis, firmiter injungimus, & mandamus: quatenus dictum ordinem, prout infra ſcribitur, de verbo ad verbum conſcriptum, & ſigillo noſtro pendenti ſigillatum infra hunc, & Feſtum Beatorum Philippi, & Jacobi Apoſtolorum, nunc venturum proxime, recipiant, & ipſum ex tunc in Eccleſiis ſuis, ſecundum ipſius tenorem & formam incommutabiliter & diligentius obſervent, & per alios faciant obſervari.

I. Ordo autem talis eſt, videlicet: quod a Feſto Paſchæ, uſque ad Dominicam, qua imponitur hiſtoria: *Deus omnium* &c. in matutinali Officio tres Pſalmi, cum tribus Lectionibus obſerventur, & idem ordo infra octavas Sanctorum, veras octavas habentium, poterit obſervari; pro reliqua vero parte anni totius, ſingulis diebus, aut novem Lectiones cum totidem Pſalmis, aut Nocturnus cum tribus Lectionibus obſervari debebit, & ſi dies alicujus Sancti evenit, de quo non habeantur novem Lectiones, tunc Invitatorium erit de Sancto, & Nocturnus legitur, & tres Lectiones cum totidem Reſponſoriis, & Laudes cum Pſalmis: *Dominus regnavit*, & ſequentibus, cum Antiphonis debitis de Sancto ad horas quaslibet cantabuntur; diebus autem Dominicis, cum hiſtoria ferialis dicitur, in primo Nocturno XII. Pſalmi, & in ſecundo, & tertio Nocturno III. Pſalmi, & ad primam: *Deus, Deus meus reſpice in me*, &c. cum cæteris ſequentibus & conſuetis Pſalmis dicuntur.

Item ſingulis diebus ad Veſperas, & in Matutinis ad Laudes, Hymnus dicatur; ſive fiat Officium de Feria, vel de Sancto.

Item omni die ad Primam: *Jam lucis orto* &c. & ad Tertiam: *Nunc Sancte* &c. ad Sextam: *Rector potens* &c. ad Nonam: *Rerum Deus* &c. Hymni dicantur; ſed infra Octavas Paſchæ, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini, dicti Hymni ad Horas obmittentur, ab Octavis autem Paſchæ, uſque ad Aſcenſionem Domini, in fine dictorum Hymnorum, verſus: *Quæſumus auctor omnium* &c. cum ſequenti; & ab Aſcenſione Domini uſque ad Feſtum Pentecoſtes, in fine eorundem Hymnorum ad Horas, verſus: *Oramus Domine* &c. cum duobus ſequentibus ſimiliter cantabuntur.

Item de Beata Virgine, in Matutinis novem Lectionum iſti Pſalmi legentur; in primo Nocturno: *Domine Dominus noſter* &c. *Cœli enarrant* &c. *Domini eſt terra* &c. In ſecundo Nocturno: *Eructavit* &c. *Deus noſter refugium* &c. *Fundamenta* &c. In tertio Nocturno: *Cantate I.* &c. *Dominus regnavit* &c. *Cantate II.* &c.

Item de Virginibus, infra ſcripti Pſalmi legentur in primo Nocturno: *Domine Dominus noſter* &c. *In Domino confido* &c. *Domine, quis habitabit* &c. In ſecundo Nocturno: *Cœli enarrant* &c. *Domine in virtute* &c. *Domini eſt terra* &c. In tertio Nocturno: *Eructavit* &c. *Deus noſter refugium* &c. *Fundamenta* &c.

Item, quotienscumque Matutinæ dicuntur cum tribus vel novem Lectionibus, finalis ſive jubilus, qui dici conſuevit in fine Antiphonarum, obmittatur. In omnibus aliis, ſi qua ſuper obſervatione Divini Officii aliquibus orta fuerint, ſuper his ad conſuetudinem majoris Eccleſiæ recurrant, & quemadmodum ſervatur in illa, ſimiliter idem modus in omnibus aliis obſervetur; præſcriptum vero Ordinem, per Clerum ſæcularem tantum, & non per Religioſos ſive Regulares, teneri & obſervari præcipimus: ſed dicti Regulares ſive Religioſi ſervabunt inconcuſſe ſuum Ordinem in Divinis Officiis debitum, ac hactenus conſuetum.

II. Præterea; cum proficuum, imo neceſſarium ſit, ut receptæ ab antiquo con-

consuetudines quædam, ob novellarum adinventionum superstitiones refrænandas, commutentur in melius. Inde est, quod cum a nostris Antecessoribus ad Nos usque pervenerit, ut in sacra nocte Dominicæ Resurrectionis, ad sustollendam Crucifixi imaginem de sepulchro, ubi in Parasceve locata fuerat, nimia virorum, & mulierum numerositas certatim se se comprimendo, Ecclesiam simul cum Canonicis, & Vicariis, introire nitantur, opinantes erronee: quod si viderent Crucifixi imaginem sustolli, evaderent hoc anno inevitabilem mortis horam. His itaque obviantes statuimus: ut Resurrectionis Mysterium, ante ingressum plebis in Ecclesiam, deinceps peragatur, debita cum devotione & reverentia.

III. Insuper, cum decorem Domus DEI omnes Christiani, & præcipue Viri Ecclesiastici diligere debeant & amare, Propheta attestante, dum ait: *Dilexi* (a) *Domine, decorem Domus tuæ*, ac etiam Clericorum mores in melius reformari & componi debeant; hinc est, quod considerantes illud, quod olim a Prædecessoribus nostris, causa devotionis ordinatum fuerat, & statutum, videlicet: ut Sacerdotes singulis annis in Festivitate Beati Joannis Evang. unum ex se eligant, qui more Episcopi illa die Missam gloriose celebret & festive, nunc in ludibrium vertitur, & in Ecclesia ludi fiunt theatrales, & non solum in Ecclesia introducuntur monstra larvarum, verum etiam Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi insaniæ suæ ludibria exercere præsumunt, facientes prandia sumptuosa, & cum tympanis & cymbalis ducentes choreas per domos & plateas civitatis, non attendentes, quod Apostolus non solum a malo, sed etiam ab omni specie mali præcipit abstinere.

Igitur, ne id quod ob devotionem inchoatum est, ad indevotionem & ludibrium vergat populorum, statuimus: ut nulli Canonici vel Prebendarii Ecclesiarum nostræ Diœcesis talia præsumant de cetero exercere. Præterea districte inhibemus: ne Sacerdos, qui, ut in festo S. Johannis, more solito, Missam celebret, assumetur, aliquam personam Ecclesiasticam vel mundanam, mimos, vigellatores, vel tympanatores ad cœnam, vel ad prandium invitet, vel illos, aut alios, qui musicis instrumentis canere consueverunt, in Ecclesia, vel extra, in domo, vel platea, eundo, vel corizando, sequatur; sed devote & solemniter, injunctum sibi officium celebret; de mane vero, officio cum omni solemnitate curiali completo, post, si voluerit, Sacerdotem, qui sibi tanquam Capellanus astitit in altari, Diaconum & Subdiaconum, qui ei concelebraverunt, ministrando, ad prandium vocare, & eis Prebendam suam, cum gratiarum actione benivole impertiatur. Prandio autem facto, prædictus Sacerdos non equo, non asino, more insani, per vicos equitet & plateas, sed si aliquantulum jocundari delectet, Ecclesiam cum Religione intret, & circumstantibus non impetuose, sed cum mansuetudine, aquam projiciat & aspergat.

Si quis vero Canonicorum vel Prebendariorum Ecclesiarum nostræ Diœcesis contra hoc statutum in aliquo præmissorum forefecerit, sciat se a beneficio ipso factum suspensum, & antequam restituatur, carcerem claustralem intraturum; imo rigidius contra se procedendum, si id meruerit protervitas delinquentis.

Actæ, & publice sunt pronuntiatæ hæ Ordinationes, Anno Dom. MCCCXVI. Feria IV. post *Quasi modo geniti.* in *nostra Synodo generali.*

Ex Archæo Wormatiensi descripsit Cl. Schannatus b.m.

(a) Psalmo XXV, 8.



SYNO-

SYNODUS MOGUNTINA
Anno Christi MCCCXVI. Sede Romana vacante. Ludovici Bavari Regis II.

Constitutiones pro Monachis, Diœcesis Moguntinæ, editæ a PETRO Archi-Episcopo Moguntino.

PETRUS, DEI GRATIA, SANCTÆ MOGUNTINÆ SEDIS ARCHI-EPISCOPUS &c. HONORABILIBUS ET RELIGIOSIS VIRIS ABBATIBUS, PRIORIBUS, ET CONVENTIBUS MONASTERIORUM PER CIVITATEM ET DIOECESIM NOSTRAS MOGUNT. CONSTITUTORUM, DEVOTIS DILECTIS, SALUTEM IN DOMINO.

INter præsentis sæculi molimina hoc præcipue inter caritatis opera bene agitur, ut vita hominum corrigatur; cum itaque nuper in Monasteriis vestris sanctæ Visitationis Officium, Deo cooperante ageremus, quædam, quæ correctione & reformatione indigent, invenimus in eisdem.

I. Ad Reformationem itaque considerationis nostræ oculum vertentes, primo ordinamus, disponimus, & mandamus firmiter observari, ut ab hinc inantea Fratres & personæ de Conventu Prælatis suis debitam reverentiam, & honorem non negligant exhibere;

II. Item præcipimus vobis Abbatibus, & Prioribus, ut correctioni Fratrum, & subditorum vestrorum, quod circa Divinum Officium, frequentationem Chori, observantiam jejuniorum, & alias Regulares consuetudines se teneant, & informent, sollicite intendatis.

III. Item substantialia Regulæ vestræ, in abstinendo a carnibus, lineis vestimentis, & lectisterniis, culcitris de plumis factis, præcipimus cum diligentia observari; & si simul in Refectorio propter sterilitatem & decrescentiam temporum commedere non possitis, quod hac vice patienter toleramus, tamen inantea volumus, ut omnes simul in Refectorio debeant convenire ad commedendum, & specialia cubicula evitare.

IV. Præcipimus insuper, ut Camerarii, Censuarii, Cellerarii, & alii Officiati, de officiis suis, & specialiter Camerarius de redditibus Cameræ, rationem sive computationem faciat ad minus semel in anno in præsentia Abbatis: distributionem autem eorum, quæ ad sua officia pertinent, secundum consilium ipsius Abbatis facere teneantur.

V. Item mandamus: ut si ex aliqua causa licita & honesta, aliquis Monachorum (de Abbatis, vel Prioris tamen licentia, sine qua nullus Monachorum exeat) Monasterium egrediatur, id sine sui Ordinis socio, præcipue in civitate nostra Moguntina, non præsumat.

VI. Item vobis Abbatibus, & Prioribus firmiter injungimus: ut diligenter perspiciatis, ne aliquibus personis suspectis ad septa Monasteriorum vestrorum introitus, vel aditus pateat aliqualiter.

VII. Item vobis Abbatibus, Prioribus, cæterisque Officiatis districte præcipimus, ut ea, quæ Prælaturarum & Officiatuum vestrorum requirunt officia, tam diligenter, & tam provide expleatis, ut nullam de vobis inantea negligentiam audiamus, sed vestram potius habeamus diligentiam, (a) sunt, a suis amoveantur officiis, & alii substituantur eisdem; quod de Monialibus etiam decernimus statuendum. Hoc, *priori Concilio*, in non Professorum odium adjungentes: ut, cum juxta decretum PELAGII, Abbas sit a Monachis eligendus, nullus omnino non professus, quantumcumque temporis diurnitate ibi duraverit, ad electionem Abbatis admittatur, nec valeat ei suffragari sive de facto, sive de consuetudine, scilicet: quia cum cœteris Monachis ad tractatus alios Ecclesiæ antea non sit admissus.

(a) *Hiatus aliquis*. *pro*: sunt, *lege*: secus.

VIII. Item Monachi, jam adulti, si post annum probationis in manus Abbatis professionem facere recusaverint, de Monasterio expellantur. Id quod etiam de Monialibus observetur.

IX. Item nullus Monachus, vel Monialis, in duobus Monasteriis locum habeat vel prebendam.

X. Item quidquid Monachus vel Monialis, undecumque illud provenerit acquisiverit, suis applicare usibus non præsumat, sed totum in communes usus Monasterii redigatur.

XI. Item nullus Monachus, vel Monialis, proprium quid habeat, ac qui proprium habuisse, in morte fuerit deprehensus, Ecclesiastica careat sepultura, & si sepultus est jam, exhumetur; si quis vero ipsorum, ad mandatum sui Prælati, propriis renuntiare noluerit, de Monasterio expellatur.

XII. Item ludus (*b*) alearum, corearum, scaccorum, taxillorum, annulorum, & globorum, Monachis, & Monialibus prohibemus districte.

XIII. Item Abbates, & Monachi, Mantella vel Sarchotes (*c*) non portent, nec pannos de nigro brunetto, sed quanto possunt haberi prætio viliori, juxta quod præcipit Regula eorundem.

XIV. Item Abbates in communi dormiant dormitorio cum suis Monachis, in Refectorio communi vescantur, nisi quando justa necessitas propter magnos & honestos hospites id non fieri eosdem compellat. Idem de Abbatissis statuimus servandum.

XV. Item tam Abbatibus, quam Monachis, vulpina pellicia, & de cuniculis prohibemus, sed agninis tantum utantur.

XVI. Item Monachi calceos strictos, qui stivales dicuntur, non habeant, sed alios suæ Regulæ competentes.

XVII. Item Abbates, cappas rotundas, ad modum Episcoporum, in usu cottidiano non portent, sed ut eorum Ordo postulat & requirit; nec ipsi, nec Monachi, quando equitant, mantella deferant super cappas, quas clausas fore censemus: hoc etiam statutum lucidius declarantes, statuimus, ut tam Abbates, quam Monachi cappis nigris equitent & rotundis, vel in habitu usitato.

XVIII. Item inhibemus districte, ne occasione qualibet sæculares personæ domos, vel habitacula sua faciant juxta Monasteria Monachorum, quia frequenter ex hoc contra Monachos sinistra præsumptio est exorta: nisi forte alicui personæ, omni suspicione carenti, id de consensu & authoritate Diœcesani Episcopi permittatur; Abbates vero, qui contra hoc fieri præsumpserint, gravi subjaceant ultioni.

XIX. Item Abbas nullum Monachum alterius Monasterii sine litteris dimissoriis proprii Abbatis in suo Monasterio recipere, vel tenere præsumat.

XX. Item Monachi in Refectorio carnibus non utantur, nisi in Infirmatorio, cum ægrotant.

XXI. Item quicumque Monachus in lapsum carnis ceciderit, de quo fuerit manifestum, ad nullam amplius dignitatem, nec ad aliquod officium Monasterii assumatur: nisi propter manifestam emendationem, & honestam, ac religiosam conversationem ipsius, per Diœsanum Episcopum secum fuerit misericorditer dispensatum; eidem quoque subjaceat, si super hoc fuerit infamatus, nec canonice possit se excusare, & in pœnam sui criminis de cætero ultimus sit in Choro, & in Capitulo vocem non habeat ad aliquam Monasterii ordinationem tractandum: nisi post emendationem manifestam, Abbatis providentia de consensu Conventus ipsum duxerit admittendum. Si vero Abbas, vel Monachus in officio constitutus, in similem lapsum ceciderit, a suo statim amoveatur officio. Quod circa Præpositum fieri volumus, si de hoc infamatus fuerit; nisi canonice se expurget, & nihilominus pœnæ illi subjaceat, quæ de simplici Monacho superius est expressa. Idem de Abbatissis, & Monialibus statuimus ad servandum, & omnia, quæ statuta sunt de Monacho circa continentiam, propriorum abdicationem & similia, ad Canonicos Regulares volumus extendi, licet quo ad esum carnium, & quædam alia, Regulæ inserviant laxiori.

XXII. Item plerique Religiosi, maxime Ordinis Sancti Benedicti, non verentur convivia celebrare, Sæculares etiam

(*b*) *lege:* ludos.

(*c*) Surcotium, *Du Fresne in Glossario:* superhumerale interpretatur,

etiam perſonas ad ipſa Cœnobia pro commeſſationibus invitantes, ex quo non ſolum ſcandalizantur extranei, & Confratres, immo eorum religio diſſolvitur, & modeſtia monaſtica deformatur. Cum igitur juxta Sanctorum Canonum Statuta, & Venerabilium Conciliorum Decreta, Monacho non liceat, undecumque provenerit, aliquid ſuis uſibus appropriare privatis, Sacri hujus Concilii approbatione, talia de cætero de quacunque cauſa fieri prohibemus. Si quis autem transgreſſor extiterit pro qualibet transgreſſione carceralem VIII. dierum in graviori culpa ſubeat diſciplinam.

XXIII. Item compaternitatem a Monachis & Monialibus contrahi diſtrictius prohibemus, ſtatuentes: ut ſi aliqua clauſtra Monialium ad inopiam tantam devenerint, quod illæ de proventibus Monaſterii ſuſtentari non poſſunt, & ab amicis panis, vinum, (d) commendare.

(d) . . . . *Hiatus.*

XXIV. In his correctionibus, licet animadverterimus, quod exemplo Sanctorum Patrum, in corrigendis ſubditorum delictis, non ſemper ſit rigori, verum etiam aliquoties lenitati & ſalubribus monitis innitendum, dictasque correctiones ea occaſione ſine pœnarum adjectione fecerimus iſta vice; ſi tamen inantea, quod abſit, noſtris, ſuper præfatis articulis in præfata correctione contentis, non pareatis monitis & præceptis, quæ tam benigne & leniter facimus, ad correctionem cum ſeveritate, qua convenit, canonice procedemus, ut ſic quos timor Dei, & ſalubria, paternaque monita a malo non revocant, coerceat rigor & ſeveritas diſciplinæ.

Datum *Moguntiæ* in *Synodo*, Anno Domini MCCCXVI. III. Non. Martii.

Ex Schedis Georgii Helwichii deſcripſit Cl. Schannatus.

CONCILIUM CAMERACENSE

Anno Chriſti MCCCXVII. Joannis XXII. Papæ II. Ludovici Bavari Regis III.

Die Sabbati in Feſto B. Remigii.

Reverendus in Chriſto Pater P. (a) *Dei gratia, Cameracenſis Epiſcopus, tenens ſuam Synodum in Eccleſia ſua Cameracenſi fecit, & addidit hoc ſtatutum.*

QUoniam ſicut experientia docuit, nonnulli Sacerdotes, immo verius deceptores, in alia Meſſe falcem ſuam immittere non verentes, in noſtris civitate & Diœceſi ſine Noſtra, vel Curatorum ipſorum Civitatis & Diœceſis licentia, in ejusdem Eccleſiis, & eorum Parochiis præſumunt temeritate propria audire confeſſionem, & miniſtrare Eccleſiaſtica Sacramenta contra ſacrum Canonum inſtitutum, cum ſibi confitentes abſolvere nequeant vel ligare, vel ipſa Eccleſiaſtica miniſtrare. Nos tantæ temeritati & animarum periculis occurrere cupientes, ſtatuendo prohibemus, ne quicumque Sacerdos ſine Noſtra, vel prædictorum Curatorum licentia audire confeſſiones, vel ipſa Sacramenta miniſtrare præſumat, niſi in mortis articulo, ubi non poſſet haberi copia Curatorum. Si quis autem hoc facere præſumpſerit, excommunicationis vinculo ſit ligatus, ſalvis autem auctoritatibus, & privilegiis Apoſtolicis, quorum volumus eſſe defenſores.

Item denuntiamus excommunicatos omnes hæreticos, credentes & fautores eorumdem & omnes ſchismaticos.

Item omnes illos, qui jurisdictio- nem

(a) Petrus de Levis ſive de Mirepoix, Epiſcopus Montis Peſſulani, ad Sedem Cameracenſem evocatus anno 1310. elevavit Corpus S. Waldetrudis anno 1313. in præſentia Abbatum Laubienſis & S. Gisleni. Ob continuam civium ſeditionem Sedem Cameracenſem reliquit, & Bajacenſem acceptavit anno 1324. *Caſtilionæus in Sacra Belgii Chronologia pag.* 345.

nem Ecclesiasticam & libertatem Ecclesiæ impediunt, & qui in his impediendis præstant auxilium, consilium & favorem.

Item denuntiamus excommunicatos *a Canone* omnes illos, qui temporale Dominium obtinentes, suis subditis interdicant, ne Prælatis aut Clericis seu personis Ecclesiasticis quicquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem, neque eis bladum molant, coquant panem, & alia obsequia exhibere præsumant.

Item denuntiamus excommunicatos *a Canone Synodali* omnes illos, qui civitatem nostram Cameracensem, castra, villas, nemora, prata, molendina, vinaria, & alia loca & jura ad nostram temporalem mensam pertinentia violenter invadunt, & injuriose occupant, & illos, qui eisdem in præmissis, aut aliquo præmissorum auxilium, consilium, vel favorem præstant, & terras eorumdem suppositas Ecclesiastico interdicto.

Item denuntiamus excommunicatos *a Canone Synodali* omnes illos, qui in nostro Comitatu Cameracensi incendia domorum vel segetum faciunt, & omnes illos, qui eisdem in præmissis præstant auxilium, consilium vel favorem, & eorum terras suppositas Ecclesiastico interdicto.

Item denuntiamus excommunicatos *a Canone Synodali* omnes illos, qui in nostro Comitatu Cameracensi agricultores euntes, & redeuntes ad agriculturam, & in ipsa euntes, & animalia, quibus arant, & semina, quæ portant ad agrum, hostiliter capiunt, vulnerant, & interficiunt; & omes qui eisdem in præmissis consentiunt, præstant auxilium, consilium, vel favorem.

Præcipimus omnibus Curatis in virtute sanctæ obedientiæ nostrarum civitatis & Diœcesis, ut prædictas denuntiationes publice faciant in vulgari singulis diebus Dominicis & Festis, cum ibi erit major populi multitudo: negligentes pœna Canonica feriantur.

Dignum esse dinoscitur, ut quos timor Dei a malo non revocat, ipsos tamen coerceat Ecclesiasticæ severitas disciplinæ, præcipue Clericos, quos Ecclesia Dei sibi filios prout speciales, ipsos libertatibus, privilegio inter alios suos filios præmunivit, ac suis propriis insigniis voluit insigniri, si ipsam matrem contemnant, si ipsius immunitates infligant, si ipsius matris privilegio in contemptum ipsius uti volunt, per quæ amicorum, ac omni alio cessante subsidio, a morte etiam sæpissime liberantur, quid mirum, si eos, qui seipsos ab ejus immunitatibus exemerunt, absque causa, a communione sua, & suorum filiorum fidelium segreget & expellat? cum igitur nonnulli Clerici de suis excessibus & delictis, coram Dominis, & Justitiariis temporalibus obligant, & eligunt respondere, & absque sui Judicii Ecclesiastici licentia, eorum jurisdictioni & correctioni voluntarie se submittunt, & cum eis de delictis & excessibus transigunt, & componunt, ut correctionem Ecclesiasticam possint effugere, a qua misericordiam & veniam debent humiliter implorare, quod cadit in totius Cleri vituperium, & Ecclesiasticæ libertatis præjudicium, & contemptum, contra sanctiones Canonicas noscitur esse factum. Nos super his occurrere, prout debemus, & possumus, juris remediis cupientes, statuimus, & firmiter inhibemus, ne de cetero quivis Clericus gaudere debens privilegio Clericali, coram laicali justitia, præcipue in delictis, respondeat, aut jurisdictione temporali se voluntarie submittat. Qui vero contrarium fecerit, excommunicationis sententiam ipso facto se noverit incursurum.

Sunt nonnulli tam Clerici, quam laici scienter coram Officiali Cameracensi ex officio citati super his excessibus, & præventi, qui cum Decanis ruralibus post citationem, & processum dictæ Curiæ transigunt, vel componunt, & his non contenti litteras quitationis ab ipsis Decanis sub anteriori data fraudulenter impetrant, sicque processus inchoatus eliditur, Curia decipitur, & in præjudicium Decani, & Archi-Diaconi sumptibus inanibus, & gravibus oneratur: Nos igitur prædictis Decanis & partibus inhibemus, ne talia committere audeant vel præsumant. Qui autem contrarium scienter fecerint in præmissis, suspensionis Presbyteri, excommunicationis alii (pœnam) incurrant ipso facto.

Licet

Licet per Conſtitutionem *Clementinam* jam dudum fuerit inhibitum, ne quis, niſi in Eccleſiis, in quibus ſint fontes ad hoc ſpecialiter deputati, aliquem audeat baptizare, liberis Regum & Principum dumtaxat exceptis, ut cum adjectione prædicta conſtitutio magis in reverentia teneatur, hæc eadem auctoritate ordinaria inhibemus, ſtatuentes, ut qui de cætero contrarium fecerit, ſententiam excommunicationis incidat ipſo facto.

Item excommunicatos a Canone nuntiamus Religioſos cujuscumque ordinis vel conditionis exiſtant, tam peremtorie, quam non peremtorie, qui cum cathedralem vel matricem Eccleſiam, Statuta Synodalia vel Provincialia de ceſſando viderint, aut ſciverint obſervare, contra tenorem illius *Clementinæ* conſtitutionis, quæ incipit: *Ex frequentibus* &c. in ſuis Eccleſiis & Monaſteriis publice celebrant, excepta moderatione illius conſtitutionis: *Alma Mater.*

Item excommunicatos nuntiamus a Canone, interdictos, & excommunicatos, qui a celebrantibus moniti competenter, ut exeant, exire noluerint, ſed ibidem remanere præſumpſerint, per Sedem Apoſtolicam abſolvendos.

Item præcipimus omnibus Curatis Cameracenſis Diœceſis, ut ſtatuta, & denuntiationes in præſenti Synodo factas, legant ſingulis diebus Dominicis, cum ipſos Divina celebrare contigerit in ſuis Eccleſiis Porochialibus, populo ibidem congregato publicent, & in lingua materna exponant ſub pœna X. ſolidorum Pariſienſium, quotiens in negligentia de non publicando fuerint reprehenſi. Ut Abbates, Priores, Decani, Presbyteri, ac omnes alii, qui ad *ſanctam Synodum Cameracenſem* venire tenentur, & pro temporibus tenebuntur, reddantur in poſterum certiores, qua die debebunt ad dictam Synodum comparere, ſicque cum deliberatione pleniori de ſibi ad hoc opportunis valeant providere, ſtatuimus, & in hac ſancta Synodo ordinamus, ut de anno in annum in Feſto B. Remigii in capite Octobris dicta Synodus de cetero teneatur: quam quidem diem omnibus & ſingulis tam de Diœceſi, quam extra, ad dictam Synodum venire debentibus de jure, conſuetudine, vel alio quomodo præfingimus ad comparendum, præſentandum ſeu audiendum conſentiendum ea, quæ in dicta Synodo ſtatuimus fieri, publicari, vel ordinari de anno in annum contigerit, pro terminis aſſignamus, ita quod aliis vocationibus vel citationibus de cetero non ſit opus, niſi per Reverendum in Chriſto Patrem Dominum Cameracenſem Epiſcopum, ſeu ejus Vicarios, dictam Synodum ad aliam diem aſſignari contigerit, vel transferri.

Quia plerumque nonnulli Curati Cameracenſis Diœceſis, vel vices eorum gerentes, & Clerici variis ſigillis utuntur, nunc uno ſigillo, nunc alio, executionem, reſcriptionem, & alias litteras, quas quandoque Officiali, aut Sigillifero Curiæ Cameracenſis dirigunt ſigillando, propter quæ ſæpiſſime ſuper agnitione dictorum ſigillorum dubitationes, & altercationes in dicta Curia ſunt ſubortæ, ut ſic dictæ dubitationes & altercationes ad certitudinem reducantur, & in cauſis in dicta Curia ventilandis, de cetero ſanius procedatur, ſtatuimus & ordinamus, ut unusquisque curatus proprium ſigillum ſub nomine ſuæ Parochialis Eccleſiæ habeat infra menſem, & eo ſolo utatur in prædictis executionibus, reſcriptionibus, & aliis litteris ſigillandis, quas tam ſuper executionibus mandatorum curiæ Cameracenſis, quam ipſarum, quas per ſe (vel) Clericum ſuum, vel aliter contigerit ſigillare. Si autem quemquam ipſorum Eccleſiam ſuam contigerit ex cauſa permutationis, vel alias dimittere, ſigillum hujusmodi ſuo relinquat Succeſſori. Quisquis autem contrarium fecerit, pœnam XX. ſolidorum Pariſenſium eo ipſo ſe noverit incurſurum, Domino Cameracenſi applicandorum, & per Decanum loci levandorum.

Præcipimus omnibus & ſingulis Decanis Chriſtianitatis, Diœceſis Cameracenſis, ſub pœna ſuſpenſionis firmiter injungentes, ut impreſſionem omnium ſigillorum, quibus utuntur curati ſibi ſubditi in ſigillandis executionibus mandatorum dictæ Curiæ Cameracenſis, ac aliis litteris, quas frequenter dictæ curiæ transmittunt Officiali, vel Sigillifero, infra inſtans Feſtum B. Martini transmittere non omittant.

Queri-

Querimonias quamplurimorum Cameracensis Diœcesis recepimus. Inter alia continent, quod nonnulli curati Parochialium Ecclesiarum, ac eorum vices gerentes prædictæ Diœcesis pro executionibus mandatorum curiæ Cameracensis, faciendis scripturis, ac sigillis suis, non ad modum rationis; sed ad libitum voluntatis, pecuniam majorem, quam deceat indebite exigunt, & extorquent, in scandalum dictæ curiæ, & dictorum conquerentium præjudicium & gravamen. Nos vero talibus immoderatis exactionibus, prout possumus & debemus, viam concludere cupientes, ac eisdem curatis, & Vicariis pro suis pœnis, & laboribus, moderate tamen, subvenire volentes, statuimus, & ordinamus, ut unusquisque eorumdem pro qualibet executione mandatorum dictæ curiæ, infra metas suæ Parochialis Ecclesiæ facienda, uno denario pro sigillis, uno denario pro rescriptione, si fiat, & per eum scribatur, duos denarios pro scriptura, & unum pro sigillo; pro procuratione vero, si per eum sigilletur, & scribatur, sex denarios. Si vero eidem scriptura tradatur sigillanda, pro sigillo duos denarios, pro receptione vero juramenti de calumnia vel decisorii, ut continetur, affirmat, & negat, vel confitetur dumtaxat in substantia, pro scriptura, & sigillo VI. denarios, pro executione vero testimonii, & scriptura super depositione eorumdem, & aliis scripturis, super quibus non est imposita taxatio pro octo vocabula integra contineat, monosyllabis in dicto vocabulorum numero minime computatis, inhibemus eisdem, vel eorum cuilibet, ne ultra taxationem hujusmodi aliquid audeant de cetero recipere vel præsumant. Si quis vero eorumdem contra hoc facere præsumpserit, totiens quotiens super hoc reprehensus fuerit, pœnam decem solidorum Parisiensium incurrat, ipso facto, Domino Cameracensi Episcopo applicandorum.

Excommunicatos a Canone nuntiamus omnes, qui in in tempore interdicti defunctorum corpora in cimiteriis, nisi in casibus a jure concessis, & qui excommunicatos publice vel nominatim interdictos, aut usurarios manifestos scienter præsumpserint sepelire.

Item excommunicatos a Canone nuntiamus omnes, qui a personis Ecclesiasticis, quos non negotiandi causa deferunt, seu deferri faciunt, pedagia aliqua suo vel alieno nomine exigunt, vel extorquent.

Item excommunicatas *a Canone* nuntiamus omnes personas, quæ scienter in gradibus a jure prohibitis, vel in sacris ordinibus constitutæ, aut in religionibus professæ contrahere non verentur.

Item denuntiamus excommunicatum a Canone religiosum, tam exemtum, quam non exemtum, qui in Parochiis alienis Sacramentum Unctionis extremæ, aut Matrimonium scienter solemnisare præsumserit, Parochialis Presbyteri non habita licentia speciali, per Sedem Apostolicam dumtaxat absolvendum. Eos vero, qui hoc fieri procuraverint, aut in his auxilium, vel consilium præstaverint, aut in his scienter interfuerint, excommunicationis sententia innodamus.

Item excommunicatos a Canone nuntiamus omnes excommunicatos publice aut interdictos, (qui) dum Missarum solemnia celebrantur, moniti, ut de Ecclesiis exeant, remanere præsumserint, per Sedem Apostolicam dumtaxat absolvendos.

Eadem vero sententia sint ligati, qui eis, ut exeant, inhibere præsumunt.

Præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis omnibus, & singulis Presbyteris Ecclesiarum nostrarum civitatis & Diœcesis Cameracensis, ut Statuta in hac *Sancta Synodo* facta, per denuntiatores in Ecclesiis suis singulis diebus Dominicis, cum ibi fuerit major multitudo populi, publice faciant promulgari: negligentes autem pœnam X. solidorum Turonensium, quotiens negligentes fuerint, (incurrant) per Decanos nostros levandorum.

Martene & Durand Collectio amplissima Tom. VII.

SYNO-

SYNODUS MOGUNTINA

SUB PETRO (a) ARCHI-EPISCOPO,

Anno Christi MCCCXVIII. Joannis XXII. Papæ II. Ludovici Bavari Regis IV.

P. DEI GRATIA, SANCTÆ MOGUNTINÆ SEDIS ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER GERMANIAM ARCHI-CANCELLARIUS, UNIVERSIS ET SINGULIS PER CIVITATEM ET DIOECESIM MOGUNTINAM CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO ET NOTITIAM SUBSCRIPTORUM.

CUm, ficut non fine dolore & frequenti querela didicimus plurimorum, nonnulli Archi Diaconi noftræ Diœcefis, contra *Statuta Provincialis Concilii* Moguntini, pœnas etiam comprehenfas in Statutis hujusmodi non verentes, fructus Beneficiorum, fuper quibus coram ipfis, aut eorum Officialibus lis vertitur, pendente lite fuis ufibus applicant, & hactenus applicarent, facientes propterea, litem faciliter & brevi tempore poffibilem terminari, in grave tam beneficiorum, quam partium præjudicium prorogari, quanquam ipfi fructus, pendente lite forent ei, qui in lite vinceret, refervandi. Nos, quia parum valerent Jura vel Statuta condere, nifi executioni debite mandarentur, ex debito noftri Officii Paftoralis transgreffiones hujusmodi, urgente etiam ad hoc nos confcientia, pœnis in prædictis ftatutis comprehenfis prævenire taliter cupientes, ne fit aliis exemplum, fimilia perpetrandi, jus etiam nobis per hoc acquifitum (b) volentes negligere in hac parte, *in hac Sancta Synodo* fub pœna excommunicationis latæ fententiæ in his fcriptis, quam contrarium facientes incidere volumus ipfo facto, ftatuimus, & firmiter inhibemus, ne aliquis Archi-Diaconus civitatis & Diœcefis Moguntinæ, qui hactenus talia perpetravit, quemquam de quocumque beneficio præfumat antea inveftire, & ne aliqui ab ipfis aliquas inveftituras de cœtero ad quæcumque beneficia præfumant recipere ullo modo, fed *a Nobis inveftituras* recipiant, ad quos vigore prædictorum ftatutorum pertinet inveftire: decernentes cum hoc irritum & inane, fi fecus ad quemquam fuerit attemptatum: eos etiam, qui hactenus contrarium attemptaverunt, in virtute fanctæ obedientiæ præfentibus amonemus, ut de commiffis infra unius menfis fpatium fatisfaciant, ut tenentur, alioquin contra eos modis, quibus expedit, procedemus.

II. Item fub pœna excommunicationis prædicta latæ fententiæ in his fcriptis diftrictius inhibemus, ne Archi-Diaconi, vel eorum Officiales judicent, vel Notarii aliquid fcribant, vel Advocati Advocationis officium exerceant, aut Procuratores procurent coram ipfis in caufis quibuscunque peccuniariis, duarum marcarum argenti excedentibus quantitatem, ad quam fummam alias ipfis de fpeciali gratia ultra ftatuta prædicta conceffimus judicare, licet ultra fummam prædictam fæpe, ficut didicimus, judicaverint, & judicent prædicta noftra gratia abutendo.

III. Item multorum clamoribus excitati, juftis quoque & neceffariis caufis nos moventibus in hac parte, fub pœna excommunicationis, quam transgrefforem

(a) Petrus de Aichspalt, Medicus Henrici Lutzenburgenfis, & olim Rudolphi Regis, miffus fuit ad Clementem V. Pictavos in Gallia, pro impetranda Mitra Moguntina Balduino Treverenfi fratri Regis: fed cum idem Petrus Clementem V. ægrotantem arte fua curaffet, rejecto Balduino, ex confenfu Cardinalium eundem Petrum, qui Bafileenfis Epifcopus erat, Archi-Epifcopum Moguntinum creat, confecrat, Pallio donat. Sedit annos XIV. Obiit anno 1320.

(b) *lege:* nolentes.

rem quemlibet incurrere volumus latæ ſententiæ in his ſcriptis, firmiter inhibemus, ne aliquis Archi-Diaconus civitatis vel Diœceſis Moguntinæ, aut ejus vices gerens pro eo, quod aliquem, vel aliquos de aliquibus Beneficiis Eccleſiaſticis inveſtiat, quidquam exigat, extorqueat, recipiat, vel requirat, & ne aliqui per ſe, vel per alium, quidquam pro eo, quod inveſtiatur, dare præſumant, excepto litterarum ſallario, quod tamen unum fertonem argenti non excedat: quapropter Archi-Diaconi, vel vices eorum gerentes, a veris Patronis ad Beneficia Eccleſiaſtica in concordia præſentatos Canonice ultra unius menſis ſpatium non differant inveſtire, alroqui nos poſt lapſum dicti menſis, niſi rationabilis cauſa obſtiterit, inveſtiemus taliter præſentatos.

IV. Item ſub prædicta pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam in his ſcriptis proferimus, & transgreſſores incurrere volumus ipſo facto, præſentibus, ne aliquis ſine noſtra, obtinenda dono ſpeciali gratia, licentia ſuper eo, fructus Beneficii vel Beneficiorum, quæ tenet cum cura, in quo, vel in quibus non facit reſidentiam perſonalem, recipiat, vel ſe de eis, vel per alium aliquatenus intromittat, ſed ipſos noſtræ diſpoſitioni pro menſa noſtra dimittat, cui noſtræ menſæ ex ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ competere dinoſcuntur; & etiam, ut non promoti infra ſtatuta a jure tempora, ad quos Beneficia, quæ tenent, requirunt, ſe de fructibus Beneficiorum talium nullatenus intromittant, ſed noſtræ diſpoſitioni ipſos dimittant, in uſus debitos convertendos.

V. Item ſub pœna excommunicationis jam latæ ſententiæ omnibus & ſingulis Eccleſiarum Plebanis & Vicariis præcipimus, quæ ſibi demandantur, utantur, nullam etiam pro ſigillatione litterarum hujusmodi recipiant pecuniæ quantitatem, volentes, quod poſt prædictos duos menſes nulli executioni credatur, niſi fuerit ſigillo ejus, cui ſcripta fuerat, ſigillata.

VI. Item ſtatuimus in hac *Sancta Synodo*, & firmiter præcipimus in his ſcriptis, quod per totam civitatem & Diœceſim Moguntinam ceſſatio Divinorum clauſis januis, & excluſo populo, uniformiter obſervetur.

VII. Item, quia Stationarii, ſive Quæſtuarii, ſicut experimentaliter didicimus, ſæpe & quidem frequenter noſtris litteris abutuntur, & licet aliquando ad tempus aliquæ ſint conceſſæ, quod diutius eſt transactum, tamen ipſis uti præſumunt, ac ſi habeant roboris firmitatem, homines miſerabiliter defraudando; nonnulli etiam falſis utantur litteris in hac parte, ſicut nobis ſcientibus hoc plurimum eſt compertum. Nos igitur præmiſſis adhibere opportunum remedium cupientes, omnes litteras noſtras ſub quacumque forma, vel ſub quocumque tenore, quibuscumque Monaſteriis Eccleſiaſticis vel perſonis datas, vel conceſſas, in his ſcriptis penitus revocamus, & de cœtero nolumus habere alicujus roboris firmitatem, & ſi ex aliquibus juſtis cautis ad hoc nos moventibus aliquas concedemus, illas Prælati & Plebani locorum, ubi devenerint, inſpiciant diligenter, & ſi in data ipſarum eas viderint exſpiraſſe, vel in ipſis deprehenderint falſitatem, aut utens ipſis, plus per eas præſumat facere, quam vires litterarum hujusmodi patiuntur, utentem talibus litteris non obmittant corporaliter detinere, quousque quid cum tali fieri debeat, a Nobis recipiant in mandatis.

VIII. Item exequendo Conſtitutionem publice nuper editam, ſub pœna excommunicationis in eadem Conſtitutione prolatæ præcipimus firmiter & mandamus, ne aliqua pro *Begina* ſe de cœtero teneat, ſtatu, habitu, re vel nomine, aut alio quovis modo, & ne aliquis hominum ipſas foveat in ſtatu vel habitu Beginarum.

IX. Item omnes conceſſiones quibuscumque perſonis religioſis ſuper audiendis Confeſſionibus, in caſibus nobis a jure reſervatis, & ſuper miniſtrandis Eccleſiaſticis Sacramentis ſubditis Plebanorum, præſentibus revocamus; nolentes, quod de cœtero habeant roboris firmitatem.

X. Item ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præſentibus inhibemus, ne vagæ reſtitutiones alicui hominum, quam *Joanni de Treveri* Prebendario, & *Dilemanno Feſt* Vicario Eccleſiæ Mo-

Moguntinæ noſtris Pœnitentiariis præſententur, vel etiam ad aliquos uſus alios convertantur absque noſtra licentia ſpeciali.

Fratres autem Prædicatores, Minores, Auguſtinenſes, & Carmelitas, cum ipſi Pauperes elaborent vineam Domini, & in ea multarum ſaluti proficiant animarum verbo pariter & exemplo; Diſcretioni veſtræ duximus commendandos, diligentius injungentes, ut cum ad veſtras Parochias pervenerint, propter Deum benivole recipiatis, & benigne pertractetis eosdem, ſub pœna excommunicationis præcipientes, ne aliquis contra juſtitiam ipſos perturbet vel moleſtet. Datum anno Domini MCCCXVIII. VII. Idus Junii.

Ex codice MS. Bibliothecæ Academiæ Marburgenſis poſt Concilium Moguntinum anno 1310. *celebrati, deſcripſit Cl. Schannatus hæc Petri Moguntini Statuta hoc anno publicata.*

Hujus Synodi nec Serarius, nec Cl. Joannes meminerunt.

CONCILIUM ULTRAJECTINUM

Anno Chriſti MCCCXVIII. Joannis XXII. Papæ II. Ludovici Bavari Regis IV.

Statuta Domini FREDERICI (a) *Epiſcopi Trajectenſis Eccleſiæ.*

NOS FREDERICUS, Dei Gratia, Epiſcopus Trajectenſis, videntes plurimos defectus & pericula enormia Eccleſiis noſtris ſubjectis, propter abſentiam Rectorum Eccleſiarum, & aliorum Beneficiorum, quæ perſonalem exigunt reſidentiam, imminere: per hanc enim tollitur hoſpitalitas, & grex Dominicus minus ſufficienter, & indebite gubernatur: *Mercenarius* (b) *enim eſt, cujus non ſunt oves propriæ, cum viderit lupum venientem, fugit & recedit.*

I. Præſenti decreto ſtatuimus, præcipimusque in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis ſuſpenſionis & excommunicationis latæ ſententiæ in his ſcriptis, firmiter & ſtricte mandantes, ut quilibet Rector Eccleſiæ, cui cura incumbit animarum, & quivis Beneficiatus de Beneficio quocunque, quod perſonalem requirit reſidentiam, infra duos menſes a data præſentium, in ſua perſonaliter reſideat Eccleſia vel Beneficio, nec ſe de cætero aliquantenus abſentare præſumat; alioquin quicunque ſecus fecerit, ſententiam ſuſpenſionis & excommunicationis ipſo facto incurrit.

II. Et ſi quis, quod abſit, per duos alios menſes immediate ſequentes, dictas noſtras ſententias in contemptum clavium ſanctæ majoris Eccleſiæ ſuſtinuerit, extunc ſuo beneficio, quod perſonalem requirit reſidentiam, eo ipſo ſit privatus, & Proviſores ſeu Collatores Eccleſiarum, vel Beneficiorum hujusmodi, ſeu hi, qui de illis diſponere habent, de ipſis infra tempus ſtatutum ordinent & diſponant. Alioquin ex tunc de illis diſponere poterimus, & auctore Domino feliciter diſponemus.

III. Item ſtatuimus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & virtute ſanctæ obedientiæ in his ſcriptis diſtricte & firmiter inhibemus, ne quis Decanus, Sacerdos, vel aliquis aliter in partibus Friſiæ, vel alias in noſtra Diœceſi, ullo tempore de caſibus majoribus, vel cauſis & caſibus Epiſcopalibus, Nobis a jure ſpecialiter reſervatis recognoſcat, vel alias quomodolibet aliquatenus ſe intro-

(*a*) Fridericus Zirichenſis, quadrageſimus tertius a S. Willibrordo Ultrajectenſium Epiſcopus, ex Præpoſito S. Petri Ultrajecti fuit anno 1317. creatus Epiſcopus. Multa perutilia ſanxit, & Prædeceſſoris Guidonis Avennii ſtatuta confirmavit. Obiit 10. Julii 1322. *Caſtillon in ſacra Belgii Chronologia.* (*b*) Joannis X, 12.

tromittat, nisi obtentis a Nobis auctoritate & mandato speciali; quibus obtentis a Nobis per concessa sibi tempora libere continue poterit exercere. Qui vero contra nostram hanc inhibitionem facere præsumpserit aut fecerit, excommunicationis sententia ipso facto sit ligatus, a qua a nullo, præterquam a Nobis, seu Officiario nostro absolvi valeat, nisi in puncto mortis, præstita tunc cautione de satisfaciendo Ecclesiæ, & nobis de tantæ temeritatis audacia perpetrata.

IV. Item statuimus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna latæ sententiæ in his scriptis præcipiendo mandamus, ne quis nostræ civitatis vel Diœcesis, cujuscunque status, gradus, aut dignitatis existat, a sententiis excommunicationis, suspensionis, vel interdicti *virtute Statutorum Synodalium* nostrorum, vel Prædecessorum nostrorum latis, actione matrimoniorum clandestinorum, vel alias quomodolibet absolvere valeat; absolutiones autem omnium hujusmodi Nobis, seu Officiario nostro præsentibus reservamus.

V. Item statuimus, districte præcipiendo mandantes, ne Consiliarii, seu Consules, aut Procuratores Ecclesiarum Parochialium nostræ civitatis & Diœcesis, de rebus Ecclesiarum ipsarum, sine consilio, & consensu nostro, seu Presbyterorum earundem, ordinare, & disponere præsumant; alioquin sententiæ excommunicationis subjaceant ipso facto.

VI. Item statuimus, si quis in Nuncios seu Procuratores litterarum Curiæ nostræ Trajectensis, seu Officialium foraneorum, aut Provisorum manus injecerit violentas, aut litteras Curiæ nostræ, seu Officialium earundem ruperit vel subripuerit, si hic habens jurisdictionem temporalem, eo ipso excommunicatus existat, & terra sua Ecclesiastico subjaceat interdicto: si vero sit persona privata, sententia excommunicationis sit ligata, & in Parochia qualibet, ubi malefactorem talem esse constiterit, cessetur a Divinis.

VII. Præcipimus quoque universis & singulis Ecclesiarum Rectoribus, Presbyteris, Capellanis, & Clericis nostræ civitatis & Diœcesis quibuscumque, ut præsens nostrum statutum, & pœnas, ac sententias in eo inflictas, sine exspectatione alterius mandati statim post notitiam commissi irrefragabiliter observent, & in Ecclesiis suis denuntient singulis diebus Dominicis & Festivis, tale delictum commissum esse per talem, & propter has hujusmodi secundum qualitatem delicti secutas esse, & eas firmiter ab omnibus observandas, cum intimatione etiam, quod si absolutionem super sententiis hujusmodi breviter a Nobis non procuraverint seu Officiario nostro, pœnæ & sententiæ acriores infligentur.

Alioquin Rectores & Presbyteri non observantes hoc nostrum statutum in omni sua forma & parte, excommunicationis sententias ipso facto se noverint incurrisse. Ne vero inter viros religiosos ordinum mendicantium, qui utique in Ecclesia Dei fructum afferunt cum patientia, & quorum consiliis & doctrinis virtutes plantari solent, & vitia exstirpari, ex parte una, & Clerum, cui in eadem Ecclesia commissum est regimen animarum, discordiæ, quæ mater est litium, persistendi suscipiat incentivum, præmissis sane duximus statuendum.

VIII. Sciendum, quod tam Decani Christianitatis, quam Provisores, Ecclesiarum Rectores *DECRETALES LIBRI SEPTIMI* noviter emanatas, quas Nobis hic astantibus cum ea, qua decet reverentia, publicamus, sicut in ejus cavetur principio, & in *Scholis*, & in *Judiciis* observandum; quarum Decretalium una titulo: *De Sepulturis*, incipiens, dudum a BONIFACIO Papa 8vo: reliquæ in titulo: *De religiosis domibus*, super *Beghinarum* cœtibus abolendis, cujus principium sic existit: *Cum de quibusdam mulieribus Beghinabus* &c. collocantur; tertia vero eodem libro: *De Hæreticis*, contra hæreticos *Bagardos*, & *Beghinas*, qui incipit: AD NOSTRAM, penes se & suas Ecclesias habeant & observent.

IX. Cœterum universa & singula statuta, monita, & mandata Reverendissimorum Patrum & Dominorum JOHANNIS DE SIRC, & GUIDONIS DE HANONIA, Trajectensium Episcoporum, felicis recordationis Prædecessorum nostrorum, præsentibus confirmamus, mandantes ea sub pœna in ipsis, & cœteris institutis inviolabiliter observari, quousque de maturiori consilio illa duxerimus emendare. Præcipientes insuper

ſuper univerſis & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus communiter & diviſim, in noſtra civitate & Diœceſi conſtitutis, ut ipſa & hæc noſtra ſtatuta in ſuis Eccleſiis habeant & recipiant incunctanter, eisque utantur, & illa teneant ſine addictione qualibet & obſervent. In quorum omnium teſtimonium & robur perpetuo valiturum, ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum. Actum, publicatum, datum anno Domini MCCCXVIII. Feria VI. poſt Dominicam *Oculi*.

Expliciunt Statuta Domini FREDERICI, quondam Epiſcopi Trajectenſis.

Heusdenii Batavia Sacra.

SYNODUS OLOMUCENSIS
IN CREMSIR (a)
Anno Chriſti MCCCXVIII. Joannis XXII. Papæ II. Ludovici Bavari Regis IV.

CONRADUS, (b) DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, EPISCOPUS OLOMUCENSIS &c.

Conſtitutiones, ſive ſtatuta Prædeceſſorum noſtrorum diligentius requirentes, nec in Cathedrali, nec in aliis Eccleſiis, requirendo ſæpius de eisdem, ipſas potuimus invenire; vel ſi quæ conſtitutiones ex ipſis particulariter receptæ fuiſſent, non taliter conſcriptæ fuerunt nec receptæ ſub ſigillis authenticis, ut ipſis poſſit fides in judiciis, vel extra judicium adhiberi, vel pœnæ infligi transgreſſoribus eorundem; propter quod volumus, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, quatenus noſtras conſtitutiones, quas *in præſenti* promulgamus *Synodo*, utantur Clerici noſtræ Diœceſis, & non aliis, & ipſas diligenter infra unum menſem a publicatione præſentium, conſcribi faciant, in ipſis contenta ſuo loco, & tempore, obſervando.

Caput I. *Contra Concubinarios.*

Licet a ſanctis Patribus in ſanctorum Canonum editione, contra cohabitatores manifeſtos plurima emanaverint inſtituta, in quibus Canonibus evidenter proponitur, quod nullus Sacerdotis Miſſam audiat, quem indubitanter, habere noverit concubinam, Nos, hujusmodi vitium a ſanctis Patribus, & eorum inſtitutionibus prohiberi, & deteſtari ſcientes, & ſicut Religioni Sacerdotum convenit, proſpectum cupientes, monemus omnes Prælatos, & Clericos noſtræ Diœceſis, ut continenter & caſte ſtudeant vivere, & quod ſuſpectas fœminas nullatenus ſecum teneant in domo, & in hoc ſtudeant, ut eorum vita Deo & hominibus ſit placibilis, & in ſuis actibus irreprehenſibiles habeantur; ſtatutum Provincialis Concilii contra cohabitatores & incontinentes promulgatum exequi volentes, exequimur in præſenti, ſic quod tales cohabitatores ex vigore & authoritate prædicti Concilii, ex nunc prout ex tunc, ſicut in eodem Provincialis Concilii continetur ſtatuto, ſint privati Beneficiis, & adjutorum Officiis ſint ſuſpenſi: propter hoc enim ſine qualibet ammonitione in Beneficiorum privatione, & Divinorum ſuſpenſione procedentes, pœnam Concilii infligimus, cum veraciter intelleximus, quod ſtatutum Concilii prædicti eo tempore, quo felicis memoriæ P. Epiſcopus in civitate Cremſir Synodum celebravit, fuerit publicatum. Cum & Domi-

 nica

(a) Cremſter, civitas eſt cum Collegio Canonicorum, & egregia arte adſita fluvio Morav. in Diœceſi Olomucenſi, reſidentia Epiſcopi Olomucenſis. *Hubner in Converſationis Lexico.*

(b) Conradus, Comitiis publicis electus, magnanimus Eccleſiæ ſuæ defenſor & tutor, ordine XXI. Conſtitutiones ſaluberrimas Clero ſuæ Diœceſis ſancivit, & plurimis Eccleſiam ornamentis imo redditibus Cathedralem auxit: obiit anno MCCCXXVI, ante altare S. Cordulæ in ſua Eccleſia tumulatus. *Ex MS. a Celſiſſimo Pragenſi Archiepiſc. communicato.*

nica voce ſancto Petro dictum fuit: *Si diligis me*, (a) *paſce oves meas*; ex quo colligitur, ſi is qui omnipotentis Dei oves paſcere renuit, Paſtorem ſuum ſe minime oſtendit amare; & ne de grege Nobis commiſſo, quorum ſanguis de noſtris requiretur manibus, depereat quidquam, ſed ex paſtorum ſuorum ſolertia & corporali præſentia deſervetur.

Cap. II. *Contra non reſidentes.*

Univerſos Plebanos, & Curatos noſtræ Diœceſis præſentibus ammonemus, ut infra unum menſem a publicatione præſentium, præteritæ tamen non parcentes negligentiæ, ad ſuas revertantur Eccleſias, & in eiſdem reſidentiam faciant perſonalem; illis dumtaxat, qui cauſa ſtudii, vel alias ex cauſa legitima, de noſtra licentia ſe poſſint a ſuis Eccleſiis abſentare; quod ſi infra menſem ad Eccleſias, per præſentes ammoniti, non redierint, Nos ad præſentationem illorum, qui Jus Patronatus in eiſdem Eccleſiis obtinent, alios ad ipſas Eccleſias confirmare nullatenus differemus; quinimo prædictarum Eccleſiarum deſertores, quos non Paſtores, ſed pavidos mercenarios reputamus, poſt lapſum duorum menſium a publicatione præſentium, ipſorum privamus Beneficiis, & denuntiamus eſſe privatos, præjudicium nullum per hoc Patronis ex publicatione præſentium, ſi poſt lapſum duorum menſium perſonas idoneas ad vacantia Beneficia ex conſtitutione præſenti Nobis præſentaverint, inferendo; cui ſtatuto etiam Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Canonicos, dum non in altero ipſorum reſideant, ut tenentur, includi volumus.

Cap. III. *Ut nullus Plebanus aliam Eccleſiam conveniat.*

Nullus Parochianus, propriam obtinens, aliam Parochiam, vel fructus ſive proventus alterius Parochiæ conveniat ſub ſpe lucri; ſi ex cauſa legitima, noſtra tamen obtenta licentia, aliquis, pro cenſu annuo ſuam Eccleſiam velit locare, hanc alteri, & non Beneficiato proventus & fructus Beneficii ſui locet. Nos enim locatorem fructuum ſuorum Beneficiato, alias excommunicamus in his ſcriptis, conductorem vero in V. marcas groſſ. denariorum condemnamus noſtræ Cameræ applicandas, & nihilominus ſuſpendimus eum ab ingreſſu Eccleſiæ & Divinis.

Cap. IV. *De Exhortatione facienda ad Plebem.*

Item ſtatuimus: ut Plebani, & Clerici noſtræ Diœceſis in ſuis Parochialibus Eccleſiis, diebus Dominicis & Feſtivis, plebem ſibi commiſſam diligenter ammoneant, ut in Feſtivitatibus ſolemnibus, videlicet: Nativit. Chriſti, Reſurrectionis, & Pentecoſtes, ſuo vero Plebano, & non alteri ſua confiteantur peccata, & ad communionem Corporis & Sanguinis Domini in eiſdem Feſtis properent & accedant, maxime in Feſto Paſchatis: & ſi quos invenerint, qui in Feſto Paſchatis ſua peccata non confeſſi fuerint, & ſacram communionem non aſſumpſerint, viventes ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur, & morientes Eccleſiaſtica careant ſepultura.

Cap. V. *De procurandis infirmis.*

Item, quod Plebani, & Clerici infirmos viſitent, & eos reconcilient, poſt eorum confeſſionem ipſis injungendo pœnitentiam, ipſos etiam Oleo ſancto ungant, & manu communicent, & Corpus Domini ad ipſos, vexillo, lumine, & nola ipſos antecedente, deferant reverenter. Nullus etiam ex Plebanis vel Clericis noſtræ Diœceſis pro baptizandis infantibus, ſepeliendis mortuis, aut reconciliandis infirmis munus aliquod exigat, aut recipiat.

Cap. VI. *Ne ſacra Vaſa, & Ornamenta in pignus dentur.*

Sacra etiam Vaſa & Veſtimenta Sacerdotum Negotiatoriis aut Tabernatoriis pro pignore non exponantur, & ſi quis inventus fuerit de præmiſſis aliquid impignoraſſe; in quantum obligavit prædicta, tantum ſuo Epiſcopo ſolvere teneatur, & nihilominus obligans ſit ſuſpenſus a Divinis.

Cap. VII. *Contra eos, qui ſine licentia Epiſcopi Eccleſias amminiſtrant.*

Statuimus etiam, quod ſi quis Clericus ſæcularis, vel Religioſus in aliqua Eccleſia noſtræ Diœceſis, inſtitutione noſtra non habita, in Spiritualibus vel in ſæcu-

(a) Joannis XXI, 16.

fæcularibus amministrare præsumpserit, ipso jure omne jus, quod in eisdem Ecclesiis competebat, amittant, nec ad aliud Beneficium, etiamsi media persona intercesserit, de cætero admittantur.

Cap. VIII. *De vita, & honestate Clericorum.*

Volentes, ut Clerus nostræ Diœcesis in suis actibus universis sit Deo placibilis, & etiam contra ipsum Clerum nulla possit haberi suspicio vel scandalum; universis præcipimus & mandamus, ut nullus tabernas intret, nisi sit in itinere constitutus, & tunc in ipsa taberna, causa necessitatis prædictæ, moras faciens, ullatenus ad taxillos vel ad aleas ludat: & si in ipsa taberna ludum taxillorum vel alearum exercuit, statim unam marcam Nobis solvere teneatur; & si qui Sacerdotes vel Clerici vagabundi in tabernis inventi fuerint; talia, quæ prædiximus, peregisse, statim per Archidiaconos & Decanos locorum capiantur, & a nostra Diœcesi, ne sint in aliorum scandalum, penitus expellantur.

Cap. IX. *Ne Plebanus suos, vel alienos subditos excommunicet, nisi servatâ formâ.*

Statuimus, quod Ecclesiarum Plebani subditos suos non excommunicent nisi servata forma; & non excommunicent, nisi pro notoriis excessibus; & causam excommunicationis in scriptis assignent, ut coram Nobis eadem, si per excommunicatum ad Nos desuper querela pervenerit, approbari valeat, vel si causa rationabilis non fuerit inventa, injuste excommunicato ad interesse condempnentur, & alias puniantur.

Cap. X. *Quod omnes Ecclesiæ, non solventes decimales denarios, sint subditæ interdicto.*

Statuimus etiam, ut decimales denarii, qui Nobis de tabernis, molendinis, curticulis, & ab aliis de jure debentur, per nostræ Diœcesis Plebanos in singulis Parochiis, statim, incipiendo a Festo S. Michaelis usque ad Festum S. Martini, fideliter & integraliter colligantur, & in Octava S. Martini, sicut alias sunt soluti, solvantur plenarie; & per quoscumque Plebanos ipsi denarii in Octava S. Martini soluti non fuerint, ipsorum Ecclesiæ, elapso termino prædicto, sint Ecclesiastico interdicto suppositæ.

Cap. XI. *De Incendiariis.*

Licet a Prædecessoribus nostris, sicut audimus, contra nocuos & pestiferos incendiarios, eorumque complices ac fautores, vel alios, ipsis incendiariis conscribentes cartulas, per quas illi, quibus incendium, seu vexationem inferre minitantur, ab ipsis incendiariis redimant dampnum, quondam statuta fuerint promulgata, non tamen ipsorum malitia sufficienter punita videatur, imo quotidie per ipsos incendiarios damna plurima causantur, quæ alias, si carerent fautoribus, vel scriptoribus, vel eorum negotia gerentibus, nullatenus inferrentur; Nos huic morbo obviantes vel obviare volentes, præsenti constitutione sanximus & invocata Spiritus Sancti gratia, auctoritate Ss. Petri & Pauli App. & nostra, in omnes incendiarios ac eorum fautores, receptatores, vel quomodolibet ipsis consilium, auxilium, vel favorem præstantes publice vel occulte, cujuscumque dignitatis, conditionis aut status existant, excommunicationis sententiam in scriptis præsentibus promulgamus: & si Clericus repertus fuerit prædictorum incendiariorum negotia gerere, vel cartulas ipsis conscribere, si de hoc testibus, vel alias præsumptione vehementi convictus fuerit, suo nihilominus Beneficio perpetuo spolietur, & si Beneficium non habuerit, per annum detrusus in carcerem, perpetua notatus infamia, sine aliqua remissionis gratia, a nostra repellatur Diœcesi: Religiosi etiam, si inventi fuerint, talia perpetrasse, per suos Superiores in perpetuum carcerem detrudantur.

Cap. XII. *Contra illicitos Ecclesiarum occupatores.*

Pastores, non intrantes per ostium, sed aliunde venientes, tanquam fures, & non instituti per Episcopum occupantes Ecclesias, & alias se procurantes intrudi per potentiam sæcularem, omni jure, si quod eis competeret in Beneficiis taliter occupatis, ex constitutione præsenti sunt privati & inhabiles reddantur ad alia Beneficia, nisi cum ipsis per Sedem Apostolicam fuerit dispensatum.

Cap.

Cap. XIII. *Ne Patroni suos Plebanos deprædentur.*

Patroni, qui Plebanos, aut Clericos extra dotem, vel in dote, in toto vel in parte in rebus suis, vel alias aliqua re mobili, seu equo, veste, pecoribus, sive suppellectilibus spoliaverint, & moniti, infra dies octo, ablata non restituerint, in Patroni ipsius injuriam cessetur a Divinis: hanc tamen ammonitionem per Episcopum, vel Archidiaconum loci, fieri volumus, priusquam cessetur a Divinis, & quod etiam Episcopo, vel Archidiacono loci de ipsa spoliatione fides fiat.

Cap. XIV. *Ne Clerici ad Judicium trahantur sæculare.*

Licet a sanctis Patribus institutum fuerit, ut nullus Clericus trahi debeat ad judicium sæculare, pœna vero actoribus & reis per Canones ad hoc sit inflicta; cui pœnæ prolatæ aliam pœnam adjicimus: statuentes: ut actor, si sit laicus, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat; Clericus vero si sit, Beneficio, quod obtinet, ipso jure sit privatus; Clerici etiam, si, quæ ipsis illatæ fuissent injuriæ, contra Prælatos suos, spreto Episcopo suo, laicis sæcularibus conqueruntur, ipso facto, Beneficiis, quæ obtinent, sint privati, & excommunicati præsentibus constitutionibus a nostra Diœcesi repellantur, cum tales spiritualem jurisdictionem enervent, & sint sanctorum Canonum contemptores.

Cap. XV. *Ne Sæcularis Clericos audeat judicare.*

Judices vero sæculares, qui Clericos judicare præsumpserint, per præsentes, sint excommunicationis vinculo innodati.

Cap. XVI. *De Theloneis.*

Si Clericus cum rebus, quas secum pro suis ducit usibus, locum transit, ubi thelonium exigitur, vel pedagium recipitur, Theloneum ab eodem recipiens, excommunicationis sententiam incurrat, nec absolvatur nisi dupliciter restituat, quod recipit.

Cap. XVII. *Ne aliquis, præter Officialem aut Archidiaconum, causas Matrimoniales judicet.*

Item prohibemus sub pœna excommunicationis, ne aliquis causas matrimoniales judicet, nisi Officialis, vel Archidiaconus, idque per se, & non per aliquem substitutum; cum Matrimoniales causæ judicandæ sint per illos, qui statuta Canonum non ignorant.

Cap. XVIII. *Ne quis sine formatis majores Ordines assumat.*

Inhibemus etiam, ne in celebratione Ordinum aliquis per examinationem ad ulteriores Ordines recipiatur, nisi de Prioribus susceptis, per Episcoporum authenticas litteras sigilla fecerint plenam fidem.

Cap. XIX. *De Infantibus baptizandis.*

Nullus baptizandus non baptizatus ultra unius mensis spatium reservetur, & pueri non alibi, quam intra Ecclesiam, nisi necessitatis articulus subvenerit, exceptis filiis Principum, baptizentur.

Cap. XX. *Ut Matrimonia in facie Ecclesiæ contrahantur.*

Prohibemus etiam, quod Matrimonia alibi, nisi in facie Ecclesiæ contrahantur, & hoc Plebani suis intiment Plebanis singulis diebus Dominicis & Festivis; Et quod constitutio sive inhibitio de clandestina desponsatione a Plebanis observetur.

Cap. XXI. *Ut Plebanus in sua dote resideat.*

Nullus Plebanus circa suam residens Ecclesiam, alibi resideat, quam in dote. Si quis vero Plebanus, vel Clericus, concubinæ filiis aut filiabus agros emisse, & ipsis donasse, vel alias res immobiles Ecclesiæ compertus fuerit tradidisse, ad cujus utilitatem cedere debent, eos restituere teneatur.

Cap. XXII. *Ut Religiosi vacantes Ecclesias suis usibus non usurpent.*

Item *ex Concilio Fritzlariensi* statuimus: ut Religiosi, qui per donationem, seu alium titulum legitimum, jus Patronatus aliquorum Beneficiorum Ecclesiasticorum obtinent, vel acquisierint in futuro, talia beneficia suis usibus non usurpent; sed ipsis vacantibus, ad ea Sacerdotes sæculares & idoneos Diœcesano præsentent, alioquin elapso tempore a jure statuto, Diœcesanus, prout Eccle-

Ecclesiæ expedierit, idoneo provideat de Pastore.

Cap. XXIII. *Contra Clericorum captivatores.*

Ex Concilio Aschaffenburgensi statuimus: quod omnes, qui Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel pro Clericis se gerentes, maxime Prælatos & Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, ac alias personas Ecclesiasticas captivare, captivatas detinere, occidere, mutilare, aut lethalibus vulneribus afficere præsumpserint, sint ipso facto excommunicati, & non solum in terminis illius Archi-Diaconatus, in quo Prælatus, Canonicus, Religiosus, vel Clericus captivatus, sed etiam in alio Archi-Diaconatu, ubi tales detinentur, cessetur a Divinis ipso facto.

Cap. XXIV. *De Interfectorum sepulturis.*

Item de sepultura interfectorum statuimus: quod si ante mortem ipsorum de contritione apparuerit, sepeliantur apud Ecclesias; si vero de ipsorum contritione per signa vel testes, Plebano, apud cujus Ecclesiam sepeliri debent, fuerit probatum, si tamen statutis a jure temporibus alias confessi fuerint, & Eucharistiam acceperint, nec evidenter appareat, quod in mortalibus fuerint peccatis, possunt interempti apud ipsam Ecclesiam sepeliri.

Cap. XXV. *De his, qui sepeliri non debent.*

De his autem, qui sepeliri apud Ecclesiam non debent, intelligi volumus, qui in peccatis mortalibus, & nulla præveniente gratia interimuntur.

Cap. XXVI. *Ne Religiosi fructus Ecclesiarum sibi retineant.*

Nonnulli Religiosi nostræ Diœcesis, jus Patronatus in Parochialibus Ecclesiis obtinentes, cum prædictæ vacant Ecclesiæ, personas minus idoneas præsentant, iisque certos proventus, appropriatis sibi reliquis, relinquunt, de quibus condigne non valeant sustentari, nec nostræ Ecclesiæ, nec Archi-Diaconorum onera solvi possunt. Propter quod præsenti statuto sancimus, ut si Ecclesiarum proventus diminuti fuerint, infra mensem unum a publicatione præsentium, ad statum pristinum reducantur: si vero Religiosi sibi dicunt competere ex privilegio Sedis Apostolicæ, ut congrua sustentatione relicta Plebano, fructus alios suis possint incorporare Monasteriis, nobis privilegia exhibeant, infra mensem, sic, quod deliberatione habita, (a) ullum privilegiatis Monasteriis vel Parochiis præjudicium generetur.

Cap. XXVII. *Ne Laici Clericos in dispositione rerum suarum impediant.*

Ex eo quod Nobiles Laici, Judices, Advocati, & alii temporale Dominium obtinentes, decimas villarum, seu possessionum, suo Dominio immediate subjectarum, prætextu prædictæ potestatis suæ, sibi, & non aliis vendi seu locari permittant in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis, contra Rectores Ecclesiarum, Ecclesiasticasve personas, ad quas eadem bona spectant, ac emptores seu conductores, si secus fieret, graves gerentes inimicitias, unde Ecclesiis, Ecclesiasticisve personis damna non modica, ac inter laicos prædictos altercationes & odia didicimus oriri. Hujusmodi igitur venditiones seu locationes prædictis laicis & Judicibus, seu Dominis, aut etiam Advocatis, per ipsos fieri prohibemus; si qui vero vendendo vel locando, emendo vel commutando secus fecerint, seu decimas ipsas, ad quos pertinent, libere deducere, quocumque maluerint, non permiserint, excommunicationis sententiam eos incidere volumus ipso facto, adjicientes nihilominus, ut prius nostra constitutio proxima Dominica, ac annis singulis in Festo Ss. Trinitatis & duabus Dominicis sequentibus, coram populo in Ecclesiis Parochialibus publicetur.

Nos *Conradus*, Dei Gratia, Episcopus Olomucensis, Anno Domini MCCCXVIII. proxima die Dominica post diem S. Mauritii, & Sociorum ejus, in Civitate nostra *Cremsir*, *Synodum hanc nostram celebrantes*, Prælatis, & Canonicis Ecclesiæ nostræ, ac aliis sæcularibus, & Religiosis Prælatis, Presbyteris, nec non Plebanis, & toto Clero nostræ Diœcesis præsentibus, ac prædictas constitutiones in ipsa Synodo pervulgavimus, volentes: ut per totam Diœcesim ipsæ constitutiones serventur ab omnibus, & eis utantur in nostris Judiciis & extra Judicium, & exequantur suo loco, & tempore in ipsis contenta.

Cl. Schannat descripsit ex codice Moguntino.

(a) *forte*: nullum, *legendum.*

CONCILIUM HALLÆ MAGDEBURGICÆ,

SUB BURCHARDO, ARCHI EPISC. MAGDEBURG.

Anno Chriſti MCCCXX. Joannis XXII. Papæ IV. Ludovici Bavari Regis VI.

BORCHARDUS, DEI GRATIA, SANCTÆ MAGDEBURGENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS &c.

Conſulta Canonum & Legum peritia ſuper Eccleſiarum rebus, & libertatibus conſervandis, rebusque earum non alienandis, niſi in certis caſibus, & forma a jure permiſſa per ſuas conſtitutiones multam adhibuiſſe ſollicitudinem reperitur. Unde legitur in ſacris Canonibus, quod *omne id, quod Domino conſecratur*, ſive fuerit homo, ſive animal, ſive ager, ſive quidquam aliud, *ſanctum erit Domino*, & ad *jus pertinet Sacerdotum*: propter quod inexcuſabilis erit omnis homo, qui Domino, quod ei competit, aufert, vaſtat, eripit, & invadit, & uſque ad emendationem, Eccleſiæque ſatisfactionem ut ſacrilegus judicatur, & ſi emendare noluerit, excommunicationis vinculo conſtringitur. Præterea & in eisdem ſcribitur, quod quicumque militum, vel cujuscumque Ordinis vel Profeſſionis perſona, prædia Eccleſiaſtica, a quocumque Rege, vel Principe ſæculari, Epiſcopis, vel Abbatibus, aut aliis Eccleſiarum Rectoribus largita, invaſerit, vel ſine eorum conſenſu tenuerit, niſi eadem Eccleſiæ reſtituat, excommunicatione ligetur.

De auferentibus Bona mobilia, Jura, & Jurisdictiones Eccleſiarum.

Quia tamen in obſervatione Canonum prædictorum, nonnulli timore, odio, vel favore in promulganda excommunicationis ſententia contra tales ſe exhibent negligenter, Nos volentes illorum negligentiam periculoſam ſtatutorum noſtrorum executione ſupplere, univerſos, qui bona mobilia vel immobilia, ſeu Jura aut Jurisdictiones ad Eccleſias pertinentes auferunt aut invadunt, aut ſuſceperint, vel detinuerint, ſeu alios in talibus defenſaverint, præſtando auxilium, vel favorem, cujuscumque ſint ordinis, præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, ſacri hujus approbatione Concilii ſtatuimus: niſi per Executorem, cui competit jurisdictio, contra tales legitime moniti, ab hujusmodi injuriis deſtiterint infra menſem, oblata vel detenta reſtituendo, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant; quam ſi in animarum ſuarum periculum ac Eccleſiarum præjudicium, ac jacturam per menſem immediate ſequentem animis ſuſtinuerint induratis, ab univerſis Provinciæ noſtræ Executoribus cum ſuper hoc per litteras dicti Executoris, per quem proceſſit monitio, requiſiti fuerint; excommunicati publice nuntientur, quouſque per reſtitutionem vel ſatisfactionem debitam ſe correxerint cum effectu, & nihilominus in locis, in quibus domicilium obtinuerint, & in quibus ſe receperint, quamdiu ibi moram traxerint, ceſſetur penitus a ſolemniis Divinorum, ſtatutis prioribus, quo ad aggravationes ſententiarum in ſuo robore duraturis.

De quibuſdam abuſibus infeodandi.

Quidam fraudulentus infeodationis abuſus, qui *Ulusbſale* vulgariter nominatur, hactenus apud quosdam invaluit in duobus infraſcriptis caſibus habens locum. Pri-

(a) Burchardus III. de Scrapelaw Comes, vir ſobrius, pius, caſtus, fortis, prudens, & qui jura Eccleſiæ ſuæ magno cum labore tueretur, creatur Archi-Epiſcopus A. 1308. A civibus Magdeburgenſibus, Hallenſibus, & Callenſibus horrendo parricidio in carcere occiditur A. 1325. nocte S. Matthæi Apoſtoli: cædes anno integro celatur. Sedit annos 18. *Krantzius Wandaliæ Lib. VIII. c. 13. cui præ omnibus recentioribus acatholicis calumniatoribus credendum.*

Primo videlicet, quando Vaſallus adeò gravi infirmitate detinetur, quod de periculo mortis propinquo formidat, vel ad partes longinquas, non cito reverſurus, ſe transferre proponit, tunc de ſuo feodo, quod ipſe a Domino ſuo tenet, alium infeodat, hac intentione, ut ſi ad convaleſcentiam ab ægritudine redierit, vel a loco, ad quem proficiſci intendit, ad propria remeavit, feodum ad ipſum libere revertatur; quem quidem infeodationis abuſum, ut & Vaſalli dolum reprobum jura Patriæ in tantum abhorrent, quod taliter infeodantem privandum eſſe feodi beneficio decreverint, & ipſum feodum, poſt privationem, libere reverti debere ad prioris Domini poteſtatem.

Secundo vero, dum Vaſallus feodum, quod a Domino eſt datum eidem, in aliquem alium aut per venditionem, ſeu alium modum transferre deſiderans, & ille alius ad feudum tale aſpirans, tamen ſe de eo infeodari, propter ſuæ conditionis ſtatum, recuſat, aut forte contemnit: & doloſe procurat, ut homines ſui tale feodum ab ipſo priore Vaſallo recipiant, & ad ipſius utilitatem & commodum reſervent, quo quidem caſu dubium non eſt, verum Dominum defraudari; unde in hoc caſu jura Patriæ ſtatuerunt: quod ſi Dominus Vaſallum taliter infeodantem apud alios ſuos Vaſallos incuſaverit, ſi ipſe incuſatus talem infeodationem forte fuerit confeſſus, feodo tali eſt ipſo facto privatus, & ad Dominum priorem devolvetur; ſi vero taliter ſe infeodaſſe negaverit, negationem hujusmodi veram eſſe probabit proprio juramento, & deinde, id eſt, poſt juramentum præſtitum, mandabit ei, vel eis, quibus feodum prius conceſſit, quod ipſi ipſius feodi poſſeſſionem ad ſe debeant infra ſex hebdomadas efficaciter collocare, ſeu ejus poſſeſſionem nanciſci; alioquin ipſo feodo ſint privandi: & feodum poſt privationem reddere debet ad poteſtatem Domini non principalis, ſed Vaſalli ſui prioris: feodum namque ſine feodi poſſeſſione nihil juris tribuit ad feodum licite retinendum. Nos itaque in favorem Eccleſiarum, & in odium præſumptorum, approbantes omnia in præmiſſis, ſtatuimus: quod ſi quis feodum in caſibus prædictis amiſſum retinere contenderit, nec ad priorem Dominum reverti permiſerit, ſeu impedimentum ad hoc aliquod præſtiterit, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrat, in omnibus locis noſtræ Provinciæ, in quibus expedierit, ſolempniter publicandam.

De pœnis Prælati, Canonici, vel Miniſtri propriam Eccleſiam hoſtiliter impugnantis.

Si quis Prælatus, Canonicus, aut Miniſter in aliqua Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia in tantam eruperit temeritatem, ac deteſtandæ ingratitudinis vitium inciderit, quod Eccleſiam propriam, in qua Dignitatem, Canonicatum, aut Beneficium obtinet, bonorum ipſius adipe inpinguatus, per ſe, aut cum aliis ejusdem Eccleſiæ perſecutoribus & inimicis hoſtiliter impugnaverit vel invaſerit; Ne talis ac tanta malitia incrementum accipiat, aliisque præſumptoribus tranſeat in exemplum, & tales pœnæ formidine a ſuæ temeritatis audacia refrænentur, proinde duximus ſtatuendum: ut quicumque talia, tamque enormia contra matrem ſuam Eccleſiam præſumpſerit, ſi Prælatus fuerit, dignitate, Canonicus canonicatu, Miniſter beneficio ipſo facto priventur, & tanquam membrum putidum ab eadem Eccleſia perpetuo ſit abſciſcus, (*b*) cum indignum ſit juxta doctrinam Canonum, ut Eccleſia, quæ ſuſcepit extraneum, in ſinu ſuo foveat invaſorem.

De modo executionis ſtatuti prædicti.

Ad hoc, ut ſtatutum præſens plenum ſortiatur effectum, voluit Eccleſia hoc ordine in ipſo procedi, quod videlicet ſuperior Prælatus Eccleſiæ taliter impugnatæ, requiſito prius Capituli ſui conſilio, ſuper eo monere debeat ſalubriter tam enormiter delinquentem, quod infra menſem vel ultra, juxta monitoris arbitrium ſtatuendum, ab impugnatione & invaſione hujusmodi abſtinere de cætero debeat, & ſuper damnis & injuriis irrogatis ſatisfactionem iis, quorum intereſt, impendere competentem, ſi pœnas prædictas voluerint evitare; quod ſi moniti a Prioribus ſuis malitiis ceſſare, aut emendare ſecundum arbitrium Prælati, & Capituli, juxta qualitatem delicti, ac

(*b*) *pro*; abſciſſus.

ac possibilitatem ipsius animo contempserint obstinato; id Prælatus Ecclesiæ præponat, quod talis præsumptor tumore inflatus superbiæ, & spiritu rebellionis assumpto monitioni suæ in præmissis parere contumaciter dedignatur. Et si Prælatus, & Capitulum simul diligenti deliberatione præhabita, hujusmodi ingratitudinis filium reputaverint, & decreverint in pœnas præsentis statuti ex suis demeritis & iniquitatibus incurrisse; ex tunc statutum ipsum, privationem beneficiorum infligens, ut prædicitur, quoad pœnam, vel pœnas inflictas, roboris obtineat firmitatem. Præsens vero statutum non tantum in sæcularibus Ecclesiis, verum etiam in Regularibus volumus observari.

Extensio pœnæ cujusdam statuti ad posteritatem submittentium civitatem Magdeburgensem.

Dudum quædam statuta *anterioris nostri Concilii* provide fuit deliberatio præhabita, ne Rectores, seu Majores civitatis, vel oppidi alicujus in præjudicium veri Domini, videlicet Archi-Episcopi, Episcopi, aut alterius Prælati Ecclesiastici, civitatem vel oppidum alterius Domini subjacerent ditioni, certas pœnas in eodem expressas, transgressoribus infligendo. Verum, quia subjectio & submissio hujusmodi grave præjudicium afferunt & jacturam, expedit, ut assumptione talium, malitia hominum cumulatarum pœnarum formidine coerceatur. Sanximus igitur in casu præmisso, ut si submissio, & subjectio, de quibus prædicitur, fuerint aliquando per cives Magdeburgenses, aut Hallenses præsumptæ, quod, præter pœnas in prædicto statuto contentas, hi, qui talia fecerint, vel mandaverint, vel cum prohibere possint, admiserint, in suis filiis, & filiabus, ac omni eorum posteritate usque ad quartam generationem, eas pœnas incurrant ipso facto, quæ in *Concilio Magdeburgensi* expressæ continentur.

Quod Rectores Ecclesiarum debite & licite pulsare faciant ad Divina.

Considerantes Divinum cultum non minui, sed augeri, & Ministros Ecclesiarum in Divinis peragendis officiis nullatenus impediri debere, statuimus: quod Rectores Ecclesiarum, quibus celebratio Divinorum, & cura templi est commissa, ad pulsandum & pulsari faciendum pro conventione populi ad Divinorum auditionem, & ad alia, quæ salutem respiciunt animarum, libere quacumque eis hora placuerit, & congrua fuerit, habeant potestatem, nec a tali libertate a quoquam possint vel debeant prohiberi, cum indignum valde sit, quod ex arbitrio sic pendeant alieno, & per laicos certa forma, aut hora ipsis minime congrua imponatur. Si quis autem contrarium hujus statuti attemptare præsumpserit, prohibitionem aut impedimentum aliquod inferendo, nisi monitus per Rectorem Ecclesiæ cessaverit infra mensem, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, non obstante, si qua consuetudo in contrarium allegetur: quæ cum Ecclesiis sit onerosa, merito est reprobanda juxta Canonum Sanctiones.

Datum.

Ex codice MS. Ecclesiæ Moguntinæ descripsit Cl. Schannatus b. m.

Statutum ADULFI, Leodiensis Episcopi, Anno MCCCXX. editum.

ADULPHUS, DEI GRATIA, LEODIENSIS EPISCOPUS, UNIVERSIS ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, ARCHI-DIACONIS, DECANIS, CAPITULIS, CONVENTIBUS, ET CAPELLANIS, PLEBANIS, RECTORIBUS, CLERICIS NOSTRARUM CIVITATIS ET DIŒCESIS LEODIENSIS, NEC NON ET CÆTERIS PRESBYTERIS, ET CLERICIS IN EISDEM CIVITATE, ET DIŒCESI DEGENTIBUS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

DUdum in *Concilio Lugdunensi* dignoscitur statutum, ne causæ, quæ auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ vel Legatorum ejusdem committuntur, alibi, quam in civitatibus vel in locis insignibus, ubi copia jurisperitorum haberi potest

poteſt, ullatenus audiantur. Quod attendens bonæ memoriæ Dominus JOHANNES, dudum Epiſcopus Leodienſis Prædeceſſor noſter, Speculator, & Ordinarius totius ſuæ Diœceſis, in ea perſonam Chriſti repræſentans, duxerit in quantum potuit *in generali Synodo*, ut ſciri poſſet, in quibus locis Diœceſis Leodienſis cauſæ hujusmodi poſſent & deberent agitari, de ipſis ſuper hoc ordinando, conſideratis locis ipſius civitatis & Diœceſis, in quibus jurisperiti tunc temporis reſidebant, & eorum copia frequentius habeatur, loca ipſa propriis vocabulis exprimenda, videlicet *Leodium*, *Hoyum*, *Dionantum*, *Namurcum*, *Foſſis*, *Thudinium*, *Nivella*, *Lovanium*, *Aquis*, *Trajectum*, *Tongris & Thenis-in monte*, prohibendo, ne in aliis locis ipſius Diœceſis, quam prædictis, cauſæ hujusmodi tractarentur in futurum, nec hoc de partium procederet voluntate. Verum cum ſuccedente tempore felicis recordationis BONIFACIUS Papa VIII. id quod in dicto fuerat actum Concilio, renovans, edita ſuper hoc *nova decretali*, ſtatuerit, ne cauſæ prædictæ alibi quam in civitatibus, & locis, in quibus commode jurisperitorum copia haberi poſſit. (*a*) Nihilominus tamen quidam defenſionis & conſilii copiam ſuis adverſariis auferre conantes, in locis ipſis litterarum Apoſtolicarum auctoritate ſuos adverſarios citari faciunt, & eos ibidem judices a ſede prædicta deputati litigare compellunt, in ſui erroris fomentum, ordinationem ipſius noſtri Prædeceſſoris allegantes, & non attendentes, quod ceſſante ibidem jurisperitorum copia, & quod ibi commode haberi non poteſt; ex tenore ipſius Domini BONIFACII decernitur irritum & inane, quidquid in talibus locis auctoritate litterarum Apoſtolicarum fuerit attentatum. Quocirca Nos diverſis ac frequentibus noſtrorum ſubditorum clamoribus, & querelis excitati, nolentes ulterius noſtros ſubditos prætextu ordinationis præfatæ, cujus cauſa jam ceſſavit, a juris tramite deviare, & animarum periculis, & malignantium malitiis, in quantum poſſumus, obviare volentes, ordinationem, declarationem, & conſtitutionem ipſas Prædeceſſoris noſtri prælibati, habita *cum noſtro venerabili Capitulo Leodienſi* deliberatione diligenti, & multis jurisperitis, dicimus non tenere, nec loca ipſa præter civitatem Leodienſem, talia eſſe, quod ſecundum conſtitutionem antedicti Domini BONIFACII, cauſæ auctoritate litterarum Apoſtolicarum audiri poſſint ibidem, cum notorium ſit & exiſtat, quod jurisperitorum copia ibi non ſit, nec commode haberi poſſit ibidem. In quorum omnium teſtimonium præſentem noſtram declarationem fecimus noſtri Sigilli munimine roborari. Datum anno Domini M. CCC. XX. in craſtino Dominicæ, quo cantatur *Cantate*.

Tomo VII. Collectionis ampliſſimæ veterum Monumentorum Martene & Durand pag. 308. 309.

Adolphus a Marka ex Præpoſito Wormatienſi creatur Epiſcopus Leodienſis a Clemente V, Epiſcopus conſecratur a Berengario Cardinali Dominica infra octavam Pentecoſtes anno 1313, quo anno Leodium venit. Mortuus 3. Novembris A. 1344.

(*a*) *ſupple*: agantur.

CONCILIUM COLONIENSE

Anno Chriſti MCCCXXI. Joannis XXII. Papæ V. Ludovici Bavari Regis VII.

CAPITULA SEU RUBRICÆ STATUTORUM ECCLESIÆ COLONIENSIS, EDITORUM A BONÆ MEMORIÆ DOMINO HENRICO, ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI.

I. Ne Clerici ſæculares ſeu Religioſi, negociis ſæcularibus ſe immiſceant.

II. Quod Clerici ſæculares aut Religioſi, tonſuram & coronam debitam in capite deferant.

III. Quod Clerici veſtibus virgulatis vel partitis, aut alias eorum ſtatui contrariis, non utantur.

IV. Quod Clerici inordinati, non admittantur ad tractatus capitulares.
V. De modo celebrandi primam Missam, postquam aliquis in Sacerdotem est promotus.
VI. De locis insignibus Diœcesis Coloniensis, ubi causæ Ecclesiasticæ tractari possunt & debent.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

HENRICUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS &c. AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

LIcet consulta provisione a sanctis Patribus, ac etiam a nostris Prædecessoribus, ac a Nobis super vita & honestate Clericorum diversa promulgata sint statuta, tamen, quia in eorum observatione se multi (quod gravi nimirum cûm animi turbatione referimus) non exhibent reverentes, ad illicita, & honori ac statui Clericali non congruentia, fræna laxantes, ex Officii Nobis commissi debito cogimur ipsos, quos ad observantiam jurium & statutorum hujusmodi, virtutum præmia non inducunt, tam adjectarum exaggeratione pœnarum, quam adjiciendarum de novo formidine, ab ausibus temerariis refrenare, de nostri Capituli & Prælatorum consilio & consensu:

I. *Ne Clerici sæculares seu Religiosi, negociis sæcularibus se immisceant.*

Statuimus, ne Clerici sæculares aut Religiosi, cujuscunque status sive conditionis existant, negociis sæcularibus a jure prohibitis, præsertim tabernariorum officio, immiscere, aut ea exercere præsumant. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ universis Archi-Diaconis, Prioribus, Prælatis, ac cæteris quibuscunque, ad quos Clericorum tam sæcularium, quam Religiosorum nostræ civitatis & Diœcesis spectat correctio, ut ipsi suos subjectos ab hujusmodi tabernariorum officio animadversione debita desistere compellant. Et ut ad (*a*) hoc arctius compescantur, monemus ex nunc omnes Sæculares, Clericos, & Religiosos Nobis subjectos, termino mensis unius ipsis pro monitione legitima indulto, ne de cætero hujusmodi tabernariorum Officium, quisquam eorum publice exercere præsumat. Alioqui auctoritate præsentis statuti, taliter officium hujusmodi exercentes, pœnis in constitutione Clementis Papæ V. extra: *De vita & honestate Clericorum*, quæ incipit: *Diœcesanis*, expressis, præter alias pœnas Canonicas, ipso facto volumus subjacere. Et nihilominus hos, qui Beneficia habuerint, a perceptione fructuum Beneficiorum suorum, & ab ingressu Ecclesiæ, eo ipso volumus (*b*) fore suspensos: quas suspensionum sententias, si per alium mensem sustinuerint subsequentem, tam habentes Beneficia, quam non habentes, a Divinorum officio exnunc, prout extunc, suspendimus in his scriptis. In quibus suspensionum sententiis si per reliquum mensem tunc sequentem perstiterint, in quemlibet eorum in his scriptis excommunicationis sententiam promulgamus. Quod statutum ad personas fœminarum sive Ecclesiarum sæcularium, sive Monasteriorum, cum omni suo vigore duximus extendendum.

Nolumus tamen per præmissa quenquam a venditione vinorum, si qua ei a Beneficiis suis, seu aliunde, præter negotiationis causam, derivata fuerint, dummodo hoc sine dolo, nec in fraudem præsentis statuti, fecerit modis hactenus consuetis, & decentibus, prohibere.

II. *Quod Clerici sæculares & Religiosi, Tonsuram & Coronam debitam in capite deferant.*

Item statuimus, ut quilibet Clericus sive

Henricus Comes de Virnenburg anno 1306. electus, a Clemente V. præ duobus competitoribus confirmatus fuit: Patruus erat Henrici, ex Præposito Bonnensi, Archi-episcopi Moguntini, qui obiit 1353. & Joannis Virnenburgici Comitis, Præpositi Xantensis, & Episcopi Monasteriensis & Ultrajectini, qui obiit 1371. 9. Kal. Julii. *Cl. Joannis rerum Moguntiacarum T. I. pag.* 1722.

(*a*) ab (*b*) esse

five fæcularis, five Religiofus, cujuscunque dignitatis, conditionis, aut ftatus exiftat, habeat Tonfuram & Coronam in capite, fuo Ordini & ftatui cogruentes, maxime deferendo quotidie coronam in capite, quæ fecundum fui Ordinis & ftatus decentiam, detecta appareat fine fraude in capite non abrafo, feu cum forfice fuper pectinem detonfo vel decurtato, nifi infirmitas, vel quia Scholaris in Scholis eft, vel quia alia eum legitima caufa excufet. Alioqui Beneficia habentes, aut in facris exiftentes, qui talem coronam juxta prædictum modum deinceps affidue non portaverint, monitione quindecim dierum præmiffa, interdicti fententiam ab ingreffu Ecclefiæ, quam in his fcriptis ex nunc ferimus, fe noverint incurfuros. Modificationem vero longitudinis & brevitatis crinium, falva coronæ decentia, fecundum modum prædictum, ipfis, ad quos ipforum Clericorum correctio pertinet, committimus: in virtute fanctæ obedientiæ injungentes eisdem, ut quilibet, prout ad eum pertinet, fuos fubditos correctione debita ad portandum & habendum tonfuram debitam non negligat adigere: ne fi ipfi circa hoc inventi fuerint negligentes, oporteat Nos ipforum defidiam corrigere & punire.

III. *Quod Clerici veftibus virgulatis vel partitis, aut alias eorum ftatui contrariis, non utantur.*

Cum felicis recordationis CLEMENS PAPA QUINTUS fub certis pœnis ftatuerit, ne aliquis Clericus virgulata vel partita publice vefte utatur, nifi rationabilis caufa fubfit, hujusmodi pœnas in ipfa conftitutione *Clementina* (quæ eft extra: *De vita & honeftate Clericorum*, & incipit, *Quoniam qui* adjectis) contentas, auctoritate præfentis ftatuti, in omnes & fingulos Clericos noftræ civitatis & Diœcefis, veftes fcacatas, omnino virides, aut omnino glaucas; aut omnino rubeas, aut in lateribus fciffas, vel ante pectus notabiliter fciffas, aut nodatas, publice defuper fine caufa rationabili portantes (monitione unius menfis præmiffa, ut talibus veftibus de cætero non utantur) decernimus extendendas: volentes & ftatuentes, ut poft hujus menfis terminum, tales, talibus veftibus publice de cætero utentes, pœnas hujusmodi incidant ipfo facto. Expedit enim, ut ipfos pœna fimilis comitetur, quos facinus par coinquinat, & coæquat.

IV. *Quod Clerici inordinati, non admittantur ad tractatus capitulares.*

Licet *Canon* felicis recordationis CLEMENTIS Papæ quinti, *extrav. De ætate & qualitate Ordinandorum*, qui incipit: *Ut hi*, inter cætera ftatuerit, ut nullus in Ecclefiis Cathedralibus, vocem in Capitulo habeat, etiamfi hoc fibi ab aliis libere concedatur, nifi faltem in Subdiaconatus ordine fuerit conftitutus, non obftantibus quibusvis confuetudinibus feu ftatutis: quia tamen nonnulli Clerici in facris non exiftentes, non obftante prohibitione *Canonis* antedicti, de facto tractatibus capitularibus (etfi vox eorum de jure non valeat) cum aliis vocem habentibus pertinaciter fe ingerunt, & immifcent: Nos volentes prædicti Canonis intentionem præfenti ftatuto juvari, ftatuimus, ne aliquis Canonicus, aut Clericus in facris non exiftens, Capitularibus fe immifceat tractatibus quoquo modo, nifi ad hoc expreffe per fuum Decanum & Capitulum invitetur: per quam tamen invitationem non credat fe vocem in Capitulo habiturum. Intentionis tamen noftræ non exiftit, quin ad fufcipiendum difciplinarem correctionem venire ad vocationem fui Superioris, vel ad fignum campanæ fecundum confuetudinem fuæ Ecclefiæ, feu Monafterii priftinam, non eo minus teneatur temporibus debitis & confuetis: qua difciplinari correctione completa, ultro exeat & recedat, nifi (ut dictum eft) remaneat invitatus, permittendo eos libere & pacifice, qui voces in Capitulo habuerint, negocia capitularia difponere & tractare: in contrarium facientes, excommunicationis fententiam, quam in his fcriptis ferimus, monitione quindecim dierum præmiffa promulgamus.

V. *De modo celebrandi primam Miffam, poftquam aliquis in Sacerdotem fuerit promotus.*

Item cum quosdam Clericos avaritiæ impellat adeo cæcitas, ut dum ad facrum Sacerdotii Ordinem promoventur, in quo ob

ob ipſius ordinis dignitatem, ab omni nedum malo, verum etiam ab omni ſpecie mali, prorſus deberent præ cæteris abſtinere, quibusdam modis inhoneſtis, & illicitis, ſtatumque eorum omnino non decentibus, lucrum extorquendi, alios antecedant. Plures enim Miſſas, quas *primas Miſſas* vocant, in diverſis locis publice celebrant, omnibus, quibus poſſunt, non ſolum per ſe ipſos, aut per ſuos familiares, verum per quasdam mulieres præcones in plateis, & locis publicis, ubi populus convenire conſuevit, quod hujusmodi Miſſas celebrare intendant, præconizantes & proclamantes, non ſine ſcandalo & verecundia convocatis. Nos id de cætero omnino fieri prohibemus, ſtatuentes, ne aliquis Sacerdos de novo promotus, & de cætero promovendus, aliquam primam Miſſam, cantet ſeu celebret ſub titulo *primæ Miſſæ*, niſi duntaxat unam: quam etiam non celebrabit alibi, quam in Eccleſia, in qua Beneficiatus eſt, vel ſi Religioſus fuerit, in Monaſterio ſuo: non Beneficiatus vero, in Eccleſia Parochiali ſui domicilii, vel originis: nec (ut præmiſſum eſt) præconizationes, ſeu proclamationes in locis & in plateis publicis, ubi populus tranſire ſeu convenire conſuevit, fieri per ſe, vel per alios procurabit: immo excluſa omni fraude, hoc fieri non permittet. Contrarium facientes, excommunicationis ſententiam auctoritate præſentis ſtatuti incurrant ipſo facto.

(*a*) *forte*: ſic.

VI. *De locis inſignibus Diœceſis Colonienſis, ubi cauſæ Eccleſiaſticæ tractari poſſunt, & debent.*

Cum item felicis recordationis BONIFACIUS Papa VIII. inter cætera ſtatuerit, ne cauſæ Apoſtolicæ alibi, quam in locis inſignibus audiantur: & nonnulli noſtræ civitatis & Diœceſis homines, auctoritate literarum Sedis Apoſtolicæ aliquos ad diverſa loca, reputantes ea loca eſſe inſignia, citari procurant, ipſis citatis econtra aſſerentibus, loca talia non debere pro inſignibus reputari, & inter litigantes ſæpius dubio ſit (*a*) exorto, contingit ipſas partes vexari laboribus gravibus & expenſis: Nos hoc dubium auctoritate præſentis ſtatuti propter quietem litigantium tollere intendentes, civitatem noſtram *Colonienſem*, *Bonnenſem*, *Sancten*, *Suſatum*, ac *Tuitium*, loca fore inſignia, & eſſe talia, ubi cauſæ Apoſtolicæ tractari de jure poterunt, & ea pro locis haberi debere inſignibus: cætera vero loca noſtræ Diœceſis, præter quinque loca prædicta, fore minus inſignia, & talia, ubi cauſæ Apoſtolicæ tractari de jure non poterunt, declaramus. In quorum omnium teſtimonium, & roboris firmitatem, ſigillum noſtrum una cum ſigillo *Capituli noſtri* præſentibus eſt appenſum. Datum anno Domini M. CCC. XXI. in craſtino B. Remigii Confeſſoris.

Ex Statutorum Typo Quenteliano anni 1554.

CONCILIUM MAGDEBURGENSE
Anno Chriſti MCCCXXII. Joannis XXII. Papæ VI. Ludovici Bavari Regis VIII.

BORCHARDUS, DEI GRATIA, ARCHI-EPISCOPUS SANCTÆ MAGDEBURGENSIS ECCLESIÆ &c.

Circumſpecta juris providentia congrua proviſione diſpoſuit, quod conſtitutionum decreta, nunc novorum Jurium editione, nunc antiquorum additione, detractione, ac declaratione, utilitate ſuadente, valeant prout perſonæ, cauſæ, loca, tempora, negotia, & inſtans neceſſitas poſtulaverint, in melius reformari; cum enim dicat Canon, quod ob hoc Leges conditæ ſint, ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrænetur malitia & nocendi facultas. Ob hoc neceſſe eſt, quod ſecundum neceſſitatem prædictarum varietatum leges & ſtatu-

ſtatuta hominum, per quæ contra præmiſſa optimum remedium adhibetur, immutationis quandam recipiant novitatem, ita quod ſingulis de novo morbis emergentibus ſua auxilia coaptentur. Sane *in Concilio* [a] *Provinciali dudum in Magdeburgenſi Eccleſia, diſponente Domino,* celebrato, ſtatuta quædam pro reprimendis oppreſſionibus, reformandis moribus, & corrigendis exceſſibus, ac libertatibus conſervandis, *Sacro approbante Concilio*, edidimus, prout tunc temporis, communi utilitate penſata, vidimus expedire. Nunc vero præſentium experientia temporum quædam in eisdem ſtatutis *ſupplenda*, quædam etiam *reſtringenda*, & aliqua eorum expoſitionis *declaratione adjuvanda*, apertius manifeſtat.

I. Sancti igitur *hujus approbatione Concilii* adjicimus & ſanximus: pœnas omnes per denuntiationem, excommunicationem, ceſſationem a ſolemniis Divinorum, & ſubtractionibus Eccleſiaſticorum Sacramentorum ac Eccleſiaſticæ ſepulturæ, & unctionis extremæ in priori Magdeburgenſi Concilio noſtro ei inflictas, qui Archi-Epiſcopum, vel Epiſcopum Magdeburgenſis Provinciæ intra Provinciam ipſam ceperit, aut captum detinuerit in eadem, vel ſocius fuerit detentionis, æqua ratione extendendas ad eum, qui Archi-Epiſcopum, vel Epiſcopum ejusdem Provinciæ percuſſerit, ſeu etiam vulneraverit, aut ſocius facientis fuerit, ſeu alia commiſerit, quæ jam de captivatoribus ſunt antedicta.

II. Inſuper in pœnam ampliorem addentes, quod quilibet de prædictis præſumptoribus, ſicut reus criminis læſæ Majeſtatis, perpetuo ſit infamis, nullus ei debita reddere, nullus ei in judicio reſpondere teneatur, ſi qua vero pheoda ab Eccleſia, cujus Archi-Epiſcopum, vel Epiſcopum in præmiſſis offenderit, obtinet, ſit eis ipſo jure privatus, & ſic libere ad Eccleſiam revertantur.

III. Loca etiam, in quibus iidem captivatores, percuſſores, vel vulneratores, ac alii prædicti, vel eorum aliquis domicilium obtinet, aut jurisdictionem de jure vel facto exercet, ſimiliter & locus, in quo detinetur Archi-Epiſcopus, vel Epiſcopus ſic captivus, generali ſubjaceat interdicto. Verùm, quia in Concilio anteriori cavetur: omnes pœnas contra captivatores ibidem ſtatutas inviolabiliter obſervandas, donec captum liberum & ſolutum dimitti contingat, præſtita prius ſatisfactione debita & condigna; pari ratione duximus ſtatuendum: quod antequam percuſſo ſeu vulnerato fuerit, per emendam condignam ſatisfactum, nequaquam ceſſandum eſſe ab executione, ſeu obſervatione pœnarum percuſſoribus, ſeu vulneratoribus ſuperius inflictarum.

IV. Cæterum; quia Archiepiſcopi, vel Epiſcopi captio vel percuſſio, aut vulneratio, ſi evenerint, non poterunt forſitan ſtatim eſſe cognitæ, ſtatuimus: quod quandocumque ſuper aliquo eorum, ſaltem per famam publicam divulgantem, notitia habeatur, ex tunc absque dilatione quacumque, denuntiatio & ceſſatio a ſolemniis Divinorum, & interdictum, ſine ulla notificatione alia, diſtrictius obſerventur, & iidem malefactores in genere excommunicati publice nuntientur: in ſpecie vero, non niſi conſtiterit per mandatum, ſingulis diebus Dominicis accenſis candelis & pulſatis campanis, prout *in priori Magdeburgenſi Concilio* de talibus eſt ſtatutum.

V. Similiter volumus ad noticiam captionis Abbatis, Præpoſiti, Archidiaconi, Canonici vel Rectoris alicujus Eccleſiæ, aut Clerici cujuscumque ſufficere pro executione facienda inſinuationem, quam ſuper hoc publica defert fama.

VI. Præterea, deteſtanda quorundam temeritas, qui in ſua cauſa jus ſibi (*b*) dicere contra perſonas Eccleſiaſticas exhibent ſe moleſtos; cum enim aliquid quæſtionis contra perſonas Eccleſiaſticas habere proponunt, licet perſonæ tales paratæ ſint, & paratas ſe exhibeant ſtare juri coram judice competente, nihilominus tamen iidem temerarii impignoratores, qui vulgo *Pandatores* dicuntur, in bonis ſeu rebus ad perſonas hujusmodi ſpectantibus committere non verentur, ex quo quidem facto quandoque damna gravia & tædia inferuntur. Cum igitur non eſt

(*a*) Anno 1313. pag. 244. hujus Tomi.

(*b*) *forte legendum:* dicendo.

eſt malitiis hominum indulgendum, provida deliberatione ſanximus: quod tales, qui impignorationes ſeu *pandationes* hujumodi contra perſonas Eccleſiaſticas, ut prædicitur, attemptare præſumunt, niſi, poſtquam ſuper hoc a Judice competente moniti fuerint, infra duos dies poſt monitionem eandem proximos revocent cum effectu & de damnis ſatisfaciant competenter, excommunicationis ſententiam incidant ipſo facto, & nihilominus tamen perdant ea, quæ jure ſibi dicunt debita, cum ſibi jus dicere non liceat, ſicut legitimæ perhibent ſanctiones.

VII. Poſtremo ſtatuimus, diſtrictius & providemus conſultius, quod ſtatuta *præſentis Concilii* debeant ſtatutis prioribus prioris Magdeburgenſis Concilii indiviſibiliter aggregari, & quod quilibet Archidiaconorum & Archipresbyterorum habere apud ſe debeat copiam eorundem, & quod ſtatuta eorundem ad minus ſemel in anno in Synodis generalibus publice recitentur, quod etiam ſervari volumus in Synodis particularibus, in quibus conſueverunt Archidiaconi ſeu Archipresbyteri reſidere.

Datum Magdeburgi.

Ex codice MS. Bibliothecæ Metropolitanæ Eccleſiæ Moguntinæ deſcripſit Cl. Schannat b. m.

CONCILIUM PROVINCIALE COLONIENSE

SUB HENRICO SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPO HABITUM

Anno Chriſti MCCCXXII. Joannis XXII. Papæ VI. Ludovici Bavari Regis VIII.

Diœceſana D. Engelberti Statuta, hoc in Concilio facta ſunt Provincialia.

HENRICUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, SACRO PRÆSENTE PROVINCIALI CONCILIO, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Reipublicæ curam gerentes, illud affectanter in corde gerimus, ut noſtris ſubjectis pacem, quietem, & tranquillum ſtatum præparemus, ac nunc antiquorum extenſione decretorum, libertatem, ac immunitatem Eccleſiaſticam conſervemus, ac inſurgentium contra ipſam conatus & appetitus noxios, etiam pœnarum adjectionibus refrenemus. Sane jam dudum felicis recordationis D. ENGELBERTUS Colonienſis Archi-Epiſcopus Prædeceſſor noſter, Speculator providus & ſubditorum ſuorum Defenſor inclytus, ad manutenendam, & defendendam libertatem & immunitatem Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum perſonarum, ac eorum, qui *in ſortem Domini ſunt vocati*, complura (ultra proviſiones tam juris Canonici quam civilis) ſtatuta Synodalia non tam ſalubria, & utilia, quam neceſſaria promulgavit: eaque pœnarum adjectionibus (ſicut erat expediens) vallavit provide & conſulte: quæ de conſilio & conſenſu noſtri Capituli Colonienſis, ac Venerabilium Patrum Dominorum GODEFRIDI Oſnaburgenſis, & GODEFRIDI Mindenſis, ac Procuratorum Venerabilium Dominorum ADOLPHI Leodienſis, & LUDOVICI Monaſterienſis Eccleſiarum Epiſcoporum, noſtrorum Suffraganeorum, & Procuratorum Eccleſiæ Trajectenſis, *ipſa Trajectenſi Sede vacante*, in præſenti noſtro Concilio Provinciali congregatorum ſalvis prædictorum Suffraganeorum noſtrorum ſtatutis Synodalibus, ſi quæ habent, eis & eorum Eccleſiis, Monaſteriis,

riis, & piis locis, Ecclesiasticisque personis plenius providentibus : quibus per præsentes præjudicare non intendimus, sed ea in suo robore volumus permanere: auctoritate præsentium duximus approbanda, innovanda, & auctorizanda, ac ad totam nostram provinciam, ut uniformitas in ea inducatur, in omnibus suis modo & forma, & tenoribus extendenda: ipsaque ad totam nostram provinciam extendimus per præsentes, decernentes ea, ut provincialia statuta & decreta, modo debere firmiter teneri & observari. Quorum quidem statutorum tenor, de verbo ad verbum dinoscitur esse talis:

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

ENGELBERTUS, DEI GRATIA, &c.

Item.

I. *Contra eos, qui manus in Clericos vel personas Ecclesiasticas injiciunt temere violentas.*

STatuimus, ut sacrilegi, qui suadente diabolo, Dei timore postposito manus injiciunt in Cleric. &c. *ut supra.*

Hæc omnia & singula statuta, auctoritate præsentis Concilii Provincialis, in omnibus suis modo, & forma, & clausulis, & tenoribus, & pœnarum adjectionibus, ad totam nostram Provinciam extendimus, & *Statuta Provincialia* facimus: decernentes, ut statuta provincialia, debere teneri & observari, sic quod in qualibet civitate & Diœcesi Provinciæ nostræ ea teneantur & observentur, sicut sub verbis nostræ civitatis & Diœcesis tanquam Synodalia, sunt concepta ac promulgata, & hactenus observata : salvis tamen aliis statutis Synodalibus Ecclesiæ nostræ Coloniensis, a Nobis sive Prædecessoribus nostris editis : ac etiam statutis Suffraganeorum nostrorum, si quæ habent; quibus si reperiantur in aliquo præsentibus statutis contraria vel diversa ab eisdem, in quantum, & in eo, in quo melius & plenius provident Ecclesiis, Monasteriis & piis locis, Ecclesiasticisque personis, & earum rebus, & non istis: si vero melius & plenius præsentibus statutis, eisdem providetur : istis, & non illis, decernimus fore standum. Et hoc, num melius & plenius per ista statuta, an per illa provideatur, judicio sive arbitrio executorum ipsorum statutorum duximus relinquendum. Præterea executionem præsentium statutorum, ac absolutionem, suspensionem, & relaxanem sententiarum in eisdem latarum, seu eorum auctoritate ferendarum, ad Nos & ad nostrum Officialem Coloniensem in nostra Civitate, & Diœcesi, & ad quemlibet nostrorum Suffraganeorum, & ad eorum Officiales, sive ad ipsos, ad quos de jure, vel de consuetudine, quo ad Synodalia eorum statuta, pertinet, in singulis suis civitatibus & Diœcesibus volumus pertinere. Verum, ut omnis ambiguitas, perplexitas, & difficultas, quo ad observantiam præsentium statutorum, in futurum evitentur: de consensu expresso, & auctoritate præsentis Provincialis Concilii, retinemus, & reservamus Nobis potestatem, facultatem, & auctoritatem præsentia, provincialia statuta, quo ad nostram civitatem & Diœcesin, & etiam quoad singulas civitates & Diœceses nostrorum Suffraganeorum, si ab aliquo Episcoporum nostrorum Suffraganeorum & eorum Capitulo requisiti super eo fuerimus, de consilio Priorum & Capituli Ecclesiæ nostræ Coloniensis, *in Synodo tamen nostra Diœcesana*, corrigendi, emendandi, interpretandi, tollendi, & in melius commutandi : si hoc Nobis ex causis necessariis & legitimis videbitur expedire, Provinciali Concilio ad id minime convocato. Quia vero per ipsa præsentia statuta Provincialia, communi utilitati Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum, ac ipsarum bonorum, ut speramus, auctore Domino salubriter providetur, præcipimus, & mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, ut ea ab omnibus Ecclesiis & Ecclesiasticis personis nostræ Provinciæ inviolabiliter & firmiter fraude & dolo exclusis, observentur juxta modum & formam supradictos. In quorum omnium & singulorum testimonium, ea per Hermannum dictum (*d*) Ratze, publicum Imperiali auctoritate Notarium, conscribi, & in hanc publicam formam redigi, ejusque signo consueto signari mandavimus, ac Nostro, & Capituli nostri Coloniensis sigillis appensis muniri.

Acta

(*d*) Raitze.

Acta sunt hæc in Concilio nostro Provinciali Coloniæ celebrato sub anno a Nativitate Domini M. CCC. XXII. ultima die Mensis Octobris, in Palatio nostro Coloniensi, præsentibus Capitulo nostræ Ecclesiæ Coloniensis, ac Venerabilibus in CHRISTO Patribus, & Dominis, *GODEFRIDO Osnabrugensis*, *& GODEFRIDO Mindensis* Ecclesiarum Dei Gratia Episcopis, nostris Suffraganeis, pro se & suis Ecclesiis: ac Venerabili in CHRISTO Patre & Domino HERMANNO Hennensis Ecclesiæ Episcopo, & (e) Lenoldo de Northoff Canonico Leodiensi, Venerabilis in CHRISTO Patris ac Domini D. Adolphi Leodiensis, & dilectis in Christo Magistro (f) Rudgero de Aldendorpe, Doctore decretorum, & Friderico de Bicken Canonicis Monasteriensibus, Venerabilis in CHRISTO Patris & Domini (g) LUDOVICI Monasteriensis Dei Gratia Episcoporum, nostrorum Suffraganeorum Procuratoribus: ac dilectis in Christo Magistro Reynero Doctore in Theologia, ac Gerardo de (h) Vorne Canonicis Trajectensibus, nomine Capituli Trajectensis Ecclesiæ, ipsa Ecclesia Trajectensi Episcopi solatio viduata, in præmissis omnibus, & singulis, consequentibus, & suum consensum expresse adhibentibus. Præsentibus etiam S. Pantaleonis & S. Martini Colonien. ac S. Cornelii Inden. Gladbachen. Tuitien. Brauweileren. & Sibergen. Monasteriorum Abbatibus Ordinis S. Benedicti: Bonnen. S. Severini & S. Andreæ Ecclesiarum Coloniensium Præpositis: Item Bonnen. S. Gereonis Colonien. Sancten. S. Andreæ, S. Severini, S. Cuniberti, Ss. Apostolorum, *S. Mariæ* ad Gradus, Decanis Ecclesiarum civitatis & Diœcesis Colonien.: Officiali nostro Coloniensi, & Eflicensis, & Carpensis (Coloniensis Diœcesis) Ecclesiarum Præpositis, ac aliis Prælatis, Canonicis, Ecclesiarum Rectoribus, & Clericis nostrarum civitatis & Diœcesis, ac Provinciæ in multitudine copiosa.

Et ego Hermannus dictus Ratze, de Colonia, publicus Imperiali auctoritate Notarius antedictus, præmissis omnibus & singulis, dum agerentur, una cum personis prænominatis præsens interfui, & omnia & singula, prout superius in præsentibus rotulis per me connexis & signatis, de mandato Reverend. in Christo Patris & Domini D. Henrici Colonien. Ecclesiæ Archi-Episcopi prædicti continentur, conscripsi, & in hanc publicam formam redegi, meoque signo consueto signavi, vocatus & rogatus.

Et Nos GODEFRIDUS, Dei Gratia, Osnaburgensis Ecclesiæ Episcopus, quia omnibus contentis & expressis in præsenti instrumento, cui nostra præsens litera transfigitur, præsentes in Concilio Provinciali interfuimus, eisque tanquam utilibus & necessariis Ecclesiis Ecclesiasticisque personis & earum rebus, consensum nostrum præhabita matura deliberatione, adhibuimus, pro Nobis, & Ecclesia nostra prædicta: idcirco sigillum nostrum, in signum præstiti consensus & auctoritatis a Nobis, & a toto Concilio, præsentibus duximus apponendum. Actum & datum die & loco; de quibus in ipso instrumento fit mentio.

Et Nos GODEFRIDUS, Dei Gratia, Mindensis Ecclesiæ Episcopus, quia omnibus contentis & expressis in præsenti instrumento, cui nostra præsens litera transfigitur, præsentes in Concilio provinciali interfuimus, eisque tanquam utilibus & necessariis Ecclesiis Ecclesiasticisque personis, & earum rebus, consensum nostrum præhabita matura deliberatione, adhibuimus pro Nobis, & Ecclesia nostra prædicta: idcirco Sigillum nostrum, in signum præstiti consensus & auctoritatis a Nobis, & a toto Concilio, præsentibus duximus apponendum. Actum & datum die & loco, de quibus in ipso instrumento fit mentio. Anno Domini, milesimo trecentesimo vicesimo secundo.

Universis præsentes literas visuris & audituris, ADOLPHUS, Dei Gratia, Leodiensis Episcopus, salutem & cognoscere veritatem. Noveritis, quod quia Venerabilis in Christo Pater & Dominus, Dominus Hermannus, Hennensis Episcopus, vices nostras gerentes in Pontificalibus, & Levoldus de Northoff Canonicus Leodiensis, Procuratores nostri, ipsi Concilio Provinciali Reve-

(e) Levoldo (f) Rutgero (g) Ludolphi (h) Vrone

Reverend. in Christo Patris & Domini D. Henrici, Dei Gratia, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopi, Coloniæ celebrato, de quo in instrumento publico, cui præsens nostra transfigitur litera, fit mentio, Nomine nostro, & Ecclesiæ nostræ interfuerunt, ac omnibus & singulis contentis & expressis in eodem instrumento, & præsertim prorogationi statutorum Synodalium bonæ memoriæ Domini ENGELBERTI sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopi, ad totam Provinciam Coloniensem, aliisque in dicto instrumento contentis, tanquam utilibus & necessariis Ecclesiis, Ecclesiasticisque personis, & earum rebus, pro Nobis & nostra Ecclesia nomine procuratorio consenserunt: Ideoque Nos ea, quæ per ipsos in hoc negocio acta sunt, ratificantes, & approbantes, Sigillum nostrum, in signum adhibiti consensus, & auctoritatis a Nobis similiter & approbationis, præsentibus duximus apponendum. Datum Anno Domini M. CCC. XXII. in crastino B. Martini Episcopi.

Impressum Coloniæ A. 1554. *Quenteliana in Officina.*

PADERBORNÆ SYNODUS

SUB BERNARDO, LIPPENSI COMITE, EPISC. PADERBORNENSI.

Anno Christi MCCCXXIV. Joannis XXII. Papæ VIII. Ludovici Bavari regis X.

Hoc anno decoro magis Episcopi munere occupatus, convocato omni suo Clero & Religiosorum ordine celebrem Paderbornæ *Synodum* celebravit, quam hoc prisco Episcoporum ritu, ut in ea annotatum, ingressus.

Post Hymnos horæ, quam *Primam* dicunt, decantatos, Episcopus Capitularem locum intravit, ac postquam cum *Præsulibus* Ecclesiæ & Canonicis pertractasset ea, quæ in Synodo proponenda, quæque ad mores Cleri populique corrigendos decernenda essent, processit ad Chorum Basilicæ sequentibus Canonicis, consedítque ad aram Principem, ubi retento candido indumento, sumpsit Cappam & Infulam Episcopalem capiti impositam, chirotecas, pedum pastorale & annulum, inde precibus rite persolutis inter duos Abbates Infulis quoque conspicuos, medius deductus ad Synodi locum: hos secuti Præpositus & Decanus palliis quoque sacris decori, post illos cæteri Canonici, & Clerus omnis, ordine suo sacris quoque indumentis ornati. Agmen illud sacrum præcessere duo Scholares cum signo crucis, post illos duo alii Scholares, quorum alter thuribulum, alter candelabrum gestabat, hos consecuti Diaconus & Subdiaconus, quorum alter librum Evangelii, alter sacras vestes præferebat: demum Cantores, duo Canonici, ac Camerarius, a quo Sella Episcopalis deportabatur. Ita Synodum ingressus Episcopus, in qua cum multa utiliter constituta sunt tum ordo Divinorum Officiorum per singulos anni festos dies accuratissime digestus, atque integro, qui superest, libro præscriptus. Quam in rem hoc Episcopi mandatum, quod libri Præfatio habet, in Synodo palam recitatum.

" Hunc ordinem Divinorum Officiorum Venerabilis Pater Dominus BERNARDUS DE LIPPIA, Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus, ex diversis Prælatorum ejusdem Ecclesiæ Libris antiquis colligi & scribi fecit, & statuit ab universo ejusdem Ecclesiæ Clero in perpetuum observari, ipso die Galli Confessoris *in Generali Synodo*, Anno Domini MCCCXXIV. & mandavit, quod quicunque Prælatus aut Clericus post publicationem sine consilio sui Episcopi & Capituli simul aliqua in isto ordine mutaverit, ipso facto in anathemate sit.

Schatenus Lib. XIII. Annal. Paderborn. ad hunc annum.

CONCILIUM CAMERACENSE
Anno Christi MCCCXXIV. Joannis XXII. Papæ VIII. Ludovici Bavari Regis X.

Statuta edita per Rev. Patrem Dominum PETRUM, olim Episcopum Cameracensem.

Licet usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestetur, & in Concilio Lateranensi fuerit contra manifestos usurarios salubriter institutum, quod hujusmodi usurarii manifesti, nec ad communionem Altaris, nec Christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam, nec etiam oblationes eorum quisquam accipiat. Sintque contra usurarios præcipue manifestos, & in eorum odium constitutiones, & Canones multiplices promulgati; nonnulli tamen nostrarum civitatis & Diœcesis Cameracensis, prout ad nostrum fide digna relatio perduxit auditum, tantæ sunt insolentiæ, & avaritiæ reatibus excæcati, quod non solum usurariorum crimen exercent, immo in suis malitiis & insolentiis gloriantes, pro manifestis usurariis cupientes haberi, quædam signa tenent, & habent ante domos seu fenestras eorum, per quas, quod sint usurarii, divulgatur, & esse cognoscitur, ad instar tabernariorum, qui ante tabernam pro signo tabernæ circulum dolii tenere solent appensum, aut qui mensam fœnebrem exercent publice. Nos igitur cupientes per aggravationem pœnarum tales, & consimiles insolentias, & præsumptiones pernitiosas exemplo de civitate & Diœcesi nostris Cameracens. penitus extirpare, & usurarios ipsos ab usurarum voragine cohibere, præsenti Synodali statuto decernimus, & declaramus omnes tales usurarios hujusmodi signa tenentes, aut mensam fœnebrem exercentes, manifestos usurarios judicandos, & fore contra ipsos tamquam manifestos usurarios procedendum, ipsos, & omnes alios usurarios manifestos in civitate, & Diœcesi prædictis nostris manentes excommunicamus, & excommunicatos præcipimus nunciari publice, & tamquam excommunicatos ab omnibus evitari: injungentes omnibus Presbyteris, Capellanis sub pœna suspensionis & excommunicationis, ut prædictos usurarios manifestos auctoritate præsentis Synodalis statuti publice denuntient in eorum officiis excommunicatos, & contra ipsos pœnas prædictas Concilii Lateranensis diligenter observent.

Item, quia sunt aliqui usurarii, qui non sunt manifesti, usuras tamen, licet occulte, & usurarios contractus indifferenter exercentes, quos publica fama usurarios esse demonstrat, eos ad Ecclesiasticam sepulturam præcipimus non admitti.

Item titulo de Testamentis.

Ad occurrendum negligentiis, fraudibus, & malitiis, quæ circa exequendas pias decedentium voluntates sæpius committuntur, hoc Synodali statuto provida deliberatione duximus ordinandum, ut omnes & singuli nostrarum civitatis & Diœcesis Cameracensis ultimarum voluntatum exsequutores, qui a testatoribus electi, onus executionis duxerint assumendum, de bonis ad executionem eis commissam pertinentibus, infra mensem a die obitus defuncti numerando, inventarium sub manu publica, vel per juratum loci, vel saltem sub fide dignorum testimonio fideliter facere teneantur, quibus omnia singula bona nominatim scribantur, & eorum valorem, seu precia juxta æstimationem per æstimatores locorum super hoc juratos plenarie declarent, & hujusmodi inventario sic confecto, præfati exsecutores, si bona executionis hujusmodi ad centum librarum Turonensium valorem ascendant, per se vel per alium cum testamento seu ultima voluntate testatoris eorum Officiali nostro Cameracensi, vel ejus locum tenenti se infra men-

menſem alium repræſentent, ac de ejusmodi teſtamento, & inventario copiam faciant; quam copiam penes Curiam noſtram Cameracenſem volumus remanere, ut per hujusmodi copiam informetur Officialis prædictus ſuper fidelitate, & diligentia ipſorum exſecutorum circa executionem prædictam, & ut negligentias & defectus eorum melius corrigere valeat, & ſupplere, ac ipſos exſequutores inſtruere, qualiter ſe habere debeant in exſecutione prædictarum; quia ſi minoris valoris extiterint, Decani noſtri Chriſtianitatis præmiſſa facere, & complere teneantur. Volumus etiam, & ſtatuendo præcipimus, ut exſecutores ipſi infra annum a die mortis teſtatorum executionem ipſam adimpleant, juxta ordinationem & voluntatem defuncti, ac Officiali noſtro prædicto, aut illi vel illis, quibus duxerit committendum, de dictæ exſecutionis receptis, ſolutis, & erogatis per ipſos ac de geſtis, & adminiſtratis per eos reddant fideliter rationem. Et ut præſens ſtatutum firmius obſervetur, eadem duximus ſubjungenda, ut omnes & ſinguli Presbyteri Curati locorum, ubi teſtatores decedunt, vel eorum loca tenentes, exſequutores hujusmodi ſuper dicto inventario, ut præmittitur, faciendo & ad Curiam noſtram cum teſtamento deferendo auctoritate noſtra ſub pœna excommunicationis moneant diligenter, ac Domino Officiali noſtro per eorum litteras patentes inſinuent ipſorum teſtatorum & executorum nomina, (*a*) ipſos exſequutores monuerint, & utrum monitioni paruerint de ipſo inventario faciendo.

Hoc igitur Synodale ſtatutum, quo ad providendum piis decedentium votis & animarum ſaluti, eorum creditoribus, legatariis, piis locis, & pauperibus, ac eorum hæredibus, & omnibus, qui in diſpoſitione defuncti ſunt, emolumentum aliquod percepturi ſalubriter, & prout ad Nos, de jure pertinet, duximus faciendum, præcipimus ſubditis noſtris ſub pœnis ſuſpenſionis, & excommunicationis injungimus firmiter, & inviolabiliter obſervandum.

Ceterum, quod ex quorumdam fide dignorum miſerabili relatione didicimus, quod nonnulli noſtrarum civitatis, & Diœceſis tam Curati, quam Capellani domos Eccleſiarum, Capellaniarumque ſuarum adeo male retineant, & ſuſtentant, quod aliquæ ipſarum protinus corruerunt, aliæ proximæ eunt in ruinam, aliæ vero non modicum indigent in pluribus ſuis partibus reparatione feſtina. Idcirco tantis Eccleſiarum incommoditatibus occurrere volentes, ſtatuimus, ut omnes Decani Chriſtianitatis infra annum, ipſas domos, quæ minantur ruinam, reparari faciant, alias vero, quæ penitus corruerunt, reædificari modo utiliori quo poteſt; ſi & prout ultra ſalarium deſervientium eisdem Eccleſiis, Eccleſiarum & Capellaniarum ipſarum ſuppetunt facultates: quod niſi fecerint Proviſoribus, & in præmiſſis negligentes fuerint & remiſſi, contra ipſos juxta modum negligentiæ ſuæ & culpæ procedemus. Ad perpetuam rei memoriam, & fautorum cautelam Nos VICARII GENERALES venerabilis Capituli Eccleſiæ Cameracenſis, ſede vacante, ex ſpeciali commiſſione, & poteſtate Nobis ſuper hoc conceſſa a dicto Capitulo, nunc locum Epiſcopi Cameracenſis tenentibus, ratione ſedis vacantis (*b*) Anno M.CCC.XXIV. in die B. Remigii in capite Octobris, in dicta Eccleſia ſacram Synodum celebrantes, ſtatuimus, præcipimus, & ordinamus, addimus, & ſubtrahimus de conſilio, & aſſenſu Archidiaconi Eccleſiæ prædictæ, ſeu Vicariorum ſuorum in modum, qui ſequitur.

Primo cum alias fuit ſtatutum, quod quilibet Curatus civitatis & Diœceſis Cameracenſis ſtatuta Synodalia integraliter habeat, & nonnulli negligentes, immo verius inobedientes, dicta ſtatuta non habuerint, nec adhuc habeant; præcipimus quod quilibet dictorum Curatorum ſtatuta Synodalia habeat integraliter infra inſtans Feſtum Nativitatis Domini, & hoc ſub pœna XL. ſolidorum Pariſienſium, dicto Capitulo, vel futuro Epiſcopo & Archidiacono applicandorum, & ſolvendorum.

Statuentes, quod ſi quempiam ipſorum Curatorum Eccleſiarum ſuarum ex cauſa permutationis, vel alias quoquo modo dimittere contigerit, ſtatuta hujusmodi reſervet ſucceſſori. Si quis autem contrarium fecerit, pœnam XL. ſolidorum Pariſienſium, ut ſupra, applicandorum

(*a*) *Supple forte:* poſtquam.

(*b*) Inter Petrum de Levis anno 1324. ad Bajacenſem Sedem translatum & Guidonem de Avennia e Polonia Epiſcopum, neſcitur quando, a Joanne XXII. ſurrogatum.

dorum, & per Decanos Chriſtianitatis levandorum, eo ipſo ſe noverit incurſurum.

Item in titulo de Matrimonio.

A ſtatuto, quod ſic incipit: *Statuimus, quod ſi duo Matrimonium contrahere volentes de diverſis Decanatibus oriundi*, &c. Subtrahimus iſta verba: *uſque ad intereſſe partis, & reſtitutionem duplicem partium teneantur.*; quorum loco ſubrogamus iſta verba, videlicet: pœnam XL. ſolidorum Pariſienſium incurrant, medietatem, ut ſupra, & parti denuntianti aliam medietatem applicandam, & nihilominus ad intereſſe ipſius partis teneantur.

Item ſtatuimus, quod quicumque fecerit ſe ad ſacros Ordines promoveri, ad titulum ſui patrimonii, ſecundum quod hactenus eſt conſuetum, quod de cætero, quamdiu idem promotus vixerit, vel donec competenter fuerit Beneficiatus, non poſſit dictum patrimonium ad titulum, cujus ordinatus fuerit, alienare, vendere, vel extra manus ſuas ponere, cum bona & emolumenta provenientia ex dicto patrimonio habeat, levet, & percipiat dictus promotus, & in ſuos proprios uſus ſine fraude convertat, niſi cauſam legitimam coram ſuo Ordinario allegaverit, & per ipſum Ordinarium cum ipſo diſpenſatum fuerit, quod dictum patrimonium vendere poſſit & alienare.

Item ſtatuimus, quod ſi contigerit domus Curatorum, & Capellanorum impejorari propter negligentiam Decanorum Chriſtianitatis, qui eos tenentur viſitare, dicti Decani, ob quorum defectum acciderit, & eorum beneficia teneantur dictas domos relevare, vel reparari facere ſuis ſumtibus propriis, & expenſis.

Item ſequitur clauſula contenta in litteris felicis recordationis Domini CLEMENTIS Papæ V. ſuper reſtitutione Comitatus & civitatis Cameracenſis facta Epiſcopo, Præpoſito, Decano, cum Capitulo Cameracenſi, adverſus commiſſiones, uſurpationes, & occupationes prædictarum civitatis & Comitatus, annullationem, & irritationem quorumcunque propterea conſequutorum, quæ ſequitur in hæc verba:

"Item inhibemus univerſis & ſingulis "cujuſcumque conditionis, præeminentiæ, "dignitatis, ordinis, vel ſtatus exiſtant, ne "contra hujusmodi noſtram retractationem, revocationem, annullationem, reſtitutionem, depoſitionem, & abſolutionem, quicquam attentare præſumant; "Nos enim omnes & ſingulos, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, ordinis, "vel conditionis exiſtant, qui contra hujusmodi noſtram inhibitionem, revocationem, annullationem, detractionem, "depoſitionem, reſtitutionem, abſolutionem attentare, nec non & omnes, qui "prædictas civitatem, & Diœceſim Cameracenſem quomodolibet inpoſterum occupare præſumſerint, excommunicationis ſententiam, quam ex tunc, prout ex "nunc in contrarium facientes ferimus, "incurrere volumus ipſo facto, & in civitates & terras contrarium præſumentes, "interdicti ſententias promulgamus; & nihilominus ex nunc decrevimus irritum & "inane, ſi ſecus ſuper his contra hujusmodi inhibitionem noſtram contigerit attentari, non obſtante, ſi aliquibus a Sede "Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, "ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes "plenam, & expreſſam de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Item præcipimus, quos omnes Decani Chriſtianitatis, & Curati Eccleſiarum civitatis & Diœceſis Cameracenſis, hæc prædicta nova ſtatuta, præcepta, & mandata, ordinationes, & additiones, ſubtractiones, & clauſulam prædictam, dicti Decani videlicet infra decem dies, & dicti Curati infra inſtans feſtum Omnium Sanctorum habeant: quibus ſtatutis una cum aliis uti volumus & mandamus. Dictaque ſtatuta nova, additiones, & ſubtractiones, nec non & clauſulam prædictam ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis in Eccleſiis ſuis, cum major ibidem aderit populi multitudo, in lingua materna ſub pœnis antedictis inſinuare, exponere, notificare, & publicare procurent.

Statuta expliciunt Synodalia Deo gratias.

Martene & Durand veterum Scriptorum & Monumentorum Collectio ampliſſima Tomo VII. a pag. 1356. ad 1359. ex MS. Abbatiæ Grimbergenſis.

Statu-

Statutum singulare D. HENRICI, Ecclesiæ Coloniensis Archi-Episcopi, editum

Anno Christi MCCCXXIV. Joannis XXII. Papæ VIII. Ludovici Bavari regis X.

Moderatio Statutorum Provincialium Ecclesiæ Coloniensis, auctoritate Apostolica facta per D. HENRICUM Archi-Episcopum prædictum, quoad cives & civitatem Coloniensem.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

HENRICUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, DILECTIS IN CHRISTO PRÆPOSITIS, ET ARCHI-DIACONIS, ABBATIBUS, DECANIS, PRIORIBUS, ET PRÆLATIS, ECCLESIARUM RECTORIBUS NOSTRARUM CIVITATIS ET DIOECESIS, AC ALIIS NOSTRIS SUBDITIS UNIVERSIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

NUper literas dignà Dei providentia Sanctissimi in Christo Patris & Domini D. JOANNIS PAPÆ XXII. Sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summi Pontificis, Nobis directas, recepimus in hæc verba:

JOANNES Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Archi-Episcopo Coloniensi salutem & Apostolicam Benedictionem. Significaverant Nobis dilecti Filii, Judices, Scabini, Consules, & communitas Civitatis Coloniensis, quod quædam Statuta auctoritate ordinaria edidisti, in quibus inter alia continetur, quod violantes immunitatem seu dotes Ecclesiarum, hominem videlicet extrahendo de eis, vel eam modo alio violando, ipso facto excommunicationis sententiam incurrant; & si plures fuerint, vel Judex sæcularis, qui hujusmodi violentiam fecerint, locus, in quo tales domicilium habuerint, ipso facto subjaceat interdicto: & in loco, ubi immunitas læsa fuerit, cessetur protinus a Divinis. Et quod quilibet locus seu Parochia tuarum civitatis & Diœcesis, ad quem vel ad quam prædones, raptores, & invasores bonorum, & rerum Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum pervenerint, seu præda, vel spolium, vel rapina deducta, vel ubi prædæ ipsius emptor fuerit, ipso facto Ecclesiastico sint suppposita interdicto: & quamdiu ibi malefactores hujusmodi, vel præda, spolium, vel rapina, seu ipsius emptor fuerit, cessetur etiam a Divinis: & si per triduum ibi steterint, licet extunc recesserint, vel ad alia loca se transtulerint, vel præda, seu spolium alias deductum fuerit, nihilominus Parochia, seu locus, in quo triduo manserant, vel ubi præda & spolium consumpta fuerant, per duos menses subjaceat interdicto, nisi medio tempore fuerit satisfactum, prout in eisdem statutis dicitur plenius contineri. Cum itaque sicut dicti Judices, Scabini, Consules, & communitas Nobis significare curarunt, dicta civitas sit spatiosa plurimum & diffusa, habens decem & octo Parochias magnas principales, & multas Collegiatas Ecclesias, plurimasque Capellas: & si tota Colonia censeatur in tali forefacto locus unus, tota per consequens civitas reputabitur interdicta: & sic propter forefacta, quæ propter magnitudinem ejusdem civitatis, frequenter in aliqua ex prædictis Parochiis committuntur, vix erit tempus aliquod, in quo dicta civitas non subjaceat interdicto. Sicque hujusmodi interdicto durante, insepulta manerent in civitate prædicta in magna multitudine corpora defunctorum, è quorum fœtore sanorum infectio sequeretur: insontes fraudarentur Ecclesiasticis Sacramentis, cresceret indevotio populi, hæreses pullularent, & infinita pericula insurgerent animarum: magna etiam & periculosa exinde scandala possent sequi. Ac propterea Nobis humiliter supplicarunt, ut animarum periculis, & scandalis obviantes, quæ exinde possent sequi, statuta moderari, & mitigare

prædicta auctoritate Apostolica dignaremur. Nos eorum supplicationibus inclinati, fraternitatem tuam requirimus, & rogamus attente, tibi per Apostolica scripta mandantes, quatenus prudenter attendens, quo tempore interdicti Divina organa suspenduntur & laudes, nec etiam Sacramenta Ecclesiastica ministrantur, ut solent: adolescentes & parvuli participantes rarius Sacramentis, minus inflammantur, & solidantur in fide: Fidelium tepescit devotio, hæreses pullulant, & multiplicantur pericula animarum: prædicta statuta sic studeas temperare, quod ex singulari delicto in una parte civitatis commisso, tota prædicta civitas non subjaceat interdicto, sed pœna hujusmodi non extendatur extra Parochiam, in qua forefactum hujusmodi fuerit perpetratum; nisi per Rectores, Judices, Consules, Scabinos, vel Officiales civitatis prædictæ, quocumque nomine censeantur, excessus præfati fuerint perpetrati: quo casu, statuta prædicta in suo robore perseverent. Datum Avinione VII. Idus Martii, Pontificatus nostri anno septimo.

Verum licet per Nos nequaquam statuta hujusmodi, immo per bonæ memoriæ D. Engilbertum quondam Coloniensem Archi-Episcopum Prædecessorem nostrum, de consilio Capituli nostri, & Priorum, ac Prælatorum nostrorum, jam dudum longe retroactis temporibus edita existant, pro Ecclesiarum, Ecclesiasticarum personarum, ac earum bonorum libertate observanda, ac per Nos publica utilitate pensata, de consilio, & consensu Capituli nostri, Suffraganeorum nostrorum, Capitulorumque suorum, seu ipsorum Procuratorum, ac Priorum, & Prælatorum nostrorum in pleno Concilio Provinciali, quod alias celebravimus, facta Provincialia, & ad totam nostram Provinciam sint extensa: existat etiam cautum, non sine consulta provisione in eisdem statutis, locum fore censendum, quo ad observantiam interdicti, & cessationis Divinorum in casibus antedictis, totam civitatem Coloniensem, & non tantum Parochiam, in qua ipsum committi contingit forefactum, ne Rectores, Consules, Scabini vel Officiales, & communitas civitatis prædictæ, forefacto aliquo in una ipsius civitatis parte perpetrato, dum ipsis una Parochia tantum sit interdicta, in aliis Ecclesiis civitatis ejusdem audiendi Divina copia superesset, forefactores & delinquentes in talibus jam præfatis, in literis Apostolicis contentis, ad præstandas læsis emendas debitas inducere non curarent: sed potius tota interdicta civitate, Divinorum carentiâ contra tales forefactores acrius incitati, eos ad hujusmodi emendas præstandas inducere fortius festinarent; nec per consequens virtute literarum prædictarum astringamur de jure ad aliquam moderationem eorundem statutorum faciendam, nec præfatus Sanctissimus Pater & Dominus noster, si præmissorum veritatis notitiam habuisset, prædictas suas literas concessisset: tamen ut juxta intentionem ipsorum civium, dictas literas ad Nos impetrantium, & ne ad aliquorum persuasionem de facto, de aliqua Nota inobedientiæ arguamur, & ut ipsi promptiores existant, ad confovendum libertatem Ecclesiasticam, personasque Ecclesiasticas defendendum, & a noxiis præservandum: taliter de consensu nostri Capituli, ac Priorum, & Capitulorum nostrorum, circa observantiam interdicti, & cessationem a Divinis, auctoritate statutorum prædictorum, quo ad civitatem Coloniensem, in casibus, ad quos dictæ literæ Apostolicæ se extendunt, duximus ordinandum, & disponendum: Quod propter violationem Ecclesiarum, immunitatum, seu dotum in una parte civitatis commissam, in sola Parochia, in qua hanc committi contigerit, statim juxta moderationem infra scriptam cessetur a Divinis: Et si plures fuerint, vel Judex secularis, qui hujusmodi violentiam fecerint, in Parochia etiam, in qua tales domicilium habuerint, Ecclesiasticum servetur interdictum: In aliis autem Ecclesiis Collegiatis, Conventualibus, & Parochialibus civitatis Coloniensis propter hoc intra quindecim dies a tempore hujusmodi commissæ violentiæ per Plebanum Parochiæ, in qua violentia ipsa commissa fuerit, Concilio civitatis Coloniensis, vel Magistro consulum, sive aliquibus ex ipsis consulibus notificatæ computandum, committentem, sive committentes compellant ad emendam, ad satisfactionem condignam præstandum, ne cessetur a Divinis, nec Ecclesiasticum servetur interdictum: sed ipsum interdictum, sive cessationem a Divinis, per eosdem quindecim dies suspen-

ſuſpendimus, & teneri volumus ac decernimus in ſuſpenſo: niſi per judices, Magiſtros civium, Conſules, Scabinos, vel Officiales, aut communitatem civitatis prædictæ, vel eis mandantibus, aut ratum habentibus, ſeu forefactores hujusmodi in crimine ſuo ſcienter defenſantibus, exceſſus hujusmodi fuerint perpetrati. Quo caſu, ſtatuta prædicta, ſicut ab Engilberto primordialiter ſunt edita, prout ipſæ literæ Apoſtolicæ innuunt, perſeverant. Verum ſi intra quindecim dies poſt expoſitam ſive notificatam hujusmodi violentiam, conſilio civitatis Colonienſis, ſive Magiſtro conſulum, aut aliquibus ex ipſis conſulibus, forefactor, ſive forefactores de commiſſa per ipſos violentia non ſatisfecerint, extunc absque aliqua interpellatione, Statuta Provincialia prædicta in omni forma primæva, exactâ diligentiâ obſerventur. Volumus autem, quod in Parochia, in qua hujusmodi violentia fuerit perpetrata, intra quindecim dierum prædictorum ſpatium, poſtquam ipſe Plebanus, ſeu ejus Vicarius ipſam violentiam conſilio civitatis, ſeu Magiſtro conſulum, aut aliquibus ex ipſis conſulibus notificaverit; & non ante, nec alias, corpora defunctorum cum ſolennitate Miſſæ, tradi poſſint Eccleſiaſticæ ſepulturæ; ipſum interdictum, ſive ceſſationem Divinorum, quo ad ſepulturam, & ſolennitatem exequiarum ipſarum ſuſpendentes. Super probatione vero notificationis hujusmodi factæ, ſtare volumus ipſius Plebani, ſive ejus Vicarii, ſi in dubium revocaretur juramento. Notificationem inſuper ipſam factam, idem Plebanus, ſive ejus Vicarius Capitulo noſtro intimabit, ut ſciri poſſit, quando quindecim dies prædicti ſint elapſi. Ne vero notificatio aliquo colore quæſito differatur, præcipimus, ut Plebanus, ſeu ejus vices gerens, in cujus Parochia violentia fuerit perpetrata, ſtatim poſtquam hoc ſibi conſtiterit, prout ſecundum ſtatuta conſtandum eſt, notificationem ipſam faciat ſecundum modum prædictum. Quam ſi per triduum, poſtquam ſibi ſic conſtiterit, facere neglexerit Plebanus, ſeu ejus vices gerens, eo ipſo ab officio & beneficio ſint ſuſpenſi. Et ſi adhuc per triduum ſubſequens hanc intimationem non fecerint, ut eſt dictum, eo ipſo excommunicationis ſententia (quam in eos in his ſcriptis ferimus) ſint nodati. Quæ omnia & ſingula in obſervatione interdictorum, ſive ceſſatione a Divinis, ſecundum ſtatuta præfata in ſuis Capitulis & Clauſulis contra raptores, invaſores, & prædones bonorum, & rerum Eccleſiarum, ſeu Eccleſiaſticarum perſonarum, ipſum ſpolium, rapinam, & invaſionem intra civitatem Colonienſem committentes, ſeu domicilium habentes, volumus obſervari. Per præmiſſa vero, quæ tantum ad civitatem Colonienſem extendi volumus, quo ad obſervantiam eorundem ſtatutorum, ſive interdictorum, & ceſſationem a Divinis, quicquam non intendimus inducere, ſive aliquid innovare. In quorum omnium firmitatem, & teſtimonium, ſigillum noſtrum, una cum ſigillo Capituli noſtri præſentibus eſt appenſum. Quod Nos Capitulum pro Nobis & Prioribus Colonienſibus, in ſignum conſenſus noſtri præſtiti, præſentibus duximus apponendum. Datum anno Domini MCCCXXIV. craſtino Dominicæ, qua cantatur *Invocavit*.

Ex Typo Quenteliano Statutorum Colonienſium anni 1554.

Indictio Synodi Conſtantienſis

in annum Chr. MCCCXXVII. Joannis XXII. PP. XI. Ludovici Bavari Regis XI.

Prævia Viſitatione generali, juſſu RUDOLFI, Conſtantienſis Epiſcopi, facta.

RUDOLPHUS, DEI GRATIA, EPISCOPUS CONSTANTIENSIS &c.

VObis Officiali Curiæ noſtræ, & Marquardo Henen, Capellano noſtro, ſerioſe committimus & mandamus: quatenus in exercendo Viſitationis Officio,

Vobis per Nos ad præsens commiſſo, ſitis diligentes, & recipiatis ſingulorum viſitandorum juramenta, neminem ſupportantes; ſi vero aliqui fuerint, quocumque nomine cenſeantur, qui ad ammonitionem, & requiſitionem, veſtras, jurare recuſaverint, ab illis recipiatis, quod habere poteritis, & ad minus, quod in fide Sacerdotii, vel voto ſui Ordinis, dicant vobis, ſuper inquirendis ab ipſis articulis, veritatem; non obmittentes viſitationem propter hoc, ſi aliqui facere recuſaverint juramenta; proteſtantes tamen, quod in hoc contenti non ſitis, ſed oporteat vos id Nobis intimare, quid ſuper eo decreverimus faciendum.

Cæterum volumus: ut conſcribatis Nobis ſingulariter & ſpecifice, ſub eisdem præſtandis juramentis, ſingulorum Beneficiorum, maxime Eccleſiarum Parochialium, tam incorporatarum, quam aliarum, univerſos & ſingulos redditus, & proventus tam in decimis majoribus & minoribus, quam dotibus ipſarum Eccleſiarum, ad communem æſtimationem æſtimatis; ſcribatis etiam diviſim portiones Vice-Paſtorum, ac Vicario-perpetuorum, nec non nomina Patronorum Eccleſiarum ſingularum, & quantum ultra hoc remaneat Eccleſiis, & Monaſteriis, quibus ipſæ Parochiales Eccleſiæ incorporatæ exiſtunt, & etiam Paſtoribus Eccleſiarum non incorporatarum, quia hujusmodi Vicariæ nonnunquam cum diminutione redditum conferuntur.

Intendimus etiam ex præmiſſis, ſi commode poterimus, impoſterum ordinare æqualitatem in contributionibus ſingularum Eccleſiarum, quæ in decimis, procurationibus, ſubſidiis, ac aliis in taxa ſunt maxime inæquales.

Item; ingeratis & ſcribatis, inter cætera, Nobis, de Altaribus fundatis in Eccleſiis quibuscunque, a tempore, quo Eccleſiæ noſtræ Conſtantienſi præfuimus, an ſint dotata, conſecrata, & per Nos confirmata; de quibus omnibus, maxime de ipſorum Altarium confirmationibus, Nos volumus per noſtras deſuper traditas litteras informari.

Item; *Convocationem* omnium *Præpoſitorum*, *Abbatum*, *Priorum* Prioratuum, *Decanorum* Eccleſiarum Collegiatarum, ac *Decanorum* Chriſtianitatum, noſtrarum civitatis, & Diœceſis Conſtantienſis, quam habere intendimus in *Conſtantia*; in *craſtino Decollationis Beati Joannis Baptiſtæ*, proxime venturo; & etiam terminorum ſolutionis, procurationis præſentis Viſitationis, videlicet: craſtinum Remigii proximum, intimabitis, ubi fuerint intimanda.

Præterea Formulam juramenti præſtandi per ſingulos viſitandos, vobis ſpecialiter mittimus, hic appoſitam.

Formula Juramenti, quam ſex, & ſex, ſimul jurabunt.

" Quod Ego dicam vobis Commiſ-
" ſariis Domini noſtri Epiſcopi Conſtan-
" tienſis, Sanctæ Viſitationis Officium
" hic exercentibus, veritatem, quam
" ſcio, vel credo ſuper his, quæ refor-
" manda fuerint tam in capite, quam in
" membris, & tam ſuper ſtatu Eccleſia-
" rum, quam perſonarum &c. ac etiam
" ſpecialiter ſuper his, de quibus requi-
" ſitus fuero, & eorum circumſtantiis;
" occultis tamen exceptis. Sic me Deus
" adjuvet &c. "

Ut autem celerior fiat expeditio hujusmodi viſitationis, & vobis commodioſior, omnes defectus tam in ſpiritualibus; quam in temporalibus, quos ipſi viſitandi dare voluerint, vobis dari & exhiberi in ſcriptis ſpecialiter faciatis.

Item; Decanis Chriſtianitatum dicatis ſpecialiter, quod quilibet eorum veniat cum duobus ad plus de ſuo Capitulo Fratribus, magis idoneis, quos ad hoc ipſa Capitula duxerint deputandos, & quod ſint diſpoſiti ad manendum Conſtantiæ per tres dies.

Datum *Conſtantiæ* Sabbatho poſt Feſtum Nativitatis Beati Joannis Baptiſtæ.

Ex Codice MSS. FF. Carmelitarum Wurceburgii deſcripſit Cl. Schannatus b.m.

No-

Rudolphus III. Comes a Montfort, Vir inſigni ſapientia præditus, unanimibus Canonicorum Senatûs ſententiis Epiſcopus eligitur anno 1318. Præfuit annis XIV. Ludovico Bavaro conſtanter adhæſit, & ideo excommunicatus fuit: poſtulatus etiam ad Curienſis Eccleſiæ adminiſtrationem. Obiit A. 1332.

NOTATIO SCHANNATI.

Hæc omnia apprime conveniunt cum iis, quæ *Joan. Vitoduranus*, auctor coævus, in Chronico suo a *Cl. Eckharto Tom. I. Script. German.* edito, refert in hæc verba sequentia:

" Anno Domini MCCCXXVII. Episcopus *Rudolfus* Constantiensis, de *Muntfort* oriun" dus, totum Clerum suum in Constantia ad *Synodum Episcopalem* celebrandam, " convocatum, visitari, & pro suo excessu corrigi præcepit, & ut se alterutrum " studiose & discrete accusarent Clerici in suis delictis emendandis, statutum rigi" dum dedit; qui obtemperantes jussioni suæ coram Examinatoribus & Visitatori" bus ad hoc electis & institutis, satis acriter (ut aliqui ex eis mihi pandebant) hoc " fecerunt, qui ipsis pœnas seu pœnitentias pecuniarias inflixerunt. &c.

Statuta Synodalia D. HENRICI, Archi-Episcopi Coloniensis, edita anno Domini MCCCXXVII.

I. De curtibus non locandis Monachis.

II. De absentia Monachis more Canonicorum sæcularium non solvenda.

III. Et de non recipiendis Monachis vel Monialibus dato precio, seu sub spe præmii post receptionem exigendi.

HENRICUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, DILECTIS IN CHRISTO UNIVERSIS ABBATIBUS ET ABBATISSIS, AC EORUM CONVENTIBUS MONACHORUM ET SANCTIMONIALIUM NOSTRÆ DIŒCESIS, SALUTEM IN DOMINO.

Licet ex injuncti Nobis debito Pastoralis Officii, super cunctum Nobis gregem commissum, ne lupus gregem invadat, invigilare pro omni nostra possibilitate, & modis omnibus teneamur: specialius tamen Nobis incumbere non ambigimus, ut ibi nostræ figamus considerationis aciem vigilantius, ubi majora disponuntur pericula animarum. Ubi enim majus vertitur periculum, cautius est agendum. Sane in Monasteriis vestris aliqui ex vobis, curtes vestras, sub certa solvenda pensione, de facto frequenter a longis temporibus conduxerunt & adhuc conducunt, & se ad hujusmodi solvendas pensiones, ac si possint habere propria, & contractuum commercia nomine proprio exercere, vobis obligant, & in hujusmodi curtibus sic conductis mansiones sibi facientes, soli moram trahere continue non formidant, non attendentes improvide, qualiter Monachum habere proprium & proprio nomine civiles exercere contractus jura abhorreant, & quam utiliter detestentur, ac a natura Monachi adeo esse debeat alienum, ut etiam Summus Pontifex profiteatur expresse, se non posse contra hoc licentiam indulgere: nec Monachus inter seculares homines, solus spiritualium hostium conflictum debebit de jure seu poterit expectare: eique testante jure, pro terreno aliquo lucro exire Monasterium, in ausum reputetur nefandissimum: adeoque quilibet Monachus suo debeat esse contentus Monasterio, ut *Canonis* dicat authoritas, *quod sicut pisces sine aqua vita carent, ita sine Monasterio Monachus.* Item Monachos & Moniales, aliqui & aliquæ ex vobis sub certis preciis, aut sub spe precii recipitis sub paupertatiis prætextu hoc vitium palliantes, non timentes pœnas contra hoc per *Lateranense* (a) Concilium promulgatas. Præterea in nonnullis vestris Monasteriis aliqui ex vobis impetrata ad abessendum Superioris licentia, dum revertuntur, fructus suæ exigunt absentiæ, acsi forent Canonici seculares, & ipsis Monachis æqualiter, habere redditus, sit indultum: & sub hujusmodi abusus modo, vos eis tales fructus estis soliti assignare. Quæ omnia & singula omnino obviant Canonicis institutis, scandalum in Clero & populo generant, & dissolutionem monasticæ pariunt disciplinæ. Proinde quia

(a) *Lateranense anni* 1215. *sub Innocentio III. Cap. LXIV. Binius T. III. Concilior. Parte II. pag.* 694.

quia iste morbus inter vos magis irrepsit. Etsi contra præmissa a sacris Summorum Pontificum & sacrorum generalium Conciliorum Canonibus per pœnas gravissimas sit provisum: quia tamen hujusmodi Canones & pœnas, forsan ignorantia ducti, non curant ad animum revocare: hoc nostro mandato, in quantum possumus, medelam adhibere duximus competentem. Vobis igitur universis & singulis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, quam in quemlibet vestrum in hoc culpabilem, monitione duodecim dierum præmissa, quorum quatuor pro primo, quatuor pro secundo, & residuos quatuor pro tertio, & peremptorio termino, vobis universis & singulis assignamus, ferimus in his scriptis: districtius mandantes, ut a præmissis omnibus & singulis, quocunque ad hoc quæsito colore de cætero abstineatis omnino, nec curtem aliquam alicui Monacho locare sub quocunque titulo, aut absenti Monacho ratione suæ absentiæ quicquam tanquam sibi debitum exigenti dare, & Monachum, aut Monialem dato precio, seu sub spe pretii post receptionem exigendi recipere, aut postea etiam exigere aliqualiter præsumatis. Alioqui præcipimus universis nostræ civitatis & Diœcesis Rectoribus, & eorum vices gerentibus, quatenus in præmissis inter vos culpabiles, denuncient, quoties & quando requisiti fuerint, prædicta excommunicatione nodatos. Et intimamus vobis per præsentes, quod nisi de præmissis, omni fraude & simulatione circa ea cessantibus, caveatis, ad executionem pœnarum Canonum prædictorum, & per nostram aggravationem sententiæ, ac alias per censuræ coercitionem Ecclesiasticæ, prout hoc rigor juris poposcerit. (a) Et ne hujus nostri mandati causari ignorantiam valeatis, in sancta Synodo, in nostra Coloniensi Ecclesia, in crastino præsentis Dominicæ celebranda, ipsum mandatum volumus solenniter publicari. Datum anno Domini M. CCC. XXVII. die Dominica, qua cantatur, INVOCAVIT.

(a) *supple*: procedemus.

De Collectoribus Fabricæ Ecclesiæ Coloniensis nullatenus impediendis. Ut laici manum deponant. Oblationes, seu eleemosynas ad Fabricam inter se non dividant, aut quicquam sibi de his retineant, sed ut hæ sine diminutione Collectoribus assignentur. Et ne trunci in Ecclesiis vel Capellis erigantur. Et quæ pro Fraternitate S. Petri veniunt, per se serventur, faciendo computum collectoribus. Ut lecto Evangelio, collectores Verbum Dei populo proponant, & prædicare volentes, postea incipiant.

PRæcipitur universis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archi-Diaconis, Decanis, investitis Pastoribus, Plebanis, Viceplebanis, cæterisque Ecclesiarum seu Capellarum Rectoribus, in Coloniensi Diœcesi constitutis, per Reverendum in Christo Patrem, & Dominum, D. HENRICUM Coloniensem Archi-Episcopum, de Prælatorum suorum, & Capituli Coloniensis consilio & assensu, & statuitur, & mandatur sub interminatione maledictionis æternæ, & sub obtestatione Divini, & tremendi Judicii; nec non sub pœna anathematis prohibetur, ne aliquis, cujuscumque conditionis, status, vel ordinis fuerit, audeat Fabricam Coloniensem, seu collectores vel nuncios ipsius publice vel occulte, quibuscunque viis vel coloribus ad hoc quæsitis, quomodolibet impedire. Injungitur similiter, & mandatur omnibus prædictis, nec non laicis, quibuscumque etiam nominibus, sive templarii, sive custodes Ecclesiæ, aut quocumque alio titulo nuncupentur, ne de cætero quaslibet oblationes, eleemosynas seu largitiones quascunque datas vel oblatas dividant, & sibi partem aliquam retineant, seu se de eis aliqualiter intromittant: sed negocium fabricæ ipsius fideliter promoventes, omnino manum deponant. Et ipsis nunciis seu collectoribus omnia oblata vel donata sine diminutione assignent. Procuratori ipsius fabricæ ad usus ejusdem diligentius præsentanda. Præterea inhibetur, ne de cætero trunci in Ecclesiis, vel Capellis erigantur: sed positi & erecti, intra mensem a tempore publica-

licationis hujusmodi funditus evellantur. Præcipitur insuper, ut omnia illa, quæ *pro Fraternitate Beati Petri* Apostolorum Principis largiuntur, distincte, & per se reserventur, ipsisque nuntiis, seu collectoribus specialiter sine commutatione alicujus alterius integraliter assignentur, ita quod de hujusmodi oblationibus reddatur ipsis nuntiis, vel procuratori computus specialis. Cæterum præcipitur, sicut prius, ut statim lecto Evangelio, Ecclesiarum, seu Capellarum Rectores ordinent, & disponant, ut nuncii, seu collectores dictæ fabricæ, Verbum Dei populo proponant, & postulent oblationes, & suffragia sine impetu opportune: & si postmodum alii prædicare habuerint, sermonem suum incipiant: ut sic nuncii expediti, valeant ad alias Ecclesias, in quibus eorum adventus celeriter expectatur, sine longa mora ulterius proficisci. Idem Dominus noster Archi-Episcopus omnes Prælatos, Plebanos, Vicarios, Ecclesiarum Rectores, seu eorum vices gerentes, Presbyteros, Clericos, & laicos, cujuscunque officii, status, vel conditionis extiterint, qui contra has inhibitionem, ordinationem, & statutum veniunt, in parte, & in toto, nisi excessum eorum intra septem dies, quos eis pro monitione assignamus, emendaverint, excommunicationis sententiæ eo ipso voluit subjacere: mandans & committens Officiali Coloniensi, quatenus, dum ipse a Procuratore fabricæ Coloniensis, vel aliquo eorundem fuerit requisitus, præmissa & præmissorum quælibet exequatur, & a suis subditis quibuscunque exequi faciat diligenter, prout negocium, & utilitas ipsius fabricæ id exposcit. Facta est publicatio ordinationis, inhibitionis, & statuti hujusmodi, Coloniæ: crastino INVOCAVIT, in congregatione Concilii Synodalis, Anno Domini M.CCC.XXVII.

I. Contra Moniales divagantes, & Monachos apostatas.
II. Item, ne Canonici, vel Monachi sine examinatione literaturæ ad Ordines admittantur.

HENRICUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, UNIVERSIS CHRISTI-FIDELIBUS AUDITURIS PRÆSENTES LITERAS ET VISURIS, SALUTEM IN OMNIUM SALVATORE.

QUanquam sub prohibitione stricta a jure statutum existat, ne Sanctimoniales, monastica modestia impudenter abjecta, extra Monasteria sua divagentur, nisi pro causis, eis a jure permissis: tamen frequenter extra eadem Monasteria sua per vicos & plateas discurrunt, & personarum sæcularium habitacula frequentantes, non in habitu tantum religioso, verum etiam eo relicto, in habitu sæculari se ostendunt, & in tanta vanitate mundanis adspectibus se administrant, quod ex hoc possint contra propriæ conscientiæ suæ puritatem, suspectæ non immerito reputari. Et quanquam variæ contra Sanctimoniales easdem comminationes pœnarum hactenus emanarunt, tamen in vetitum nitentes, quanto plus ab istis prohibentur, tanto ardentius, quo ad hujusmodi suas vanitates exercendas, inflammantur. Quare mandamus, & præcipimus omnibus & singulis Sanctimonialibus, præsentibus & futuris, cujuscunque sint religionis vel ordinis, nostræ civitatis & Diœcesis, ut in suis Monasteriis de cætero sub clausura perpetua permaneant juxta canonicas Sanctiones, ita, quod nulli earum religionem tacite vel expresse professæ, a suo Monasterio exire liceat, nisi forte tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non possit servire Deo, cui corda sua & corpora omni sanctimonia subdiderunt. Salvo, quod Abbatissa & Priorissa, seu Magistra, per quas Monasteria eadem reguntur, cum honesta & decente societate exire poterit, dum pro hoc Monasterii sui negociis fuerit faciendum, ad Monasterium suum absque honoris dispendio, quamprimum poterit, reversura. Alioqui Sanctimoniales hujusmodi extra Monasterium suum vagantes, & quamdiu in hoc persistunt, inhibemus peni-

penitus admitti ad Divina, nisi ex rationabili & manifesta causa, ac de illius, ad quem pertinuerit, exiverint licentia speciali, & de hoc, Divina celebrantibus, ac eas hospitantibus, prius sufficiens fides fiat. Alias scienter eis præsentibus Divina celebrare præsumens, suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, & eas sic divagantes hospicio recipiens, excommunicationis sententiam incidant ipso facto. Illas vero Sanctimoniales, quæ habitu religionis suæ dimisso, extra Monasteria sua divagantur, & quæ ex hoc sententiam excommunicationis a Canone jam prolatam inciderunt ipso facto, excommunicatas volumus & præcipimus nunciari. Inhibentes sub pœna excommunicationis, ne quis eis tanquam apostatis & excommunicatis, communicet quoquomodo, vel foveat easdem in tali apostasia scienter, ne tanquam criminosis in crimine consentiens, consimili laqueo valeat irretiri.

Statutum II. Insuper mandamus & præcipimus, immo inhibemus, ne aliquis de cætero Ecclesiæ collegiatæ Canonicus vel Religiosus ad Monasterii sui titulum ordinandus (quarum Ecclesiarum & Monasteriorum, exemptorum, & non exemptorum, Canonicus, vel Monachus, seu Fratres, sine examinatione literaturæ, & intitulatione ordinari consueverunt) ad Ordines admittantur, nisi prius de ætate & corporis idoneitate (cum corpore vitiati non sint ad Ordines hujusmodi admittendi) per Examinatores, ad examen ordinarium tempore celebrationis Ordinum deputatos vel deputandos, sint examinati, & intitulati, sicut cæteri sub communi titulo ordinandi. Alias admittentes & ordinantes eosdem, & Ordines sic prohibiti recipientes (quos ex nunc, ne contra faciant, monemus in his scriptis) post lapsum duorum mensium & publicationem præsentium mandatorum, suspensionis ab ingressu Ecclesiæ sententiam incurrant ipso facto: & hoc *in sacra sancta Synodo*, Prioribus, Clero, & Christifidelium multitudine præsentibus, publicari mandavimus, & ab omnibus præcepimus servari, ne quis contra ipsa, crassa se valeat ignorantia excusare: præcipientes universis Capellis, Conventibus mendicantium, & non mendicantium, Christianitatum Decanis, & locorum Plebanis, ut intra decem dies post harum publicationem, sub sigillo majori Officialis Curiæ nostræ Coloniensis, horum copiam recipiant, & singulis mensibus, prima Dominica die mensis, in sermonibus suis, Plebanus hora Missæ, & mendicantes in eorum prædicationibus, materna lingua in vulgari & intelligibiliter publicent, & exponant. In horum testimonium præsentes literas appensione sigilli nostri fecimus communiri. *Datum anno Domini M. CCC. XXVI. in crastino Beati Remigii.* In cujus copiæ testimonium, sigillum Officialitatis Curiæ nostræ præsentibus literis duximus appendendum.

Statuta Ecclesiæ Coloniensis anni 1554. editionis Coloniensis.

Statutum singulare D. HENRICI, Ecclesiæ Coloniensis Archi-Episcopi, editum anno Domini MCCCXXIV. Iteratum & quasi renovatum anno Domini MCCCXXVIII.

Moderatio Statutorum Provincialium secundario facta auctoritate Apostolica per D. HENRICUM Archi-Episcopum, quoad cives & civitatem Coloniensem.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

HENRICUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS. &c. *ut supra pag. 289.*

JOANNES EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI FRATRI ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI &c. ut supra pag. 289. Datum Avinione VII. Idus Martii, Pontificatus nostri anno VII.

NOS

NOS hujusmodi *Literis Apostolicis* reverenter obedire volentes, ut tenemur, de consensu nostri Capituli, ac Priorum, & Prælatorum nostrorum prædictorum, circa observantiam interdicti, & cessationem a Divinis, auctoritate Statutorum prædictorum, quoad civitatem Coloniensem, taliter duximus ordinandum & disponendum, *& ipsa Statuta moderandum*, quod propter violationem Ecclesiarum, seu Ecclesiasticarum immunitatum, seu dotum, in sola Parochia, in qua hanc committi contigerit, cessetur a Divinis: in aliis autem Ecclesiis Collegiatis, Conventualibus, & Parochialibus civitatis Coloniensis, propter hoc intra mensem a tempore notificationis factæ per Plebanum Parochiæ, in qua violentia perpetrata fuerit, consilio civitatis Coloniensis, aut Magistris Consulum, sive aliquibus ex ipsis Consulibus notificatæ computandum, ut delinquentem, seu committentem compellant ad satisfactionem condignam præstandam, si committens sive forefactor, de civitate Coloniensi, & sub potestate Magistrorum & Consulum fuerit dictæ civitatis, non cessetur a Divinis, nec Ecclesiasticum servetur interdictum: sed ipsum interdictum, sive cessationem a Divinis, per eundem mensem relaxamus, ac teneri volumus, & decernimus relaxatum. Verum si intra prædictum terminum post expositam, sive notificatam hujusmodi violentiam, consilio civitatis, sive Magistris consulum, aut aliquibus ex ipsis consulibus, forefactor, sive forefactores de commissa per ipsos, seu per ipsum violentia non satisfecerint, dummodo iidem forefactores sive forefactor, jurisdictioni, & potestati dictorum Magistrorum, & Consulum subfuerint, ita quod ipsum, seu ipsos ad præstandam hujusmodi emendam compellere de forefacto poterunt; extunc *Statuta Provincialia prædicta*, in sui forma primæ a, exacta diligentia observentur. Si autem prædicti delinquentes aut forefactores, seu delinquens aut forefactor, extraneus fuerit, aut de civitate Coloniensi recesserit, ita quod prædicti Magistri & Consules, in ipsum seu ipsos jurisdictionem aut potestatem non habuerint, aut exercere possint in prædicta civitate Coloniensi, aut in Ecclesiis Collegiatis, Conventualibus, aut Parochialibus civitatis prædictæ, prædicta statuta nullatenus observentur: sed ipsum interdictum sive cessationem ob hujusmodi delictum, promulgatum, relaxamus, ac teneri volumus, & decernimus relaxatum. Volumus autem, quod in Parochia, in qua violentia hujusmodi fuerit perpetrata, propter quam fuerit cessandum, ut dictum est, intra spatium quatuor septimanarum, postquam ipse Plebanus, aut ejus Vicarius ipsam violentiam consilio civitatis, aut Magistris Consulum, aut aliquibus ex ipsis notificaverit, & non ante, nec alias, corpora defunctorum cum solennitate Missæ tradi possint Ecclesiasticæ sepulturæ, ipsum interdictum, sive cessationem Divinorum, quo ad sepulturam & solennitatem exequiarum ipsarum præsentibus suspendentes. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum una cum sigillo Capituli nostri prædicti, præsentibus est appensum. Quod Nos Capitulum, pro Nobis & Prioribus Coloniensibus, in signum consensus nostri prædicti, præsentibus duximus apponendum. Datum anno Domini MCCCXXVIII. in vigilia Nativitatis B. MARIÆ Virginis.

Statuta Ecclesiæ Coloniensis, editionis Colon. anni 1554.



Proteſtatio & Appellatio LUDOVICI IV.

Regis Romanorum, qua Advocati S. Romanæ Eccleſiæ, & S. Imperii, Cuſtodis Fidei Catholicæ, a gravaminibus illatis & comminatis ad Concilium generale quantocius congregandum.

Anno Chriſti MCCCXXIII. Joannis XXII. Papæ VIII. Ludovici IV. Regis IX.

IN CHRISTI NOMINE. AMEN.

DIe Dominico, quod fuit decima quinta Kalendas Januarii, ſub anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo trecenteſimo viceſimo tertio, in Nurenberg in domo *Alberti Ebner*, præſentibus honorabilibus Viris, *Domino Henrico de Lapide, Præpoſito Eccleſiæ Sanctæ Mariæ novi Collegii civitatis Eyſtetenſis: Magiſtro Ulrico Præpoſito Eccleſiæ S. Stephani civitatis Babenbergenſis: Domino Conrado in Stauff, Canonico veteris Capellæ civitatis Ratisponenſis, Domino Gotfrido, Plebano in Amberch Diœceſis Ratisponenſis: Magiſtro Friderico Notario civitatis Nurenbergenſis, Domino Henrico, Plebano in Pfulendorff Diœceſis Conſtantienſis, Henrico Hauſnerio Clerico, nec non Ottone de Werdea Canonico Eccleſiæ Pyſanæ*, ac multis aliis Eccleſiarum Prælatis & Clericis, nec non & laicis, & multæ auctoritatis viris, teſtibus rogatis & vocatis, *& me Herdegno quondam Conradi de Babenberg, Clerico Diœceſis Babenbergenſis*, publico Imperiali auctoritate Notario, Sereniſſimus Princeps, Dominus LUDOVICUS Romanorum Rex ſemper Auguſtus, coram Reverendo Patre, Domino NICOLAO Venerabili Epiſcopo Eccleſiæ Ratisponenſis, & teſtibus ſupradictis, nec non & aliis Prælatis & Eccleſiaſticis perſonis & ſecularibus, tamquam coram authenticis, publicis & honeſtis perſonis infra ſcriptis propoſuit, & in ſcriptis fecit proteſtationes, & deinde appellavit, & in ſcriptis infra ſcriptam appellationem interpoſuit, ut inferius continetur, quarum proteſtationum tenor ſequitur in hac forma:

COram vobis Venerabili Patre, *Domino NICOLAO, Epiſcopo Eccleſiæ Ratisponenſis*, & vobis honor. Viris, Domino *Henrico de Lapide, Præpoſito Eccleſiæ Sanctæ Mariæ novi Collegii civitatis Eyſtetenſis: Magiſtro Ulrico, Præpoſito Eccleſiæ S. Stephani civitatis Babenbergenſis; Domino Conrado Plebano in Stauff, Canonico veteris Capellæ civitatis Ratisponenſis, Gotfrido Plebano in Ambergh, Diœceſis Ratisponenſis; Magiſtro Friderico Notario civitatis Nurenbergenſis, Henrico Plebano in Pfulendorff Diœceſis Conſtantienſis; Henrico Hauſnerio, nec non Ottone de Werdea, Canonico Eccleſiæ Piſanæ, & te HERDEGNO, publico Imperiali auctoritate Notario*, tamquam coram viris idoneis & perſonis authenticis. Nos LUDOVICUS, Romanorum Rex ſemper Auguſtus, comparemus, & infra ſcriptas proteſtationes noſtras, coram vobis proponimus, & in ſcriptis offerimus, ac ſi in præſentia Domini noſtri, Summi Pontificis, cujus copiam artante termino tamquam abſentis, & remote diſtantis, habere non poſſumus, eſſemus perſonaliter conſtituti, promittentes expreſſe, quod

Anno MCCCXXII. cum Ludovicus IV. Victor Friderici, Imperii adminiſtrationem, non exſpectata Pontificis ſententia, & ſubditorum ſibi in Italia Patrocinium continuaret; Joannes Papa VIII. Idus Octobris A. 1323. *Monitorium* publicavit, & proceſſum contra ipſum factum ad Ludovicum miſit, cui ſub pœna excommunicationis injunxit: ut intra III. menſium ſpatium a defenſione Italorum abſtineret, & ab omni Regni & Imperii adminiſtratione ceſſaret, niſi poſt factam ejus perſonæ a Sede Apoſtolica approbationem; prohibens omnibus eidem præſtandam obedientiam. Hoc *Monitorium* miſit ad Germaniæ & omnium Regnorum Archi-Epiſcopos. V. *Raynaldum hoc anno* 1323, *n.* 30. *Pagi in Breviario Tomo IV. pag.* 77.

Ludovicus hoc nuntio accepto ſententiæ Pontificiæ, nuntios ad Papam ablegat Nuremberga II. Idus Novembris A. 1323. Regni A. IX. ante reditum Legatorum ab Avenione proteſtatur *ut ſupra.*

quod easdem in ipsius Summi Pontificis, quamprimum commode poterimus, notitiam deducemus, & coram eo invocabimus, & publicabimus, prout fuerit opportunum.

In primis protestamur, quod Sanctam Ecclesiam Romanam, Magistram Fidei Catholicæ, matrem & alumnam nostram colere, diligere & fovere, statum ejus solidare, & jura servare semper intendimus bona fide. (a) Item quod hostes ejus & rebelles quoslibet, quos scimus, vel a professione dictæ fidei aberrantes, tamquam fidelis advocatus & fervidus Christianæ Fidei Zelator, hostiliter persequi & exterminare volumus toto posse. Item quod non credimus, contra Sanctam Ecclesiam Nos unquam in aliquo excessisse, & si quando excederemus, parati sumus ad ejus correctionem humiliter emendari, & sub regula disciplinæ suæ obedienter consistere, & suo consilio & regimine gubernari. Item quod eidem volumus reverentiam debitam & honorem. Protestamur insuper, quod Domino nostro Summo Pontifici eam, quam debemus, & quemadmodum Romanis Pontificibus, Romanorum Imperatores & Reges Prædecessores nostri obedientiam, devotionem & reverentiam gesserunt & habuerunt; volumus similiter gerere & habere. Item protestamur, quod statum Romani Imperii & jura, res, & honores suos salvos sine præjudicio cujuslibet juxta debitum fidei nostræ, & virtutem præstiti Sacramenti, quantum scimus & possumus, nostris temporibus similiter disponimus custodire.

Tenor vero Appellationis prædicti Domini LUDOVICI *Romanorum Regis dignoscitur esse talis:*

IN CHRISTI NOMINE, AMEN.

CORam vobis Venerabili Patre, Domino *Nicolao, Episcopo Ecclesiæ Ratisponensis*, & vobis honorab. viris Domino *Henrico de Lapide, Præposito Ecclesiæ Sanctæ MARIÆ novi Collegii civitatis Eystettensis: Magistro Ulrico, Præposito Ecclesiæ S. Stephani Babenbergensis: Domino Cunrado de Stauf, Canonico veteris Capellæ in Ratispona: Domino Gotfrido, Plebano in Amberg, Diœcesis Ratisponensis: Magistro Friderico, Notario civitatis Nurenbergensis: Henrico Plebano in Pfulendorf, Diœcesis Constantiensis: Henrico Hausnerio, nec non Ottone de Werdea, Canonico Ecclesiæ Pisanæ: & te Herdegno publico Notario* infra scripto, tanquam autenticis personis, honestis & publicis, ac si in præsentia Domini nostri Summi Pontificis essemus præsentialiter constituti. Nos LUDOVICUS, Dei gratia, Romanorum Rex semper Augustus, dicimus, asserimus, & proponimus, quod licet Domino nostro Summo Pontifici, & S. Romanæ Ecclesiæ, Matri nostræ, sinceræ devotionis affectum cum debita reverentia semper exhibuerimus & honore; ad nostrum tamen, quod contra præmissa minime sperabamus, recenter pervenit auditum, eundem in Romana Curia quosdam processus contra nos, minus gratiosos, publicasse, imo quod salva reverentia dicamus, animosos nimis & odiosos & injuriosos, ex causis non veris, & contra jura & rationem habitos & confictos, vergentes in nostrum & Sacri Imperii dispendium, & jacturam, & scandalum plurimorum, unde diffidiis & schismatibus materia præparatur. Cum tam patenter cernitur, in dissolidationem integritatis Ecclesiæ, injurias inde procedere, unde debet fons juris & justitiæ derivari.

Idem namque Summus Pontifex in ipsis processibus, sicut fertur, dicit & asserit: " Nos nomen Regni & titulum " Regium nobis illicite usurpasse, eo quod

(a) Ab hæresi hæc protestatio, & ejus fautores facile eum excusant, sed non perinde ab *infami Schismatis crimine*, quando anno 1328, 12. Maji populo Romano adulanti & ob absentiam Papæ ab urbe irritato, Antipapam Petrum de Corbaria ex ordine Minorum proposuit: & hæreseos varia conficta crimina Joanni XXII. exprobravit, quasi ideo Pontificatu excidisset: demum quando ab hoc suo Antipapa coronari voluit. En quo studia partium & popularis furor Principem ad absurdissima facinora præcipitat!

" quod ad ſe electionis noſtræ, *quam dicit in diſcordia celebratam*, & perſonæ electæ examinationem, approbationem, admiſſionem, repulſionem, & reprobationem quoque aſtruat pertinere; & priusquam hujusmodi noſtra electio admiſſa, & perſona approbata, vel alterius coelecti noſtri fuiſſet per Sedem Apoſtolicam reprobata, nobis non licuerit aſſumere nomen & titulum prælibatum, cum interim non *Rex* fuerimus, nec pro Rege haberi, vel Rex nominari debuimus, ſed *electus*.

" Dicit præterea, quod hujusmodi præſumpto nomine & titulo non contenti, ad adminiſtrationem jurium Regni & Imperii, in manifeſtam injuriam Romanæ Eccleſiæ, ad quam vacantis ejusdem Imperii, ſicut in præſentiarum vacat, regimen pertinere dignoſcitur, Nos ingeſſerimus & immiſcuerimus indebite, exigendo & recipiendo fidelitatis in Alemaniæ, & nonnullis Italiæ partibus, a perſonis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus Vaſallis Imperii, juramenta, ac dignitatibus, honoribus & officiis ejusdem Imperii, exemplo poſito de Marchionatu Magdeburgenſi (*a*) pro libito diſponendo, & plura alia exercendo, quæ ad ipſorum Regni & Imperii regimen non eſt dubium pertinere.

" Adjecit inſuper, quod ejusdem Eccleſiæ rebellibus, ſicut Galiazio de Vice-Comitibus, & ejus fratribus de hæreſi condemnatis, & nonnullis aliis contra dictam Eccleſiam, ſuam injuriam & negationem (*b*) Fidei & Imperii proſequentem, Nos defenſorem conſtituerimus & fautorem, propter quæ ſumpta modo plenitudine poteſtatis, de fratrum ſuorum, *ut dicit conſilio*, Nos monuiſſe dicitur, quod (1) infra trium menſium ſpacium ab adminiſtratione, fautoria, & defenſione prædictis prorſus abſtineremus, (2) ipſam adminiſtrationem minime recepturi, niſi tunc demum, cum electionem noſtram admitti & perſonam contigerit approbari: (3) Quodque geſta per Nos poſt præſumptum nomen & titulum ſtuderemus, quantum pateretur poſſibilitas, infra eundem terminum realiter revocare, (4) alioquin contra Nos ad publicationem pœnarum, quas propter præmiſſos exceſſus incidiſſe noſcimur, & alias quantum ſuaderet juſtitia, procederet, noſtra abſentia non obſtante.

" Ad hæc univerſis perſonis Eccleſiaſticis & ſecularibus, cujuscunque præeminentiæ extiterint, etiamſi Pontificali vel Regali præfulgeant dignitate, & civitatibus, communitatibus, & univerſitatibus, ſub certis pœnis (5) inhibuiſſe dicitur, ne Nobis, tamquam Regi, in iis, quæ Regni & Imperii contingunt regimen, niſi tunc demum, cum electionem & perſonam noſtram per ſedem eandem approbari & admitti contigerit, in aliquo pareant vel intendant: & ne nobis in quibuscunque ad prælibatum regimen ſpectantibus præbeant quomodolibet conſilium, auxilium, vel favorem, non obſtantibus quibuslibet juramentis, nobis tanquam Regi, vel in Romanum Regem electo, a quibusvis perſonis præſtitis, (6) quæ decernit penitus non tenere, nec fore aliquatenus obſervanda, cum jurantem non obligent, tanquam ei præſtita, cui præſtari non deberent, & quæ ſine detrimento ſalutis, & animæ periculo ſervari nequeant, ſicut dicit. Seu ſi etiam, quod etiam excommunicari, interdici, vel ſuſpendi non valeant, alicui, vel aliquibus, ſpeciali privilegio ſit indultum, quod contra præmiſſa nulli vult penitus ſuffragari.

" Proteſtatur inſuper, quod per dilationem prædicti termini *trium menſium* non vult aliqualiter obligari, quin ea pendente ad publicationem pœnarum, quas incidimus, procedere valeat, vel alias, ſicut ſibi viſum fuerit, expedire. Et ut proceſſus hujusmodi in noſtram notitiam deducatur, eum oſtiis & liminaribus Avenion. Eccleſiæ in chartis & membranis conſcriptum affixit, ut ſic nobis ſuo ſonoro præconio innoteſcat, ac ſi perſonaliter nobis inſinuatus & publicatus ſolenniter extitiſſet, conſtitutione qualibet non obſtante in contrarium.

Verum Nos circumcincti ſtola juſtitiæ, & amicti pallio veritatis, in hac parte

(*a*) Brandeburgenſi

(*b*) negotium

parte *facti & juris conscii*, clare respondemus & dicimus ad præmissa, (1) quod hactenus a tempore, cujus non est memoria, circa electos Romanorum Reges & Principes, sic est *de jure & consuetudine* observatum, & tenent, dicunt, & sentiunt, & *semper* tenuerunt, dixerunt, & senserunt *Principes & meliores ac majores Imperii*, & est maxime in partibus Alemaniæ adeo notorium apud omnes, ut non sit, qui dubitet, vel ignoret, quod Romanus Rex eo solum, quod electus est a Principibus Electoribus, ad quos pertinet ipsius electio, omnibus vel majori numero eorundem, & coronatus corona regia in solitis locis & consuetis; Rex est, & pro Rege habetur, & Rex nominatur; & eidem ab omnibus paretur & intenditur, sicut Regi, & jura regni libere administrat, fidelitates & obedientiam recipit, feuda confert, & de bonis, honoribus, & dignitatibus & officiis regni juxta beneplacitum ordinat & disponit.

Quare cum notorie constet, (2) Nos a longe majori numero Electorum, ad quos jus eligendi Regem pertinet, rite esse electos, & diademate regio coronatos in locis debitis & consuetis, & hoc ipso nomen & titulum prælibatum, & jus administrandi jura regni, & de ipsius rebus, honoribus, dignitatibus & officiis disponendi legitime assecutos; manifeste patet, (3) quod in injuriam nostram & gravamen dicit Nos illicite nomen & titulum usurpasse, & in administrationem & dispositionem præfatas indebite ingessisse; cum potius quemadmodum alii Romani Reges Prædecessores nostri in hac parte usi sunt, & Nos utamur licite jure nostro, cum etiam circiter decem annos, nomen, & titulum, administrationem & dispositionem hujusmodi in pacifica possessione continue scripserimus, & gesserimus absque reprobatione electionis, & personæ nostræ, si tamen poterant reprobari, & citra impeditionem & contradictionem, si cujus forte poterant interesse, sicut est notorie manifestum; nimis est injuriosum & juri contrarium, quod nunc primum ipse Dominus Apostolicus *lege inperspecta*, *parte inaudita*, *negocio indiscusso*, *& juris ordine prætermisso*, contra Nos queritur, invehitur, & procedit, intendens, ac si abjecto nomine & titulo, & deposita administratione prætermissa, Nos ipsos quasi capite minuamus. Licet *sæpe missis ad eum per Nos nuntiis*, & rescriptis suis literis per eos, vel in illis nunquam fuerimus reprehensi. Et quia ex præmissis per evidentiam & effectum operis patet, quod sacri regni regimen gubernamus; prorsus a veritate discrepat, quod dicit *Imperium nunc vacare & ejusdem sibi regimen pertinere*. Ex quo enim Rex sumus, & jura regni administramus, ut Rex, & in possessione regendi regnum Romanum sumus, & fuimus multis annis, non poterit dici vacare, quod habet Regem regentem & regendi regnum & imperium potestatem habentem, solis duntaxat insulis Imperialibus coronandum.

(4) Nec concedimus ita simpliciter, ut proponitur, ad Sedem Apostolicam, examinationem, admissionem, & approbationem electionis, & personæ nostræ repulsionem & reprobationem pertinere, *sicut asserit*. Sed si, quod non credimus, pertineret, hoc unum demum sibi locum vendicare forte posset, si per querelam, vel per viam supplicationis, appellationis, vel provocationis, vel alio modo ad ipsam sedem fuisset devolutum ipsum negocium vel deductum; quæ locum non obtinent in præsenti; vel in forte petitis per Nos infulis imperialibus, vel denominatione nostra, ex causis legitimis jure scriptis, quas ad Nos locum non credimus habuisse, personam nostram contigisset exigente justitia refutari. Denominatio quippe personæ vel electionis admissio habitæ subsequenter, Nobis non jus, nomen vel titulum tribuissent, quæ jam ex ipsa electione sortiti sumus, sed ea potius detexissent, approbassent, & latius commendassent. Hæc veritas ratione juvatur, Canonibus & legibus fulcitur, & Summorum utriusque juris Doctorum sententiis comprobatur, & usu, & consuetudine longissimi temporis declaratur.

(2) Vide Literas autographas, & ab Augustano Episcopo vidimatas *apud Herwartum Bavariæ Cancellarium a pag.* 19. *in Ludovico IV. Imperatore defenso*, & Literas Reipublicæ Francofurtensis ad Aquisgranenses eodem anno 1314. scriptas *pag.* 13. *Herwarti.*

Quod vero adjunxit, Nos GALIAZIO de Vicecomitibus, & ejus Fratribus de hæresi condemnatis, & nonnullis aliis Ecclesiæ Romanæ rebellibus, quos tamen non denominat, defensionem exhibuisse, ut asserit, & favorem, penitus nihil scimus. Nam si dicti Galeazius & Fratres sui sunt *de hæresi condemnati*, Nobis non innotuit, nec per ipsum Summum Pontificem, vel alium, qui voluit, aut potuit, Nobis insinuatione debita est detectum. Ipsum ergo tanquam in facto consistens, & in remotis actum rationabiliter poteramus ignorare. Imo quem favorem, aut defensionem eis vel aliis, quos nescimus, vel quos denominat, exhibuimus, & quomodo sint vel fuerint rebelles Ecclesiæ, non videmus; aperte conjicimus (c) & per effectum operis cognoscimus, nonnullos rebelles nomini Ecclesiæ, qui per fidem devotionis suæ molientibus contra statum, & jura Imperii non (d) renituntur.

Scimus, & in nonnullis partibus Italiæ est auditum, quod ad Reverendum Patrem, Dominum Cardinalem, (e) qui in istis partibus legationis officio fungebatur, generosos viros, Comites, nuntios destinavimus, facturos ejus auxilio pacem, treugas, & concordias inter partes, quæ sibi invicem guerras, lites, & mala plurima inferebant, frequenti earundem partium querimonia, & pietatis officio excitati. Ipse vero legatus, qui venit mittere non pacem, sed gladium, quod suæ professioni minime congruebat, dictos nuncios, & eorum dicta, & bonas exhortationes & rogamina non attendens, nimis eos dimisit in nostram & ipsorum ignominiam inhoneste, & bellum fidelibus Mediolanensibus, & obsidionem civitati (f) in virtute valida præparavit, ipsamque in Nostram & ipsius Sacri Imperii injuriam capere nisus fuit, quibus dicti Comites, quantum poterant, præsidium afferebant. In quo non Galeazii & Fratrum suorum, sed nostrum & Sacri Imperii negotium actum fuit, nec ipsis defensio seu favor sunt exhibiti, quos constat remotos a suis Officiis extitisse.

Sed certe quoniam in Nos retorquere nititur hæreticorum & rebellium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fautoriam, Nos sibi ipsi objicientes, & contra eum Dei zelo ducti, & Christianæ fidei fervore accensi, ad conservationem fidei & extirpationem zizaniæ hæreticæ pravitatis dicimus, proponimus, & nos adstringimus & offerimus, coram Reverendis Patribus Dominis Cardinalibus non suspectis, aut in collatione *Sacri Concilii generalis*, *vel* alias, ubi opportunum fuerit, legitime probaturos, quod ipse dissimulator, defensor, & fautor hæreticæ (g) pravitatis ejus, quæ totam Sanctam Ecclesiam inficit & conturbat, & a confessione retrahit pœnitentes, & generandis in spiritu viam claudit. Nam cum ad ipsius Summi Pontificis audientiam gravibus, & frequentibus, Archi-Episcoporum, Episcoporum, & nonnullorum inferioris gradus Prælatorum querimoniis sit deductum, & legitime propositum coram eo, *generalem Ministrum*, (h) *custodes Guardianos*, *&* *Fratres Minores Ordinis S. Francisci*,

(c) conjicimus vel convincimus

(d) non redundat.

(e) Bertrandus, Pontificis Joannis XXII. Legatus, & Guelforum Dux, & cruce signatorum contra Ludovicum & Italos; Gebellinos contra Galeazium Vice-Comitem Mediolanensem subditum Regi & Imperio, & Gibellinorum Principum unum anno 1323. obsessum a Bertrando.

(f) Anno 1323.

(g) Ab hæresi, & hæresis suspicione omnino liberum fuisse Joannem XXII. ostendunt *Henricus Spondanus* & *Pagi in Breviario Tomo IV. pag.* 101. 102. maxime, quia 3. Decembris A. 1334. convocatis Cardinalibus & Prælatis, & Tabellionibus publicis, omnia sua dicta & scripta submittit determinationi Ecclesiæ, & Successorum suorum: & speciatim, circa id, quod animæ purgatæ, a corpore separatæ, videant Deum a facie ad faciem. Post quam declarationem ex profluvio ventris pie & sancte obiit, orans & psallens, Avenione.

(h) Michaelem Cæsenatem generalem Ministrum Minorum, Marsilium Menandrinum Patavinum, Rectorem Academiæ Viennensis, Joannem Jandunum Perusinum, Guillelmum Ockamum Anglos, variarum hæresium vere reos, præsertim 2dum & 3tium a Joanne XXII. anno 1327. X. Kalendas Aprilis damnatos fuisse, ostendit Bulla apud

cisci, quod ipsi sint secretæ confessionis proditores, & peteretur ab eo, ut hoc tanquam perniciosissimum in Ecclesia Sancta Dei, unde periclitabantur animæ, aditus ad gratiam obstruitur, & peccatorum remissio negligitur, juxta debitum Pastoralis Officii emendaret; ipse tanquam tergiversando, dissimulando, & zelando morbum hujusmodi pestiferum, & lethalem, mortem animæ perpetuam inferentem, curare salutifero, & debito medicamine, non curavit, dictis fratribus in hac parte S. Romanæ Ecclesiæ & fidei Catholicæ inimicis, constituens se fautorem.

Ceterum prout certis patet in indiciis, & evidentibus convincitur argumentis, ipse contra Divinæ dispositionis ordinationem, per quam in firmamento Ecclesiæ militantis duo magna luminaria Deus fecit, Pontificalem videlicet auctoritatem, & Imperatoriam Majestatem, illud ut præesset diei, spiritualia disponendo: alterum, ut præesset nocti, temporalia judicando: manifeste nititur luminaris alterius, potestatis scilicet radios sæcularis suffocare, unde in confusionem & errorem sancta reponetur Ecclesia, causabuntur hæreses, ingerentur lites, suscitabuntur scandala, & Ecclesia Romana carens Præposito Advocato, resistere non poterit insurgentibus ex adverso.

Nos igitur, qui *Divina dispositione* constituti sumus *Propugnator*, *Custos Fidei Catholicæ*, *SACROSANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ ADVOCATUS*, & Sacri Imperii Rex & Princeps, volentes Nos ponere murum pro Domo Israhel, & Fidem, quam defigendo manum apud extraneum pro iis dedimus, & juramentum corporaliter per Nos præstitum Dei adjutorio inviolabiliter observare, sentiens Nos & Jura Imperii ac nostra, Sanctam Professionem Catholicam, Sanctam Romanam Ecclesiam ex prædictis processibus, nec non monitionibus, præceptis, inhibitionibus, comminationibus, sententiis, absolutionibus, relaxationibus, & singulis in eis contentis graviter & enormiter, suprascriptis de causis aggravatos esse, & posse etiam in posterum quam plurimum aggravari; a supradictis gravaminibus iniquis, indebite & injuste illatis & comminatis, & a processibus *DICTI SUMMI PONTIFICIS* manifeste iniquis & injuriosis, ex causis non veris, præjudicialibus & insolitis, juris Ordine non servato, contra Nos factis & confictis, in scriptis Sanctam Sedem Apostolicam nomine nostro, & omnium huic appellationi inhærentium, & adhærere volentium *APPELLAMUS & APOSTOLOS PETIMUS*, & iterum ac iterum petimus cum instantia Nobis dari, si est, qui ipsas Nobis dare possit. Subjicientes ex nunc, Nos & omnia jura nostra & Imperii in præmissis omnibus & singulis, sub protectione dictæ Sedis Apostolicæ speciali, quam appellationem & omnia & singula supra scripta coram eodem Domino Summo Pontifice interposuissemus, & fecissemus, sed sui absentis, & remote distantis artante termino præfixo, copiam habere nequivimus; eam tamen quamprimum commode poterimus, in ejus notitiam deducemus, & coram eo interponemus, proponemus, & dicemus, ac innovabimus ex causis supra expressis, & aliis de novo iterum exprimendis, & publicabimus loco & tempore, sicut fuerint publicanda.

Cum

apud *Bzovium & Raynaldum ad hunc annum*, & *Baluzium Tom. II. Anecdotorum columna* 704. *Natalis Alexander.*

Quorum præsertim Marsilii Patavini pestilentissimos errores contra Hierarchiam contemnens Papa speciatim circa Paupertatem Christi & Apostolorum in usu rerum temporalium ad demonstrandam æquitatem Constitutionum: *Ad conditorem.* & : *Cum inter.* a se editarum, aliam insuper Bullam, quæ incipit: *Quia quorundam.* IV. Idus Novembris A. 1324. edidit, qua præmissis gravibus responsionibus ad singulas detractorum objectiones, inserta ampla de clavibus scientiæ & potestatis disputatione ab hæresi se purgavit. *Pagi in Breviario Tomo IV. pag.* 80.

Factas autem hic objectiones de revelatis a Minoribus secretis confessionibus, videtur Ludovicus ex suggestione calumniantium huic suæ appellationi inseruisse. Cum certum sit speciali eorundem de paupertate Christi disputationi Imperatorem se immiscere noluisse, nedum eorum opinionem adoptasse: Quod non obstat, quin eosdem ad se recurrentes, veluti communes Joannis XXII. inimicos, foverit & tuitus sit. Aliud autem est, eos ad se recurrentes fovere, aliud mercede conducere, aut ad se recurrentes, ad scribillandum excitare, quod ultimum negat *Herwartus Bavariæ Cancellarius*, ex coævis probari.

Cum vero propter præmissos articulos, quos non est dubium, statum Fidei Catholicæ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Sacri Imperii contingere, & omnium interesse, opus sit *CONVOCATIONE CONCILII GENERALIS*, instanter, & cum omni devotione ipsum quamprimum commode poterit, ad locum communem, & aptum *petimus congregari.* In quo ad Dei Omnipotentis honorem, Sanctæ Christanitatis bonum statum, & profectum fidelium, nec non pro reverentia Reverendorum Patrum Dominorum Cardinalium, Patriarcharum, Primatum, Archi-Episcoporum, Episcoporum, & totius Ordinis Ecclesiastici, nec non ejusdem Sacri Concilii solemnitate, dante Domino personaliter intendimus interesse.

Lecta & interposita est hæc appellatio, Anno, die, loco prænotatis, præsentibus Dominis ac testibus supra scriptis. Et Nos *Nicolaus*, *Dei Gratia*, *Ratisponensis Ecclesiæ Episcopus prædictus*, *ac Nos Ulricus Præpositus Ecclesiæ S. Stephani Babenberg. Gotfridus Plebanus in Amberg*, *Otto de Werdea Canonicus Ecclesiæ Pisanæ*, *& Magister Fridericus Notarius civitatis Nurenbergensis* supradicti confitemur, prædictas protestationes, & appellationem, ac cetera supra scripta coram Nobis in scriptis facta esse, proposita, & interposita per omnia sicut præscribitur, anno, die, & loco supra scriptis, & sigilla nostra in testimonium præsentibus appendisse. Nos vero *Henricus de Lapide Præpositus Ecclesiæ Sanctæ Mariæ novi Collegii civitatis Eystetensis*, *Cunradus Plebanus in Stauf*, *Henricus Plebanus in Pfulendorf*, *& Henricus Hausnerius Clericus prædicti*, *confitemur* Nos omnibus præmissis interfuisse, vidisse & audivisse, & quia Sigilla nostra nobiscum ad præsens non habemus, sub Sigillis prædictorum Dominorum, & *tui Herdegni* Notarii publici subscriptione nos testes ad præmissa omnia & singula offerimus, & ita recognoscimus esse facta. Anno a Nativitate Domini Millesimo trecentesimo vigesimo tertio, indictione sexta.

Et ego Herdegnus, quondam Cunradi de Babenberg, Clericus Diœcesis Babenbergensis, publicus Imperiali auctoritate Notarius prædictis omnibus & singulis præsens interfui, & ad omnia rogatus scripsi; & in publicam formam redegi, signumque meum apposui consuetum. Superscriptionem vero hujus vocabuli ea supra XXXVI. linea descendendo, & superscriptionem hujus vocabuli sicut supra in XLI. linea descendendo apparentes, quia eas feci, & conscripsi, duxi approbandas & approbo hic in fine.

Joannes Georgius Herwartus ab Hohenburg, *Bavariæ Cancellarius*, *in Ludovico Bavaro Imperatore defenso. pag.* 248. - 264.

Monitorium Joannes XXII. *VIII. Idus Octobris A* 1323. *Avenione scriptum*, *ad Ludovicum misit*, *quod lege sis apud Odoricum Raynaldum h. a. num. XXX. & apud Herwartum Tomo I. pag.* 194.

Utriusque summam refert *Eximius Natalis Alexander Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi XIV. Tom. VII. pag.* 42.

SYNODUS DIOECESANA BREMENSIS,

SUB BURCHARDO, (*a*) BREMENSI ARCHI-EPISCOPO CELEBRATA

Anno Christi MCCCXXVIII. Joannis XXII. Papæ XIII. Ludovici Bavari Regis XIV.

Dominus *Borchardus*, (*b*) Archi-Episcopus *Bremensis*, in præsentia Decani, & Capituli Bremensis, & etiam in præsentia Prælatorum, Abbatum, Præpositorum, Decanorum, & aliorum Clericorum beneficiatorum suæ civitatis, & Diœcesis, Feria IV. post Festum Trinitatis Anno Domini MCCCXXVIII. in Choro Occidentali Ecclesiæ Bremensis, secundum receptum morem, & consuetudinem, celebravit, & tenuit publice *Synodum generalem.*

Quod

Quod eadem die, scilicet: Feria IV. & in eadem Synodo, Domnus Borchardus Archi-Episcopus, de consilio & consensu prædictorum, mandatum seu constitutionem, inter alia, edidit de Residentia personali in Beneficiis facienda, infra mentem, a tempore mandati & constitutionis jam dictæ, computandum, excommunicationis pœna, seu sententia, lata in contrarium facientes.

(a) Burchardus, cognomento *Grelle*, Plebeio honesto genere, sed non Plebeia virtute Bremæ natus, omnium Ordinum Cleri, Nobilium, populi votis electus, omnium commendatitiis literis mittitur Avenionem ad Joannem XXII, qui visis tot commendatitiis literis & moderatione summa Burchardi, cuivis meliori lubenter cessuri, ejus Electionem confirmavit, consecrari fecit, & Pallio donatum remisit. Hostes & invidos omnes prudentia & collectis militum copiis subesse coegit. Obiit anno 1344. circa festum Assumptæ Virginis, annis 17. in Pontificatu expletis summa omnium laude & tranquillitate id temporis insolita.

(b) Hujus Synodi notitiam habuit *Cl. Schannat b. m. ex actis MS.* cujusdam litis, quæ anno MCCCXXVII. exorta est ob Præbendam vacantem in æde Metropolitana Bremensi: in quibus hujus Synodi indicium est.

CONCILIUM COLONIENSE

Anno Christi MCCCXXX. Joannis XXII. Papæ XIV. Ludovici Bavari Regis XVI.

Statuta Synodalia D. HENRICI, Archi-Episcopi Coloniensis, edita anno Domini M.CCC.XXX.

CAPITULA SEU RUBRICÆ:

HENRICUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ &c. UNIVERSIS ARCHI-DIACONIS, ABBATIBUS, PRIORIBUS, DECANIS, COLLEGIIS, CONVENTIBUS SÆCULARIUM, AC RELIGIOSARUM PERSONARUM, LOCORUM PLEBANIS, PRESBYTERIS ET CLERICIS QUIBUSCUNQUE CIVITATIS ET DIŒCESIS COLONIENSIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

I. *Ut omnes Fideles semel in anno proprio Sacerdoti confiteantur sua peccata, & communicent.*

CAnonum, quorum Executores sumus, auctoritate ordinaria præcipimus utriusque sexus fidelibus nostræ Diœcesis, ut postquam ad annos discretionis pervenerint, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteantur proprio Sacerdoti, & injunctam pœnitentiam studeant adimplere; suscipientes reverenter ad minus semel in festo

Paſchæ ſingulis annis Euchariſtiæ Sacramentum, niſi de ipſius Confeſſoris conſilio, ab hujusmodi Sacramenti perceptione ex cauſa rationabili ad tempus duxerit abſtinendum.

II. *De deferendis ad Reverendiſſimum Archi-Epiſcopum, ſeu ejus Officialem.*

Plebani vero, ſeu Eccleſiarum Rectores, nomina præmiſſorum, & horum, qui anno, & amplius in excommunicationis ſententia, legitimo impedimento ceſſante, perſtiterint, & qui in gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis, vel alio juſto impedimento interveniente, matrimonia contraxerunt, publice uſuram exercentes, & reatu perjurii irretitos, adulteros manifeſtos, & Eccleſias ſuas Parochiales ſaltem in quatuor anni Feſtivitatibus, & aliis diebus a jure ad hoc ſtatutis non frequentantes, & in notoriis criminibus, utpote inceſtu, homicidio, effractionibus, & combuſtionibus, ac violationibus Eccleſiarum, cœmeteriorum, & immunitatum, & in delictis ſimilibus perſeverantes, Nobis, ac noſtro Officiali ſingulis Synodis noſtris in ſcriptis, ſi non palam, ſaltem ſecrete repræſentent: alioqui noverint ſe ſuper his, per Nos, aut Officialem noſtrum, pœna canonica puniendos.

III. *De his, qui rebellibus Eccleſiæ in Italia, vel alibi adhæſerunt ſeu adhærent.*

Item præcipimus, ut tam Clerici, quam laici de Italiæ partibus, aut alias ad noſtram civitatem, & Diœceſin reverſi, qui in armis, vel ſine armis, rebellibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſervierunt, & adhæſerunt, & ob hoc prolatas a Sede Apoſtolica in eosdem ſententias inciderunt, aliique publice excommunicati ab homine, vel a jure, tamdiu in ſingulis Eccleſiis & Parochiis, in quibus manent excommunicati, de quorum nominibus conſtiterit, nominatim, alii in genere, nuncientur diebus Dominicis & Feſtivis, & tam in Divinis, quam extra, eis Chriſti fidelium communio denegetur, donec de abſolutione ſua docuerint literis authenticis, ut tenentur. Quod ſi præter hoc ſe Divinis violenter ingeſſerint, & moniti a Celebrantibus, vel ex parte eorundem, ut exeant Eccleſias, & Divinum Officium non perturbent, in ipſis Eccleſiis remanere præſumpſerint, Divina Officia impediendo, præter priorem ſententiam, qua ligati prius extiterant, de novo excommunicationis ſententiam, a qua tantum per Sedem Apoſtolicam abſolvi poſſint, ipſo jure decernimus incurriſſe: volentes præſentis mandati auctoritate extunc Judices temporales locorum, in quibus hæc contingunt, moneri, & quos præſentibus extunc ut exnunc monemus, ut eosdem excommunicatos, a tali violentia, & Divinorum perturbatione compeſcant, & extra Eccleſias ipſas eos ſic ligatos remanere compellant. Alioqui monitione dierum decem præmiſſa, eos, quos propter hoc in his ſcriptis excommunicamus, excommunicatos, ut alios ſupradictos, præcipimus evitari: & hæc per locorum Plebanos Judicibus ipſis ſpecialiter, dum caſus præmiſſi ſe offerunt, præcipimus intimari.

IV. *Memoratos excommunicatos a Canonicis, Monachis, & Fratribus mendicantibus eſſe vitandos.*

Item præcipimus, a Canonicis Collegiatarum, Monachis, & Sanctimonialibus Conventualium, & fratribus mendicantibus, cujuscunque ordinis Eccleſiarum, & Monaſteriorum noſtrorum civitatis & Diœceſis, quod ad evitationem excommunicatorum prædictorum, præmiſſa firmiter obſervari: cum, ut aliqui eos, qui ſic excommunicati exiſtunt, ad Divina officia admittere valeant, nullo poſſint in contrarium privilegio ſe tueri.

V. *De retinentibus literas debitorum perſolutorum.*

Item detentores literarum ſuper debitis ſolutis monemus, ut dictas literas reſtituant, nec eas occultent: alias contrarium facientes, monitione conſimili præmiſſa, exnunc, ut extunc excommunicamus in his ſcriptis, & excommunicatos præcipimus nunciari.

VI. *De precibus pro pace Eccleſiæ dicendis.*

Item, ut tam ſæculares, quam religioſi, tam mendicantes, quam alii, in Miſſis nedum principalibus per notas decantandis, ſed & privatis Miſſis, ſinguli cum devotione dicant hunc Pſalmum: *Læta-*

Lætatus sum, poſt dictum *Pater noſter*, cum cæteris orationibus a Sede Apoſtolica ordinatis, præſentibus admonemus: præcipientes Prioribus Prædicatorum, Guardianis Minorum, nec non Auguſtinienſium, & Carmelitarum Prioribus Ordinum, ut in ſuis Conventibus a ſuis ſingulis fratribus orationes præmiſſas in ſingulis Miſſis ſolennibus, & privatis faciant obſervari: ne, ſi ſecus fecerint, eorum & aliorum, qui in his negligentes fuerint, inobedientiam in hoc caſu, teneamur Sedi Apoſtolicæ intimare.

VII. *Quod excommunicati non habeantur pro abſolutis, niſi oſtendant literas abſolutionis.*

Item eos, qui authoritate Judicum delegatorum vel ordinariorum ſunt ſuſpenſi, excommunicati, vel interdicti, & per compoſitiones mutuas cum parte adverſa factas, vel literas ſuſpenſionis, vel excommunicationis deſtructas, ſe abſolutos eſſe prætendunt, mandamus eſſe vitandos, ut prius; donec per literas eorum, a quibus abſolvendi (*a*) ſunt, de abſolutione ſua fecerint plenam fidem: & idem volumus in quibusvis abſolutionibus obſervari, quod tanquam excommunicati tamdiu vitentur, & pro excommunicatis habeantur, quousque de abſolutione ſua fecerint plenam fidem.

VIII. *De ter proclamandis, Matrimonium contrahere volentibus.*

Item præcipimus Eccleſiarum Plebanis, ut formam ſtatutorum in proclamationibus trinis faciendis diebus tribus Feſtivis a ſe diſtantibus obſervent, cum matrimonia fuerint conjungenda, & non proclamationes duas una die feſtiva faciant, ut ab aliquibus fieri eſt conſuetum. Alioqui, cum hujusmodi matrimonia taliter celebrata, ſint clandeſtina, transgreſſorum culpam taliter puniemus, ut pœna unius ſit cæteris in exemplum.

IX. *Ut Ordinati, accipiant ab Ordinatore ſuas formatas.*

Item, ne quis ſe fingat in aliquo eſſe ordine, niſi de hoc conſtet; præcipimus, ut ſinguli ordinandi, ordinis, ad quem ordinati fuerint, ab Ordinatore ſuo literas recipiant, quæ *formatæ* nuncupantur vulgariter: alias ad ipſius ordinis executionem ab ignotis nullatenus admittantur.

X. *De Benedictionibus per Abbates & Abbatiſſas recipiendis.*

Item præcipimus, ut Abbates, & Abbatiſſæ a Nobis, vel noſtras in Pontificalibus vices gerente, exnunc, ſi qui fuerint, benedictiones non habentes, eas deinceps poſt eorum creationem intra menſem recipiant: alioqui ab adminiſtrationis officio & dignitatibus, ad quas aſſumpti fuerint, auctoritate præſentis mandati noverint ſe ſuſpenſos.

XI. *De introductione ſeu reconciliatione publice pœnitentium.*

Item inhibemus, ne publice pœnitentes deinceps alibi, quam in noſtra Diœceſi, debitis temporibus ad hoc inſtitutis, ſe introduci procurent. Alias a ſuis Plebanis pro introductis nullatenus habeantur.

XII. *Ne quis in Eccleſiis violatis celebret, vel bis Miſſam uno die dicat.*

Item præcipimus, ne quis in Monaſteriis, Cœmeteriis, vel Eccleſiis violatis, ante ſolennem reconciliationem Divina officia celebret, vel duplex Miſſæ officium uno die dicat, intuitu oblationum percipiendarum, ſemel tantum conficiens Dominicum Sacramentum.

XIII. *Præmiſſa Statuta mandantur publicari.*

Præmiſſa omnia & ſingula, quæ etiam aliis temporibus pro parte fuerant ipſis Plebanis lecta & intimata in *Sancta Synodo*, qui & eorum tunc copiam recepiſſent, nec fecerunt adhuc ab ipſis Chriſtianitatum Decanis, ſub Officialitatis noſtræ Curiæ ſigillo, intra menſem a Data præſentium per copiam, & in Capitulis ſuis proximis ſub ſigillo eorundem Decanorum, ac ſingulis Plebanis per copiam ulterius tradi, & ab ipſis Plebanis recipi volumus, & ſaltem hæc in quatuor feſtis principalibus anni in Eccleſiis Parochialibus, dum ſuo Miſſa aderit populi multitudo, publicari. Alioqui contrarium facientes, & hæc im-

(*a*) *forte:* abſoluti.

improvide, & temerarie negligentes, quos propter hoc extunc ut exnunc, monitione sex dierum præmissa, in his scriptis ab officio Divinorum suspendimus, haberi, & denunciari volumus pro suspensis, & per Officialem nostrum seu Procuratorem Curiæ nostræ procedi contra eos via juris.

XIV. *Ne mendici sub celebratione Divinorum obambulent mendicantes.*

Item præcipimus, & universos in Domino exhortamur, ut cum pauperes mendicando frequentius in Ecclesiis hora primæ, dum fideles devotioni orationum suarum insistere deberent, suis clamoribus pro Divinis audiendis congregatos, in orationibus suis impediant, ne ob id in ipsis Ecclesiis, sed ante fores earundem, eleemosynas, quas largiente Domino ipsis decreverint, eisdem largiantur, ut ex hoc apud Deum duplicis mercedem præmii consequantur. Et hæc ut observentur, per mendicantes, & Plebanos in eorum sermonibus volumus, & mandamus frequentius populo publicari. In quorum testimonium &c. Pronunciatum, lectum, & datum in hac *nostra Synodo* Priorum & Cleri nostrarum civitatis & Diœcesis copia præsente, Anno Domini MCCCXXX. in crastino Dominicæ INVOCAVIT, in Bonnensi Ecclesia celebrata.

Statuta Ecclesiæ Coloniensis, editionis Coloniensis anni 1554.

Statutorum D. HENRICI, Archi-Episcopi Coloniensis, ultimorum Capitula, edita in Autumno ANNO DOMINI M.CCC.XXX.

I. De excommunicatis & criminosis deferendis ad Dominum Archi-Episcopum, seu ejus Officialem.
II. Contra detentores Decimarum.
III. Ne quis alienigena instituatur ad Ecclesiam, nisi per Officialem admissus.
IV. Ut quilibet Presbyter habeat copiam statutorum.

HENRICUS, DEI GRATIA, &c. *ut supra.*

I. *De excommunicatis & criminosis deferendis ad D. Archi-Episcopum seu ejus Officialem.*

MUltifarie, multisque modis tam Prædecessores nostri Colonienses Archi-Episcopi, quam Nos, de tempore in tempus studuerunt, & studuimus, nunc per Canonum Sedis Apostolicæ, nunc per statutorum Ecclesiæ Coloniensis editiones, subditos nostros exhortari, monere, & salubriter informare, ut in se ipsis sciant, qualiter in Domo Dei eos conversari oporteat, & commissæ sibi plebis curam gerere teneantur, cum ad reddendam de his Omnipotenti Deo rationem sint in die judicii obligati. Verum, quia immediate ad Nos spectat eorum negligentiam corrigere, & reformare in hac parte: Nos (ne sanguis eorum de nostris manibus requiratur, tum præcipue, ne quis in peccatis perseveret, sit admonendus, & arguendus, & ad viam pœnitentiæ reducendus) in nostra Sancta Synodo, videlicet in crastino Dominicæ INVOCAVIT, proxime præterito, celebrata, Ecclesiarum Rectoribus, eorumque vices gerentibus, per nostras certi tenoris literas super hac confectas, tunc in eadem nostra Synodo publicatas, inter alia meminimus mandasse, ut quilibet eorum Nobis vel Officiali nostro utriusque sexus hominum nostræ Diœcesis nomina in scriptis, si non palam, saltem secrete, prout eis subessent, referrent, qui excommunicationis sententiam per annum, & amplius sustinuerunt animo indurato, in eosdem authoritate statutorum, Canonum, aut judicum quorumcunque promulgatam, & qui in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, vel alias in Ordinibus sacris constituti, vel de Ordine aliquo existentes, contra statuta Canonum, facti apostatæ, matrimonia contraxerint, publicam usuram exerceant, aut qui sint reatu perjuri, notorie hæretici, vel adulteri manifesti, vel aliis criminibus

bus notoriis, utpote inceſtu, homicidio, effractionibus, & combuſtionibus, ac violationibus Eccleſiarum, cœmeteriorum, & immunitatum irretiti, & in delictis ſimilibus perſeverantes, & aliorum in mandato noſtro ſuper hoc confecto contentorum. Cum itaque præmiſſis per Nos publicatis, nonnulli Chriſtianitatum Decani ab Officiali noſtro, & Eccleſiarum Rectores, & alii ab ipſis Decanis copiam præmiſſorum, tunc vel poſtea recipere, & publicare, prout eis ſub certa pœna in dicto mandato expreſſa injunximus, neglexerunt: Nos attendentes, quod fruſtra eſſet, præcepta Synodalia condere, & publicare, niſi executioni debitæ demandarentur, omnes & ſingulos Chriſtianitatum Decanos, Eccleſiarum & Capellarum Rectores præſentibus requirimus & monemus, ut intra menſem a data præſentium, eorum, quos in præmiſſis defectibus; peccatis ſeu criminibus, vel aliquibus ex eis, eorum ſtatui, vel vitæ contrariis, per evidentiam facti, vel per famam publicam, aut per confeſſionem propriam perſiſtere, & perſeverare noverint; ita quod eorum hoc caſu delicta eos notorie ſuſpectos reddant, nomina in ſcriptis, ſi non publice, ſaltem occulte, Nobis vel Officiali noſtro repræſentent, vel transmittant, ſub eorum ſigillis clauſis, cum aſſignatione cauſæ, quare ipſi ad correctionem talium non proceſſerunt; vel procedere nequiverunt, ut tenentur; vel ſaltem his ſe excuſent legitime, pro ſua in his conſcientia revelanda: ut Nos aut Officialis noſter extunc qualitate, & circumſtantiis perſonarum & peccatorum hujuſmodi conſideratis, reformationem medicinalem, prout ſecundum animarum ſalutem expedire viderimus, Divino ſuffulti auxilio, circa hoc apponere valeamus, dictique noſtri ſubditi tales notorie delinquentes, in tam notoriis peccatis exiſtentes tamdiu, & præcipue hos, quos ſententia ſuſpenſionis vel excommunicationis Canonis & ſtatuta jam prolata ligant, in Divinis & aliis vitent, quousque Noſtras, aut dicti Officialis noſtri reformationis & correctionis literas receperint, de præmiſſis, & de receptione copiæ præmiſſorum, & executione dicti mandati, & publicatione juxta dicti mandati tenorem debite facta, fidem faciant Nobis, aut Officiali noſtro prædicto, intra menſem ſupradictum. Alioqui ipſos omnes contrarium facientes, aut qui in præmiſſis negligentes fuerint, aut remiſſi, exnunc, ut extunc in his ſcriptis ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpendimus. Illos vero, qui copiam dicti mandati non receperint, nec executionem ejusdem (ſaltem in principalibus feſtivitatibus) populo, prout in eodem continetur, fecerint nec publicaverint, juſto impedimento ceſſante, nec intra dictum terminum de hoc impedimento docuerint, & de hoc literas noſtras aut Officialis noſtri receperint, in his ſcriptis authoritate prioris mandati & præcepti, ſuſpenſionis ſententiam incidiſſe declaramus, ſuſpenſosque volumus & præcipimus exnunc nunciari.

II. *Contra detentores Decimarum.*

Item juxta ſtatutum bonæ memoriæ ENGELBERTI Archi-Epiſcopi Colonienſis, mandamus, ut quilibet homines decimas, quæ ſunt Tributa egentium animarum, & ad hoc a Domino inſtitutæ, ut ſint cibus in Domo Domini, Eccleſiis earumque perſonis debito tempore, & de bonis, & de rebus, de quibus debentur, perſolvant. Alioqui eas ſubtrahentes, & injurioſe detinentes, & (velut in aliquibus locis comperitur fieri) prohibentes, ne qui Eccleſiarum decimas, vel ab ipſa Eccleſia recipiant in penſione, vel Prælatis, aut Eccleſiis de ipſis decimis reſpondeant, ſatisfaciant, vel ducant, vehant, vel ad hoc ſervitia per ſe, vel ſuos præſtent, vel vecturas conducant, cum talia in derogationem libertatis Eccleſiaſticæ præſumantur, quos propter hoc in his ſcriptis excommunicamus, excommunicationis ſententiam incidiſſe declaramus, excommunicatos volumus nunciari.

III. *Ne quis alienigena inſtituatur ad Eccleſiam, niſi per Officialem admiſſus.*

Item præcipimus, ne aliquis, ad quem de jure vel conſuetudine inſtitutio in Eccleſiis Parochialibus pertinet, aliquem annalem in ea inſtituat, vel hi, ad quos horum correctio & jura Presbyterorum ſpectant, hujuſmodi annales vel alienigenas, niſi per Nos, aut Officialem no-

noſtrum approbatos, in Eccleſiis vel Capellis noſtræ civitatis & Diœceſis admittant, aut etiam celebrare permittant, cum tales (ut frequentius) ſub fiducia divagationis ſuæ (quod, dum pro exceſſibus ſuis forent puniendi, non valentes per ſubtractionem Beneficiorum vel bonorum ſuorum coarctari, ad alia loca ſe transferant præſumptione temeraria) cæteris audacius in locis interdictis more ſtipendiariorum, Divina prophanare & alia multa illicita perpetrare non formidant in Dei offenſam & ſcandalum plurimorum. Nam hujusmodi annales & alienigenas, contra hæc ſe regimini Eccleſiarum & Capellarum ingerentes, nunc, & pro tempore exiſtentes (quos, niſi ab his deſtiterint, & abſtinuerint, monitione decem dierum præmiſſa, in his ſcriptis excommunicationis ſententia innodamus) excommunicatos per Decanatus ſingulos, in quibus hæc attentaverunt, ab Eccleſiarum Rectoribus præcipimus nunciari. Per hoc autem non intendimus prohibere, quin Eccleſiarum & Capellarum Rectores poſſint, & debeant recipere & habere Capellanos & ſocios, qui eis in regimine Eccleſiarum & Capellarum ſuarum aſſiſtant, prout hactenus eſt conſuetum.

IV. *Ut quilibet Presbyter habeat copiam Statutorum.*

Item, quia (ut ſupra dicitur) pauci curant ea, quæ ſtatuuntur & præcipiuntur obſervari, ex eo præcipue, quia ſtatutorum, & præceptorum copiam non recipiunt, neque habent: præcipimus, ut juxta D. SIFRIDI Archi-Epiſcopi Colonienſis Prædeceſſoris noſtri ſtatutum, quilibet Presbyter Eccleſiam vel Capellam officians, vel plebem regens, procuret & efficiat cum effectu, ut ſtatutorum, & præcipue Provincialium noſtrorum, & præmiſſorum copiam habeat de verbo ad verbum, ut eam frequentius legens, ſciat ex eisdem, ad quid teneatur. Ipſamque copiam, quoties ad Synodum venerit, in manu ſua ſecum deferat, & in Synodo aperte in manibus teneat. Alioqui contrarium facientes, ſciant ſe ob hoc excommunicationis ſententiam incidiſſe. Præmiſſa a dictis Chriſtianitatum Decanis, ſub Officialitatis Curiæ noſtræ ſigillo intra menſem a data præſentium per copiam recipi, & in Capitulis ſuis proximis ſub ſigillis eorundem Decanorum ſingulis Plebanis per copiam ulterius tradi, & ab ipſis Plebanis recipi volumus, & ſaltem in quatuor Feſtis principalibus anni in Eccleſiis Parochialibus, dum intra menſem aderit populi multitudo, publicari. Alioqui contrarium facientes, & hæc improvide & temerarie negligentes, quos propter hoc extunc, ut exnunc, monitione ſex dierum præmiſſâ, in his ſcriptis ab Officio Divinorum ſuſpenſos haberi, & denunciari volumus pro ſuſpenſis, & per Officialem noſtrum, ſeu Procuratorem Curiæ noſtræ contra eos procedi via juris. Item quorum teſtimonium, præſentes literas ſigilli noſtri appenſione fecimus communiri. Pronunciatum, lectum, & datum in hac Sancta Synodo, Priorum, & Cleri civitatis & Diœceſis Colonienſ. copia præſente: Anno Domini Milleſimo trecenteſimo trigeſimo, craſtino B. Remigii in Eccleſia Bonnenſi celebrata.

Statuta Colonienſia editionis Quentelianæ A. 1554.

CONCILIUM HERBIPOLENSE

Anno Chriſti MCCCXXX. Joannis XXII. Papæ XIV. Ludovici Bavari Regis XVI.

WOLFRAMUS, (*a*) DEI GRATIA, HERBIPOLENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS, UNIVERSIS ET SINGULIS PRÆPOSITIS, DECANIS, ARCHI-DIACONIS, ABBATIBUS, PRIORIBUS &c.

I. *De prava conſuetudine.*

DEteſtanda conſuetudo in locis plurimis noſtræ Civitatis, & Diœceſis, inolevit, quod uno conjugum ante inthronizationem mortuo, alter ſuperſtes cum mortuo, juxta feretrum, in quo poſi-

positus est, a nonnullis Sacerdotibus, ac si ambo viverent, inthronizatur; cum igitur, juxta Apostolum, mortuo viro, mulier sit a lege viri soluta; talia fieri de cætero prohibemus.

II.

Nonnulli Sacerdotes simplices, Sacramentum Confirmationis in mortis articulo præsumunt fidelibus exhibere, quod ab Apostolorum temporibus fuit solis Pontificibus reservatum, ad excusandas excusationes in peccatis, solam consuetudinem prætendentes; unde omnibus Presbyteris districtius inhibetur, ne talia de cætero sua temeritate attemptent, præsertim cum umbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu.

III. *De Raptoribus.*

Quia ex Statuto *Concilii Provincialis Moguntini* edito & promulgato contra spoliatores rerum & personarum Ecclesiasticarum, Ecclesiasticis personis civitatis, & Diœcesis, ac Provinciæ Moguntinæ, (ut credimus) sufficienter provisum non existit; de consilio igitur Prælatorum, & Capituli Ecclesiæ nostræ pro utilitate subditorum nostrorum, scilicet Ecclesiasticarum personarum eidem statuto duximus, auctoritate ordinaria, annectendum; quod non solum in locis civitatis & Diœcesis nostræ, ad quæ dictum spolium deducitur, verum etiam in illis locis, in quibus res Ecclesiasticarum personarum, absque mandato Judicis Ecclesiastici competentis, occupari, arrestari, detineri, aut offerri, seu distrahi, domus etiam eorum, sive quæcumque ædificia demoliri contigerit, in eisdem locis cessetur ab officiis Divinorum, sub pœna in eodem Concilio Provinciali expressa.

IV. *De Tutoribus & Curatoribus.*

Ubi majus periculum vertitur, ibi procul dubio consultius, aut cautius est agendum; cum itaque experientia magistra rerum efficax manifestat, quod tutelæ pupillorum, nec non curæ adultorum minorum, sæpe sæpius in non modica, imo gravia patrimoniorum, sive substantiarum ipsarum minorum, suorum parentum industria, laboribus studiosis, ac multis variis casibus solicite ut plurimum conquisitarum, dispendia, ac detrimenta (*vergant*), perutili juris dispositione circa hoc ullatenus non attenta, per ipsorum minorum Curatores plerumque suspectos, desides, & remissos, absque curiosa (*b*) literas nostri, aut Vicarii nostri in Spiritualibus pro tempore existentis sigillorum appensione communitas, vobis duxerint ostendendas, non obstantibus literis visionis, *vidimus* communiter nuncupatis, Prælatorum & personarum quarumcunque.

V.

Præcipimus: quod nullus Archidiaconorum extra civitatem Herbipolensem, sine licentia nostra, aliquem habeat Officialem, seu causas aliquas nisi valde modicas decidentem; &, quia, ubi majus periculum vertitur, cautius est agendum; sub pœna excommunicationis specialiter inhibemus: quod nulla causa matrimonialis, in qua consilium peritorum magis, quam in aliis necessarium habetur, extra dictam civitatem aliqualiter decidatur; alioquin etiam taliter judicantes suspensos manere volumus, donec de transgressione hujusmodi Nobis emendam fecerint sufficientem.

VI.

Licet Archiepiscopus in subditos Suffraganeorum suorum, exceptis quibusdam casibus in jure expressis, nullam prorsus habeat potestatem; nonnulli tamen vestrum, per simplicem juris ignorantiam, consuetudinem onerosam, in nostræ jurisdictionis & honoris non modicam derogationem, & omnium vestrum quoque præjudicium, inducere minus provide præsumentes, ipsius Domini Archiepiscopi, & judicum suorum delegationem, passim suscipiunt, præcepta exequuntur, & in causis per appellationem ad eos devolutis, testimonium ferunt, contra Prædecessorum nostrorum statuta super eo *in Synodis*, quas celebraverunt, promulgata. Ne igitur ex hujusmodi consuetudine subreptitia quisquam de jurisdictione nostra inposterum sibi contra statuta Canonum quic-

(*a*) Wolframmus a Grumbach, Episcopus XLIX. Herbipolensis, sub Ludovici Bavari motibus rebelles cives expertus: Sedit ab A. 1322. ad 1333. quo obiit. *Bucelinus Germaniæ Sacræ Parte I.*

(*b*) *Hiatus hic est in MS.*

quicquam vendicet vel usurpet, vobis universis, & singulariter singulis mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quatenus deinceps nullus vestrum Domini Archiepiscopi Moguntini, seu judicum suorum prædictorum mandata, seu præcepta aliquatenus exequatur, seu mandatis & præceptis eorum obediat vel intendat, exceptis dumtaxat casibus infrascriptis.

Casus autem, in quibus Archiepiscopus jurisdictionem in subditos Suffraganeorum suorum habet, sunt hi:

1. Cum deviatur in Divinis Officiis a consuetudine Metropolitanæ Ecclesiæ, nisi contraria consuetudo, & rationabilis obviet ex adverso.

2. Si subditus delinquit in ejus Diœcesi, aut habet domicilium in ea.

3. Si causa deferatur ad eum per appellationem; aut cum absolutus ab Archiepiscopo, non vult parere Episcopo, videlicet: postquam subditus de injusta excommunicatione de Episcopo suo conquerens, fuit ab Archiepiscopo Canonice absolutus, Episcopo super eo, de quo fuit excommunicatus, satisfacere contempserit, extunc Archiepiscopus potest ipsum subditum Episcopi in pristinas excommunicationis sententias reintrudere.

4. Si causa triennalis est inter Episcopum, & Clericum suum, tunc causa illa debet deduci *in Synodo, in qua præest Archi-Episcopus.*

5. Si Clericus habet civilem causam contra Archiepiscopum suum.

6. Quando Canonici, absque manifesta & rationabili causa cessaverunt a Divinis, maxime in contemptum Episcopi, tunc Metropolitanus ad querelam ipsius, tanquam a Sede Apostolica super hoc delegatus, cognita veritate, ipsos poterit castigare.

7. Quando Episcopus est negligens in eo, quod ipse facere deberet, hoc est videlicet: quando Metropolitanus constituit Oeconomos, quos Episcopus neglexerit habere in sua Ecclesia; Oeconomus autem dicitur, cui res gubernandæ mandantur.

8. Si aliquis conqueratur Superiori de injusta sententia excommunicationis, & appellatur post excommunicationem, præstita cautione de stando mandatis Ecclesiæ, est in optione Superioris, an velit absolvere eum, an remittere eum ad absolvendum ad eum, a quo appellavit, præmissa tamen cognitione, quod ex justa causa appellatum & ex vera, alioquin non transfertur jurisdictio ad Archiepiscopum, nec ipsum absolvere posset; si vero non appellavit, sed per simplicem querelam ipsum adivit, debet eum remittere ad inferiorem, ut ipsum absolvat: & si inferior ipsum absolvere nolit, Archiepiscopus eum absolvat, & si periculum esset in mora propter hujusmodi remissionem, statim eum absolvat. Si quis proponat post appellationem legitime interpositam se excommunicatione fuisse innodatum, vel in forma excommunicationis intolerabilem errorem fuisse patenter expressum; in causis istis primo admittitur probatio, ut appareat, an absolvi debeat, an denuntiari non ligatus? si autem in istis casibus absolutio impendi petitur ad cautelam, necesse habet appellans probare primitus appellatum intra decendium, quamvis adhuc de veritate causæ non constet.

9. Qui conqueritur coram Superiore excommunicantis, se irrationabiliter excommunicationi vel interdicto suppositum, & offert se ad justitiam de his, pro quibus sententiam ipsam accepit; Superior periculo imminente, ne in excommunicatione decedat, poterit absolvere, non obstante appellatione illius, qui ipsum excommunicavit.

VII. *De Pœnitentia.*

Sunt nonnulli Sacerdotes, tanta simplicitate seducti, quod in casibus pœnitentes ad introducendum dumtaxat in Cœna Domini ad Nos transmittant, credentes: quod ad absolutionem illorum casuum sola introductio, sine confessione Nobis, seu Pœnitentiariis nostris facienda, sufficiat tunc eisdem; quorum quidem talium Sacerdotum simplicitatem, quod ad hoc, valde reprehensibilem judicamus, statuentes & mandantes vobis universis & singulis, ut taliter pœnitentibus, in confessionibus vobis fiendis, specialiter injungatis: ut tales casus, antequam introducantur,

No-

Nobis, seu Pœnitentiariis nostris detegant confitendo, ut absolutionis Beneficium consequantur.

Datum Herbipoli in Synodo. Anno MCCCXXX. mense Martio.

Ex Schedis P. Joannis Gamans Soc. Jesu. Juliacensis ex Newenaar. mortui 1684. Aschaffenburgi descripsit Cl. Schannat b.m.

PADERBORNÆ SYNODUS
Anno Christi MCCCXXXI. Joannis XXII. Papæ XV. Ludovici IV. Regis XVIII.

NOS BERNARDUS, (a) Dei Gratia, Episcopus, Wernherus Præpositus, Gotscalcus Decanus, Fredericus Scholasticus, Conradus Cantor, Raynherus Cellerarius, & totum Capitulum ac singuli Canonici de Capitulo Paderborn. statum, qualitatem & conditionem Ecclesiæ nostræ ad animum, & memoriam reducentes inter alia negotia Nobis incumbentia, quæ Nos movent, & vehementer exagitant, videmus, quod ex variis causis, quæ sigillatim, & specialiter exprimi, seu designari nequeunt, multipliciter fatigamur, & quod præter alia incommoda Nobis advenientia multis personis partim minus idoneis, & inutilibus diversimode prægravamur, nam plerique, sicut eis placet, impetrant, procurant, & laborant, se fieri Canonicos, & se recipi in Ecclesia nostra & per mendosa suffragia, quod sint viles, inutiles, & aliquando inhabiles; in auribus Superiorum nostrorum se dignos, nobiles, potentes, & literatos mentiuntur, ut sint saltem sub aliqua specie laudis, & sub colore tituli conficti, præter aliqua juris amminicula, in nostris Præbendis & Beneficiis, quod absque præjudicio nostro, & absque gravi dispendio Ecclesiæ nostræ fieri nequit. Excedunt etiam aliqui eorum in processibus fines juris, & metas rationis in tantum, quod si hæc & his similia ad Summi Pontificis cum veritatis notitia præsentium deferrentur, multos ex eis potius dignos suppliciis quam Beneficiis judicaret. Ut igitur talibus malignis conatibus, prout Nobis est possibile, & in quantum decet, occurrere ratione prævia valeamus; matura super hoc deliberatione inter Nos sæpe, ac diu præhabita decrevimus, & in hoc pariter, & communiter conveniendo concordavimus, quodsi aliqui cujuscunque dignitatis, conditionis aut status exstant, qui apud Nos beneficiari desiderant, & scientia, moribus, ætate, natalibus, vel alias ex qualibet justa causa minus idonei reperiuntur, aut si per falsos, indebitos, inordinatos, iniquos, seu abruptos processus, vel per executiones, seu per alia gravamina juris & rationis fundamento carentia, Nos Episcopum, Prælatos de Capitulo, & Capitulum Ecclesiæ Paderborn. prædictos pariter, & divisim molestare seu impetere super præbendis seu Beneficiis nostris eis conferrendis qualibet occasione præsumpserint, talibus præsumptoribus communi voto, communibus expensis, communi defensionis præsidio, per debita, licita, & honesta juris & justitiæ remedia occurremus. Per hoc etiam præsens factum non intendimus ab obedientia Sedis Apostolicæ recedere, vel quidquam aliud attentare, in cujus rei evidentiam sigilla nostra præsenti literæ de voluntate & consensu omnium nostrum publicè sunt appensa. Actum, & Datum IV. Calend. mensis Junii Anno Domini Millesimo trecententesimo tricesimo primo.

Schatenus Annal. Paderbornens. L. XIII.

AD

(a) Bernardus, Episcopus XXVIII. hoc nomine, V. Comes Lippiensis, postquam per anniversarias Synodos, & Diœcesis lustrationem, Ecclesiæ disciplinam formâsset, ne quid in primario etiam Clero desideraretur, in Concilium vocat Præsules & Canonicos majoris Ecclesiæ, eorumque simul judicio, & voluntate certa utiliaque decreta VI. Calend. Julii præscripsit, qui libro Statutorum continentur, in quo hocce per quam laudabile: *De coercendis a Collegio majoris Ecclesiæ, quotquot indigni, aut minus idonei censerentur.*

AD ANNUM CHRISTI MCCCXLIII. CLEMENTIS VI. PAPÆ II.
LUDOVICI BAVARI REGIS XXX.

UTrumne Balduinus Episcopus noster, Fratris Dynastæ Steinfeldentis bello se miscuerit, incompertum est; id certo constat, eum hoc *anno V. Idus Septembris*, *convocato Primarii Cleri sui Concilio*, decretum Bernardi V. Episcopi, & Capituli innovasse, de indignis inposterum in Collegium Canonicorum non admittendis. Id uti jam a Nobis relatum est ad annum MCCCXXXI. Ita eodem prope verborum tenore repetitum sanciit.

Schatenus Annal. Paderbornens. ad annum 1343.

ANNO CHRISTI MCCCXLIII. CLEMENTIS VI. PAPÆ II.
LUDOVICI BAVARI REGIS XXX.

Statutum Paderbornense de Festo Immaculatæ Conceptionis B. M. V.

NEc minus laudabile Balduini, Episcopi Paderani, decretum, *ex eodem Præsulum & Canonicorum suorum Consilio*, quo festum Conceptionis B. Virginis diem solemni ritu per Diœcesin Paderbornensem celebrandam sanxit. Quippe Eximius inter Episcopos B. V. cultus observatus. Balduini & Canonicorum nostrorum exemplo, Ludovicus Monasteriensis Episcopus septennio post, Festum Virginis sine originis labe conceptæ diem per suam Diœcesin celebrem præscripsit.

Schatenus Annal. Paderbornens. L. XIII. pag. 303. *ad hunc annum.*

CONCILIUM WRATISLAVIENSE
SUB NANKERO EPISCOPO,
Anno Christi MCCCXXXI. Joannis XXII. Papæ XVI. Ludovici Bavari Reg. XVI.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

NANKERUS, DIVINA ET APOSTOLICÆ SEDIS PROVIDENTIA, EPISCOPUS VRATISLAVIENSIS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

I. Avaritiæ cæcitas & damnanda cupiditatis improbitas, ita quorundam animos occuparunt, ut abstinere nesciant a vetitis, nec debito modo gaudere concesso. Nonnulli siquidem Sacerdotes & Ecclesiarum Rectores Vratislaviensis Diœcesis, temeritate propria derelictis suis Ecclesiis, in quibus residere deberent, & curam rerum gerere per se ipsos; temporalis lucri gratia, in aliis Ecclesiis Vicarios se constituunt & Ministros, ut, cum vix unum officium adimplere sufficiant, stipendia sibi vendicent plurimorum. Sunt & alii quam plures Clerici, qui etsi propria Beneficia Ecclesiastica non habeant, quodam tamen negociationis genere vices & Ecclesias aliorum sub annuo censu contra Canonica statuta recipiunt. Sic quod una persona taliter duas Ecclesias, & duæ vel tres personæ reperiantur interdum unam Ecclesiam conduxisse. Quapropter animarum periculis & scandalis gravibus, quæ frequenter ex his tam nefandis abusibus proveniunt, opportunis remediis obviare volentes, non tam nova cudendo, quam vetera recensendo; de Fratrum nostrorum consilio, ut damnabilis divagandi, & negociationis materia Clericis subtrahatur, districtius prohibemus:

II. Ne de cætero aliquis maxime Parochialis Ecclesiæ Rector, se a Beneficio suo absentare, & alienare præsumat; nisi forte Ecclesiæ nostræ Canonicus Parochialem Ecclesiam habeat, quem præsertim apud majorem Ecclesiam residentem in hac parte congruit excusari.

III. Illis

III. Illis autem, qui ſe a ſuis Eccleſiis absque noſtra licentia abſentarunt, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, ut infra ſex menſes a publicatione præſentium computandos, ad ipſas ſuas Eccleſias, ut eisdem debita præſtent obſequia, revertantur: alioquin infra annum extunc inchoandum eosdem abſentes a perceptione proventuum Eccleſiaſticorum ſeu Beneficiorum ipſorum, eo ipſo volumus penitus fore ſuſpenſos: ad quos ſi infra illud tempus propria temeritate, vel alio quæſito colore ſe ingeſſerint, illi ſimiliter cum Eccleſis ipſo jure perpetuo ſint privati.

IV. Sane cum juxta Canonicas ſanctiones una Eccleſia *unius* eſſe debeat Sacerdotis, præſenti etiam prohibemus edicto, ne de cætero Sacerdos aliquis duas vel plures in noſtra Diœceſi Eccleſias poſſideat, neque duo vel plures Sacerdotes unam Eccleſiam (alicujus etiam a nobis abeſſendi licentiam obtinentis) conductionis titulo ſibi quærant, vel quæſitas obtinere præſumant. Alioquin quicunque contrarium in hac parte reperti fuerint attentare, pecunias, quas pro Eccleſiis hujusmodi Conductores Eccleſiarum ipſarum locatoribus dederint, aut dare præſumpſerint, prorſus amittant: illas autem extunc dandas ad noſtræ fabricam Eccleſiæ deputamus.

V. Mandantes, ut Archi-Diaconi noſtri, in quorum Archi-Diaconatibus Sacerdotes in his reperti fuerint exceſſiſſe, pecunias hujusmodi exigant & recipiant, ac easdem Procuratoribus Uratislavien. noſtri Capituli repræſentent, in uſus dictæ fabricæ fideliter convertendos.

VI. Ad hæc quia plerique Eccleſiarum Rectores, Vicarii, ac alii Clerici noſtræ Uratislavien. civitatis & Diœceſis, propriæ ſalutis immemores, & maxime fidelitatis & obedientiæ juramenti, quod in ſacrorum receptione Ordinum præſtiterunt, obliti, Majoribus & Prælatis ſuis, ac aliis, quorum jurisdictioni & Imperio ſunt ſubjecti, reverentiam & obedientiam debitam, quam tenentur, exhibere contemnunt: in eo maxime, quod cum eisdem Rectoribus, Vicariis, & aliis Clericis, aut aliquibus eorum per Noſtras, vel per noſtri Uratislavien. Capituli literas; aut aliorum, qui jurisdictionem habere noſcuntur, aliquid præcipitur exequendum, hoc nonnulli vel omnino reſpuunt exequi, vel tam negligenter ac tepide exequuntur, quod exinde nullus, vel modicus fructus, aut utilitas ſubſequatur: ſed & alii pro quadam ſolum apparentia ſigillis eorum ſignant quidem literas a judicibus ſibi miſſas, ſed in executione mandatorum, ſeu injunctorum amplius non procedunt, umbram quandam oſtendentes in opere, cum veritas non ſubeat in effectum. Ex qua re multipliciter, quod cum dolore referimus, Eccleſiarum & Cleri, tam Religioſorum, quam ſæcularium jura depereunt, perverſorum creſcit audacia & judicialis auctoritas cum juſtitia evaneſcit.

VII. Volentes igitur negligentiam & rebellionem illorum, quos ad bonum obedientiæ virtutum præmia non inducunt, tam adjectarum exaggeratione pœnarum, quam adjiciendarum de novo, formidine coercere; De Fratrum noſtrorum conſilio ſtatuimus: ut quicunque civitatis vel Diœceſis Uratislavien. Clericus in Superioris ſeu Judicis mandato ſibi ad exequendum miſſo, negligens fuerit & remiſſus, trium marcarum uſualis pecuniæ pœnam incurrat, ſolvendarum illi judici, cujus mandatum quis repertus fuerit contemſiſſe. Et ad intereſſe illi nihilominus teneantur, ad cujus inſtantiam mandatum hujusmodi emanaſſe conſtabit.

Volumus autem, ut quoties in executione mandatorum judicis alicujus contumax quis fuerit & rebellis, toties dictam pœnam nequaquam relaxandam incurrat, gravius nihilominus puniendus, prout protervitas exegerit contumacis.

Lunig Continuatione II. Spicilegii Eccleſiaſtici pag. 1178.



CONCILIUM WRATISLAVIENSE

EODEM ANNO.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

NANKERUS, DEI GRATIA, EPISCOPUS URATISLAVIENSIS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

I. Horrendorum excessuum execrabilis, & multa præsumptio modernis temporibus impunitatis licentia (peccatis exigentibus) sic excrevit, quod nec Ordini Clericali parcitur, nec Divinæ Majestati defertur. Ecce enim prout frequens dolorosa multorum Nobis insinuatio demonstravit, dum interdum de Clero nostro aliqui Sacerdotes vel Clerici seculares, sive etiam Religiosi, per Nos vel per nostrum Uratislaviense Capitulum, seu Officialem nostrum, aut alios, qui jurisdictionem habere noscuntur, pro exequendis mandatis in negotiis Ecclesiasticis ad aliqua certa Diœcesis nostræ loca mittuntur; civitatum aut locorum hujusmodi consules; ac alterius sæcularis gerentes officium potestatis, tamquam honoris, & Ecclesiasticæ dignitatis invidi, libertatem & immunitatem ac alia jura Ecclesiastica suffocare, aut perimere moliuntur, Clericos sive Sacerdotes in executione sic missos, injectis in ipsos sic manibus, sacros capiunt, & ablatis ipsis literis, quas portant, gravibus ipsos injuriis afficiunt, & ne injuncta sibi mandata præsumant exequi, diras minas & terrores ac perditionem rerum, & corporis cruciatum eis incutere non verentur. Nos igitur tam nefandis ausibus, de Fratrum nostrorum consensu, remediis, quibus possumus, occurrere cupientes, mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, firmiter injungentes, ut in quacunque civitate, villa vel castro, vel alio loco nostræ Diœcesis, aliquis Clericus vel Sacerdos in executione mandati Ecclesiastici Judicis captus, vel vulneratus, interfectus, aut aliter enormiter molestatus fuerit, juxta tenorem Constitutionis bonæ memoriæ THOMÆ SECUNDI Prædecessoris nostri; non solum in civitate, vel in loco, ubi malum hujusmodi, seu molestiam ipsam Clerico illatam constiterit: sed in tota sede Archi-Presbyterali loci illius, teneatur Ecclesiasticum interdictum, postquam de injuria & molestia dicto executori illata, Rectori Ecclesiæ seu loci illius Archi-Presbytero fuerit intimatum, & Patratores præsumptionis ejusdem, in omnibus Ecclesiis sedis ejusdem, per Ecclesiarum Rectores excommunicati ipso facto damnoso publice nuntientur singulis diebus Dominicis & Festivis, tamdiu, donec injuriam passo & Ecclesiæ per eosdem sufficienter fuerit satisfactum.

II. Adjicimus insuper: si Clericus seu Sacerdos in executione prædicta captus & vulneratus, aut aliter læsus graviter, vel quod absit, occisus fuerit; statuimus, nisi læso & Ecclesiæ, infra mensem extunc proxime subsequentem de offensa hujusmodi sufficienter & plene fuerit satisfactum, si quos dicti malefici patratores filios habuerint, vel nepotes, his & omnibus ex sexu virili descendentibus, ab iisdem usque ad tertiam generationem, Clericalis Ordinis & Officii & Beneficii Ecclesiastici simulque dignitatis in tota nostra Diœcesi janua sit præclusa.

Contra Violatores dierum Dominicæ & Festos.

III. NANKERUS &c. Licet Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Matris, omnium Fidelium & Magistræ, Sanctorumque Patrum providentia circumspecta, quæ actibus intenta salubribus & operibus exposita pietatis, libenter & solerter exequitur, quæ sunt Dei, sollicita & digna consideratione ad Divini muneris honorem, exaltationem Catholicæ fidei, & salutem fidelium, ac quietem, diebus Dominicis & aliis præcipuis Festivitatibus, ab omni opere illicito, & servili statuerit abstinendum, & in illis cum veneratione debita Divinis obsequiis insistendum: Nonnulli tamen nostræ Diœcesis salutis suæ immemores, quod dolentes scribimus, tam salubre statutum hujusmodi seu præceptum, præsumptione diabolica transgredi non verentes

rentes, celebritatem in ipsis diebus Dominicis & quibusdam Festivitatibus aliis violare damnabiliter, simul in unum divites & pauperes non formidant; neglectis enim Divinis obsequiis, pro faciendo mercimonio alii forum visitant, lucris solum temporalibus inhiantes, sed & alii cæteris variis & diversis operibus illicite tunc incumbunt, quibus peccatis exigentibus non immerito Divinæ magnificentia Majestatis offenditur, & ad flagella iracundiæ, si sane perpenditur, provocata, mundum, in præsentiarum plagis variis afficit & castigit. Volentes itaque de Fratrum nostrorum consilio malis hujusmodi (ne ea per patientiam approbare videamur) opportunis, quibus possumus, remediis obviare; Mandamus vobis Eccles. Rectoribus tam Religiosis quam sæcularibus, omnibus & singulis in virtute sanctæ obedientiæ firmiter injungentes, quatenus deinceps in vestris Ecclesiis, singulis diebus Dominicis & Festivis, ex parte nostra in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna excommunitationis, vestris Parochianis districtius injungatis, ut omnes dies Dominicos, cæterosque dies Festos Majestati altissimæ deputatos; nec non & Festivitates alias, ob Sanctorum reverentiam institutas, quæ in nostra Diœcesi *ex antiquo* sunt celebres observatæ, *de vespera in vesperam* cum omni veneratione celebrent & observent: sicquod in illis & maxime diebus Dominicis aliisque præcipuis Festivitatibus mercatum non faciant, nec aliud quodvis opus illicitum operentur. Universitati autem vestræ committimus & mandamus, quatenus quilibet vestrum in sua Parochia rebellionem illorum, qui Divini timoris, & suæ salutis immemores in aliqua dierum vel Festivitatum hujusmodi de cætero celebritatem præsumpserint violare, monitione præmissa, per excommunicationis sententiam teneantur compescere, & punire, Nobisque eos, qui incorrigibiles fuerint, nunciare. Archidiaconis vero nostris Uratislavien. per suos Archi-Presbyteros & aliis injungimus firmiter, & mandamus, quatenus quilibet ipsorum per Archidiaconatum suum in singulis sedibus Archi-Presbyteratus per suos Archi-Presbyteros hoc nostrum mandatum præsentibus literis his contentum, faciant in Ecclesiis publicari; ne aliquis per ignorantiam se valeat excusare.

Contra celebrantes Divina publice stante interdicto.

IV. Præterea sunt nonnulli, ut accepimus tam Religiosi, quam sæculares Clerici, famæ suæque prodigi salutis, *tempore interdicti* non clausis Ecclesiarum januis sed apertis, ac personis in Ecclesiis ipsis frequenter consistentibus, in Sacristia vel in Choro, licet pro tempore brevi clauso, Missas, & alia Divina Officia voce omnino non submissa celebrare præsumunt, nec tamen per hoc *interdictum* se reputant violasse; licet autem per constitutionem Domini BONIFACII PAPÆ OCTAVI, tempore interdicti, Religiosi & seculares Clerici in Monasteriis & Ecclesiis suis, quolibet die possint Missas, & alia Divina Officia celebrare: hoc tamen non licet eis, nisi januis Monasteriorum & Ecclesiarum clausis ac excommunicatis & interdictis exclusis, quibus etiam extra Ecclesiam stantibus, per cancellos & funestras non licet respicere Corpus Christi, vel quicquam aliud, quod agitur in Altari, vel legentium etiam voces audire. Universitatem ergo vestram hortamur in Domino, & nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ districte mandamus omnibus, ut in hoc vestræ saluti pariter & honori cautius præcavere curetis, ne incaute per violationem interdicti, vestrum aliquis irregularitatis laqueo se involvat, a quo nequaquam poterit alio modo, quam per Sedem Apostolicam liberari.

V. Sane quoniam peccatis exigentibus undique mala plurima nos perturbant, credimus non immerito ad omnipotentem Deum nostrum humilibus & devotis precibus recurrendum, ut, qui culpis offenditur, pœnitentia & precum humili supplicatione placetur. Igitur de Fratrum nostrorum consilio statuimus & mandamus, quatenus in nostra Ecclesia Cathedrali, nec non in omnibus & singulis Parochialibus Ecclesiis civitatis & Diœcesis Uratislavien. jugiter de vespere circa crepusculum, omni die de cætero tribus vicibus ad unam partem brevibus intervallis campana pulsetur, ut omnes & singuli Christi fideles ad campanæ sonitum, flexis genibus gratiam matris gratiæ invocantes, & AVE MARIA dicentes, pro bono statu Ecclesiæ & pace terrarum

 nostra-

noſtrarum deprecentur. Omnibus enim quicumque devote ſic pro pace & bono ſtatu Eccleſiæ & terrarum, Dominum Jeſum Chriſtum, &, glorioſam Matrem ejus tunc exoraverint, de Omnipotentis Dei confiſi clementia, *quadraginta dierum indulgentiam* impartimur. Quod ſalutare ſtatutum præcipimus ab omnibus & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus & Prælatis, coram ſuis plebibus tribus ſaltem diebus Dominicis ſolenniter publicari.

Iſta ſunt, quæ conſtituit Dominus Nankerus Epiſcopus Uratislavienſis ſub Anno Domini Milleſimo trecenteſimo trigeſimo primo.

Lunig Continuatio II. Spicilegii Eccleſiaſtici pag. 1179.

CONCILIUM TREVERENSE

Anno Chriſti MCCCXXXVIII. Benedicti XII. PP. IV. Ludovici Regis XXIV. Imp. IX.

BALDWINUS, (*a*) DEI GRATIA, ARCHI-EPISCOPUS TREVIRENSIS &c. UNIVERSIS PRÆLATIS, PRÆPOSITIS, ARCHI-DIACONIS, DECANIS, NEC NON CLERICIS, ALIISQUE BENEFICIATIS, ET IN SACRIS ORDINIBUS CONSTITUTIS, SUARUM CIVITATIS, ET DIŒCESIS TREVIRENSIS, QUIBUSCUMQUE IN CHRISTO SIBI DILECTIS, SALUTEM ET SINCERAM IN DOMINO KARITATEM.

Licet curis Nobis undique affluentibus, ſollicitemur innumeris, ad illa tamen intuitum noſtræ conſiderationis dirigimus intenſius, per quæ actus & mores Clericorum, quorum vita & converſatio aliorum ſunt norma & exemplum, in melius reformantur. Sane, jam dudum pro reformatione actuum, & morum Clericorum noſtrarum civitatis & Diœceſis Trevirenſis, ac honeſta converſatione eorundem, quæ interioris mentis eſt indicium, nonnulla *Statuta* ſalubria, & ſacris Canonibus fulcita, duximus publice promulganda, ſtatuendo videlicet: quod Clerici quicumque noſtrarum civitatis, & Diœceſis Trevirenſis decenter incederent in habitu, calceis, caligis, corona, & tonſura Clericali, quodque nullus Canonicus, aut Beneficiatus, vel etiam quicumque Clericus in ſacris Ordinibus exiſtens, veſtimentis, vel caputiis uteretur, quibus manicæ vel fimbriæ, aut aliæ extremitates, ſeu ſciſſuræ veſtimentorum vel caputiorum cum eisdem veſtimentis ſeu capuciis in colore notabiliter diſcordarent, & ſpecialiter, ne capucia eorum auro, vel argento, vel aliis quibuſcumque appoſitionibus, a panno diverſis, componerentur, ſeu ſcinderentur, & ne etiam Wardecociis cum longis manicis, maxime ultra brachium protendentibus uterentur, & quod Wardecocia, ſeu tunicas ſuperiores, breves aut ſtrictas nimium non haberent, ſed quod Wardecociis & tunicis ſuperioribus ſaltem ultra medietatem Suræ, ſeu muſculi cruris protendentibus uterentur; quodque inſuper cincti ſuper veſtem ſuperiorem non incederent, niſi dum ſe ad iter præpararent, vel eſſent in itinere conſtituti, & quod capillos disjunctos in medio frontis, aut longos nimis non deferrent, & quod tunicis ſuperioribus nodos a panno tunicarum in colore diſcrepantes non deferrent, maxime ante pectus & locis aliis, Clericis inconſuetis; Statuimus etiam, & ordinavimus nonnulla alia ſtatum, ſalutem, & honeſtatem dictorum Clericorum reſpicientia, prout in eisdem ſtatutis per Nos editis & ſolempniter publicatis videri poterunt hujusmodi plenius contineri.

Verum: nonnulli ex prædictis Canonicis, & Clericis prætacta noſtra ſtatuta, quamvis ipſis ſalubria, (*b*) Eccleſiæ, ad quam ſecundo præſentatus fuit, pacifice fuerit adeptus, primam Eccleſiam dimittat realiter & reſignet; quod ſi per quemcumque Archi-Diaconum noſtrarum

(*a*) Baldewinus, Comes Luxemburgenſis, poſtulatus Treverenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus anno 1307. defunctus A. 1354. 2. Jan. Frater Henrici VII. Romanorum Regis.

(*b*) *Hiatus hic eſt in MS.*

rum civitatis, & Diœcesis Trevirensis, seu aliquem alium, ad quem jus investiendi pertinet, factum fuerit, id ex nunc decernimus irritum & inane, & nihilominus contra ipsos hoc præsens nostrum statutum non servantes per pœnas Canonicas procedemus.

Per præmissa autem, quæ ad prætacti Cleri correctionem, & emendationem excessuum, qui inter ipsos communius irrepserant, specialiter statuenda providimus, veniendi contra salutaria Sacrorum Canonum, vel etiam nostri Concilii Trevirensis instituta, habenas sibi non intelligant esse laxatas, imo eadem statuta, prout salubriter instituta noscuntur, universum Clerum, Nobis subjectum, volumus cum omni obedientia & reverentia firmiter observari.

Datum *Treviris*, Anno Domini MCCCXXXVIII. die VIII. mensis Aprilis, & publicatum in vigilia Paschæ.

II.

BALDEWINUS, DEI GRATIA, ARCHI-EPISCOPUS TREVIRENSIS &c. UNIVERSIS ABBATIBUS, PRIORIBUS, AC ALIIS PERSONIS MONASTERIORUM ORDINIS, SEU RELIGIONIS S. BENEDICTI, PER SUAS CIVITATEM, ET DIŒCESIM TREVIRENSEM CONSISTENTIUM, IN CHRISTO SIBI DILECTIS, SALUTEM ET SINCERAM IN DOMINO KARITATEM.

INter cæteras sollicitudines, nostris humeris incumbentes, illud potissimum insidet cordi nostro, ut Sacra Religio, quam & plantare, plantatamque fovere ex injuncto Nobis Officio utique tenemur, in Divini cultus obsequio, ac morum & honestatis candore, præfulgeat, nec non regulari disciplina, ac aliis spiritualibus & devotis actibus rutilet, nec decrescat, sed ipsa Religio in his, & aliis, ad conservationem & statum ejusdem pertinentibus, debitum & salubre recipiat incrementum.

Sane; licet pro felici, & salubri dicti vestri Ordinis, seu Religionis, statu, ipsiusque attinentiis, diversa & quam plura, non sine magna maturitate digesta, emanarunt statuta; nonnulli tamen ex vobis (quod dolenter referimus) in observatione regularis disciplinæ, ac statutorum hujusmodi se exhibuerunt, ut intelleximus, hactenus negligentes: aliqui enim, contra statum Monachatus, proprium seu peculium, sine Superioris sui licentia, habere, tenere, & etiam ipso pro suo libitu disponere non formidant. Aliqui etiam, laxatis honestatis habenis, in caligis diversorum colorum, & calceis bassis ad modum Laicorum, nec non in habitu dictæ Religioni minime congruenti, incedere præsumunt, & qui, cum deberent in suis claustris, juxta regularia instituta, Divinis invigilare obsequiis, hujusmodi claustra abhorrentes, per vicos & plateas, ac ad loca alia inhonesta & suspecta discurrere non verentur; aliqui etiam, abjecta Monachali modestia, cum ipsos extra eorum Monasteria itinerare contingit, ornamentis superfluis, nec non pileis altis & strictis diversorum colorum uti præsumunt ad instar sæcularium personarum, aliaque plura & varia inhonesta ipsis, ac eorum statui, & prædicto ipsorum Ordini non modice derogantia, contra observantiam regularis disciplinæ dicti Ordinis, ac Sacrorum Canonum instituta, committere non pavescunt, in Divinæ Majestatis, cui se totaliter dedicarunt, offensam, Religionis opprobrium, & scandalum plurimorum.

Nos igitur, considerantes si ista sub quadam dissimulatione transire permitteremus, quod ex hoc major imposterum præstaretur securitas delinquendi, cupientes his, in quantum Nobis possibile fuerit, occurrere remediis opportunis, vobis omnibus & singulis firmiter & districte, ac in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus ac volumus, ut a præmissis, & quibuslibet aliis illicitis, nec non vobis tam per Regularia, quam Canonica instituta inhibitis, penitus abstineatis. Et quod Sacras Constitutiones pro conservatione ac reformatione dictæ vestræ Religionis, ac vestri status, editas, & specialiter eam, quæ per felicis recordationis Dominum *Innocentium* Papam *III.* quæ incipit: *Cum ad Monasteriorum* &c. Extra: *De statu Regg.* & per piæ recordationis Dominum *Clementem* Papam *V.* in constitutione posita eodem Titulo in Clem. quæ incipit: *Ne in Agro Dominico* &c. Et per Sanctiss. in Christo Patrem ac Dominum, Dom. *Benedictum*, nunc Sacro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Summum Pontificem in suis con-

constitutionibus de novo editis, salubriter sunt statutæ, studeatis cum integritate, & firmiter observare; Et ne aliquis vestrum dictorum statutorum, & in eis contentorum, ignorantiam prætendere valeat vel excusationem aliquam allegare, volumus & mandamus vobis Abbatibus, Prioribus, & aliis prædicti vestri Ordinis, ad quos correctio pertinet, vel pertinere poterit, universis, ut quibuslibet quatuor temporibus quolibet anno hujusmodi statuta faciatis in domibus vestris Capitularibus omnibus & singulis vestris Commonachis, ibidem præsentibus & auscultantibus, publice legi & solemniter publicari, quodque vos insuper Abbates, Priores, & alii, ad quos correctio Fratrum alicujus Monasterii vestri Ordinis pertinere dinoscitur, vigilem curam & diligentem sollicitudinem gerere studeatis, corrigentes & reformantes in præmissis & aliis omnibus quæ reformationis & correctionis officio videritis indigere, quodque personas universas dicti vestri ordinis vobis subditos, ab illicitis & vetitis cohibentes, ad observationem prædictorum statutorum & regularis disciplinæ, prout ut quemlibet vestrum pertinuerit, coerceatis, ac pœnis, remediis, & viis competentibus compellatis, cum non solum offensa propria, sed etiam aliena ex Prælatorum manibus requiratur; alioquin, si in his quoquomodo negligentes fueritis, vel remissi, tam contra vos, quam personas vobis subditos excedentes, per pœnas spirituales & temporales, prout Nobis visum fuerit, procedemus.

Datum *Treviris*, Anno Domini MCCCXXXVIII. die VIII. Aprilis.

III.

BALDEWINUS, DEI GRATIA, ARCHI-EPISCOPUS TREVIRENSIS &c. UNIVERSIS, ET SINGULIS, PER SUAS CIVITATEM, ET DIŒCESIM TREVIRENSEM CONSISTENTIBUS, SALUTEM IN OMNIUM SALVATORE JESU CHRISTO.

DIgnissimum arbitrantes & justum, ut etsi Creatori omnium Deo, qui omnipotenti sua virtute Nos, ejus servos indignos, formare ad suam imaginem est dignatus, cujusque erga nos fuit, & est, munificentia copiosa, cunctorum temporum curriculis laudes & venerationes debitæ per creaturas referri debeant & impendi: ei tamen specialis in certis, per anni circulum, diebus, per sacrosanctam Ecclesiam, non absque mysticis rationibus, devotionis, & per orthodoxæ Fidei Professores acceptis, & inconcusse servatis, ejusdem Creatoris laudes præconiis & votivis Divinarum venerationum celebrationibus, ac festivis solempnitatibus propensius insistendo, & a cunctis hujus mundi illecebris, & sæculi pompis omnino vacando, specialium exhibitiones honorum, & exquisitarum venerationum grates & laudes altisonæ intimius persolvantur. Ne quis igitur, ratione ignorantiæ sacrorum dierum hujusmodi (quorum tamen dierum ignorantia crassa foret & supina) a celebratione & observantia ipsorum dierum Festivorum hujusmodi, se quomodolibet valeat excusare, & ut ab omnibus per civitatem & Diœcesim nostras prædictas, celebriter & uniformiter observentur, eosdem dies Festivos & Solemnes, hoc scripti serie, sano & maturo præhabito nostrorum Prælatorum consilio, duximus exprimendos.

Pronuntiantes itaque *Festivitates*, quæ ob Dei reverentiam specialiter statutæ noscuntur, videlicet: Nativitatis Domini; Circumcisionis eiusdem; Epiphaniæ; Resurrectionis; cum tribus diebus sequentibus; Ascensionis, diei solius; Pentecostes cum duobus diebus sequentibus; pretiosissimi Corporis Christi; Nativitatis; Annuntiationis; Purificationis, & Assumptionis Virginis Gloriosissimæ Beatæ Mariæ; Dedicationis S. Michaelis; Nativitatis S. Joannis Baptistæ; Beatorum Petri, & Pauli; Joannis Evangelistæ; S. Stephani; S. Jacobi, Andreæ, Matthæi; Philippi, & Jacobi, Bartholomæi, Simonis & Judæ, Thomæ, & Matthiæ, Apostolorum; nec non Inventionis S. Crucis; S. Laurentii Martyris, atque SS. Innocentum. S. Martini Episcopi, qui par censetur Apostolis; S. Mariæ Magdalenæ; S. Katharinæ Virg. & Martyris; Solemnitatem quoque omnium Sanctorum; & in diebus Festivis hujusmodi jam enumeratis, & quolibet eorum firmiter præcipiendo decernimus:

mus : fore cum ſumma celebritate per univerſos & ſingulos utriusque ſexus, in prætaxatis noſtris civitate, & Diœceſi venerandos, & in ipſis diebus ab omni opere illicito ac ſervili, prout Sancta Mater ſtatuit Eccleſia, eſſe cum debita Deo reverentia abſtinendum, & Divino Officio in Deo dedicatis Eccleſiis, ad quas ſpelialiter illis diebus convenire debebunt, orationibus, contemplationibus, & ſpiritualibus, & miſericordiæ operibus eſſe devote vacandum; quos quidem dies omnes, & ſingulos, per quemlibet Parochialem Presbyterum, aut ejus vices gerentem, celebrentur(a): niſi inſtans neceſſitas, quæ legem non habet, ſuaderet aliquid faciendum; hac inſuper adhibita cautela, ut majores anni ſolemnitates, præcipuis honoribus, & ſummis Feſtivationibus venerandæ, in ambone cujuslibet Eccleſiæ, Fidelium populo publice inſinuentur. Id ipſum etiam in diebus Dedicationis, & Patroni principalis, Matricis, vel Filialis Eccleſiæ, per Parochianos & ſubditos ejusdem Parochialis vel Filialis Eccleſiæ, quoad venerationem, & ab illicitis & ſervilibus operibus vacationem feſtive decernimus obſervandum. Cæteros autem dies, ſub veneratione & celebritate debitis, in Divino Officio, orationibus & miſericordiæ operibus volumus & ſtatuimus peragi, inhibentes diſtricte univerſis & ſingulis Nobis ſubjectis Presbyteris: ne quis eorundem in hujusmodi diebus a laboribus ceſſandum præcipiat quovis modo. Unde, ſi quis in diebus Feſtorum hujusmodi, agriculturæ, aut vinearum putationi, aut foſſuræ, arti vel operi mechanico, aut pro ſe, vel aliis, victum quærendo licite, intendere voluerit, hoc declaramus licere eisdem, nec ob hoc ſunt per quempiam corripiendi: devotionem tamen quorumcumque, etiam in prætactis Feſtis ab omni ſimili opere vacare volentium, ob Divini Nominis gloriam, nullatenus improbamus.

Datum *Treviris*, Anno Domini MCCCXXXVIII. die VIII. Aprilis.

Ex Codice MS. Eccleſiæ Collegiatæ S. Andreæ Wormatiæ deſcripſit Cl. Schannatus b. m.

(*a*) *forte:* celebrent.

Anno Chriſti MCCCXXXVIII. Benedicti XII. PP. IV. Ludovici Bavari Regis XXIV. Imp. XI.

Ex Comitiis hoc anno 18. *Martii Spiræ indictis à Ludovico Bavaro, Metropolitanus Moguntinus cum Epiſcopis Suffraganeis decem, mittit duos Legatos Avenionem ad Papam: Ulricum Epiſcopum Curienſem, & Gerlacum Naſſoviæ Comitem, expoſituros Pontifici ſtudium Ludovici ſincerum, ſe ſubmittendi Pontificis voluntati, & poſtulata omnia præſtandi.*

SANCTISSIMO IN CHRISTO PATRI, AC DOMINO SUO D. BENEDICTO, SACRO-SANCTÆ ROMANÆ, ET UNIVERSALIS ECCLESIÆ SUMMO PONTIFICI, HENRICUS DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHI-EPISCOPUS MOGUNTINUS, LUPOLDUS BABENBERGENSIS, JOANNES BASILIENSIS, BERTOLDUS ARGENTINENSIS, HENRICUS EYSTETENSIS, BERNHARDUS PADERBORNENSIS, ULRICUS CURIENSIS, OTTO HERBIPOLENSIS, AC GERARDUS SPIRENSIS, ET HENRICUS AUGUSTENSIS ECCLESIARUM ELECTI CUM OMNIMODA SUBJECTIONE, HUMILITATE ET REVERENTIA SE IPSOS AD PEDUM OSCULA BEATORUM.

CUm jam dudum ex miſerabili diſſidio inter Sacroſanctam Romanam Eccleſiam, ac Dominum LUDOVICUM de Bavaria, Chriſtiani populi pec-

peccatis exigentibus ſuſcitato, in Regno & Imperio Romanorum, & precipue in Provincia Moguntina, grandium & diverſarum turbationum tempeſtates emerſerint, ac Eccleſiis, Eccleſiaſticisque perſonis, nec non animabus hominum, quod gravius eſt ferendum, Regni, & Imperii prædictorum innumerabilia provenerint detrimenta, & quotidie majora & plura prioribus occaſione diſſidii hujusmodi ſint, ut ex veriſimilibus conjecturis colligitur, ac præſumitur, proventura: Nos grandes & acerbas ex hoc puncturas in noſtris cordibus non immerito ſentientes, nuper Dominum LUDOVICUM prædictum ad civitatem Spirenſem Provinciæ Moguntinæ prædictæ ſuper hoc ſpecialiter inſtantivis precibus venire procuravimus ipſum; Nos Archi-Epiſcopus Maguntinus, Argentinenſis, Paderburnenſis Epiſcopi, ac Spirenſis, & Auguſtenſis electi prædicti perſonaliter; Nos vero Babenbergenſis, Baſilienſis, Eyſtetenſis, & Herbipolenſis Epiſcopi, aliis noſtris, & Eccleſiarum noſtrarum pro tunc negotiis præpediti, per noſtros ſolennes nuncios, precibus, conſiliis, ac ſalutaribus monitis non ſine magnæ ſolicitudinis ſtudio exhortantes, ut ipſe ad Divini nominis gloriam, & ad veſtræ Sanctitatis ipſiusque Eccleſiæ Romanæ honorem, & reverentiam, nec non ad quietum & ſalubrem ſtatum Regni & Imperii eorundem, velit ad veſtram, & ejusdem Eccleſiæ Romanæ, Sanctæque Sedis Apoſtolicæ gratiam cum devotione redire, ſe veſtris, & ipſius Eccleſiæ, dictæque Sedis Apoſtolicæ beneplacitis humiliter per omnia conformando: Qui modicâ deliberatione præhabita ſe velle ſtare, ac parere ſuper materia præfati diſſidii, ac omnibus ipſum diſſidium contingentibus, informationi & ordinationi noſtræ, *in quantum cum Deo, juſtitia & honore ſuo fieri poſſet*, efficaciter repromiſit, ſuas patentes ſuper hoc literas majori ſuo ſigillo munitas ſuper poteſtate hujusmodi tradita nobis dando, cautiones juratorias, ac fide-juſſorias Magnorum, & plurium Principum, & Baronum nobis ſuper hoc nihilominus offerendo. Clementiſſimam igitur veſtram Beatitudinem omni, qua valemus, precum inſtantia, devote ac humiliter imploramus, quatenus redeundi ad gremium S. Matris Eccleſiæ promptitudinem ipſius D. LUDOVICI, qui ſuper materia diſſidii hujusmodi ordinationi Eccleſiaſticarum perſonarum duntaxat ſe ſubmittere non expavit, præmiſſis quoque turbationibus, diſpendiis, & periculis, ſpecialiter Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis, ut præmittitur, imminentibus, per veſtræ Sanctitatis providentiam paternis affectibus ponderatis, prædictum Dominum LUDOVICUM ad reconciliationis gratiam ſub modo præmiſſo, veſtræ ſolitæ benignitatis clementia recipere non recuſet: Partes Regni, & Imperii prædictorum, ac præcipue Eccleſias, ac perſonas Eccleſiaſticas eorundem partium de periculis, ærumnis, & laboribus prætactis ad ſtatum optatæ quietis per reconciliationem hujusmodi reducentes. Verum, quia ad omnia, & ſingula præmiſſa, & ea contingentia, plene, ac pacifice ſcribenda cedula non ſufficeret, Nos Venerabilem Patrem D. Ulricum Curienſis Eccleſiæ Epiſcopum, & ſpectabilem virum Gerlacum Comitem de Naſſaw, de præmiſſis pleniſſime informatos, ad pedes Veſtræ Beatitudinis duximus fiducialiter deſtinandos; eandem veſtram Beatitudinem ex intimis noſtris affectibus exorantes, quatenus eisdem ſuper iis fidem adhibere dignemini credulitivam. Datum Spiræ die XXVII. menſis Martii anno Domini MCCCXXXIIX.

Schatenus Annalium Paderbornenſium L. XIII. pag. 287. 288.



LU-

LUDOVICI IV. Regis Professio Catholicæ Fidei & Ecclesiæ.

II. Responsio Canonica ad objectum sibi processum.

LUDOVICUS, DEI GRATIA, ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS, UNIVERSIS ET SINGULIS REGIBUS CHRISTIANORUM, AC PATRIARCHIS, ARCHI-EPISCOPIS, EPISCOPIS, PRESBYTERIS, DIACONIBUS, QUOCUNQUE HONORIS CULMINE PRÆFULGEANT, ET CÆTERIS ECCLESIARUM PRÆLATIS: NEC NON SÆCULARIBUS PRINCIPIBUS, MARCHIONIBUS, DUCIBUS, COMITIBUS, BARONIBUS, CAPITANEIS, DOMINIS, POTESTATIBUS, RECTORIBUS, JUDICIBUS, ET OFFICIALIBUS PROVINCIARUM, CIVITATUM, ET TERRARUM ROMANO IMPERIO SUBJECTARUM, ET IPSARUM QUIBUSCUNQUE INCOLIS, ET HABITATORIBUS, AC OMNIBUS ET SINGULIS CHRISTI FIDELIBUS, TAM ECCLESIASTICIS, QUAM SÆCULARIBUS, AD QUOS PRÆSENTES LITERÆ PERVENERINT, GRATIAM SUAM, ET OMNE BONUM.

FIdem Catholicam, quam Sancta Mater Ecclesia Catholica, (*extra quam nullus omnino salvatur*) in Symbolis, Conciliis, & traditionibus ipsius Ecclesiæ Sacrosanctæ docet & tenet, firmiter credentes, ac fideliter ac firmiter confitentes, & ipsius Ecclesiæ Sanctæ Doctrinam in Sacris Canonibus traditam, sequi volentes: quibusdam allegationibus, impugnationibus, & oppositionibus, quæ contra Nos & electionem ac promotionem de Nobis factam, ad culmen dignitatis Imperialis, & contra Imperialem auctoritatem, potestatem, & dignitatem opponuntur, ne simplicium corda possint inficere, secundum *Sacrorum Canonum* & *Legum* tenorem in his scriptis duximus respondere, & contra ipsos impugnantes & opponentes, & eorum dicta, procedimus, prout inferius continetur.

In primis contra Nos & Imperialem auctoritatem, & Jus Imperii allegatur & objicitur, *quod potestas & auctoritas Imperialis est a Papa: & quod electus in Regem Romanorum ex sola electione non est, nec dici potest verus Imperator, nec habet potestatem, jurisdictionem, & auctoritatem, antequam inungatur, consecretur, & coronetur a Papa*: qui (*ut dicunt*) tam in temporalibus, quam in spiritualibus habet plenitudinem potestatis. Ad quæ respondemus, hanc opinionem Sacris Canonibus ac juri & rationi pariter obviare, sicut expresse patet in Decreto 96. *distinc. c. Cum ad* (a) *verum*, & Can. *Duo* (b) *sunt*, &c. *Si* (c) *Imperator*, ubi expresse habetur in hæc verba: *Duo sunt quippe, quibus principaliter hic mundus regitur, scilicet auctoritas Sacra Pontificum, & Regalis potestas. Habet quippe Imperator privilegium potestatis suæ, quam administrandis legibus publicis divinitus est consecutus. Nec Imperator jura Pontificatus, nec Pontifex jura Imperatoria usurpat.* Hæc ibi, ubi *Glossæ ordinariæ* dicunt, quod istæ potestates sunt diversæ, & quod neutra dependet ab altera, & quod Imperator non habet potestatem, sive Imperium, nisi a solo Deo. 93. *distinct. cap. Legimus*, (d) Ubi in textu dicitur, quod exercitus facit Imperatorem: & *Glossa* super Verbo *Imperatorem*, dicit sic: *Ex sola enim electione Principum dico eum verum Imperatorem, antequam a Papa confirmetur, ut dixi 63. distinct. cap. Quanto.* Hæc Glossa. Et hoc etiam probatur in Canone *Quoniam* 10. *distinct.* Ubi de potestate Imperiali, & Pontificali loquitur in hæc verba: *Quoniam Mediator Dei & hominum CHRISTUS JESUS sic actibus propriis, & dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit*, ut *Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium rerum imperialibus legibus uterentur: quatenus spiritualis actio a carnalibus incursibus distaret, & DEO militans* (scilicet Papa) *minime se negotiis secularibus implicaret: ac vicissim ille* (scilicet Imperator) *non videretur Divinis rebus præsidere, qui esset secularibus negotiis implicatus.* Hæc ibi, ubi Glossa ordinaria de utraque potestate loquens, dicit sic: *Cum ergo potestates istæ distinctæ sint, est*

(*a*) Nicol. PP. (*b*) Gelas. PP. (*c*) Johan. PP. (*d*) S. Hieron.

est hoc argumentum, quod Imperium non habetur a Papa: & quod Papa non habet utrumque gladium. Nam exercitus facit Imperatorem, 93. diſtinct. cap. *Legimus: & Imperium a ſolo DEO habetur.* 23. *q.* 4. *c. Quæſitum. Alioquin ſi Imperium haberetur a Papa, poſſet in temporalibus ad Papam appellari, quod prohibet Alexander Papa IV. quod illa* (ſcilicet temporalia) *ſuam* (ſcilicet Papæ) *juriſdictionem non attingunt. Ext. De appellationibus, c. Si duobus:* &, *Qui filii ſint legitimi. c. Cauſam, quæ inter. Et ita credo ego iſtas poteſtates eſſe diſtinctas.* Hæc Gloſſa. Et 8. diſtinct. c. *Quo jure*, dicitur, quod jura humana per Imperatores, Reges ſæculi Deus humano generi diſtribuit. Et Lex dicit, quod Imperium & Sacerdotium ab eodem principio proceſſerunt in actum, *Authent. Quomodo oporteat Epiſcop. & Cleric. ad ord. perduci, in prin. collat.* I. Nec Imperator juriſdictonem Papæ, nec Papa juriſdictionem Imperatoris perturbare debet. *ext. De Jud. c. Novit.* Ex quibus & aliis pluribus, quæ brevitatis cauſa dimittuntur, clare patet, quod poteſtas, & auctoritas Imperialis eſt immediate a ſolo Deo, & non a Papa, & quod electus in Imperatorem ex ſola electione eſt Rex Romanorum, & habet auctoritatem, juriſdictionem & poteſtatem Imperialem, etiam antequam inungatur, conſecretur, & coronetur a Papa, & quod Papa in temporalibus non habet dictam plenitudinem poteſtatis.

Sed objicitur, quod ille, qui ſe Johannem Papam XXII. appellabat, per ſuos proceſſus de facto caſſavit, ſive nullam, caſſam, & irritam pronuntiavit electionem, de Nobis in Regem Romanorum factam, aſſerens in ſuis proceſſibus, Nos adminiſtrare non poſſe jura Imperii: & quod adminiſtratio Imperii ad ipſum Johannem pertinebat de jure, & de facto attentans contra Nos, & jura, & libertates Principum Alemanniæ & ſubditorum Imperii, & contra conſuetudines antiquitus rationabiliter introductas, & obſervatas, prout in ipſis proceſſibus, imo verius exceſſibus continetur: inſuper poſt dictos proceſſus, quaſdam literas ſub Bulla ſua dicitur feciſſe, & per mundum publice transmiſiſſe, in quibus aſſerit, ſe totam Italiam ab Imperio & Regno Alemanniæ ſeparaſſe: inſinuans per ſua ſcripta & dicta, quod Papa tanquam Dominus univerſalis, non ſolum in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus totius mundi poſſit ad ſuum libitum diſponere & ordinare.

Ad quæ omnia duximus reſpondendum, quod dicti omnes proceſſus, aſſertiones, & literæ, & omnia, & ſingula, quæ per dictum Joannem in prædictis, & contra prædicta geſta, ſeu attentata fuiſſe dicuntur, fuerunt, & ſunt nulla, & nullius valoris & momenti, rationibus infra ſcriptis.

Prima ratio eſt, quoniam Papa, quantumcunque Catholicus & legitimus, non habet talem poteſtatem, nec auctoritatem, aut juriſdictionem in temporalibus, & maxime ſuper jura Imperii, quod eſt immediate a ſolo DEO, ut evidenter probant Canones, & jura ſuperius allegata. Unde quicquid prædictus Joannes fecit in prædictis, tanquam a non ſuo judice factum, nullius fuit momenti, ut probant aperte Canones, 11. *q.* 1. *c. Pen.* (*a*) & 2. *q.* 1. *c.* (*b*) *Imprimis, juxta fin.* & 16. *q.* 1. *c. Frater* (*c*) *noſter*, & *ext. De jud. c. At* (*d*) *ſi Clerici.* & *ext. De conſuetud. c.* (*e*) *Ad audientiam noſtram*, & *c. Si a non compet. jud.* l. 2. & 3. & ulti. *cum ſimilibus.*

Secunda ratio eſt ex eo, quod dicti proceſſus, imo verius exceſſus, fuerunt facti per dictum Johannem contra Nos, & in præjudicium enorme noſtrum, & illorum, qui nos elegerunt in Regem Romanorum, & aliorum Principum Imperii, & Alemaniæ ex notorie falſis cauſis, & nullo fori ordine ſervato, Nobiſque & aliis, quorum intererat, abſentibus, & nullo modo legitime monitis & citatis. Unde cum Sacri Canones & Jura Divina & humana decernant, ſententias, & proceſſus quoſcunque promulgatos, abſentibus iis, quorum cauſa agitur, ſive ventilatur, & eis legitime non monitis & citatis, nullius exiſtere firmitatis, 3. q. 9. *Per totam.* ubi etiam legitur, Sanctos Pontifices definiviſſe in hæc verba: *Omnia, quæ adverſus abſentes in omni negotio aut loco aguntur, aut judicantur, irrita erunt, & evacuantur omnino, nec aliquam obtinent firmitatem; quia Divi-*

(*a*) Hadrian. PP. (*b*) Greg. PP. (*c*) Greg. PP.
(*d*) Alexand. III. (*e*) Innoc. III.

Divinæ & humanæ leges hoc fieri prohibent, ut ext. De teſtib. c: In Nomine (e) *Domini*, *& in authen. de teſtib.* §. *Et hic vero.* collat. 7. & ff. *Quæ ſent. ſine appell. reſc.* l. 1. §. *Item cum exedicto :* & c. *Quomodo & quando judex*, l. *Ea quæ.* Et maxime in cauſis, quæ ſummi Pontificis judicio deciduntur, ordo juris, & vigor æquitatis, eſt ſubtiliter obſervandus, ut *ext. De ſent. & re judi.* c. *In cauſis.* Sequitur, quod prædicti proceſſus, imo verius exceſſus, fuerunt nulli & nullius valoris penitus, & momenti.

Nec obviat, ſi dicatur, quod prædictus Joannes, in civitate Avinionis Provinciæ exiſtens cum ſua Curia, per ſuas literas, quas dicitur ad fores Eccleſiæ Majoris Avinionis appendi feciſſe, Nos abſentem citavit; quoniam talis citatio (eſto quod appareret) nullatenus fuit, nec eſt dicenda legitima, rationibus infra ſcriptis.

Prima ratio, *quia ſunt* Canones & jura ad hoc, quod cenſeatur, & dici poſſit citatio firma, neceſſe, quod qui citandus eſt, citetur aut perſonaliter, ſi inveniri poteſt: aut ſi non poteſt inveniri, publice citetur ad domum ſuam; alias niſi ſic citetur, non poteſt contra ipſum procedi, ut aperte probatur. 4. q. 5. c. (*f*) *Quiſquis. & ext. de Dol. & contumac.* c. (*g*) *Cauſam*, in text. & in Gloſſ. & in c. (*h*) *Venerabilis, in fin.* & *de Cleric. non reſiden.* c. (*i*) *Ex tuæ*, & ext. *Qui matr. accuſ. poſ.* c. (*k*) 1. & *De eo, qui mittitur in poſſ. cauſa rei ſerv.* c. ult. & ff. *Ex quibus cauſ. majores.* & c. l. *Item ait.* §. *Hæc autem, cum ſimilibus.* Etſi proceditur, proceſſus nullius eſt momenti, ut dicitur in ſuperius allegatis juribus. 3. q. 9. (*l*) c. *Caveant*, & ff. *Quæ ſent. ſine appell. reſcind.* l. 1. & c. *Quomodo & quando Judex*, l. *Ea quæ.* Ex quibus juribus clare patet, dato ſine præjudicio, quod talis citatio per literas in civitate Avinioni appenſas reperiretur facta fuiſſe, quod nihilominus proceſſus per ipſum Johannem factus fuiſſet irritus, & inanis.

Secunda ratio eſt, quia ad hoc, ut citatio de jure legitima cenſeatur, & arctet citatum ad veniendum, neceſſum eſt, quod aſſignetur illi, qui citandus eſt, terminus & locus ad comparendum ſecurus. Prout manifeſte probant jura. *ext. De appell.* c. (*m*) *Ex parte tua.* 33. q. 2. c. (*n*) *Sive de conjugii, ubi dicitur: Providendus eſt locus, in quo nulla vis formidetur multitudinis, nec ſit difficile teſtes producere, vel ceteras perſonas, quæ tam a Sanctis Canonibus, quam a venerandis Romanis legibus in hujusmodi controverſiis requiruntur.* Hæc ibi. Et 3. q. 9. c. (*o*) *Hortamur*, & ext. *Ut lite non conteſtata* c. (*p*) *Accedens* 2. & ff. *de Judiciis*, l. *Sed locus.* Sed notorium eſt, & indubitatum exiſtit, quod dictus Joannes tam Nos, quam Imperii noſtri fideles & amicos odio capitali, & etiam hoſtili exercitu perſequebatur de facto, & civitates & jura Imperii ſibi uſurpare, & ſubjugare, quantum poterat, conabatur. Civitas quoque Avinionis, in qua idem Joannes cum ſuo conſiſtorio morabatur, & ad quam Nos per ſuas literas evocabat, & ille, qui illius civitatis Dominium detinebat, Nos & Romanum Imperium habebat odio notorio, & antiquo: unde patet, quod deſiperet, qui diceret, vel ſentiret, talem citationem Nos ad comparendum modo aliquo coarctaſſe. Quis enim auderet dicere, quod talis conſiſtorii in tali loco periculoſo teneremur ſubire judicium, & in hoſtium noſtrorum Nos ponere ſinum, & mortis periculo ultroneo Nos offerre? Patet igitur, quod talis citatio, ſi facta reperiretur de Nobis, foret irrita & inanis.

Tertia ratio ſumitur, *ex eo*, quod in Sacris Canonibus & legibus ſtatuitur, quod nullus in propria cauſa poſſit judicare, vel jus ſibi dicere, ut probatur. 23. quæſt. 4. cap. (*q*) *Inter querelas*: & quæſt. 5. (*r*) *De occidendis*, & 4. qu. 4. cap. (*s*) 1. & c. *Ne quis in cau. prop. jud. vel jus ſibi dicat.* Sed manifeſtum adeo eſt & notorium, ut nulla tergiverſatione poſſit negari, quod prædictus Joannes de facto contendebat, ſcilicet, quod ipſe non ſolum in ſpiritualibus, ſed & in temporalibus, & in Nos, & in totum Imperium, ac jura Imperii habeat plenitudinem poteſtatis, & quod ſuper hoc contra Nos controverſam & litigium de facto movebat, & jura

(*e*) Greg. IX. (*f*) Carthag. IV. (*g*) Alexand. III.
(*h*) Greg. IX. (*i*) Innoc. III. (*k*) Alexand. III.
(*l*) Eleuth. PP. (*m*) Innoc. III. (*n*) Nicol. PP.
(*o*) Felic. PP. (*p*) Innoc. III. (*q*) Greg. PP.
(*r*) S. Auguſt. (*s*) Fab. PP.

ra Imperii etiam hoſtiliter ſibi pro viribus uſurpare conabatur, & Nos & Imperii noſtri fideles, quantum poterat, tanquam adverſarius, hoſtis, & inimicus noſter & Imperii perſequi nitebatur. Unde etiam contra eum tanquam contra adverſarium, inimicum & hoſtem noſtrum, & etiam Imperii, pro defenſione noſtra, & etiam fidelium noſtrorum, & juris Imperialis ac fidei, appellamus (*t*) *ad futurum generale Concilium*, in loco tuto & ſecuro, modo debito, & ſecundum formam Sacrorum Canonum congregandum. Ex quibus ſequitur manifeſte, quod dicti proceſſus, immo verius dicti exceſſus, per dictum Johannem contra Nos, & contra fideles noſtros, & jura Imperii, facti fuerunt in propria cauſa, & temere, & perperam attentati; & quod ipſe in ipſis proceſſibus ſe judicem ſimul, & partem effecit: ac per conſequens, quod fuerunt irriti, & nullius penitus firmitatis.

Tertio objicitur contra Nos, quod dictus Johaannes tam in Nos, quam in omnes ſequaces ac fideles noſtros, habentes, & tenentes Nos pro Imperatore, nomine & honore, & Nobis tanquam Imperatori obedientes, & reverentiam exhibentes, & in omnibus admittentes Nos ad Divina, ſeu nobiſcum participantes in Divinis, aut Divina Officia celebrantes coram Nobis, & præbentes Nobis auxilium, conſilium, & favorem de facto excommunicationis ſententiam fulminavit: (*u*) & Eccleſias & Univerſitates, quæ contra facerent, Eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto. Unde dicitur, quod ſententia Paſtoris, ſive juſta, ſive injuſta, ſervanda eſt, & timenda.

Ad quæ reſpondemus, & dicimus, quod ſecundum Sacros Canones & jura, hujus ſententiæ & proceſſus fuerunt, & ſunt nullæ ac nullius firmitatis, nulliusque valoris penitus & momenti: nec ſunt aliquo modo timendæ nec ſervandæ, nec timendi nec ſervandi: quod evidenter oſtenditur & probatur rationibus infra ſcriptis.

Prima ratio ſic ſumitur: Certum eſt, quod cum Prælatus Eccleſiæ in ſuo mandato excedit formam, & poteſtatem, Sacris Canonibus ſibi traditam, & in contra mandatum hujus facientes, excommunicationes in ſingulares perſonas, & in Eccleſias, & Univerſitates ſententias interdicti promulgat, talem ſententiam non tenere, ſed nullam ipſo jure fore, nullatenusque obſervandum, ut probatur per id, quod legitur, & notatur *ext. de exceſſ. Prælat. c. Cum ad quorundam.* Temerarium enim eſt, & indignum, aliquem ſibi ſua auctoritate uſurpare, quod Romana Catholica Eccleſia non concedit. *Ext. De privilegio. c. Sanc.* (*x*) Sed (ut ſupra probatum eſt evidenter) Sancta Romana Eccleſia Catholica & Apoſtolica non concedit, ſed prohibet Papæ, Jus Imperii, & poteſtatem in temporalibus uſurpare. Quia, ut dictum eſt, iſta Papæ jurisdictionem, quæ ſolum eſt in Spiritualibus, non contingunt, ut patet in ſuperius in allegato *text. de Appel. c. Si duobus.* Et manifeſtum eſt, quod dictus Johannes per ſuas antedictas ſententias, exceſſit formam & poteſtatem Papæ traditam; Quia jus Imperii, & poteſtatem in temporalibus ſibi uſurpare conatus eſt, contra Sacrorum Canonum Conſtituta. Ergo hujus ſententiæ ſunt & fuerunt nullæ, & nullatenus obſervandæ. Et hic eſt unus de caſibus expreſſis, in quibus ſententia de excommunicatione nullatenus eſt obſervanda.

Secunda ratio ſic ſumitur. Certum eſt de jure, quod ubi eſt error expreſſus in ſententia, vel in mandato præſidentis, puta, quia præcipit, quod non obediat ſuo Superiori, vel præcipit aliquid contra Deum, vel contra Sacram Scripturam; talis ſententia ipſo jure nullius eſt momenti, nec eſt timenda, nec aliquatenus obſervanda, ut probatur per illud, quod legitur *extra: de ſentent. excomm. cap.* (*y*) *Venerabilibus juxta fin. in Gloſſ. &* 11. *q.* 3. *c.* (*z*) *Si is, qui præeſt, cum duobus* (*a*) *c. ſeq.* Et idem eſt ubicunque ſententia eſt ipſo jure nulla, ut probatur aperte per illud, quod legitur & notatur *extra. de ſentent. excomm. c.* (*b*) *Per tuas &*

(*t*) *forte*: appellavimus, *anno* 1323. *ſupra pag.* 298. *huj. Tomi.*
(*u*) A. 1324. & 1328.
(*y*) *Hæc C. in vulg. edit. jam deeſt.*
(*a*) *Ejusdem & ſunt conjuncta præcedenti.*
(*x*) Alexand. III.
(*z*) Iſidori.
(*b*) Innoc. III.

& ext. De procurat. c. (*c*) *In nostra præsentia, in fine: & extra: De crimine fals. c.* (*d*) *Super eo, & ext. De sentent. & re jud.* Sed manifestum est, quod dictus Joannes in dictis suis processibus & sententiis expressit, quod non obediatur Nobis, cui omnes Imperio subjecti obedire & reverentiam exhibere secundum Divina & humana jura sunt adstricti: & quod hoc fecit volendo sibi jus Imperii & potestatem omnimodam in temporalibus contra Dominum, & contra justitiam usurpare, ad quæ non extenditur (ut dictum est) ejus auctoritas & potestas. Ergo ipsæ sententiæ sunt & fuerunt nullæ, & nullius penitus firmitatis, nec fuerunt, nec sunt quomodolibet observandæ.

Tertia ratio sic sumitur. Manifestum est, quod quando sententia excommunicationis vel interdicti, quæ prolata est post appellationem legitimam, nulla est, nec aliquatenus est timenda, nec servanda, ut aperte probatur *extr. De offic. & potest. jud. del. c.* (*e*) *Cum olim in fine*: *& de sentent. Excomm. c. Venerabilibus, in fine; & ext. De Appell. c.* (*f*) *Ad hæc* 5. *quod & habetur & notatur extra de sentent. excomm. c.* (*g*) *Per tuas, in Gloss. ord. & tam per Dominum Hostiensem in apparatu super c. solet, & in summa, quam per alios Doctores.* Sed manifestum & notorium est, quod Nos dudum contra dictum Johannem, & processus, quos ipse de facto fecit contra Nos, ac potestatem & auctoritatem Imperialem, & præjudicium & derogationem Fidei Catholicæ, quam sancta Romana Ecclesia firmiter hactenus docuit & credidit, & docet, & credit, & tenet, appellavimus ad *futurum generale Concilium* in loco securo & congruo congregandum, & ad Sanctam Matrem Ecclesiam Catholicam. Quæ appellatio fuit ad ipsius Johannis notitiam deducta, prout notorium est, & manifestum, & constat etiam per legitima documenta. Et quia ipse Johannes post & contra dicta appellationem, promulgavit, & protulit de facto contra Nos & fideles nostros, & Nos sequentes, & Nobis præbentes consilium, auxilium, & favorem, dictas excommunicationis & interdicti sententias (si sic dici possunt) ergo fuerunt, & sunt nullæ, & nullius valoris & momenti, nec sunt aliquo modo timendæ nec observandæ.

Nec obstat, quod dicitur, quod Papa non habet superiorem, unde (ut aliqui garriunt) non potest ab ipso quomodolibet appellari. Et vere non obstat: quoniam manifestum est secundum doctrinam Catholicam & Sacrorum Canonum, quod Papa, ubi de fide, sive de jure Divino agitur, subest Conciliis, ut patet expresse, & legitur & notatur 15. *Distinct. c.* (h) *Sicut Sancti, in textu & glossa, &* 25. *quæst.* 1. *c.* (i) *Sunt quidam, cum capitibus sequentibus, &* 19. *Distinct. c.* (k) *Anastasius.* Ubi dicit glossa ordinaria super verbo, *Concilio*: *Videtur ergo, quod Papa tenetur requirere Concilium Episcoporum, quod verum est, ubi de fide agitur: & tunc Synodus major est, quam Papa.* 15. *Distinct. c. Sicut S. Evangelii.* Ita dicit glossa ord. Et quod Papa, ubi de fide agitur, habet superiorem in terris, a quo possit judicari, & per consequens, ad ipsum superiorem valeat appellari, probatur etiam notanter per illud, quod legitur, & notatur 40. *Dist. c.* (l) *Si Papa*, ubi expresse definitur, quod Papa a nemine judicari potest, *nisi deviet a Fide Catholica.* Ergo, si Papa deviat a fide, habet superiorem in terris, a quo potest judicari, & per consequens ad ipsum potest appellari. Hoc etiam patet per hoc, quod dicit Augustinus in Epistola ad Glorium & Eleusium, & reliquos Donatistas, ubi de Concilio Papæ & Collegii Cardinalium scribit, dicens sic: *Quasi non eis ad hoc dici possit, & justissime dici, Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ judicarunt* (Melchiades Papa & alii) *non bonos judices fuisse: restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari, ut si male judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur.* Hæc Augustinus. Ex quibus & aliis pluribus auctoritatibus, quæ brevitatis causa dimittuntur, evidenter patet, quod Concilium universale Ecclesiæ Catholicæ, ubi de jure Divino, aut de Fide agitur, majus & superius est Concilio Papæ & Cardinalium, & ipsum tollit,

(*c*) Innoc. III. (*d*) Lucii III. (*e*) Innoc. III.
(*f*) Lucii III. (*g*) Innoc. III. (*h*) Greg. PP.
(*i*) Urban. PP. (*k*) ex Pontificali. (*l*) S. Bonifacii.

liz, & solvit, si ipsi repugnet. Cum ergo pro defensione juris Imperii, quod est a jure Divino, & Fidei Catholicæ appellamus (*m*) ad Generale Concilium, in loco tuto & securo congregandum: sequitur, quod appellatio nostra fuit interposita ad superiorem, ad quem legitime potuit appellari.

Plures quoque aliæ rationes & causæ sunt, ex quibus cernitur evidenter, quod prædictæ sententiæ fuerunt, nec sunt timendæ, nec aliquatenus observandæ. Quæ rationes & causæ in appellationibus & provocationibus, contra adversantes Nobis, & Nos, & Imperium, & Fidem Catholicam, quam sancta Romana tenet Ecclesia, impugnantes, solenniter interjectis, seorsim explicantur, quas omnes seriatim præsentibus literis explicare, prolixum nimium videretur.

Quamobrem denunciamus & dicimus, processus & sententias, de quibus superius dictum est, fuisse, & esse nullas & nullos, & nullius valoris & momenti, & nullatenus observandas: ac universis & singulis sub nostro Imperio degentibus, cujuscumque status, dignitatis, ac conditionis existant, districte præcipimus & mandamus, quatenus nulla persona singularis, aut communitas, vel universitas, dictas excommunicationis, & interdicti sententias præsumat observare, vel facere, aut sustinere quomodolibet observari.

Quicunque autem contra hoc nostrum mandatum præsumpserit facere, vel venire, cum omnibus feudis, quæ ab Imperio tenet, ac omnibus jurisdictionibus, gratiis & privilegiis, libertatibus, & immunitatibus a Nobis vel Prædecessoribus nostris ei concessis, ex nunc privamus.

In quorum omnium testimonium & fidem præsentes literas fieri fecimus, & nostræ Imperialis Majestatis Bulla jussimus & fecimus communiri. Et ut ipsæ literæ ad communem omnium notitiam deducantur, eas majoris Ecclesiæ de Franckenfurt ostiis appendi, sive affigi faciemus, quæ hunc processum nostrum quasi sonoro præconio publicabunt, ita quod nullus possit prætendere, vel ignorantiam allegare, quod ad eum prædicta non prævenerint, sive quod ea ignoraverit: cum non sit verisimile, occultum, & incognitum remanere, quod tam patenter fuit omnibus publicatum. Datum in Oppido nostro de Franckenfurt, die VIII. mensis Augusti, Anno Domini M.CCC.XXXIIX.

Herwartus ab Hohenberg Bavariæ Cancellarius in Ludovico defenso ad annum 1338. *a pag.* 762. *ad* 776.

(*m*) *forte*: appellavimus.

Electorum Imperii Notificatio de Juribus suis in Electione Imperii manutenendis, tuendis contra quoscunque, & de eo, quod omnes vel major pars tenuerit, firmo futuro, de mutuo auxilio & confœderatione.

NOS Dei Gratia Henricus Archi-Episcopus Moguntinus, Walramus Archi-Episcopus Coloniensis, Balduinus Archi-Episcopus Trevirensis, Rudolphus, Ruppertus Fratres, Stephanus, Ruppertus junior, Comites Palatini Rheni & Duces Bavariæ, Rudolphus Dux Saxoniæ, & Ludovicus Marchio Brandenburgensis. Notum facimus cunctis hominibus, qui has literas vident, aut legi audiunt, quod simul consideravimus & perspeximus, SACRUM ROMANUM IMPERIUM in suis honoribus, juribus, & bonis, atque etiam Nos in nostris honoribus, juribus, consuetudinibus, & privilegiis, quæ a prædicto Imperio habemus, vehementer his temporibus, atque etiam ante hac impetiti, infirmati & gravati fuimus ac sumus, & propter communem ac manifestam utilitatem totius Christianitatis, atque ad prædicti Imperii nostrumque honorem, jura, privilegia, & consuetudines tutandas, defendendas, & manutenendas, unanimiter convenimus, & Nos confœderamus, quod prædictum Imperium, & nostrum Principalem honorem, quem ab

ab eo obtinemus, videlicet in electione Imperii, in illius ac nostris juribus, privilegiis, & consuetudinibus, sicut ab antiquo ad Nos, & ad Imperii Electores pervenerunt, & devoluta sunt, manutenere, tueri, ac defendere volumus pro omnibus nostris viribus, ac opibus, sine fraude, contra quoscunque, nemine excepto: siquidem hoc nostrum honorem, juramentum attingit; nec volumus id intermittere propter ullum mandatum, a quocunque, vel quomodocunque datum, per quod Imperium & Nos Electores in præscriptis rebus ullo modo infirmari possemus. Volumus etiam omnes Dominos & amicos, qui ad Nos pertinent, sive sint Ecclesiastici, sive seculares, nostros quoque Vasallos, Ministeriales, Castellanos, Officiales, & cives, ad idem faciendum rogare, & inducere, in quantum possumus: & ad hoc efficiendum debet quilibet ex nobis Electoribus alteri auxilium præstare, sine fraude; ut illi nobis in his rebus auxilium & opem ferant, idque nullius respectu intermittant, & ob nulla mandata, a quocunque illa dari possent. Quod si contingeret ullam dissensionem, aut dubium super his rebus inter nos Electores oriri: quicquid Nos tunc omnes aut major pars ex nobis super hoc diffiniemus, & statuemus, id debet vim habere, atque a nobis observari sine dolo. Omnia hæc præscripta capita, & unumquodlibet horum singulatim spospondimus bona fide, & spondemus his præsentibus literis per nostrum principalem honorem, nec non juravimus hoc ipsum ad Sanctos pro Nobis & nostris Successoribus perpetuo firmiterque tenere, neque contravenire, nec ab hoc desistere ullo modo, sicut in præmissis continetur, & scriptum est. Non debemus, non volumus quoque nec possumus nos, nec quisqum alius, qui nobiscum in hanc confœderationem veniet (qui jurare quoque hoc ipsum debet, & vovere, sicut in præmissis & sequentibus scriptum est) si ita depravaremur, quod Deus avertat, ut contra faceremus, aut facere vellemus; non debemus, inquam, nec volumus, nec possumus contra juvari ulla dispensatione, absolutione, relaxatione, abolitione, in integrum restitutione, neque ullo Beneficio, quocunque nomine illud appellaretur, undecunque, aut quomodocunque fieret, sive *per nostras, aut aliorum hominum preces*, sive quod latine dicitur, *ex officio*; neque ulla potestate ejus, qui hæc curare vellet: apud Deum & homines futuri ac dicendi infames, infideles & perjuri, ubicunque vel quocunque modo contra faceremus, aut veniremus, quovis pacto, omni fraude ac dolo a præscriptis capitibus, & singulis eorum exclusis. Ad notitiam horum damus has literas obsignatas nostris signis, quæ datæ sunt *in Rense, die Jovis post Margaritæ. A. Nativitate Christi M. CCC. XXXIIX. Anno.*

Epistola ELECTORUM ad Papam BENEDICTUM XII. pro revocandis sententiis Joannis XXII. contra Ludovicum Imperatorem editis.

SAnctissimo in Christo Patri ac Domino, Domino BENEDICTO Papæ: Vestri devoti Filii, HENRICUS Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archi-Episcopus Moguntinus, Electorum Principum Decanus, nec non per Germaniam Sacri Imperii Archi-Cancellarius: BALDUINUS Archi-Episcopus Trevirensis, Cancellarius Galliæ: WALRAMUS Archi-Episcopus Coloniensis, Cancellarius Italiæ: WALDEMARUS Marchio Brandeburgensis, Camerarius: RUDOLPHUS Palatinus, Dapifer: RUDOLPHUS Dux Saxoniæ, Portitor ensis; Romanorum Regis, & coronandi Imperatoris legitimi Electores. Gravamur non modice, & turbamur ex intimis, cum reverendam Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, Matrem nostram, & ipsius Summos Pontifices, quibus reverentiam & honorem exhibere volumus promptis & devotis animis omni vice; ac sacrosanctum Imperium, & Imperatores, seu Reges ipsius, quorum defensio ad Nos, ac omnes alios Coelectores nostros præ cæteris mundi Principibus specialiter pertinere dinoscitur; sicut temporibus præsentibus, videmus ad invicem

cem diſcordare. Nam ex hoc non potuerunt ſibi, & populo Chriſtiano proficere & prodeſſe, & prout eſt divinitus inſtitutum, ſibi mutuo ſuffragari. Propter quæ in diverſis mundi partibus, Provinciis & terris, ipſis regendas, gubernandas commiſſis, innumera execrabilia pericula animarum, perſonarum, & rerum, & diverſa ſcandala in Dei Eccleſia [quod dolenter referimus] ſunt ſuborta; & majora præſumuntur futuris temporibus, quæ ad planum dici nequeunt vel conſcribi, certitudinaliter ſuboriri: quæ ſubmoveri non poſſunt, niſi utraque poteſtas contenta ſit ſuis juribus, & conſuetudinibus hactenus obſervatis, & reformentur, quæ una contra aliam attemptavit.

§. II. Sanctitati veſtræ cum omni devotione, & in modum, quem poſſumus, meliorem & humiliorem referimus bono zelo, quod ſuper præmiſſis & ad conſulendum & providendum ſacroſancto Romano Imperio, cujus jura, honores, bona, libertates, & conſuetudines proſtrata jacent, & a diverſis perſonis Eccleſiaſticis & ſæcularibus ſunt & fuerunt hactenus in grave præjudicium dicti Imperii invaſa, occupata, & multipliciter conculcata; XV. die menſis Julii anni XXXVIII. in REINSE ſuper alveo Reni [ubi Principes Electores ſuper negotiis Imperii tractandis convenire conſueverunt ab antiquo] cum aliis Principibus Electoribus Imperii in unum fuimus congregati; & diverſis deliberationibus & conſiliis præmiſſis, ſicut Divinæ gratiæ placuit, omnes unanimes fuimus & nullo penitus diſcrepante pro defenſione & recuperatione jurium, honorum, bonorum, libertatum, conſuetudinum ſacri Romani Imperii ac *totius Chriſtianitatis*, *AD CUJUS REGIMEN, ET DEFENSIONEM IDEM IMPERIUM PRINCIPALITER ORDINATUM DINOSCITUR*, diſpoſuimus, & ordinavimus pro Nobis & ſucceſſoribus noſtris, & firmavimus jurejurando, per Sacramenta corporaliter a Nobis, & omnibus Coelectoribus noſtris præſtita; quod jura, honores, bona, libertates, & conſuetudines dicti Imperii & noſtra, Nobis in electione Imperii competentia ex conſuetudine, vel de jure manuteneamus, defendamus & illibata conſervemus toto poſſe, & viribus noſtris, contra omnes homines cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, ſeu ſtatus exiſtant, & quod hoc non obmittamus propter aliqua pericula rerum, aut perſonarum, aut præcepta, mandata & proceſſus, per quemcunque modum & formam prolati ſint, vel in antea proferantur contra Imperium, & Nos, vel Coelectores noſtros; per quæ dicto Imperio, ac Nobis, & Coelectoribus noſtris in prædictis juribus, bonis, hominibus, libertatibus, & conſuetudinibus præjudicatum ſit, vel in futurum poſſet præjudicium generari.

§. III. Et tandem ſuper præmiſſo lamentabili deſiderio, & cauſis originalibus, ex quibus ortum dinoſcitur, quod inter ſanctam Romanam Eccleſiam, ac ſacrum Romanum Imperium, & Dominum noſtrum LUDOVICUM ROMANORUM IMPERATOREM, jam longis temporibus diligenti & ſollicita deliberatione præhabita, Nos, & alii Coelectores noſtri cognovimus, & nobis conſtitit evidenter ex proceſſibus quondam Domini JOHANNIS Papæ XXII. Prædeceſſoris veſtri, quod ipſe primo & poſtea ſententias excommunicationis & interdicti (ſi ſic dici merentur) ac alias diverſas ſententias & proceſſus de facto contra Deum & juſtitiam, & juris ordinem fulminavit contra prædictum Dominum noſtrum, Dominum LUDOVICUM Rom. Imperatorem, ac fautores & adhærentes ſibi, qui a majori parte Principum Electorum fuit rite & rationabiliter in Regem Roman. electus in Imperatorem poſtea conſecrandus: " *Quod ſe de adminiſtratione* " *Imperii intromiſit, non approbata per præ-* " *dictum Prædeceſſorem veſtrum ipſius electione* " quam *in diſcordia* aſſeruit, celebra- " tam.

§. IV. Per quas ſententias & proceſſus, cum juri & conſuetudini Imperii, præfato Domino noſtro LUDOVICO, Nobis & aliis Electoribus Imperii per maxime derogetur; cum jure caveatur & conſuetudine, cujus contrarium in memoria hominum non exiſtit, ſit rationabiliter introductum, & ſine cujusvis contradictione legitime obſervatum. Sicut etiam in prædicto *Parlamento* per Nos & alios Coelectores noſtros præhabita diligenti deliberatione & diſcuſſione, ac conſilio multorum Principum, Comitum,

tum, Baronum, & Nobilium eſt concorditer declaratum, & ſententialiter definitum: "*Quod vacante Romano Imperio is,*
" *qui eligitur concorditer, vel a majori parte*
" *Principum Electorum, pro Rege Romanorum ab omnibus eſt habendus: & quod nec*
" *nominatione, approbatione, confirmatione,*
" *conſenſu, vel auctoritate Sedis Apoſtolicæ*
" *ſuper amminiſtratione bonorum & jurium*
" *Imperii indiget, ſive titulo Regia aſſumendo:*
" *quodque jura & bona Imperii amminiſtrare & gubernare poterit, & de jure, & de*
" *conſuetudine, nulla Sedis Apoſtolicæ ſuper*
" *hoc licentia habita vel obtenta.*

§. V. Quare cum Sanctitas veſtra teneatur præ omnibus regnis mundi defendere jura Imperii, quod ad defenſionem Sedis Apoſtolicæ, & totius Fidei Chriſtianæ eſt cœlitus ordinatum, & ſine cujus ſalubri gubernatione & defenſione non poteſt in opulentia pacis perſiſtere Chriſtianus populus, nec bene colere pacis auctorem: Clementiæ Sanctitatis veſtræ ſupplicamus, cum omni humilitate & reverentia, qua poſſumus & valemus, quatenus ſententias & proceſſus prænotatos, & quidquid exinde ob nos ſecutum eſt, totaliter & penitus revocetis, tanquam in præjudicium Imperii & jurium ipſius prolatos. Quæ jura illibata pro poſſe ſervare tenemur ratione a Nobis præſtiti juramenti, ut obinde in omni obedientia & devotione Eccleſiæ Romanæ & Sanctitatis veſtræ debeamus devotioribus animis perpetuo permanere. Et ne ſi ſecus fieret, Nos & alii Coelectores noſtri, cum aliis Principibus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus Alamaniæ cogeremur invenire & quærere contra eosdem proceſſus & ſententias, quamvis inviti, remedia opportuna. Super præmiſſis ad Sanctitatem veſtram tales transmittimus, quibus in dicendis & petendis noſtro Nomine fidem, Veſtram Clementiam petimus adhibere.

Cl. Leibnitius codicis Juris gentium Parte I. No. LXXVII. pag. 149.

Decretum & Conſtitutio ab Imperatore & Ordinibus de Jure Imperii facta VIII. Auguſt. Anno M.CCC.XXXVIII.

Licet jura utriusque teſtamenti manifeſte declarent, Imperialem dignitatem & poteſtatem immediate in Filio Dei ab antiquo proceſſiſſe, & Deum per Imperatorem, & Reges mundi jura humano generi aperte tribuiſſe: & quod Imperator ex ſola electione eorum, ad quos pertinet, verus efficitur Imperator, nec alicujus alterius eget confirmatione ſeu approbatione: quoniam in terris quoad temporalia non habet ſuperiorem, ſed eidem gentes ſubſunt & nationes: & ipſe Dominus noſter JEſus Chriſtus mandavit, *quæ ſunt Dei Deo, & quæ ſunt Cæſaris Cæſari reddenda.* Quia tamen nonnulli avaritiæ, & ambitionis cæcitate ducti, & nullius ſcripturæ intelligentiam habentes, ſed divertentes a tramite recti ſenſus in quædam iniqua & prava commenta, & in aſſertiones deteſtabiles prorumpentes contra poteſtatem, & auctoritatem Imperialem, & jura Imperatorum, Electorum, & aliorum Principum, & Imperii fidelium committunt fallaciter aſſerentes: *Quod Imperialis dignitas & poteſtas eſt a Papa, & quod electus in Imperatorem non eſt verus Imperator nec Rex, niſi prius per Papam ſive Sedem Apoſtolicam confirmetur, approbetur, & coronetur*: & per hujusmodi pravas aſſertiones & peſtifera dogmata hoſtis antiquus movet, jurgia ſuſcitat, contentiones parit, & ſeditiones procurat. Ideo ad tantum malum evitandum de conſilio & conſenſu Electorum & aliorum Principum Imperii declaramus, quod *IMPERIALIS DIGNITAS ET POTESTAS EST IMMEDIATE A SOLO DEO:* & quod de jure, & Imperii conſuetudine antiquitus approbata, poſtquam aliquis eligitur in Imperatorem ſive Regem ab Electoribus Imperii concorditer, vel majori parte eorundem, ſtatim ex ſola electione eſt Rex verus & Imperator Romanorum cenſendus & nominandus, & eidem debet ab omnibus Imperio ſubjectis obediri; & adminiſtrandi jura Imperii & cætera faciendi, quæ ad Imperatorem verum pertinent, plenariam habet poteſtatem, nec Papæ, ſive Sedis Apoſtolicæ, aut

aut alicujus alterius approbatione, confirmatione, auctoritate indiget vel consensu. Et ea propter hac hæc in perpetuum valitura lege decernimus, " *ut electus in Imperatorem* concorditer, vel " a majori parte Electorum *ex sola electione censeatur & habeatur* ab omnibus " *pro vero & legitimo Imperatore*, & eidem ab omnibus subjectis Imperio debeat obediri, & administrationem & jurisdictionem Imperialem, & Imperialis potestatis plenitudinem habeat, " & habere ac obtinere ab omnibus censeatur, & firmiter asseratur; " Quicunque autem contra hæc declarata, decreta vel definita, aut aliquid eorum asserere, seu dicere, aut asserentibus seu dicentibus consentire, vel eorum mandatis, vel literis, vel præceptis obedire præsumpserint, eos omnibus feudis, quæ ab Imperio detinent, & omnibus gratiis, jurisdictionibus, privilegiis, & immunitatibus a Nobis, vel Prædecessoribus nostris eis concessis ex nunc privamus, & ipso jure & facto decernimus esse privatos. Insuper eos *crimen læsæ Majestatis decernimus incurrisse*, & pœnis omnibus impositis crimen læsæ Majestatis committentibus subjacere. Datum in oppido nostro de Franckenfurt, die 8. mensis Augusti, anno Domini M.CCC. XXXVIII.

Cl. Leibnitz codex Diplomaticus Juris Gentium Parte I. N. LXXVI. pag. 148.

Statuta Synodalia BALDUINI, Archi-Episcopi Treverensis, contra Violatores & Invasores tum Clericorum, tum Ecclesiarum.

Anno Christi MCCCIXL. Benedicti XII. Papæ VI. Ludovici IV. Regis XXVI.

BALDEVINUS, DEI GRATIA, SANCTÆ TREVERENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER GALLIAM ARCHI-CANCELLARIUS, UNIVERSIS ET SINGULIS PERSONIS TAM ECCLESIASTICIS, QUAM SÆCULARIBUS PER SUAS CIVITATES ET DIOECESIN CONSTITUTIS, SALUTEM, ET SINCERAM IN DOMINO CHARITATEM.

I. EX credito Nobis dispensationis officio, curis sollicitamur assiduis, curiosaque inquisitione meditando discurrimus, ut subditorum nostrorum quieti & commodis, in quorum prosperitate utique prosperamur, jugiter mentis nostræ studiis intendamus, ut & iidem felici ducti regimine, præserventur a noxiis, & optatis semper proficiant incrementis. Igitur cum nonnulli instingante diabolo in tantam præsumptionis audaciam prorumpant, ut Clericos, & Ecclesiasticas personas occidere, mutilare, & captivare, captivosque detinere, in suæ salutis dispendium non formident: sicut hucusque pluries, (quod dolentes referimus) dinoscitur perpetratum. Nos tantis periculis cupientes occurrere, & tam nefarios præsumptores condigna animadversione ferire, ut saltem metus pœnæ, tales ab hujusmodi præsumptione cohibeat, & compescat: statuimus tenore præsentium & ordinamus, si quis in hoc genus sacrilegii proruperit, quod aliquem Clericum pro Clerico se gerentem, in terminis nostræ civitatis vel Diœcesis occidat, mutilet, vel captivet, seu etiam detineat captivatum, quod contra talem occisorem, mutilatorem, captivatorem, & ipsum Clericum detinentem, per totum Decanatum Christianitatis illius loci, ubi talis occisor, mutilans, seu captivans, vel Clericum detinens, domicilium habuerit, vel jurisdictionem exercuerit, de jure vel de facto, & etiam per totum Decanatum illius loci, ubi talis Clericus captivus detentus fuerit,

&

& in qualibet Parochiali Ecclesia alterius Decanatus, ad quam tales malefactores declinare contigerit, quamdiu moram ibidem traxerint, & post recessum eorum, per triduum cessetur penitus a Divinis. Quam quidem cessationis Divinorum sententiam, in loca prætacta, ut prætactum est, ponimus per præsentes, tam diu tenendam, & firmiter observandam, donec præfatus occisor, mutilans, vel captivans, seu Clericum captivum tetinens, satisfactione debita præhabita per Nos ipsam meruerit, & obtinuerit relaxari. De qua quidem relaxatione per nostras vel Officialium nostrorum literas constare debebit.

II. Præterea cum nonnulli perversi homines interdum alios in prosecutione sui juris impedire temere molientes, nuntios & portitores literarum & processuum judicialium occidant, mutilent, & captivent, vel literas & processus quos deferunt, ipsis auferant violenter, in Ecclesiasticæ libertatis contumeliam & contemptum. Nos huic morbo pestifero per oppositionem competentium pœnarum mederi volentes, ut quos timor Dei a malo non revocat, saltem pœna coerceat a peccato: & ne quisquam hujusmodi occasione, & prosecutione sui juris & justitiæ, quam colere summum bonum esse dinoscitur, retrahatur: Statuimus, ordinamus, & volumus, si deinceps quisquam in talem vesaniam inciderit, quod nuncium aliquem literas vel processus aliquos judiciales deferentem, ea occasione occidat, mutilet, vel captivet, vel literas & processus judiciales hujusmodi cuiquam nuncio ipsos deferenti auferat violenter, quod talis occidens, mutilans, seu literas, & processus violenter auferens, juxta statuta *alias per Nos desuper edita*, sententiam majoris excommunicationis incidat ipso facto, & quod contra talem nihilominus sine alia monitione, & sine alio mandato, in terminis Parochialis loci, ubi præsens fuerit, quamdiu ibidem moram traxerit, & post ejus recessum per triduum cessetur a Divinis. Quam cessationis Divinorum sententiam, contra tales occisores, mutilatores, & captivatores dictorum nunciorum, literas seu processus hujusmodi ferimus, & præsentibus promulgamus.

III. Item quia sæpe contingit, ut ex retroactis comperimus, quod bona Clericorum decedentium a nonnullis personis, quibus nullum jus competit bonis in eisdem, de facto & per injuriam occupantur, surripiuntur, & etam dissipantur, propter quod eorundem bonorum debita dispositio impeditur. Nos ausus talium bona hujusmodi occupantium, surripientium, & dissipantium, reprimere cupientes, tenore præsentis statuti omnibus & singulis personis tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, cujuscumque status, sexus, vel conditionis fuerint, districte, & firmiter inhibemus, ne aliqua bona per aliquem Clericum nobis subjectum, cum decesserit derelicta. S. in quibus jus ipsis non competit, occupent, subripiant, vel quovis modo dissipent. Alioquin volumus & statuimus, si quisquam repertus fuerit, qui contra hoc nostrum statutum bona aliquorum Clericorum decedentium nobis subjectorum, per injuriam occupaverit, surripuerit, vel dissipaverit, quod contra talem ipsorum bonorum occupationem, subreptionem, vel dissipationem, in terminis Parochialis loci, ubi talis occupans, subripiens vel dissipans, præsens fuerit, vel moram traxerit, & post ejus recessum per triduum: & nihilominus in terminis Parochialis loci, ubi talia bona sic occupata, surrepta, vel dissipata actu constituta, seu collocata fuerint, vel ubi devenerint, cessetur eo ipso penitus a Divinis. Quam cessationis Divinorum sententiam contra hujusmodi bona Clericorum decedentium, occupatores, surreptores, ac dissipatores, modo quo præfertur, tenendam præsentibus promulgamus.

IV. Cæterum cum nonnunquam aliquæ personæ Religiosæ de Religiosis etiam Monasterii personis super bonis negociis seu juribus, ad Monasteria, in quibus hujusmodi personæ deputatæ noscuntur, spectantibus, suis consanguineis, laicis & aliis personis laicalibus ipsis faventibus querimonias facere non erubescant, ex quo eorum Prælatis vel confratribus, ac ipsis Monasteriis interdum injuriæ, damna, & gravamina non modica inferuntur, præsentis statuti tenore inhibemus districte, ac in virtute sanctæ obe-

obedientiæ omnibus personis Religiosis, cujuscunque status, sexus, vel conditionis fuerint, ne super bonis vel juribus sive de personis ad Monasteria, in quibus degunt, vel receptæ fuerint pertinentibus, aliquas querimonias faciant aliquibus personis laicalibus, sive sint eorum consanguinei, vel alias amici, per quos dicti eorum Prælati vel Confratres, vel etiam ipsa Monasteria molestari, damnificari quoquo modo valeant, vel gravari. Et si de cætero alicujus personæ Religiosæ occasione Monasterii ejusdem personæ per aliquos laicos, sive suos consanguineos, sive alios amicos aliquæ injuriæ, vel gravamina illata fuerint, sive damna: cum non sit verisimile, quod inimica hujusmodi (a) religiosa persona talia fierent, & ob hoc scrupulo non careat societatis occultæ: volumus, & statuimus, quod dicta persona, cujus occasione talia gravamina seu damna ipsi Monasterio inferantur, eo ipso de hoc, quod querimonias sic inhibitas fecerit, sit convictus, (b) & eo ipso etiam talis persona conquerens a voce & jure Capitulari in suo Monasterio, sine spe restitutionis per triennium sit suspensa, & ultra hoc nihilominus tanto tempore, quantum ipsius Superior & Conventus arbitrati fuerint, & donec juxta eorundem Superioris & Conventus moderationem ac arbitrium pro qualitate excessus fuerit emendata.


V. Iterum, cum per importunitatem Potentium, Monasteria tam Monachorum quam Monialium, Nobis subjecta, in receptione aliquarum personarum præbendis nondum vacantibus, ut per facti experientiam didicimus, interdum nimium prægraventur: inhibemus, & singulis Conventibus Nobis subditis, tam Monachorum, quam Monialium, & singularibus personis eorundem, ne aliquas Præbendas de cætero aliquibus personis conferant, nisi actu sint vacantes: & ne aliquas personas sub expectatione futurarum Præbendarum recipiant, seu aliquas promissiones faciant de ipsis præbendis aliquibus personis, cum vacaverint, conferendis: & ne aliquas etiam petitiones super futuris Præbendis admittant, vel quod admittantur, consentiant, divisim vel communiter quovismodo. Alioquin singulares personas de Conventibus huic nostro statuto non obtemperantes, excommunicationis: Conventus vero suspensionis sententias incurrere volumus ipso facto.

VI. Item quia intelleximus, quod nonnulli ex inordinato affectu, & non ob Dei suorumve Sanctorum venerationem, quorundam Sanctorum Festa, quæ nec Romana Ecclesia, nec Nos vel Clerus aut populus nostræ civitatis & Diœcesis specialiter, & celebriter veneranda duxerunt, ita, quod in ipsis Festis ab operibus mechanicis, quibus conquæritur victus, cessetur, præsumant indicere, ac pro celebribus coli mandare. Unde in virtute sanctæ obedientiæ districte duximus prohibendum, ne quis de cætero Prælatus, vel alius cujuscunque status, præeminentiæ, vel conditionis existat, Nobis subjectus, hujusmodi Sanctorum Festa, in quibus homines ut plurimum, quod cordialiter Nobis displicet, se non Divino cultui, ut deberent, sed voluptati, & ociositati, quæ hostis antiquæ arma fore noscuntur, præbere student, quacunque occasione vel causa, indicere, vel coli, mandare præsumat. Salvis iis Sanctorum Festis, quæ ab antiquo hucusque fuerint in suis locis pro Festis celebribus observata. Datum Treviris, Anno Domini Millesimo trecentesimo trigesimo nono, die prima mensis Junii.

Illmus Hontheimius Historiæ Treverensis Diplomaticæ Pragmaticæ Tom. II, pag. 73, 74, 75.

(a) *forte*: a religiosa persona

(b) *forte*: convicta



CON-

CONCILIUM LUBECENSE

Anno Christi MCCCXLII. Clementis VI. Papæ I. Ludovici IV Regis XXVIII.

Johannis IV. (a) *Episcopi Lubecensis Statutum & Decretum Synodale contra invasores & violatores bonorum & personarum Ecclesiæ Lubecensis.*

QUoniam ad officium pertinet præsidentis, nunc antiquorum observatione; nunc vero editione novorum jurium seu statutorum illicitos ausus malignantium, quam sibi possibile est, refrenare; Nos JOHANNES, Dei gratia, Episcopus Lubicensis, ad reprimendum perversos quorundam conatus Venerabilium Patrum Dominorum videlicet BORCHARDI & HENRICI Episcoporum Prædecessorum nostrorum felicis recordationis vestigiis inhærentes, ipsorum statuta in suis Synodis edita innovamus, & quædam alia pro præsentis temporis qualitate necessaria eis duximus annectenda. Cum enim quamplurimi timore Dei postposito, quod conquerentes referimus, bona nostra Episcopalia invadant, violenter occupent & rapiant, nec non colonis villanis subditisque nostris graves multiplicesque injurias inferant eos capiendo, ipsorum bona & res occupando nomine pignoris, res eorum violenter capiendo, eos bonis & rebus spoliando, equos, boves, oves, & alia pecora eorum in prædam abducendo per onerosas hospitalitates & indebita servitia eos affligendo, & illicitas exactiones & tallias eis imponendo, & hæc frequenter contingant, multisque grassantibus exemplo opus sit, Nos justitiam nostram & Ecclesiæ Lubec. sponsæ nostræ nolentes negligere, de Capituli nostri consilio & assensu IN PRÆSENTI SANCTA SYNODO statuimus, decernimus, & decrevimus, ne quis, cujuscunque status aut conditionis fuerit Bona nostra Episcopalia violenter invadat, occupet, aut rapiat, colonos, villanos, aut subditos nostros capiat, res, vel bona eorum violenter occupet, nomine pignoris res eorum violenter capiat, eos bonis suis spoliet, equos, boves, oves, & alia pecora eorum in prædam abducat per onerosas hospitalitates & indebita servitia eos affligat & illicitas exactiones & tallias eis imponat, nec præmissa sic occupata, rapta, capta, ablata, seu abducta emat vel teneat, nec ad præmissa facienda det consilium, auxilium, vel favorem. Si quis vero contra præsumserit, nisi infra sex dies immediate sequentes, quorum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos pro tertio & perempt. termino & monitione canonica sibi assignamus, occupata, rapta, ablata, seu abducta restituerit, vel de damnis illatis emendam non fecerit competentem, excommunicationi se ipso facto noverit subjacere. Et ne aliquis malefactorum prædictorum statuti ignorantiam seu decreti nostri valeat prætendere, omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus & Vice-Rectoribus per nostram Diœcesin constitutis in virtute sanctæ obedientiæ & nihilominus sub excommunicationis pœna districte præcipiendo mandamus, quatenus ipsorum singuli in singulis Ecclesiis suis singulis diebus Dominicis & Festivis, cum populus convenerit ad Divina, hujusmodi Statutum & Decretum per se publicent, seu per alios faciant publicari. In quorum testimonium sigillum nostrum una cum sigillo Capituli nostri prædicti præsentibus sunt appensa; Nosque Hermannus de Westerbeke Vice-Decanus, & Capitulum dictæ Lubecensis Ecclesiæ sigillum nostrum una cum sigillo dicti Domini Episcopi nostri in testimonium præmissorum præsentibus duximus apponendum. Datum Lubecens. Anno Domini MCCCXLII. tertia die mensis Julii, quæ fuit in crastino profesti Sti. Martiniani.

Cl. Lunig aus des Teutschen Reichs-*Archivs Spicilegii Ecclesiastici.* anderer Theil von Hohen Stifftern.

SYNO-

(a) Joannes von Muhl ex Scholastico Ecclesiæ suæ electus Episcopus anno 1341. fundavit Sacellum in latere Aquilonari Ecclesiæ Cathedralis, obiit peste sæviente A. 1360.

SYNODUS OLOMUCENSIS

Anno Chrifti MCCCXLII. Clementis VI. Papæ I. Ludovici IV. Regis XXVIII.

JOHANNES, (a) DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, EPISCOPUS OLOMUCENSIS: UNIVERSIS ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, ARCHI-DIACONIS, DECANIS, PLEBANIS, VICE-PLEBANIS, ETIAM ECCLESIARUM ET CAPELLARUM RECTORIBUS, TOTIQUE CLERO, ET POPULO, QUIBUSCUMQUE NOMINIBUS CENSENTUR, PER NOSTRAM DIŒCESIM CONSTITUTIS, SALUTEM ET SINCERAM IN DOMINO CARITATEM, ET HIS NOSTRIS CONSTITUTIONIBUS FIRMITER OBEDIRE.

HUmana natura labilis eft ad delicta, & diaboli invidia fuccrefcente confufa eft lex juftitiæ. Unde confiderantes, quod licet fatis provide *per Canonica*, ac deinde *Provincialia*, nec non *Prædecefforum noftrorum ftatuta*, circa reformationem morum Cleri fit provifum; nihilominus, cum nulla conftitutio ad humanæ naturæ varietates, & ejus machinationes inopinabiles fufficit, quin per machinationes humanæ fagacitatis, quæ ad malum prona eft, & multiplices appetitus noxios in fe continet, mentem quandoque fapientum in erroris viam fic abducat, ut nifi lex limitaris tales affectus noxios reftringeret, ex apparentibus potius quam exiftentibus non formidaret. Quapropter fub maxima lucubratione degentes, noctes infomnes ducimus, Omnipotentis Dei auxilium invocantes, pro noftris fubditis, ut ab hujusmodi varietatibus illicitis fibi ipfis confulere faciant abftinendo, ideoque *quasdam noftras Conftitutiones* neceffarias, prout rerum experientia Nos edocuit, *Prioribus* jungentes, non novitatis alicujus conceptione inducti, fe veteribus fulcimenta præbentes, ut in fuis limitibus falubriter perfeverent; *in hac noftra Sancta Synodo*, cui alias auxiliante Deo præfidemus, veftræ caritati ad memoriam duximus adhibendas, mandantes & volentes, ut vos omnes & finguli veftrum eas benigne fufcipientes affectu, eis utamini, de cætero locis & temporibus quibuslibet, nec quisquam fuo, fed in earum limitibus ambulet, & ducatur.

Caput I. De Officio Vifitatoris.

Cum juxta dictum Salomonis, nemo prudentiæ propriæ inniti debeat; fed quilibet in fuis actionibus non fuo fenfu, fed Canonum authoritate duci debeat, & ob hoc lex prodita fit, ut appetitus noxius fub juris regula limitetur, per quam humanum genus, ut alterum non lædat, jus fuum unicuique tribuat, informatur. Statuimus & volumus, quod juxta moderationem factam circa fanctæ Vifitationis Officium per Sanctiff. in Chrifto Patrem & Dominum noftrum Benedictum (b) Pap. XII. per Conftitutionem *fuam novellam*, quæ incipit: *Vas Electionis &c.* (c) finguli quorum intereft, fanctæ Vifitationis Officium exerceant; noftræ autem intentionis exiftat, ut fe regant, & dirigant, fi pœnas in eadem Conftitutione expreffas voluerint evitare.

Caput II. Ut finguli Plebani hæc ftatuta habeant.

Ordinamus, volumus, & fub pœna excommunicationis præcipimus, quod quilibet Archi-Diaconus noftræ Diœcefis infra unius menfis fpatium, fub noftro figillo, eandem Conftitutionem habeat, & eam de verbo ad verbum omnibus Plebanis fui Archi-Diaconatus requirentibus ipfam dare & exhibere modis

(a) Joannes Oczko, ex Prioribus de Wlaffim, Epifcopus Olomucenfis XXIV. ex Præpofito omnium Sanctorum fit Archi-Epifcopus Pragenfis, ac demum Cardinalis titulo XII. Apoftolorum: magna auctoritate Ecclefiam adminiftravit.

(b) Benedictus XII. eligitur Avenione 24. Decembris A. 1334. antea dictus Jacobus Fumerius, A. 1335. VIII. Januarii coronatus. Obiit A. 1342. 25. Aprilis Avenione.

(c) *Extat Extravagantium Commun. L. III. Tit. X. De cenfibus, exactionibus, & procurationibus.*

modis omnibus absque diminutione teneatur, subterfugiis quibuslibet incongruis penitus postergatis.

Caput III. Nemo in alia Diœcesi sine licentia sui Episcopi Ordines accipiat.

Cum jam dudum sacris Constitutionibus laudabiliter sit provisum, quod nullus furtive in Diœcesi aliena ordinatus executionem ordinationum sic perceptorum habeat, nisi per suum Episcopum desuper fuerit prius dispensatum; quia tamen efficax rerum Magistra experientia per facti evidentiam Nos edocuit, quod nonnulli Archi-Diaconi per nostram Diœcesim constituti, improvide, cum tamen id facere non possint, tales tolerant, & eis concedunt literas suas; præsentibus inhibemus, ne quisquam talium per aliquem Archi-Diaconorum, seu Plebanorum nostrorum ad executionem Ordinum sic susceptorum amplius admittatur, nisi de dispensatione Ordinum sic perceptorum per Nos prius facta, per nostras patentes literas eis facta fuerit plena fides.

Caput IV. Ne quis peregrinus ad Officium Ecclesiasticum admittatur sine literis Episcopi.

Sane jam dudum per bonæ recordationis Dominum CONRADUM Prædecessorem nostrum satis provide fuit constitutum, quod nullus de alia Diœcesi per Plebanum, seu Rectorem Ecclesiæ, absque licentia Episcopi Diœcesani pro Vicario recipi debeat, seu permitti Ecclesiastica Sacramenta tractare, etiamsi dimissorias suorum habuerint Prælatorum. Nos tamen propter transgressorum audaciam, ejusmodi Constitutionem innovantes, statuimus: ut nullus de cætero pro Vicario recipiatur, seu ad ministrationem Ecclesiasticorum Sacramentorum admittatur, nisi prius Archi-Diacono loci præsentatus, per ipsum Archi-Diaconum, seu ejus literas patentes, Nobis de novo præsentandus, antequam Divinis se ingerat, digno per Nos examini subjiciatur, an dignus sit ad animarum regimen suscipiendum: nec tunc etiam, cum repertus fuerit idoneus, recipiatur a quoquam, nisi nostris literis receptoriis patentibus nostro sigillo roboratis, fuerit communitus.

Caput V. De Festivitatibus celebrandis.

Plebanorum nostrorum petitio continebat, ut ipsis Pastoralis debiti officium edicere dignaremur, quæ Festa Sanctorum per abstinentiam ab omni opere servili annuatim essent per ipsos eorundem subditis indicenda. Nos eorundem justis petitionibus inclinati, nobiscum, & cum fratribus de nostro Capitulo existentibus deliberatione præhabita diligenti, ipsis ea duximus præsentibus exprimenda: Festum videlicet Nativitatis Domini cum tribus sequentibus diebus, Circumcisio, Epiphania, Conversio S. Pauli, Purificatio, Mathiæ Apost. Annunciatio, Festum Paschæ cum tribus diebus sequentibus; Georgii & Adalberti, Marci Evang. Philippi & Jacobi, Inventio S. Crucis, Ascensio Domini, Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, Festum Corporis Christi, Joannis Bapt., Petri & Pauli, Margarethæ, M. Magdalenæ, Jacobi, Laurentii, Assumptionis, Bartholomæi, Nativitatis gloriosæ Virginis, Matthæi, Wenceslai, Michaelis, Lucæ Evang., Simonis & Judæ, Omnium Sanctorum, Martini, Christini, Nicolai, Andreæ, Thomæ.

Caput VI. De vita & honestate Clericorum.

Cupientes, ne magnus ille voluptatis hortus, quem noster verus Salomon in solio militantis Ecclesiæ plantavit, & a procellosis mundi turbinibus & fluctibus elongavit, vitii aliquid contrahat, sed potius flores & fructus honestatis in eo ubertim succrescant, statuimus: ut omnes Clerici nostræ Civitatis de cætero clerice viventes coronam & tonsuram deferant, vestem quoque talarem, nec nimia latitudine, seu strictione notandam, nec nodulis utantur inter manum & cubitum, calceis quoque perforatis & incisis, cultellis fixitalibus, & desuper argentatis, vel alio metallo circumductis non utantur, nec cingulis sericis notatis: item nec cappas sericas, vel virgulatas deferant, ut & panceria, arcus, & balistas, item nec gladios, nisi in itinere constituti, quos tamen statim, cum ad hospitium venerint, deponant. Verum cum propter transgressorum temeritatem necesse est, ut non solum prohibitione

tione ſimus contenti, ſed etiam pœnas delinquentibus adjiciamus, cum pœna ſuos ſemper debeat tenere auctores. Volumus, ut contra facientes ex tunc, quotiescumque contravenerint, marcam ſolvere teneantur: talem vero Nobis denuntians & legitime probans, ſive Clericus fuerit, ſive laicus, ex prædicta marca unum florenum a Nobis recipiet indilate.

Caput VII. Ne Joculatoribus per Clericum quidquam donetur.

Huic quoque Statuto duximus ſalubriter annectendum, ut nullus Clericorum noſtræ Diœceſis deinceps alicui joculatori, ſeu mimo, ex nuptiis ſibi transmiſſo per aliquem aliquid dare præſumat: contrarium faciens pœnas ſuſpenſionis IV. menſium ab ingreſſu Eccleſiæ incurrat.

Caput VIII. Ne Clerici filiis aut filiabus convivia faciant.

Inſuper etiam prohibemus, ne quisquam Clericorum noſtræ Diœceſis, filio vel filiæ ſuæ, qui eorum potius ſunt pudori, quam honori, nuptias, ſeu in eorum nuptiis convivia habere audeat publice vel privare, cum hæc in grave ſcandalum redundare non ſit dubium; alioquin contra faciens Epiſcopo unam marcam, & Archi-Diacono loci unum fertonem ſolvere ſit adſtrictus, & nihilominus per unum menſem integrum in Eccleſia Olomucenſi in cappa nigra ſtare teneatur.

Caput IX. Ut quilibet Rector ſigillum habeat.

Cœterum, ne prætextu carentiæ ſigilli, quisquam Clericorum noſtræ Diœceſis occaſionem habere poſſit ſuorum Prælatorum mandata non exequi, ſeu provideri eisdem, ſtatuimus ſub pœna unius marcæ noſtræ Cameræ applicandæ, ut quilibet Rector Parochialis Eccleſiæ, vel ejus Conrector, infra duorum menſium ſpatium a publicatione præſentis ſtatuti computandum, habere debeat ſigillum proprium, nomen ſuum & Eccleſiæ ſuæ exprimens, ſi eſt Rector, ſi vero Conrector fuerit, ipſius nomen & cognomen.

Caput X. Ne Clericus haſtiludia exerceat.

Haſtiludia & torneamenta Clerici, qui ſunt in dignitatibus, ſeu ſacris Ordinibus conſtituti, hoc edicto noſtro ſibi noverint perpetuo interdicta, ita quod nulla Eccleſiaſtica perſona cum armis exerceat, & ſi contra fecerint, excommunicationis vinculum eo ipſo incurrant, cujus abſolutionem Nobis reſervamus. Inferioris vero ordinis Clerici, ſi talibus ſe ingeſſerint, eo ipſo, per annum integrum inhabiles ſint ad Eccleſiaſtica Beneficia obtinenda.

Caput XI. Quomodo permutationes fieri debeant.

Frequens & aſſidua multorum inſinuatio noſtris auribus patefecit, & rerum experientia nos edocuit, quod plerique Clerici exquiſitis fraudibus ſua beneficia inſimul permutare molientes, pecunia ſeu alia re interveniente, Simoniacam exercent pravitatem; verum quia iniquum hoc, ſacris Canonibus inimicum vitium tolerari non debet, duximus providendum, quod de cætero permutationes Eccleſiarum nullæ fiant, niſi prius Nobis per Decanum ruralem loci, & duos viciniores & honeſtiores Clericos facta fuerit plena fides, quibus ex cauſis ipſa permutatio fiat, & quod Simonia vel pactio alia illicita non intervenerit ullo modo; alioquin ſub alia forma huic contraria, ſua beneficia per colluſionem dimittentes, & alias Eccleſias ſubintrantes, virtute præſentis ſtatuti, ipſis Eccleſiis ſint privati.

Caput XII. Ne Patroni Eccleſiarum compellant ad permutationes.

Sunt nonnulli etiam Clerici, qui a Patronis, ſive alias eorum Dominis, quibuscunque nominibus cenſeantur, cum pro eorum libitu non faciunt voluntatem, ſive in dando eis, vel faciendo ad nutum eorum exiſtant, coguntur ad beneficia, quæ ſub eis poſſident, permutanda; ex quo gravamina non modica, & pericula in ſpiritualibus & temporalibus exurgunt Eccleſiarum & perſonarum earundem; Nos itaque ad tam deteſtabile vitium extirpandum duximus ſtatuendum, quod Clerici talibus coactionibus non aſſentiant, ſed illos Nobis ſub ex-

excommunicationis pœna denunciare teneantur indilate, Patroni vero talia committentes, jure præſentandi careant ea vice.

Caput XIII. De Feſtivitatibus Patronorum.

Qui ſuſcepto de manu ſupernæ benedictionis præmio in perhennitate gloriæ conſiſtunt ad dextram Dei Patris, devote metuendi ſunt, & omni veneratione colendi ſunt, inter quos Beatiſſimi & Glorioſiſſimi Confeſſores Chriſti CYRILLUS & METHUDIUS, Patres, Apoſtoli, & Patroni noſtri præcipui, qui feliciſſimum noſtræ Eccleſiæ & Diœceſis agrum in vineam Domini DEI Sabaoth converterunt, & palmites multiplicium virtutum, & doctrinam longe lateque in ea extenderunt, fructus uberes proferentes. Volentes autem, ut non ſolum hi Sanctiſſimi, ſed & loca ſuo odore glorificato reſperſa pia & perpetua devotione a Chriſti fidelibus venerentur; ſtatuimus: ut omnes & ſinguli ſubditi noſtri per eosdem Clariſſimos Sanctæ Fidei Plantatores in domum Domini complantati, nobiscum jocunda mente ſuſcipiant, quæ læti referimus; videlicet: ut totus Clerus & populus noſtræ Diœceſis ipſorum feſtum & diem debeant VII. Idus Martii ſolempniter una nobiscum per Divinorum Officiorum celebrationem piis ac bonis operibus recolere & obſervare. Præterea, ut feſtum S. Christini Patroni noſtri, cujus corpus in noſtra Olomucenſi Eccleſia requieſcit, ſolempniter in craſtinum S. Martini ab omnibus Chriſti fidelibus utriusque ſexus noſtræ Diœceſis, ſub pœna excommunicationis feſtivetur, & in Eccleſiis ſub duplici officio obſervetur. Inſuper ſtatuimus & ordinamus, ut feſtum *S. Cordulæ Virginis* annuatim in die *XI. Millium Virginum* ſolempniter feſtivetur, utpote cujus corpus pariter in noſtra Eccleſia Olomucenſi requieſcit.

Caput XIV. De Viſitatione Infirmorum.

Cum ad infirmos extra ſepta Eccleſiæ Corpus Chriſti deportatur, mandamus veneratione ſolita venerari, videlicet: ut Presbyter indutus ſuperpellicio cum ſtola circum collum portet illud ad infirmum, niſi loci diſtantia & temporis qualitas ſecus expoſcat: Clericus vero præcedat cum lumine & campanella, & obviantes genu flectant, & qui devote orationem Dominicam cum Ave Maria dixerint, his XX. dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus Qui vero Sacerdotem ſic ipſum Dominicum Corpus deferentem ab Eccleſia uſque ad infirmum cum lumine conduxerint, & abinde revertenti ſe aſſociaverint, XL. Indulgentiarum dies de Beatorum Petri & Pauli, & Patronorum Eccleſiæ confiſi ſuffragiis, de injunctis pœnitentiis miſericorditer relaxamus.

Caput XV. Ut interdictum ponatur, dum Eccleſiæ deprædantur, & Clerici captivantur.

Licet *Canon Provincialis Statuti* felicis recordationis Domini Gerhardi Archiepiſc. Moguntinenſis ſatis provide ſub excommunicationis jam latæ ſententiæ pœna ſtatuerit, ut quando ſpolium Eccleſiaſticorum bonorum factum fuerit per laicum, vel Eccleſiaſtica perſona ad aliquem locum captiva duci contigerit, ex tunc Sacerdotes hoc ſcientes non expectato ſuper eo Superiorum mandato, abſtinere debeant a Divinis; quia tamen facti nos evidentia edocuit, nondum ad plenum contra temeritatem & audaciam ſpoliatorum & captivatorum prædictorum eſſe proviſum, cum contra hujusmodi Conſtitutionem exquiſitis fraudibus facere moliantur: hinc volumus & ſtatuto præſenti edicimus, ut ad quemcunque locum deinceps prædicti ſpoliatores ſeu captivatores talium perſonarum pervenerint, ſeu declinaverint, vel etiam ipſum ſpolium deductum fuerit, quam diu ibidem permanſerint, eo ipſo ceſſetur a Divinis, donec ipſum ſpolium plene & integre fuerit reſtitutum, aut de ipſo alias congrue ſatisfactum.

Caput XVI. Ne Apoſtatæ recipiantur.

Ut periculoſa rogandi materia ſeu occaſio eo amplius de cætero Religioſis, ſeu ſuæ profeſſionis habitum dimittentibus ſubtrahatur, ſtatuimus: ut deinceps nullus Plebanorum, vel aliquis quicumque Clericus Apoſtatam Ordinis cujuscunque pro ſocio in ſua Eccleſia recipiat, & eum ſcienter retinens, præter pœnam a jure ſtatutam, unam marcam Nobis, & Archi-Diacono loci unum ferto-

nem ſolvere teneatur. Similem quoque pœnam Decanus & Plebanus vicinior hoc ſciens, & hoc Nobis denuntiare diſſimulans, incurrat.

Caput XVII. De Indulgentiis infra Elevationem.

Is, qui in elevatione Hoſtiæ ſalutaris humiliter & devote a tempore Elevationis uſque poſt Elevationem flexerit & inclinaverit, X. dies de injunctis pœnitentiis in Domino relaxamus; ut autem ad præmiſſa Chriſti fideles commodius ſe aptare poſſint & valeant, volumus & mandamus, ut cum ipſa S. Euchariſtia elevatur, iteratis vicibus ſonitus campanæ pulſetur.

Caput XVIII. Ut Dedicatio Olomucenſis Eccleſiæ feſtivetur.

Alma mater Eccleſia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat, quæ poſtmodum ſuadente ſubditorum commodo conſultius & rationabilius revocat in melius, inter alia ſolempnitates Dedicatarum Eccleſiarum per annos ſingulos celebrando, ipſo Domino noſtro exemplum dante, ut qui ad feſtum Dedicationis Templi cum reliquis populis eandem feſtivitatem celebraturis, advenit. Statuimus igitur, ut, non obſtante obſervatione hactenus habita, feſtum Dedicationis Eccleſiæ Sponſæ & Matris noſtræ Olomucenſis, proxima Dominica poſt octavas Corporis Chriſti annis ſingulis ſolempniter celebretur, & ab omnibus Chriſti fidelibus votivis cordibus, & corporalium laborum itineribus ſincera devotione frequentetur. Omnibus autem vere pœnitentibus & contritis ipſam Matrem noſtram Eccleſiam intra octavas Dedicationis frequentantibus ac viſitantibus XL. dies de injuncta eis pœnitentia miſericorditer in Domino relaxamus.

Caput XIX. Ut Plebanus eligat Rectorem.

Quia ſæpe ſuper electione Scholarum Rectoris inter Plebanos & ipſarum Eccleſiarum Rectores ſuſcitatur materia diſſenſionis, ipſam, quantum Nobis eſt poſſibile, tollere cupientes, ſtatuimus: ut Magiſtri Scholarum electio & ordinatio cum fuerit facienda, de cætero libere ad Parochialem Rectorem, ſeu ejus Vicarium debeat perpetuo pertinere, alias electio vel ordinatio de Magiſtro facta, niſi ipſius conſenſus acceſſerit, ſit irrita ipſo facto, nec ipſum, niſi voluerit, pro Magiſtro habere teneatur.

Caput XX. De obventibus Plebani.

Statuimus etiam, quia plerumque ipſis Rectoribus Eccleſiarum ſuarum ad omnia & ſingula incumbentia onera ſupportanda non ſufficiunt facultates, ut nullus de cœtero in aliqua Eccleſia Parochiali noſtræ Diœceſis Magiſter Czechæ, qui alias vitricus Eccleſiæ vocatur, eligatur ſine ſcitu Plebani loci vel Conventoris ipſius, qui etiam debet eſſe fidelis & juratus Eccleſiæ, & ſuum officium fideliter exercere, volentes: ut de ipſis, quæ per ipſum quæſtuando cum tabula per Eccleſiam ex oblationibus Fidelium fuerint comparata in feſtivitatibus ſequentibus, videlicet: Nativitatis Chriſti, Paſchæ, Pentecoſtes, Aſcenſionis, IV. Feſtivitatibus B. Virginis, Dedicationis Eccleſiæ, ſeu Patroni, Plebanus medietatem integraliter trahere debeat, in aliis vero diebus ipſi vitrici ei tribuant juxta conſuetudinem hactenus obſervatam, de relictis quoque pro ornamentis Eccleſiæ, de cera pro luminibus diſponendis, & quidquid ad certum uſum fuerit deputatum, ipſe Rector Eccleſiæ nihil habere debeat.

Caput XXI. Ut Judæi caputia non deferant.

Cum per Sanctorum Canonum Statuta laudabiliter proviſum fuerit, ut Judæi habitum diſtinctum deferant, per quem a Chriſtianis diſcerni poſſint evidenter, quia vero nullus ex hoc, aut rarus fructus provenit, quin imo ipſi Judæi Chriſtianorum habitu utantur diſtincte, quo ingens inconvenientia Chriſtianæ Religioni dignoſcitur provenire; Nos itaque paſtoralis aſtringit ſolicitudo, ut in talibus providere debeamus, ſtatuimus, ut Judex, ſive Advocatus, & Scabini, ſeu Jurati locorum deinceps Judæis Caputia deferentibus ea auferre debeant, alioquin id non prohibentes in vita eorum Eccleſiaſticis careant Sacramentis, & poſt mortem Eccleſiaſtica ſequeſtratura.

Caput

Caput XXII. De Confessionibus.

Sane, licet Bonifacius Papa, sua Constitutione duxerit statuendum, nulla consuetudine introduci posse aliquem, præter sui Superioris licentiam Confessorem eligere, qui eum solvere possit, vel ligare. Ne tamen pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, præsenti Statuto favorabiliter indulgemus, ut Plebanus Sociis, & Socii Plebano, vel Plebani Sociis pluribus in Ecclesia existentibus, unus alterum de confessis sibi peccatis absolvi habeat potestatem, casibus Nobis, vel a consuetudine reservatis, dumtaxat exceptis, dum tamen absolvens illius criminis particeps non fuerit, sive Socius in perpetratione illius; ne verecundia, quæ maxima pars est pœnitentiæ, cessare videatur; quo casu volumus, quod Plebano proximiori confiteri possit. Ratificantes ex nunc ex speciali gratia omnes Confessiones, & absolutiones hactenus factas per quoscunque contra formam Constitutionis præfatæ.

Diligenter collatum cum suo genuino Textu in Archivo Archi-Episcopali Pragensi sub fide mea jurata asservato per omnia concordare testor Pragæ die 7. Octobris A. 1752.

(L.S.) *Wenceslaus Procopius Duchowsky mpp. Ss. Theol. Baccalaureus, formatus Regiæ Cap. OS. SS. in Castro Pragensi Beneficiatus Notarius Aplicus, & Curiæ Archi-Epalis Pragensis Archivarius Juratus.*

CLEMENS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Erectio Ecclesiæ Pragensis in Metropolitanam cum duobus Suffraganeis.

Romanus Pontifex supremæ Majestatis providentia in altissimo dignitatis loco constitutus, ovile Domini suæ curæ traditum, ut ei ex Officio Pastoris incumbit, solicite circumspiciens & custodiens, Ecclesias, earumque rationes commutat, & corrigit, sicut necessitas ipsarum Ecclesiarum, & causæ postulare noscuntur pro ædificatione populi, & salute animarum. Cum sicut Nobis ex una parte a Charissimo Filio nostro Joanne Rege Bohemiæ, Illustri, & Nobilissimo Viro Carolo Marchione Moraviæ Primogenito ejus Filio, coram Nobis, & Fratribus nostris S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus propositum, & reverenter significatum est, (a) Pragensis, & Olomucensis Ecclesiæ, & eorum civitates, & Episcopatus in Regno Bohemiæ siti, spectarint jure Metropolitano ad Archi-Episcopum Moguntinum, civitas vero Moguntina ipsa duodecim circiter dierum itinere exinde distet; ad hæc, quod prædicti Regni incolæ, qui Slavica lingua loquuntur, incolas, qui in prædicto Archi-Episcopatu sunt, non intelligant; Item quod ex Pragensi, & Olomucensi civitatibus & Episcopatibus venientes, per latrones & prædones in viis multa pericula subiverint, & quod magnæ Silvæ, & montes interjaceant, & difficilis sit accessus, & sæpe volentes *Moguntiam* pergere, alias terras transire, & procul circum ire aliis viis, vel ob appellationem, vel ob alias necessitates ab Archi-Episcopo, sicut a Superiore suo, impetrare quærentes, multum laborem, difficultatem, & expensarum damnum pati debuerint; insuper quod ultra hominum memoriam nunquam (nisi semel) prædictæ Ecclesiæ Pragensis, & Olomucensis visitatæ sint; cum bonum Superiorem deceat sibi commissos visitare; sed & hoc magnum inconveniens esse cognoscitur, ut tanta multitudo hominum ab uno tam procul posito regatur. Ex his itaque causis a prædicto Rege, & Filio ejus Primogenito, humiliter rogati sumus, quatenus Pragensem & Olomucensem Ecclesias a tali respectu, dependentia, subjectione Archi-Episcoporum Moguntinorum, & Ecclesiæ Moguntinæ liberare, & hanc Ecclesiam Pragensem in Metropolitanam erigere, & alias Ecclesias in illo Epicopatu, præcipue Olomucensem, Pragensi Ecclesiæ adjungere dignaremur. Nos precibus eorum auditis, volentes in his ordinem certum, & modum servare, & absolutam rerum notitiam accipere, Venera-

(a) *Supple:* quod

nerabili Fratri Bernardo Episcopo Ostiensi, & Dilectis Filiis nostris Bernardo tituli S. Cyriaci, Præfecto Tervisano, ut & Raymundo Ecclesiæ Novæ B. Virginis Diacono, Cardinalibus, vivæ vocis oraculo mandavimus, ut de hac re personaliter, & oretenus meliorem notitiam acciperent, & quod conveniens judicarent, Nobis fideliter aperirent. Itaque per Episcopum Ostiensem & Cardinales, juxta nostram voluntatem informati, cognovimus, justas, & fere evidentes caussas esse eorum petitionis, quod non solum digna res sit, sed etiam omnino necessaria, pro dilatatione præmiorum Dei, & salute animarum. Confidimus enim, quod per hoc multum bonorum salutarium provenire possit, sicut cum Fratribus nostris prædictis diligenter, & sedulo perspeximus, & consilium desuper accepimus, Ecclesiam, civitatem, & Episcopatum Pragensem prædictum, ex consilio Fratrum nostrorum, & ex Apostolicæ potestatis plenitudine, cum certa scientia nostra, ab omni jurisdictione, potestate, & subjectione Archi-Episcopi Moguntini, qui nunc est, & Dilectorum Filiorum Capituli Ecclesiæ Moguntinæ eximentes, & omnino liberantes, & soli Ecclesiæ Romanæ inposterum subjicientes, Pragensem Ecclesiam ad Dei honorem, & gloriam, atque ad exaltationem Fidei Christianæ, & cultus Divini augmentum, & animarum salutem, in Metropolitanam erigimus, & illam dignitatibus, & signis Metropolitanarum Ecclesiarum decoramus, potestate prædicta constituentes, ut hæc Pragensis Ecclesia inposterum pro Metropolitana habeatur, & ejus Pastor Archi-Episcopus nominetur. Dignum etiam est, quandoquidem prædicta Ecclesia ante fuit sicut Filia, & nunc est facta Mater Metropolitana, ut Suffraganeos, & suam peculiarem jurisdictionem habeat, ut ad judicium Archi-Episcopi, qui pro tempore erit, omnes caussæ Suffraganeorum, Episcoporum, & Clericorum, & civitatum, & Episcoporum, & Provinciæ, juxta regulas juris Canonici, referantur. Villam vero Litomisl, qui est locus insignis in Episcopatu Pragensi, ad honorem Nominis Dei, & venerationem, pro ædificatione, & exaltatione in civitatem erigimus, & civitatem facimus; Item Ecclesiam hujus Monasterii Novæ civitatis Ordinis Præmonstratensis, in Episcopalem erigimus, cui ab Episcopo Olomucensi, & etiam a Pragensi aliquæ partes ditionum attribui debent, & sic Olomucensis & Litomislensis Ecclesiæ, & earum civitates, Pragensis Ecclesiæ erunt Suffraganeæ. Nulli itaque hominum liceat &c. Datum Avenione pridie Calendas Maji, Pontificatus nostri anno secundo.

P. Balbinus vitæ Ernesti Lib. II. Cap. III. pag. 97. & seqq.

CONCILIUM ULTRAJECTINUM
SUB JOHANNE (a) DE ARCKEL,
Anno Christi MCCCXLIII. Clementis VI. Papæ II. Ludovici IV. Regis XXIX.

Epistola Ima Synodalis.

JOHANNES, DEI GRATIA, EPISCOPUS TRAJECTENSIS, UNIVERSIS ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, ARCHI-DIACONIS, DECANIS RURALIBUS, RECTORIBUS, CURATIS, AC ALIIS CLERICIS SÆCULARIBUS, AC REGULARIBUS, PER NOSTRAS CIVITATES ET DIOECESIM CONSTITUTIS, QUOS INFRA SCRIPTUM TANGIT NEGOTIUM, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

I. *J. Arckelius revocat varia ante concessa privilegia.*

Quia per ambitiosam importunitatem petentium nonnulli Prædecessores nostri in diversis per suas civitates & Diœcesim constitutis, facultates & licentias concesserunt, a casibus Episcopalibus absolvendi, quibusdam in

in Oratoriis celebrandi, & aliis faciendi Miſſas coram ſe in ſuis caſtris, domibus & habitationibus celebrari, aliquibus ordines interdum ſacros a quocunque antiſtite Catholico recipiendi, nonnullis a ſuis Beneficiis ſeu Eccleſiis reſidentiam exigentibus abſentandi: Quidam etiam quarundam licentiarum, ſententiarum & diſpenſationum Eccleſiæ conceſſarum, & factarum prætextu, interdum & indiſcrete, per alios, qui ſuper his poteſtatem habent, ſe a ſuis Beneficiis reſidentiam exigentibus abſentant: Nonnulli etiam Præpoſiti, & Archidiaconi, & Prælati, ac eorum Officiales & Decani ſuæ poteſtatis terminos amplificantes, & præſumptuoſitate propria excedentes, de noſtra Epiſcopali jurisdictione interdum tota, interdum certis caſibus ſaltem de facto, cum de jure nequeant, ſe intromittant, ex quibus ſæpe contingit animas decipi, jura Parochialia lædi, plures inſufficientes ordinari, Divinum Officium negligi, cultum Divinum minui, & plurima ſcandala ſuſcitari. Nos volentes, ut tenemur, prædictæ dubitationis materiam amputare, omnes & ſingulas facultates, & licentias ſupradictas, perſonis non locis conceſſas revocamus, annulamus, caſſamus & irritamus, & caſſas & irritas eſſe volumus & inanes, easque nullius decrevimus eſſe firmitatis. Inhibentes omnibus & ſingulis Nobis ſubditis, cujuſcunque conditionis & ſtatus extiterint, quibus prædictæ facultates & licentiæ ſunt conceſſæ, ne eorum occaſione attemptetis, ulterius facere ſupradicta, ſed deinceps deſiſtatis penitus ab eiſdem. Monemus inſuper vos omnes & ſingulos Clericos, & Religioſos, & alios, cujuscunque ſtatus & conditionis ſitis, qui a prædictis caſibus Epiſcopalibus, abſque ſpeciali noſtra licentia abſolveritis, & vos prædictos Præpoſitos, Archidiaconos, Prælatos veſtrorum Official. & Decan. qui vos de noſtra juriſdictione Epiſcopali, abſque noſtra ſpeciali commiſſione intromittitis, quatenus infra quindecim dies, poſtquam noſter proceſſus ad veſtrorum notitiam pervenerit, quos pro prima, ſecunda, tertia, ac monitione Canonica vobis aſſignamus, ceſſetis penitus a prædictis, & vos, qui a caſibus Epiſcopalibus abſolvitis, cauſam coram Nobis vel Officiario noſtro infra prædictum tempus oſtendatis & probetis, qualiter abſolvere valeatis a caſibus ſupradictis.

II. *Clericos præcipit reſidere.*

Item monemus vos omnes & ſingulos, in noſtra civitate & Diœceſi Beneficia quamcumque reſidentiam requirentia obtinentes, & ſi quæ in futurum obtinebitis, quatenus infra duos menſes, poſtquam noſter proceſſus ad veſtram notitiam pervenerit, aut poſtquam prædictorum Beneficiorum, quæ in futurum obtinebitis, poſſeſſionem pacificam fueritis aſſecuti, quos duos menſes pro prima, ſecunda, tertia, ac monitione Canonica vobis aſſignamus, ad dicta Beneficia accedatis, perſonalem reſidentiam, etiam juxta Beneficiorum exigentiam ſervitia debita peracturi: aut coram Nobis compareatis cauſam rationabilem, ſi quam habetis, oſtenſuri, quare non teneamini ad reſidentiam antedictam, taliter, quod mereamini a Nobis ſuper hoc teſtimoniales litteras obtinere; quodſi dictis noſtris monitionibus aut alicui earum non parueritis, cum effectu in vos non parentes excommunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis, cujus abſolutionem Nobis impoſterum reſervamus, ad pœnas alias proceſſuri, ſi hoc meruerit protervitas contumaciæ.

III. *Peccata reſervata proponit.*

Verum ne aliquis de Epiſcopalibus, ſeu peccatis, quorum Nobis eſt abſolutio reſervata, ignorantiam valeat allegare, vobis eos & ea præſentibus deſignamus, quæ ſunt numero XIX. prout in ſtatutis per felicis recordationis Dominum GUIDONEM Prædeceſſorem noſtrum.

(*a*) Joannes, Filius Joannis Domini de Arkel, & Ermingardis, Filiæ & hæredis unicæ Ottonis Cliviæ Comitis, a Clemente VI. declaratus Antiſtes Ultrajectinus, a Cardinali Ganzelino Epiſcopo Albanenſi Romæ conſecratus fuit. Circa 1342. inter continua bella præfuit Sedi Trajectenſi annis XXII. ſed anno 1364. per Urbanum V. factus fuit Leodiorum Epiſcopus. Demum Leodii anno 1378. VI. Kal. Aprilis mortuus, cadavere Trajectum ad Eccleſiam S. Martini translato. In ſacris & ſæcularibus Literis non vulgariter erat inſtitutus. *Placentius de Epiſcopis Leodienſibus.*

ſtrum editis, plenius continentur. Et ſunt hæc, homicidia, ſacrilegia, incendia, peccata contra naturam, ſeu Zodomitica, concubitus perſonarum Conventualium in ſacris Ordinibus conſtitutarum. Inceſtus videlicet cum ſanguinea, vel affine, vel cum ea, quæ votum caſtitatis emiſit. Injectiones manuum in parentes, oppreſſiones parvulorum, negligentia parentum in igne vel aqua natos amittentium, veneficia, perjuria ſolemnia, fidei fractores, votorum fractores, ſymonia, adulteria manifeſta, hæreſis, apoſtaſiæ, maleficia eorum, qui maleficiunt conjuges, ne poſſint coire, & qui procurant ſterilitatem mulierum vel abortum. Crimina falſitatis in litteris, ſigillis vel moneta.

IV. *Et pro Concione publicari mandat.*

Mandantes vobis omnibus & ſingulis Curatis noſtrarum civitatum & Diœceſis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quatenus prædictos caſus Epiſcopales quilibet veſtrum in ſcriptis habeat, ipſoſque populo lingua materna, & intelligibiliter publicet quatuor diebus Dominicis continuis, poſtquam ipſe noſter proceſſus ad veſtram notitiam pervenerit, & annis ſingulis duabus Dominicis in Adventu, & tribus Dominicis in XL. Cœterum ut hunc noſtrum proceſſum ad omnium veſtrum notitiam perducamus, ipſum munimine noſtri ſigilli roboratum, valvis noſtræ Trajectenſis Eccleſiæ affigi fecimus, *& in noſtra generali Synodo* publicari. Datum infra noſtram Eccleſiam Trajectenſem, anno Domini MCCCXLIII. feria tertia poſt Cantate.

Heusden Bavaria Sacra pag. 187.

Epiſtola Secunda Synodalis.

Anno Chriſti MCCCXLIV. Clementis VI. Papæ III. Ludovici IV. Regis XXX.

Jubet Regulares, nec prædicare, nec a peccatis præcipue reſervatis abſolvere, niſi legitime ſint admiſſi.

JOHANNES, DEI GRATIA, EPISCOPUS TRAJECTENSIS, UNIVERSIS ET SINGULIS CURATIS, SEU ECCLESIARUM RECTORIBUS IN NOSTRIS CIVITATIBUS ET DIOECESI CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

DUm nonnulli Religioſi noſtrarum civitatum & Diœceſis, extra quatuor Ordines mendicantium, fratres non viſi, nec recepti a Nobis, nec Nobis per eorum Superiores præſentati, aſſerentes ſe per Nos ad infra ſcripta receptos, aut ad ea a Nobis ſpecialem licentiam obtinere, ſe prædicationi populo immiſcent, aut quoscunque a quibuscunque peccatis & commiſſis paſſim in foro pœnitentiali abſolvunt; volentes his fraudibus obviare, mandamus vobis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quatenus prædictos Religioſos ad prædicandum populo & audiendum confeſſiones veſtrorum Parochianorum nullatenus admittatis, niſi noſtrarum litterarum patentium fide exhibeant ſe munitos. Moneatis inſuper publice in Eccleſiis veſtris omnes & ſingulos, primo, 2do, 3tio, quos Nos etiam ſub monitione monemus, quatenus poſt ſex dies poſt publicationem præſentium, ſe prædictis prædicationi & auditioni confeſſionum fidelium minime ingerant, niſi a Nobis viſi & examinati per noſtras litteras meruerint approbari. Quia ſi noſtris dictis monitionibus non paruerint, in non parentes excommunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis, quorum abſolutionem Nobis impoſterum reſervamus. Cœterum *ſupra* &c. Datum anno Domini MCCCXLIV. feria 4ta poſt *Cantate.*

Heusden Batavia Sacra pag. 188.

CONCI-

CONCILIUM PROVINCIALE MAGDEBURGENSE

Anno Christi MCCCXLIV. Clementis VI. Papæ III. Ludovici IV. Regis XXXI.

Feria II. post Dominicam Jubilate.

OTTO, DEI GRATIA, SANCTÆ MAGDEBURGENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, UNIVERSO CLERO EJUSDEM CIVITATIS, DIOECESIS, ET PROVINCIÆ, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

CUm per illud statutum, quod Dominus Archiepiscopus *Burchardus* olim contra eos, qui libertates, bona mobilia, vel immobilia, jura, vel jurisdictiones, ad Ecclesiam pertinentes, auferunt, vel invadunt, aut susceperint, vel detinuerint, vel alios defensaverint, præstando auxilium, consilium, vel favorem, cujuscumque sint Ordinis, præeminentiæ, conditionis, aut status, non sit adhuc sufficienter provisum: quandoquidem Prælati, Canonici, & Clerus nostræ Provinciæ a nonnullis personis perditionis multipliciter adhuc graventur contra Ecclesiasticam libertatem; cum novis morbis antidota conveniat præparari, *Sacri hujus approbatione Concilii* statuimus, quod hi, qui Ecclesias, vel Cœmiteria, ædificia, seu structuras, nec non Curias Canonicorum Ecclesiarum Cathedralium seu Collegiatarum, ac aliorum Clericorum in Immunitatibus, quæ proprie dicuntur *Vryheit*, sive dotibus Ecclesiarum constructas contra Ecclesiasticam libertatem, ac castra, vel munitiones Ecclesiarum, invaserint, impugnaverint, aut violenter occupaverint, vel destruxerint, vel talia fieri mandaverint, vel rata habuerint; ipso facto, si personæ singulares extiterint, sententiam excommunicationis incurrant, & in omnibus locis, ubi de hoc constiterit, per Ecclesiarum Rectores excommunicati publice nuntientur. Si vero universitas fuerit, Ecclesiastico subjaceat interdicto. Specialiter autem in omnibus locis, in quibus personæ singulares prædictæ, vel aliqua persona de universitate prædicta, & eorum complices in maleficio domicilium obtinent, sive de jure, vel de facto jurisdictionem exercent, aut, ubi se receperint, & per triduum post eorum recessum, strictissimum servetur interdictum. Adjicimus etiam, quod si personæ præmissæ infra mensem continue deputandum, satisfactione neglecta, non obtinuerint se absolvi, tunc ab omnibus feodis cadant ipso jure, quæ ab Ecclesia læsa dinoscuntur obtinere. Hæc omnia suprascripta in committentes sacrilegium in personas Ecclesiasticas multo fortius volumus observari.

Præterea hujus *Sacri approbatione Concilii* statuimus, & vobis universis ac singulis sub pœna suspensionis jam latæ, Canonica monitione præmissa, præcipimus, & mandamus: quatenus omnes tam Clerici, quam laici, in terminis Ecclesiarum nostrarum constitutos, cujuscumque dignitatis, nobilitatis, conditionis, aut status existant, publice in vestris Ecclesiis moneatis, ne jurisdictionem Ecclesiasticam, Nuntios, mandata nostra, seu litteras nostras contempnendo,

Otto Avenione anno 1327. a Papa impetraverat Archi-Episcopatum Magdeburgensem, Filius Ottonis Landgravii Hassiæ, & Adelheidis. Anno 1330. civitatem ob cædem Burchardi antecessoris Banno ligatam solvit, ea conditione, ut 36. Senatores urbe exularent, & 6. altaria ædificarentur. Anno 1333. Magdeburgenses cives eidem Homagium præstiterunt erga reversales. Anno 1335. cives Hallenses a cæde Burchardi insontes declarat, & promittit iis absolutorias a Papa. A. 1334. fœdera inita inter Ottonem Archi-episcopum, Capitulum, & civitatem contra inferentes injurias Ecclesiis. Mortuus est Otto anno 1361. 30. Aprilis. Sedit 33. annis.

do, vel quocumque alio modo impedire præſumant, vel Judicum noſtrorum mandata deferentes verberando, offendendo, ſeu capiendo. Alioquin contrarium facientes, ſententiam excommunicationis incurrere volumus ipſo facto, & ab omnibus arctius evitandos, donec vobis de hoc pœnitentia facta conſtiterit, vel aliud mandatum noſtrum vel Judicum noſtrorum ſuper hoc receperitis, in veſtris Eccleſiis publice nuntietis, quousque a ſententiis excommunicationis hujusmodi per Nos, vel Judices noſtros fuerint legitime abſoluti. Adjicimus inſuper, quod quilibet Epiſcopus in ſua Diœceſi, prout ſibi videbitur expedire, ſuper hoc Statutum hujusmodi valeat diſpenſare.

Datum *Caluis in Concilio Provinciali*, Anno Dom. MCCCXLIV. Feria II. poſt Dominicam *Jubilate*.

Clar. Lentzen pag. 321. habet confœderationem Archi-Epiſcopi, & Capituli Magdeburgenſis contra civitatem, ſed *Concilii* non meminit *in Hiſtoria Diplomatica Magdeburgenſi.*

BALDUINI, Archi-Epiſcopi Treverenſis,

Statutum de feriis vindemiæ & meſſis moderandis, in Capitulis Collegiatarum & Monaſteriis

STATUTUM MAURICIANUM. (a)

BALDUINUS, DEI GRATIA, &c. AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

DUdum, quod dolentes referimus, abolendæ conſuetudinis de novo in noſtram deductæ notitiam, in Divinorum obſequiorum diminutionem, Cleri opprobrium, & Eccleſiarum non modicum detrimentum, vergens morbus irrepſit: quod videlicet quarundam Eccleſiarum noſtræ Diœceſis Decani, & Capitula, nec non Clerus & Miniſtri earundem, ſub prætextu, & occaſione feriarum, ob neceſſitates hominum a jure, & a Sanctis Patribus indultarum, *a feſto Beati Mauricii*, continue *uſque ad feſtum Omnium Sanctorum*, ſingulis annis, nec choros ad pſallendum Altiſſimo frequentare, nec Divinis curant intereſſe officiis: propter quod etiam novelli Scholares, & alii doctrinis ſcholaſticis imbuendi, laſciviendi importunitate aſſumpta, quaſi licenter incipiunt, nec deſinunt, durante hujusmodi tempore evagari. Cum igitur perverſitatibus hominum, qui nec ſciunt a vetitis, & prohibitis abſtinere, nec debito modo gaudere conceſſis, non ſit aliquatenus indulgendum, attendentes quoque, quod error, cui non reſiſtitur, approbari videtur: Nos ex commiſſo Nobis Paſtoralis officii regimine, hujusmodi perverſitatis morbum noſtris temporibus penitus exulari, & exterminari votis ardentibus cupientes, deliberatione matura præhabita ſtatuendum duximus, & ſtatuimus in iis ſcriptis: Quod de cætero anno quolibet Decani Eccleſiarum de conſilio Capitulorum ſuorum, aut Capitulum repræſentantium, (b) qualitate temporum, & maturitate vindemiarum conſiderent attentius tempus hujusmodi feriarum, quoad hoc duntaxat, ut Clerus ipſarum Eccleſiarum ipſis feriis gaudere valeat, pro vinis colligendis, aptius, & congruentius uno anno prius, altero autem tardius, juxta exigentiam vindemiarum & temporum, in quo vina colligenda ipſis Eccleſiis (c) a prope ſituata vix poſſint recolligi, torqueri, & vaſari, citius & brevius, quo fieri poterit, moderentur, ſtatuant, limitent, & inducant. Hoc ſtatuto nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ,

(a) Prava conſuetudo in Collegiis Canonicorum per id tempus inoleverat, qua Clerus a feſto die S. Mauritii uſque ad SS. Omnium celebritatem Divinis interquieſcentibus Officiis, vindemiarum prætextu ferias agere, & pſalmodiam omittere ſolebat. Huic erroneo mori corrigendo hoc interdictum edidit Archi-Epiſcopus Berncaſtelli 16. Septembris. *Browerus & Maſenius in Annal. Trevirenſ. Tom. II. pag.* 215. *ad h. a.*

(b) *adde*: pro qualitate (c) in locis remotioribus ab Eccleſia ſita.

dientiæ, & ſub excommunicationis pœna, univerſis & ſingulis, quos hoc præſens noſtrum ſtatutum concernere, aut tangere poterit, diſtrictius inhibentes, ne quiſquam citra vel ultra tempus per Decanos Eccleſiarum pro vindemiarum feriis, ut præmittitur moderandum, & limitandum, ab Eccleſia ſua abeſſe, & chorum, & Divina Officia non frequentare, ſeu ſe a Divinis Officiis, & Horis Canonicis abſentare occaſione feriarum, aut occupatione vinorum quovis modo præſumat: niſi ſuper hoc a Nobis, aut a noſtrarum Curiarum Treverenſis & Confluent. Offic. aut a Decano proprio impetrata licentia potiatur. Sed omnes unanimiter ſtudeant, ſicut aliis temporibus, Divinis Officiis intereſſe, & pueri ſcholaſticis inſiſtere diſciplinis. Quod ſi quis Decanorum prædictorum indictionem & limitationem feriarum hujusmodi obmitteret, aut quivis alter Clericus præmiſſorum contrarium faceret, contra præſens noſtrum rationabile, & ſalubre ſtatutum temere veniendo, ſe per tres menſes integros a perceptione fructuum ſui beneficii, quod indebitè ſuis defraudatur obſequiis, noverit auctoritate hujusmodi ſtatuti, ipſo facto fore ſuſpenſum, fructibus hujusmodi ſuſpenſionis tempore provenientibus ad uſus pios per Nos, & noſtros in hac parte Commiſſarios, prout expedire viſum fuerit, convertendum: nec poſſit aliquis hujusmodi ſuſpenſionis ſententiam tollere, niſi Nos, & noſtri ſpeciales Commiſſarii in hac parte. Idem quoque per omnia, & quoad moderationem & indictionem feriarum, gratiâ *meſſium* colligendarum, & quoad Monaſteria quorumlibet Ordinum Nobis ſubjecta, ne in eis circa præmiſſa, aut eis ſimilia, fiat exceſſus, volumus, & præcipimus inviolabiliter obſervari. Conſuetudine contrariâ, quæ in hac parte potius dicenda eſt corruptela, aliquatenus non obſtante. In quorum omnium evidentiam, ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum Berencaſtell. die XVI. menſis anno MCCCXLIV.

Illmus Hontheimius Tom. II. Hiſtoriæ Treverenſis Diplomaticæ pag. 80. 81.

Diploma CLEMENTIS VI. quo Pragenſis Eccleſiæ in Archi-Epiſcopalem Erectio confirmatur, & quibus diebus Archi-Epiſcopus Pallio uſurus ſit, declaratur.

CLEMENS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

ATtendentes Pragenſem Eccleſiam magnæ titulo dignitatis inter aliarum partium Eccleſias præfulgere, rationabile fore conſpicimus, ut Ipſam Pragenſem Eccleſiam, & Archi-Epiſcopos, qui pro tempore inibi præfuerint, ſpiritualibus gratiarum largitionibus, in iis potiſſime, quæ ad ſuum decus, & decorem ex ipſius Eccleſiæ excellentia dignitatis pertinent, honoremus. Nuper ſiquidem ſuadentibus rationabilibus cauſis, eandem Pragenſem Eccleſiam, olim Suffraganeam Eccleſiæ Moguntinenſis, ac tunc de Provincia Moguntina exiſtentis, & Venerabili Fratre noſtro Arneſto Epiſcopo olim Pragenſi, in Archi-Epiſcopum Pragenſem electo, regimini ejusdem Pragenſis Eccleſiæ Præſidente, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis in Archi-Epiſcopalem, & Metropolitanam ereximus, & honoribus ac inſigniis Sedis Metropolicæ duximus decorandam. Et attendentes, quod ipſe Arneſtus in ejusdem Eccleſiæ regimine, dum Epiſcopalis exiſtebat, hactenus ſe geſſit fideliter & prudenter; & quod illud inpoſterum attentius gereret, præfatum Arneſtum ipſi Eccleſiæ Pragenſi in Archi-Epiſcopum præfecimus & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius eidem Arneſto in ſpiritualibus committendo, ſibique deinde Pallium, inſigne videlicet plenitudinis Pontificalis a Nobis ex parte ſua humiliter poſtulatum, duximus concedendum. Ut autem idem Arneſtus, & ejus Succeſſores Archi-Epiſcopi Pragenſes, qui erunt pro tempore, eo licentius Pallio uti poſſint, quo ſpecialiori Apoſtolicæ Sedis ſuper hoc fuerint privilegio communi-

ti', ipſius Arneſti ſupplicationibus inclinati, eidem Arneſto & Succeſſoribus ſuis præfatis, ut in ipſa Pragenſi & aliis ſuæ Pragenſis provinciæ Eccleſiis, videlicet in Nativitate Domini, & S. Joannis Evangeliſtæ, S. Stephani, & Circumciſionis ac Epiphaniæ Domini, Ramispalmarumque & Cœnæ Domini, Sabbato Sancto, tribus diebus Reſurrectionis, nec non in Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes, Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ, & omnium Apoſtolorum, & quatuor B. Mariæ Virginis, in commemoratione omnium Sanctorum, & S. Michaelis Archangeli, & Eccleſiarum Dedicationibus, ac in principalibus ipſius Pragenſis Eccleſiæ Feſtivitatibus, & die Anniverſarii conſecrationis ipſius Arneſti, & Eccleſiarum provinciæ Pragenſis prædictæ, ubi ipſum Arneſtum, vel Succeſſores ejus prædictos intereſſe, & Miſſarum ſolennia celebrare contigerit, principalibus Feſtis; & etiam in conſecrationibus Epiſcoporum, & ordinationibus Clericorum, in Abbatum & Abbatiſſarum, & Monialium benedictionibus, Pallio alias ei rite conceſſo, & etiam aſſignato, uti licite valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum apud Villam novam Avinionenſis Diœceſis. 8. Kal. Septembris anno III.

Balbinus in vita Erneſti primi Archi-Epiſcopi Pragenſis pag. 93.

Joannis de Arckel, Epiſcopi Ultrajectini, Epiſtola tertia Synodica.

Anno Chriſti MCCCXLV. Clementis VI. Papæ IV. Ludovici IV. Regis XXXII.

SEGERUS, CANONICUS TRAJECTENSIS, REVERENDI IN CHRISTO PATRIS AC DOMINI, DOMINI JOHANNIS, EPISCOPI TRAJECTENSIS, IN REMOTIS AGENTIS, IN SPIRITUALIBUS VICARIUS GENERALIS, OMNIBUS, QUOS INFRA SCRIPTUM NEGOTIUM TANGIT, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

A. „ AUctoritate Domini noſtri Epiſcopi Trajectenſis prædicti, omnes & ſingulos Clericos huic Synodali Congregationi intereſſe debentes per ſe, vel per Procuratores idoneos, hic non comparentes, contumaces reputamus, & monemus eosdem, ut infra quindecim dies a die præſenti proxime futuros, Domino noſtro Epiſcopo & nobis ad opus ipſius de hujusmodi contumacia ſatisfaciant. Alioquin ipſos & quemlibet ex eis ex tunc in his ſcriptis ſuſpendimus a Divinis, niſi medio tempore excuſationem legitimam prætenderint, & probaverint coram nobis.

B. „ Eadem auctoritate omnes & ſingulos Abbates, Præpoſitos, Archidiaconos, Decanos, Proviſores, Eccleſiarum Rectores, Curatos & Clericos civitatis & Diœceſis Trajectenſis, Synodali jurisdictioni dicti Domini noſtri Epiſcopi Trajectenſis ſubjectos, citamus peremptorie, ut feria tertia proxima poſt Dominicam, qua cantatur *Cantate*, ſub anno Nativitatis Domini, ſcil. 2da hora Synodi, vel quaſi, cum horis & diebus ſequentibus uſque ad conſumationem ipſius, in Eccleſia Trajectenſi ſufficienter compareant ad audiendum & proſequendum, quæ propter neceſſitates Eccleſiaſticas ibi fuerint proponenda.

C. „ Eadem authoritate Decreta Apoſtolica, Canones, Eccleſiaſticas Conſtitutiones Concilii generalis, Statuta Provincialia & Synodalia Domini noſtri Epiſcopi prædicti, & Anteceſſorum Epiſcoporum Trajectenſium, quæ omnia & ſingula hic pro lectis inſunt, notata & publicata haberi volumus, & Eccleſiaſticas cenſuras ipſis annexas vobis innovamus, inſinuamus, & publicamus, & per vos obſervari in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus.

D. „

D. „ Eadem auctoritate absolutiones tam Clericorum, quam laicorum, qui suspensi, interdicti vel excommunicati, Divinis audiendo officiis interessendo, eisdem sic ligati se intermiscuerint; Domino nostro Episcopo & Pœnitentiariis suis Generalibus specialiter reservamus.

E. „ Eadem auctoritate omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus & eorum loca tenentibus inhibemus, ne homicidas voluntarios in casibus illicitis ad communionem Altaris admittant, nisi prius Episcopali auctoritate reconciliati fuerint Ecclesiasticæ unitati.

F. „ Item omnes & singulas commissiones Provisorum, nec non absolutionum casuum Episcopalium, nec non quæstorum, seu quæstuariorum, quibus Sigillum Capituli Trajectensis non appendet, tenore præsentium revocamus.

G. „ Item omnes debitores Domini nostri Episcopi occasione sui moderati subsidii monemus, ut infra XV. dies nobis ad opus dicti Domini nostri de hujusmodi debitis satisfaciant.

H. „ Alioquin ipsos, qui hujusmodi monitioni modo non paruerint, extunc excommunicationis sententia innodamus.


I. „ Eadem auctoritate negotium fabricæ Trajectensis, juxta tenorem privilegiorum & indulgentiarum ejusdem Ecclesiæ vobis, & cuilibet vestrum in virtute sanctæ obedientiæ committimus, & præcipimus fideliter prosequendum.

K. „ Eadem auctoritate monemus omnes & singulos debitores dictæ fabricæ, ut infra mensem proximum a die præsenti, ipsi fabricæ de hujusmodi debitis satisfaciant. Alioquin quemlibet ex ipsis excommunicationis sententia in his scriptis innodamus.

L. „ Eadem auctoritate omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus præcipimus & mandamus, quatenus singulis mensibus, uno die Dominico populo suo publice insinuent, quod Reverendus Pater, Dominus noster Episcopus prædictus & Antecessores sui Episcopi Trajectenses injusta quæsita, si nesciatur, quibus reddenda sint de jure, usui dictæ fabricæ, per civitates & Diœcesim Trajectensem legitime deputarunt, quodque nulli hujusmodi quæsita tradere, vel recipere liceat, nisi fabricæ antedictæ, quia felicis recordationis Clemens Papa V. in *Concilio Viennensi* omnia & singula privilegia, quibuscunque locis, Ordinibus vel personis, super receptione hujusmodi male quæsitorum concessa, specialiter revocavit & inhibuit, ne se quomodolibet intromittant de eisdem, ipsosque ad hoc ordinariæ jurisdictioni subjecit, quocunque exceptionis privilegio non obstante: propter quod in virtute sanctæ obedientiæ inhibemus, ne contra præmissa quisquam hujusmodi male quæsita alicui, quam dictæ fabricæ restituat vel recipiat; alioquin post trium dierum monitionem, ut ex nunc, præmissam excommunicationis sententiam in rebelles ferimus in his scriptis: quodque hujusmodi quæsitorum restitutio & dispositio eorundem, de jure ad solos Episcopos in suis Diœcesibus dinoscitur pertinere.

M. „ Eadem auctoritate omnes & singulos dolose dictæ fabricæ negotio detrahentes, nisi infra sex dies resipuerint, ipsique fabricæ satisfecerint, ab ingressu Ecclesiæ & Divinis suspendimus in his scriptis. Absolutiones vero dictarum sententiarum Ecclesiæ dictæ fabricæ latarum Provisoribus ipsius fabricæ indulgemus. Mandamus etiam omnibus Provisoribus & Decanis, ut præsentis processus, quem ex mandato Domini nostri prædicti sigillo signavimus, & valvis Ecclesiæ Trajectensis affigi fecimus, copiam recipiant, per terminos suorum Decanatuum, quam citius poterunt, publicare procurent. Datum anno Domini MCCC XLV. mensis Aprilis die XXVI.

Heusden Batavia Sacra pag. 188.



Joannis de Arckel, Episcopi Ultrajectini,

Epistola quarta Synodica.

Anno Christi MCCCXLVI. Clementis VI. Papæ V. Ludovici IV. Regis XXXII.

De Monialibus & cæteris.

JOHANNES, (*a*) Dei gratia, Episcopus Trajectensis, ut subditis nostris, præsertim sub regulari militia in virginitatis proposito agnum, quocunque ierit, stolis incorruptibilibus amictis sequentibus, retrospiciendi lubricum remediis congruis auferamus, antiquorum & novorum Apostolicorum censuram Canonum recensentes, impudicas detestabilesque personarum Monacharum civitatis & Diœcesis, quæ abjecto proposito sanctitatis sacrilega se contagione miscuerunt, & de illicitis complexibus filios procrearunt, aut alias fidem castitatis, qua cœlesti sponso se donaverint, incestuosis contactibus irritarint, & de his per evidentiam rei, vel confessionem propriam seu definicionem, secundum Monasteriorum suorum consuetudinem, in notionem publicam deducuntur, ipsasque præter alias pœnitentias, quas per consuetudines vel statuta eorum Conventuum tractatu communi & voce Capituli perpetuo segregamus, scil. secundum consuetudinem Bonifacianam, in suis Monasteriis, sub perpetua Clausura manentes, & tantum facinus continua lamentatione deflentes, Purgatorio igne decoquantur.

Masculis (*b*) vero cujuscunque status, religionis aut conditionis existant, cum quibus scelus tam illicitum perpatrarint, in Clausuras hujusmodi accessum interdicimus. Monachos & masculos prædictos, qui præmissa, & præmissorum aliquid effectualiter non servaverint, & nihilominus omnes & singulos, qui cum Monialibus etiam occulte non verentur concumbere, Omnipotentis Dei authoritate confisi, præsenti statuto excommunicationis sententia innodamus.

Præterea difformitatem rituum circa reventias Festivitatum, & dierum celebrium Domini nostri Jesu Christi, nec non Gloriosæ Virginis Matris Mariæ, & Sanctorum ipsius, quam in civitatibus & Diœcesi nostris irrepsisse, & nonnulla scandala & schismata suborta cognovimus, Nos qui unum Deum, unam Fidem, unum Baptisma, & unam Ecclesiam confitemur, ad conformitatem ducere cupientes, dies & Festivitates infrascriptas, omnibus & singulis subditis nostris præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, Festivas & celebres, (*c*) & a quocunque servili opere vacantes perpetuis temporibus observare, & in eisdem piis ac devotis actibus insudare, nisi tanta necessitas suadeat, quæ super his per suos Superiores ex causis hujusmodi in minoribus etiam Festivitatibus dispensetur, videlicet, dies Natalis Domini, Sanctorum Stephani, Johannis Evangelistæ, & Innocentium, Circumcisionis, & Epiphaniæ Domini, Sanctorum Pontiani, & Agnetis, Conversionis Pauli, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, & Conceptionis Mariæ, & Visitationis Mariæ, Cathedræ, & ad Vincula Petri, Mathiæ, Gertrudis, Resurrectionis Domini, & trium dierum sequentium, Philippi & Jacobi, Inventionis, & Exaltationis Sanctæ Crucis, Ascensionis Domini, Pancratii, & Servatii, Bonifacii, Odulphi, Pentecostes, & trium dierum sequentium, Sacramenti Corporis Domini, Nativitatis & Decollationis Johannis Baptistæ, obitus & Translationis Lebuini, Passionis Petri & Pauli, Translationis & Obitus Sancti Martini, Mariæ Magdalenæ, Jacobi majoris, Laurentii, Bartholomæi, Lamberti, Mathæi, Mauritii, Michaelis, Remigii, Victoris, Simonis & Judæ, om-

(*a*) *Johannes Episcopus animadvertit in Moniales incestuosas.*
(*b*) *Earumque complices Monachos, aut alios masculos.*
(*c*) *Atque ut conformitas rituum sit in Festis celebrandis, ea sigillatim & copiose præscribit.*

omnium Sanctorum, Commemorationis Animarum, Willibrordi, Catharinæ, Andreæ, Nicolai, & Thomæ, nec non omnes dies Dominicos per anni circulum, quos omnes & singulos, ut supra dictum est, Festivos & celebres præcipimus observari, in quorum testimonium has literas valvis Ecclesiæ nostræ Trajectensis affigi fecimus, & Sigilli nostri munimine roborari. Actum *in Synodo nostra* feria 3tia post *Cantate*. Anno Domini MCCCXLVI.

Heusden Batavia Sacra pag. 188.

Joannis de Arckel, Episcopi Ultrajectini,

Epistola quinta Synodica,

ANNO CHRISTI MCCCXLVII. CLEMENTIS VI. PP. VI. LUDOVICI IV. REGIS XXXIII.

De solutione diversorum dubiorum.

JOHANNES, Dei Gratia, &c. Omnes & singulos Clericos huic Synodali, *Quære A.* Item omnes & singulos Abbates & Præpositos, *Quære B.* Item decreta Apostolica Canonum, *Quære C.* Item absolutiones tam Clericorum quam laicorum, *Quære D.* Item omnibus & singulis inhibemus, ne homicidas voluntarios, *Quære E.* Item omnes & singulas commissiones Provisorum, nec non super absolutione &c. *Quære F.* Item omnes debitores Domini nostri Episcopi, *Quære G.* Item eadem auctoritate negotium fabricæ, *Quære I.* Item eadem authoritate monemus, *Quære K.* Item eadem auctoritate omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus præcipimus & mandamus, quatenus singulis mensibus uno die Dominico, *Quære L.* Præterea cum nonnulli Ecclesiarum Rectores subditi nostri supra infra scriptis articulis se rationabiliter dubitare proponant, (*a*) & se de his per Nos certificari humiliter supplicarunt.

Primo, An cum Festum Annuntiationis Dominæ transfertur populis ad celebrandum & jejunandum, utrum homines, qui ex voto tenentur, translato tempore teneantur?

Secundo, An Presbyteri Parochiales ex privilegio nostro vel Antecessorum nostrorum, ad usus fabricæ Ecclesiæ nostræ Trajectensis possint vota aliqua commutare?

Tertio, Cum per statuta Synodalia absolutiones adulteria committentium, sint Episcopo reservatæ; an solutus vel soluta cum conjugato vel cum conjugata adulterium committere censeatur?

Quarto, An aliquibus clandestine contrahentibus, cum propter hoc per statuta Synodalia in excommunicationis sententia sint innodati; an parentes contrahentium hoc mandantes, vel cum prohibere possint, non prohibentes, vel alii hujusmodi contractui interessentes, simili ligentur sententia, & an Curati eorum tales parentes & interessentes possint absolvere?

Quinto, An temporibus, quibus Matrimonium celebrare prohibetur, Rectoribus Ecclesiarum, liceat banna pro contrahere volentibus & proponere, & bannis propositis liceat infra idem tempus matrimonium contrahere, & postea licito tempore dictum matrimonium in facie Ecclesiæ solemnizare, sine nota inobedientiæ, vel clandestinæ, vel excommunicationis sententiæ antedictæ?

Sexto, An Curatis in casibus Nobis reservatis omnino occultis liceat absolvere suos subditos confitentes, non obstante reservatione prædicta, quæ inter occulta & manifesta distinguit?

Septimo, Cujus ætatis esse debeat, qui extrema Unctione infirmorum Oleo inungetur?

Octavo, Quot vicibus, vel quantis interstitiis cuilibet liceat sic ungi?

Nono, An post confectionem novi Chrismatis, Olei Sancti, & infirmorum, alicui Presbytero antiquo uti liceat?

Solu-

(*a*) *Varia dubia J. Arckelio proposita.*

Solutiones dubiorum.

AD quæ ſigillatim ſtatuendo, & decernendo reſpondemus. *Ad primum* videlicet, quod Feſtum Annuntiationis prædictum in jejunio, & Divinorum obſervatione, ac operum ſervilium vacatione, ipſo tempore translatum ſe-vari & celebrari debebit, nec quis ad iterationem eſt obligatus, niſi ſpecialiter hoc voviſſet. Et idem (*b*) de Feſto Beati Matthiæ dicimus, quod quandoque propter cauſas aliquas transferri conſuevit. De Feſto Nativitatis Dominicæ, cum in ſexta feria venerit, obſervari precipimus, quod Canones ſtatuerunt. *Ad ſecundum reſpondemus*, quod quamvis olim dicta fabrica hujuſmodi privilegium dicitur habuiſſe, hoc ipſi tamen ex certis caſibus non indulſimus: ſed ut in votis ſimplicibus violatis poſſint abſolvere, non tamen diſpenſare vel commutare, quod Nobis, & noſtro Generali Pœnitentiario ſpecialiter reſervamus. *Ad tertium reſpondemus*, quod quanquam de acceptione ſtricta ipſius vocabuli, adulterium dicatur committere, qui thorum alterius violat, nec mulier habere thorum dicatur; interpretamur propter peccati communionem & malitiæ paritatem non conjugatam cum conjugato adulterium committere. De conjugata vero & ſoluto dubium non exiſtit. *Ad quartum reſpondemus*, quod parentes hujuſmodi mandantes & prohibere valentes, & alii opem, vel operam præſtantes clandeſtino contractui, tanquam in crimine participantes, juris ligantur ſententia, nec per Curatos abſolvi poſſint ab illa. Alii vero intereſſentes tanquam pro nuptiis celebrandis, minori ligantur ſententia, a qua poſſint per ſuos proprios Sacerdotes abſolvi. *Ad quintum reſpondemus*, illud de jure licere, cum ſola matrimonii ſolemnizatio, & benedictio Eccleſiæ duntaxat ſint certis temporibus interdictæ. *Ad ſextum dicimus*, quod tam in occultis, quam in manifeſtis, in dictis Statutis Synodalibus expreſſis Epiſcopis Trajectenſibus eſt reſervata, & Curatis abdicata abſolvendi poteſtas. *Ad ſeptimum reſpondemus*, (*c*) quod cum ex quo quis doli capax eſſe reperitur, vel pubertati proximus peccare poterit, poteſt & inungi. *Ad octavum reſpondemus*, quod quia hoc in jure cautum non reperimus, hoc ipſorum Curatorum arbitrio duximus relinquendum, etiam conſideratione habita perſonarum decumbentium & deſideriis earundem, temporum quoque & circumſtantiarum, Sacramentum ſæpius vel rarius, ne vileſcat propter frequentiam, hoc impendant. *Ad nonum dicimus*, quod uti non liceat poſt confectionem novi, veteri Chriſmate & Oleo ſacro.

Immo (*d*) in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis, quam in modum ſtatuti in his ſcriptis ferimus in rebelles, prohibemus, ne quis ſubditorum noſtrorum, poſt diem Cœnæ Domini quovis modo, vel quocunque modo neceſſitatis, ſine noſtra licentia ſpeciali utatur veteri Chriſmate, vel Oleo ſacro, & ſub eadem pœna præcipimus eisdem, ut eadem die Cœnæ Domini annis ſingulis hujuſmodi vetus Chriſma & Oleum igne conſumant.

Cæterum cum propter ingentem Nobis & Eccleſiæ noſtræ neceſſitatem, ad præſens dictæ noſtræ *Synodo* intereſſe perſonaliter nequeamus, de circumſpecta diſcretione dilectorum Nobis Dominorum Henrici, Sancti Johannis Officiarii noſtri Trajectenſis, & Hugonis Sanctæ MARIÆ Decani, Hugonis Unſtici, & Suederi Uterloë, majorum Canonicorum Eccleſiarum Trajectenſium confiſi, ipſis & eorum cuilibet in ſolidum tenore præſentium committimus & mandamus, quatenus voce noſtra dictæ *noſtræ Synodo* interſint hac vice. Hæcque ſtatuta, mandata, & declarationes noſtras inſinuent, & promulgent, Synodalia quoque, pro ut ad Nos pertinent, exequantur, & obſervent, faciantque, quod decreverint, per Eccleſiaſticam cenſuram firmiter obſervari. In quorum omnium teſtimonium has literas ſigillo noſtro fecimus communiri. Datum anno Domini MCCCXLVII. menſis Aprilis die XXVI.

Heusden Batavia Sacra pag. 190. - 191.

(*b*) *Quibus hic ſatisfacit.*
(*c*) *Sigillatim edicit, quod ex quo aliquis doli capax cenſetur, ungi poſſit.*
(*d*) *& quod confecto novo, veteri Chriſmate vel Oleo uti non liceat.*

Joan-

Joannis de Arckel, Episcopi Ultrajectini, Epistola sexta Synodica.

ANNO CHRISTI MCCCXLVIII.

Suederus Uterloë, Vicarius Generalis Johannis Traject. Episcopi, antecessorum Traject. Episcoporum Statuta confirmat.

SUEDERUS UTERLOE, CANONICUS ECCLESIÆ TRAJECTENSIS, REVERENDI IN CHRISTO PATRIS, AC DOMINI NOSTRI, D. JOHANNIS EPISCOPI TRAJECTENSIS IN REMOTIS AGENTIS, IN SPIRITUALIBUS ET TEMPORALIBUS VICARIUS GENERALIS.

N. „UNiversis & singulis Clericis &c. Auctoritate Domini nostri Episcopi & Vicariatus prædicti Constitutiones Canonicas, & præsertim Concilii generalis, nec non Statuta Provincialia olim per bonæ memoriæ HENRICUM Archi-episcopum Coloniensem in Concilio suo Provinciali edita, nec non Synodalium Reverendorum Patrum Episcoporum Trajectensium vobis insinuamus, & præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ fideliter observari. Cum etiam in tantum excreverit quorundam pertinacia laicorum, quod processus, monitiones, & denunciationes Ordinariorum, contra dictorum Statutorum exigentiam, per secularis potestatis abusum impediant, ne ipsi processus, monitiones, denunciationesque in ipsorum præsentia, vel alias valeant publicari; & ne ex hujusmodi malitia videantur commodum reportare, decrevimus Rectores Ecclesiarum Parochialium, & alios Clericos civitatis & Diœcesis Trajectensis, ubi præmissa contigerint, vel contingent, ad sententiam excommunicationum, interdictorum, & Divinorum cessationem, juxta ipsorum Statutorum tenorem, observantiam effectualiter teneri, ac si processus, monitiones, & denunciationes prædictæ in ipsorum laicorum præsentia fuissent executioni mandatæ, quas etiam sententias sub pœnis in eisdem statutis contentis, vobis præcipimus observare.

O. „ Quia vero nonnulli minus idonei per importunitatem, a dicto Domino nostro, & Nobis super audiendis confessionibus, absolutionem impendendis, & pœnitentiis injungendis, in casibus dicto Domino nostro, de jure, vel per statuta, vel alias reservatis facultatem receperunt, nos de præmissis aliter disponere, favente Domino intendentes, omnes commissiones per Dominum nostrum JOHANNEM, (a) vel per Nos super præmissis, sub quacunque forma verborum, vel quibuscunque non obstantibus clausulis, vel quibuscunque personis, vivæ vocis oraculo, vel per litteras gestas, sive habitas, commissione Pœnitentiarii generalis dicti Domini nostri duntaxat excepta, tenore præsentium revocamus, & penitus annullamus: Presbyteros etiam in hospitalibus celebrantes monemus, ipsisque præcipimus, ne in ipsis hospitalibus quidquam attemptent, quod in præjudicium Ecclesiarum suarum matricalium quomodolibet redundare possit, nec de his, quæ ad regimen curæ Parochialis pertinent, se quomodolibet intromittant, nisi in quantum super his muniti fuerint legitimis munimentis.

Contradictores vero & rebelles post novem dierum monitionem, ut ex nunc præmissa excommunicationis sententia innodamus.

P. „ Item in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus, & eorum loca tenentibus, ut dictorum Provincialium & Synodalium Statutorum, & hujusmodi nostri processus exemplum continue penes se habeant, ne ipsorum supinam ignorantiam valeant allegare. Datum & actum Trajecti in *Synodo Generali* mensis Maji die XX. anno Domini MCCCXLVIII.

Anno XLIX. non fuerunt Statuta edita.

Heusden Batavia sacra pag. 191.

(a) Erat Joannes hic Episcopus vir doctus admodum tam in secularibus, quam in spiritualibus: Ecclesias instauravit, restauratis Libris optimis, & ornamentis jussit conscribi Librum Pontificalem continentem ense septem Libros. *Buchelius in Notis ad Hedam.*

CLEMENTIS VI. Papæ Epiſtola decretalis ad Archi-Epiſcopum Moguntinum contra ſectam Flagellatorum, a ſe probibitam & reprobatam, ut ad alios Germaniæ Epiſcopos idem ſcriberetur.

Anno Chriſti MCCCXLIX. Clementis VI. Papæ VIII. Caroli IV. Imp. III.

CLEMENS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILIBUS FRATRIBUS ARCHI-EPISCOPIS, EORUMQUE SUFFRAGANEIS SALUTEM, ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

INter ſollicitudines innumeras, & immenſas, quibus ultra vires Apoſtolicæ ſervitutis debito perurgemur, illud cordi noſtro potiſſimum inſidet, & ad hoc attentius ſtudia noſtra convertimus & conatus, ut apud omnes Chriſtiani nominis Profeſſores fides orthodoxa fulgeat, Sanctorum Patrum doctrina ſplendeat, & ſic Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Romanæ religio ſine cujusquam ſimilitudinis, fictionis ſeu velaminis pallio, pure & inviolabiliter obſervetur, quod a vinea Domini Sabaoth, cujus cura & cuſtodia Nobis licet immeritis eſt commiſſa, vepres & urticæ tam periculoſe quam damnabiliter ſuccreſcentes evellantur; & vulpeculæ, quæ ipſam demoliri nituntur, per Apoſtolicæ Sedis curam & evidentiam abigantur.

Sane moleſta Nobis, licet fide digna magnorum relatio, & multorum aſſertio, Noſtrum, & Fratrum noſtrorum non mediocriter turbavit auditum; quod in partibus Regni Germaniæ, & ei convicinis quædam ſub prætextu devotionis, & agendæ pœnitentiæ vana religio, & ſuperſtitioſa adinventio procurante ſatore malorum operum ſurrexerit; per quam prophana multitudo ſimplicium hominum, qui ſe *flagellantes* appellant, decepta verbis fictis atque mendacibus malignorum, aſſerentium, Salvatorem noſtrum Hieroſolymis Patriarchæ Hieroſolymitano apparuiſſe; (cum tamen a longis citra temporibus nullus ibidem præſentialiter fuerit Patriarcha) & ſibi aliqua dixiſſe, quæ colorem veritatis non habentia, nec ſaporem, quibusdam Sacræ Scripturæ auctoritatibus obviare noſcuntur, in illam cordis veſaniam eſt deducta, & in animæ præcipitationem acta; atque de die in diem ſuggeſtionibus hoſtis antiqui, ſe, ut Dominicum gregem devoret, transferentis in Angelum lucis, nimium ſuccreſcendo deduci (cortina trahente cortinam) periculoſius formidatur, quod ſe per ſocietates, & conventicula (licet caudas invicem colligatas habeant) dividentes diverſas circumeunt patrias; cæterorum hominum vitam & ſtatum condemnando, ſe juſtificant: Claves Eccleſiæ vilipendunt, ac in contemptum diſciplinæ Eccleſiaſticæ, habitum certum, nigrum videlicet, ante & retro ipſius vivificæ Crucis impreſſum habentes ſignaculum, ſine Superioris licentia deferentes, ſub nomine pœnitentiæ gerunt; & alias in cauſa inſolita congregationes, conventicula, & coadunationes, quæ a jure ſunt prohibitæ, faciunt, & ad alios actus proſiliunt, a vita & moribus obſervantiaque fidelium Chriſtianorum penitus alienos. Ordinationes etiam & ſtatuta, quibus utuntur (imo verius abutuntur) propria temeritate fecerunt, erroris ſuſpicione non vacua, & judicio rationis carentia. Sed ex eo tam pro Deo, quam hominibus odioſe per amplius turbamur, acerbiusque & durius anxiamur, quod quidem religioſi præſertim *de Ordinibus mendicantium*, qui alios revocare debuerant, & ad viam reducere veritatis, ab utero Matris Eccleſiæ veluti maledictionis filii nequiter aberrantes, linguas ſuas, ut alios pertrahant in errorem, acuunt, quibus corda debilia vulnerant, & ignorantes Dei juſtitiam ſuæ propriæ innitentes pruden-

dentiæ, dum legi Domini nolunt esse subjecti, aliis in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis prædicando, & dogmatizando contra Ecclesiæ libertatem, & Fidei Catholicæ puritatem, ab ipsa veritate subducere moliuntur. Quod eo faciunt efficacius, quo conceptum virus latenter effundunt: blandis prius sermonibus auditores, quasi bonum vinum prius ponendo, satagunt irretire, & cum inebriati fuerint, illud quod est deterius, cum ipsis in perditionis laqueum incidunt, & in profundum malorum pariter demerguntur.

Nos igitur tam pernicioso & periculoso principio, per quod ultra Divinæ Majestatis offensam, magnum etiam reipub. periculum, & apud fideles scandalum generatur, ne deteriores processus pariat & successus, obstare volentes, & considerantes, quod cum plerique ex ipsis, seu adhærentes eisdem, sub pietatis colore ad impietatis opera laxantes crudeliter manus suas, Judæorum (quos pietas Christiana retinet, & sustinet, offendi eos aliquatenus non permittens) & frequenter etiam Christianorum sanguinem effundere, & oportunitate captata bona Clericorum & laicorum diripere, & suis usibus applicare, ac Superiorum jurisdictionem usurpare, & ad multa alia illicita erumpere minime vereantur.

Timendum est, quod tam præsumptuosa temeritas & temeraria præsumptio, nisi ei persalubri antidoto occurratur, paritura sit non levem perniciem, nec sine aliquorum morborum lethali contagio properans in plurimos, sero recipiat medicinam. Attendentes insuper, quod *error, cui non resistitur, quodammodo approbari videtur*, & quod ex Officio Nobis injuncto compellimur, ut quos per iter devium errando currere, & plures in præcipitationem secum trahere percipimus, ac in dispersionem multarum gentium ambulare, revocando a devio, ut in viam veritatis & justitiæ dirigant gressus suos, eisque providere per opportuna remedia studeamus; Fraternitati vestræ, de Fratrum nostrorum consilio per Apostolica scripta committimus & districte præcipiendo mandamus, quatenus vos & singuli vestrum in singulis civitatibus vestris & Diœcesibus, per vos, seu alium, vel alios, adinventiones hujusmodi seu ritus prophanos (quos una cum Societatibus, Congregationibus, Statutis, & Ordinationibus supradictis, qui se, ut præmititur, *Flagellatores* appellant, temerarie attentatos, de eundem Fratrum nostrorum consilio *perpetuæ prohibitioni* subjecimus, & tanquam illicitos *reprobavimus*) auctoritate nostra reprobetis, in vestris civitatibus, & Diœcesibus, reprobos & illicitos publice denuntietis: ac omnes tam Clericos sæculares, quam regulares, & laicos de prædicta superstitiosa secta, vel societate, quocumque appelletur nomine, existentes, vel eam sectantes, auctoritate prædicta monere, & inducere studeatis, ut ab hujusmodi observantia, secta, & nova religione totaliter desistere, & resilire procurent. Quodque nullus deinceps prædictam sectam seu conventiculum præsumat intrare, aut ritus, & statuta societatum hujusmodi observare; contrarium facientes per censuram Ecclesiasticam coercendo: nec non eos, in quos temporalem jurisdictionem habetis per pœnas temporales, de quibus expedire videritis, appellatione postposita compellatis.

Sane ut Religiosi, & alii errorum Magistri, qui prædicando, & dogmatizando simplices decipiunt, *& cæci ducatum cæcis præbentes, ipsos secum in foveam trahunt*, & si non Divino amore, saltem humana confusione a tam iniquo proposito revocentur: omnes & singulos, cujuscunque sint Ordinis, Religionis, præeminentiæ vel status; quos in præmissis vobis constiterit deliquisse, capi faciatis; non obstante quocunque privilegio vel indulto (quod eis in nullo suffragari volumus) tam diu captivos detineatis; donec aliud a Nobis acceperitis in mandatis, invocato ad hoc, si opus fuerit, *auxilio brachii sæcularis.*

Per prædicta tamen nequaquam intendimus prohibere, quin Christi fideles impositam sibi pœnitentiam, vel etiam non impositam, dummodo recta intentione, & pura devotione ad illam peragendam procedant, in suis hospitiis, vel alias, absque superstitiosis congregationibus, societatibus, & conventiculis supradictis, possint facere, & se in bonis exercendo virtutum actibus Domino, prout

prout ipſe inſpiraverit, in humilitatis ſpiritu deſervire.

Cæterum, quia præſentes literæ nequeunt ſingulis veſtrum propter locorum diſcrimina commode præſentari, volumus, quod per te, Frater Archi-Epiſcope! earum tranſſumptum publica manu ſcriptum & tuo communitum Sigillo veſtris Suffraganeis tranſmittatur, cui adhiberi volumus plenam fidem. Datum Avenione XIII. Calend. Novembris. *Pontificatus noſtri Anno octavo.*

Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ult. edition.

Electus fuerat Clemens VI. anno Chriſti 1342. *Nonis Maji, obiit* 1352. *VIII. Idus Decembris. Trithemius refert hanc Bullam anno* 1348. *in Chronico Hirſaugienſi ultimæ editionis.*

Anno 1348. 2. Maji magna Flagellatorum multitudo ex Polonia, Miſnia, & Thuringia cum crucibus & vexillis proceſſionaliter intravit Herbipolim, & ibidem triduo permanſerunt. Verum, quia nimium quotidie multiplicabantur, nec poterant eos capere urbes, ut ſimul incederent, in plures ſe turmas diviſerunt, quorum alii Saxoniam, alii Marchiam, alii Bohemiam, alii Auſtriam, atque alii Hungariam, nonnulli ad partes Rheni, Moguntiam, Coloniam, Treverim, & partes Galliæ cum Ducibus ſingulis atque Magiſtris intraverunt.

Anno etiam præſcripto venerunt in Avenionem, ubi Clemens tunc Papa ſextus cum Cardinalibus ſuis morabatur, Flagellatores, ſtudioſe immiſſi ad explorandum, quid de illa ſecta Apoſtolica ſentiret Eccleſia. Intrantes autem turmatim Eccleſias, ſuo more ſe flagellabant publice, orabant in modum crucis proſtrati ſuper terram, & magna prudentiæ ſigna multipliciter oſtendebant, in tantum, quod non ſolum cives, ſed etiam Cardinales in ſtuporem verterunt. Papa vero, cum eſſet vir undequaque doctiſſimus, rem altius conſiderare cœpit, & maturâ deliberatione in ſecretario cordis ſui præhabitâ, ſub excommunicationis ſententia prohibuit, ne deinceps ſeſe publice flagellarent. Non placuit Cardinalibus ea prohibitio, qui ſectam illam putabant ſanctiſſimam, & ideo ſe Pontifici fortiter nonnulli ex eis oppoſuerunt. Verum Papa in ſua perſtans ſententia, ſectam illam ſub anathematis vinculo damnavit. Quod videntes Principes ſectæ, magno timore perculſi ſunt, & in paucis diebus penitus evanuerunt. Tandem Papa in ſuam ſententiam revocatis Cardinalibus, omnibus Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis ſcribens per Apoſtolica ſcripta mandavit, quatenus ſæpe dictam *Flagellatorum* ſectam in ſuis Diœceſibus extinguerent, Sacerdotes & Clauſtrales, qui hac hæreſi fuiſſent infecti, carceribus manciparent, tenerentque captivos, donec aliud ab eo reciperent in mandatis, ſicut patet in ipſis Literis, quas miſit ad GERLACUM Archi-Epiſcopum Moguntinum, & ad alios Archi-Epiſcopos Germaniæ, quarum tenorem his inſerere utile judicavimus.

Hactenus Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ultimæ editionis pag. 208. 209.
Binius Tomi III. Concilior. Parte II. pag. 820.

Peſtis anno 1349. per Germaniam graſſata, opportunam dedit Flagellatoribus anſam, ad peccata hominum ſuis flagellis expianda, & ad Divinam iram placandam.
Schatenus Annal. Paderborn. Lib. XIII. ad h. a.

Wittius ſcribit, deceptos a deſertore Monacho fanaticos hos homines, ex Ungaria in Germaniam prorepſiſſe, qui & plures ex mendicantibus Monachis ſpecie pietatis allexit & pertraxit in ſocietatem. *Schatenus Loc. cit.*

CONCILIUM NAUMBURGENSE

Anno Chriſti MCCCL. Clementis VI. Papæ IX. Caroli IV. Imp. IV.

JOHANNES, (*a*) DEI GRATIA, NAUMBURGENSIS EPISCOPUS, UNIVERSIS ET SINGULIS ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, PLEBANIS, PRESBYTERIS, CURATIS ET NON CURATIS, ET CLERO NOSTRÆ DIŒCESIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM, ET MANDATIS NOSTRIS FIRMITER OBEDIRE.

STatuta Synodalia per Prædeceſſores noſtros edita confirmans, & ea, quæ per negligentiam ſervata non ſunt, innovans, & ſub excommunicationis pœna

(*a*) Joannes Nobilis de Miltitz, Epiſcopus Naumburgenſis, Obiit A. 1352.

pœna præcipimus inviolabiliter obſervari, quorum copiam per ſingulos Decanos rurales noſtræ Diœceſis recipi, ac ea una cum ſtatutis Provincialibus per eosdem Decanos in Synodis particularibus Clero ipſis ſubdito, & convocato legi & publicari volumus & mandamus.

Primo; omnes hæreticos, ſciſmaticos, ſacrilegos, incantores, homicidas, & uſurarios publicos & manifeſtos, præſertim decem ſexagenas pro una mutuantes, Eccleſiaſticæ libertatis violatores, excommunicamus in Dei nomine in his ſcriptis, & vos ipſos ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis excommunicatos denuntietis.

Item; quia ſæpius contingit hæreticos, & eorum fautores, ſacrilegos, nigromanticos, homicidas, bannitos, proſcriptos, & nonnullos alios, quibus Jus omne Eccleſiaſticam ſepulturam tribui prohibet, contingit trucidari & occidi, & quandoque obtenta licentia ſæcularium Judicum, quidam Religioſi, & alii Eccleſiarum Curati noſtræ Diœceſis taliter occiſorum corpora ad Eccleſiaſticam recipiunt ſepulturam; prohibemus ſub excommunicationis pœna, ne dictorum corpora de cætero ſepeliantur, niſi Nos, aut Curiæ noſtræ Officialis, eos conceſſerimus ſepeliri.

Item; quod nullus Presbyter, aut Clericus tabernas viſitet, niſi viator exiſtat. Neque fornicarias in domo teneat ſub pœna ercommunicationis. Inſuper omnes & ſingulos Eccleſiarum Rectores ſub eadem pœna monemus, ut manifeſtos cohabitatores & concubinarios Clericos, quos noverint, infra quindenam a tempore notitiæ manifeſtent; illos etiam, quos noverint inſtitutos de Beneficiis aliorum, qui ex cauſis legitimis præeſſe non poſſunt, ſed ex pactionibus privatis, abſque juris cognitione & diſpenſatione ad hoc ſpecialiter requiſitis, ſimiliter non negligant denuntiare.

Item; quod ſinguli Clerici noſtræ Diœceſis juxta Rubricam Nunburgenſem in Divinis ſe regant.

Item, quod Divinum Officium celebretur diſciplinate, & devote in ſuperpelliciis, vel aliis veſtibus, prout expedit, impleatur; volentesque ſe induere ad Miſſam celebrandam, deponant peras cum cingulis, & etiam ſupplicationes non celebrent abſque caligis (a) neque braccis.

Item; cum in Sacramentorum perceptione ſingula, quæ eadem maculare poſſunt, ſint reſecanda; ſalubriter conſulendum duximus: quod in Sacramento Baptiſmatis, quod aliorum eſt janua, Patrinorum pluralitas, qui arrogantiæ vel cupiditatis gratia ſolent invitari, abdicetur, maxime cum in pluralitate Patrinorum matrimonialis impeditur copula, & nonnunquam per errorem contrahunt, quos reperta affinitate non ſine gravi perturbationis diſpendio contingit ſeparari; viris tamen ex utroque Parente Nobilibus, propter ſanguinis altitudinem, & quia circa matrimonia ſollicitiorem gerunt curam, ſtatutum noſtrum dictum eſſe nolumus, ſed juxta patriæ conſuetudinem numero patrinorum uti poſſunt.

Item; licet in jure ſit cautum, quod cum ab aliquibus matrimonia fuerint contrahenda, in Eccleſiis per Presbyteros publice proponi debeant competenti termino præfinito, ut infra illum, qui voluerint, & valuerint, legitimum impedimentum opponant, hoc autem cum in Diœceſi noſtra fere ubilibet negligatur; Nos hujusmodi negligentiæ occurrere volentes, præſenti ſtatuto ſanximus, ut nullus Sacerdotum præſens ſtatutum de cætero transgrediatur, & ne prætextu ignorantiæ laici ſe in hoc pariter valeant excuſare, volumus, ut ſingulis diebus Dominicis ab hinc, uſque ad Dominicam poſt Feſtum Sancti Jacobi Apoſtoli, hujuſmodi noſtrum ſtatutum per quemlibet Parochialem Sacerdotem in ſua Eccleſia publicetur, & materna lingua exponatur.

Item; cum inter cæteros Clericorum, ac etiam Prælatorum exceſſus heu! hoc maxime inolevit, quod ſpreta in veſtibus forma Eccleſiaſticæ honeſtatis, plurimum delectantur eſſe difformes, & cupiant laicis conformari, ſicque quod mente gerunt, habitu profitentur. Unde ſacra hac approbante Synodo præcipimus & mandamus, ut ſinguli Clerici veſtem, tonſuram, & mores, juxta Sacrorum Canonum conſtitutiones gerant, non

(a) *forte*: atque

non vero veſtes amplas, manicas, & ante, retro, ac in lateribus quatuor ciſſuras habentes, aut nimium extenſas, cum vario, vulpino, aut alio ornamento per circumferentias earum, aliquatenus deferant, neque camiſias longas ad modum mulierum; præterea capita ſaltem in publico induant capuciis, vel iis humeros decenter ſternant. Et Religioſi, niſi Prælati exiſtant, mitras geſtare non præſumant; contrarium facientes tanquam inobedientes puniemus.

Item; prohibemus: ne in Monaſteriis Sanctimonialium permittantur habitare vetulæ ſeculares ſub habitu ſeculari, ſed quæcumque, etiam puellæ, ſeculares in hujusmodi Monaſteriis inter Sanctimoniales manſionem aliqualem & notabilem facere voluerint, habitum geſtent novitiarum, ne propter indecentiam habitus diſtrahantur & ſcandalizentur.

Item prohibemus: ne Quæſtores aliqui, niſi litteras noſtras, exhibuerint quandolibet admittantur, nec ultra continentiam litterarum noſtrarum agere permittantur; alioquin admittentes & permittentes ſententiæ excommunicationis ſubjaceant, & ipſi quæſtores contra facientes ſuffragio brachii ſæcularis Nobis præſententur. Datum. . .

Deſcripſit Cl. Schannatus b. m. ex codice MS. Bibliothecæ Metropolitanæ Eccleſiæ Moguntinæ.

CAROLI IV. Imp. Litteræ ad Gerlacum
Moguntinum Archi-Epiſcopum directæ,
Anno Chriſti MCCCL. Clementis VI. Papæ IX. Caroli IV. Imp. IV.

Quibus eum hortatur, ut, convocata quantocius Provinciali Synodo, Cleri mores univerſim reformet.

KAROLUS QUARTUS, DIVINA CLEMENTIA, ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS, ET BOEMIÆ REX &c. GERLACO, MOGUNTINO ARCHI-EPISCOPO &c. CONSANGUINEO ET DEVOTO SUO DILECTO, GRATIAM SUAM ET OMNE BONUM.

QUemadmodum, cum alias in noſtræ Celſitudinis conſtitutus eſſes præſentia, devotionem tuam, præſente Venerabili Cavallacenſi Epiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato, fuimus allocuti; ſic iterum his Imperialibus litteris Te ad exercendum in ſubſcriptis tuum Officium propenſius excitamus. Conſideravit namque jam dudum, ſicut in præſentia conſiderat, noſtra Serenitas, quod antiqui Patres, Canonum conditores, qui Regulam modumque Clericis, & perſonis Eccleſiaſticis pio propoſito tradere ſunt conati, circa nonnullos Prælatos, & Clericos ſæculares & Regulares, aliasque perſonas Eccleſiaſticas Tuæ Provinciæ, in vanum vigilaſſe videntur, niſi Tu eorundem Cuſtos Canonum & Miniſter; ſuper hæc, vigilantius, quam hucusque ſit factum, ſtudeas vigilare. Quis enim Canonicos cum Clericis diſpenſavit, ut fructus Eccleſiarum & Præbendarum percipiant; & de Chriſti Patrimonio ludos, Haſtiludia, & Torneamenta exerceant? habitum militarem cum prætextis aureis & argenteis geſtent, & cultros militares; comam & barbam nutriant, & nihil quod ad vitam & Ordinem Eccleſiaſticum ſpectat, oſtendant, militaribus ſe dumtaxat & ſæcularibus actibus, vita & moribus, in ſuæ ſalutis diſpendium, & generale populi ſcandalum immiſcendo? Sic hæc ſingula per multos Provinciæ tuæ Prælatos & Clericos non eſt dubium exerceri, & tanto jam eſſe tempore præterito perpetrata, ac ſi contra vitam regularem & bonos mores voluerint per irregulares errores & petulantiam præſcripſiſſe, ſi præſcribendi contra

tra virtutes jura locum vitiis dedissent.

Talem igitur corruptelam propter zelum, quo erga Domum Dei afficimur, non modicum detestantes, devotionem tuam attente requirimus & hortamur, Teque per Officii tui debitum propensius obsecramus; quatenus una cum Coepiscopis tuis, Metropolitico Jure Tibi subjectis, ad correctionem morum & vitæ Prælatorum, Clericorum, & personarum Ecclesiasticarum tuæ Provinciæ, sollicite & constanter assurgens, omnia in præmissis, habitu, vita, moribus, & exemplis, per eos errata corripias, corrigas, & reformes, ac in statum redigas, dictos quoque Episcopos corripere, reformare, & redire facias, sicut melius poteris, salutarem; amicis non parcendo, nec potentibus deferendo, neque timorem in hac parte justitiæ præponendo, sed potius contradictores & rebelles per censuram Ecclesisticam, & per subtractionem reddituum & fructuum suorum Ecclesiasticorum districtius compellendo, donec talia universa sufficienter emendent, & de non transgrediendo in his ulterius, idoneam Tibi, & eisdem Episcopis præstiterint cautionem, cum indigne de Altari vivant, qui ministrare Altaribus erubescunt. Confidit profecto nostra sublimitas, quod accuratam in præmissis debeat tua devotio sollicitudinem tanto ferventius adhibere, quanto diutius in his nosti erratum fuisse &c.

Datum in *Confluentia*, die XVIII. mensis Martii, Regnorum nostrorum XIII. Imperii vero IV.

SYNODUS BREMENSIS

CIRCA ANNUM MCCCL.

SUB GOTEFRIDO, (a) ARCHI-EPISCOPO BREMENSI.

Varia Statuta circa juratos Provisores, seu œconomos Ecclesiarum (Kirch-geschworne) *&c.*

NOS GOTFRIDUS, Dei gratia, Sanctæ Bremensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, recognoscimus, quod *Præsidentibus Nobis Sacrosanctæ Synodo Ecclesiæ nostræ Bremensis*, I. Quæsitum fuit per Venerabilem Virum Dominum Erponem Abbatem Monasterii S. Pauli extra muros Bremenses diffinitum, & sententialiter intimatum, quod si (b) patulum dandum fuerit pro villa, Rector Ecclesiæ pro dote nihil dabit. Item, si Curia deserta fuerit, de agris Curiæ dabitur præbenda.

II. Item Parochiani Rectori Ecclesiæ ipsorum, domum septem distinctionum, quæ *Vake* dicuntur, comparare & construere tenebuntur.

III. Item laquear super ignem XXIV. pedum in longitudine, duæ Cameræ per omnia bene conclusæ, una bona fenestra; & (c) dos bene debet esse cooperta, & tecto & parietibus, sicut decet Plebano.

IV. Item si campanarius, non convenit Plebano, potest eum deponere, & alium sibi conducere.

V. Item Jurati Ecclesiæ non debent petere, nisi cum licentia Rectoris illius Ecclesiæ, & debet hæc petitio fieri post Offertorium, & dabunt Rectori tertiam partem, quinque temporibus anni, scilicet in festo Paschæ, Pentecostes, Assumtionis B. MARIÆ Virginis, Nativitatis Christi, & Dedicationis Ecclesiæ, & omnibus

(a) Godefridus ex Osnabrugensi Episcopo electus Bremensis Archi-Episc., familia Comes de Arensberg, anno 1349. Obiit 1363.
(b) Lambecius legit: *Pascuarium*, qui census solvitur pro pascuis.
(c) ibi *Dos* barbaré pro Domo Rectoris Parœcialis.
(d) Formula hujusmodi promoti est apud Lindenbrog. Syntagm. rer. German. Septentr. pag. 199. & in fine dicitur: *Sic me Deus adjuvet, & ista quatuor Sancta Evangelia, & quatuor Evangelistæ, & ista Patrocinia Sanctorum*, hoc est reliquiæ.

nibus aliis temporibus, quando rogaverunt, debent Rectori tertiam partem.

VI. Et quicumque ad annos discretionis pervenerint in dictis quinque festivitatibus anni, tenetur satisfacere unum Offertorium; item, si Jurati cum consensu Rectoris Ecclesiæ posuerunt carbonem, vel triticum ad aliquem locum pertinentem ad Ecclesiam, de illo sumat sibi Rector tertiam partem: & si in Ecclesia aliquid positum fuerit, habebit Rector tertiam partem; si vero præter ejus voluntatem positum fuerit, sumat Rector totum.

VII. Item Jurati non debent eligi, nisi cum consensu Rectoris Ecclesiæ, & iidem Jurati debent facere computum de bonis Ecclesiæ semel in anno, & nihil debent disponere de eisdem bonis, nisi cum consilio & consensu Rectoris, & debent jurare (*d*) ad reliquias Sanctorum, quod justum computum fecerunt. Si Jurati non conveniunt, Rector potest eos deponere, & alios eligere.

VIII. Item, si Ecclesiæ aliquid datum fuerit, Rectori nihil assignatum fuerit, idem Rector habebit dimidiam partem in hoc dato.

IX. Item tres debent esse Ecclesiæ claves ad bona Ecclesiæ, duas debent habere jurati, tertiam vero Rector.

X. Idem Rector tertiam de Imaginibus Sanctorum accipiet, & habebit de jure Ecclesiæ. Acta sunt hæc *in Synodo nostra*, prædicta approbante. Datum & actum Bremis anno MCCC . . . Feria quarta post *Lætare*, nostro sigillo præsentibus munito.

Lambecius Lib. III. rerum Hamburgensium pag. 71.

CONCILIUM ULTRAJECTINUM

Anno Christi MCCCL. Clementis VI. Papæ IX. Caroli IV. Imp. IV.

JOANNIS de ARCKEL, Episcopi Ultrajectini, Epistola septima Synodica.

De Proclamationibus dandis ante Solemnitatem Nuptiarum.

JOHANNES, DEI GRATIA, UNIVERSIS ET SINGULIS, QUOS INFRA SCRIPTUM TANGIT NEGOTIUM, VEL TANGERE POTERIT IN FUTURUM, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

CUm Nos licet immeriti, disponente tamen Divina (Providentia), ad Regimen universalis Ecclesiæ Trajectensis assumpti, nobis commissi Gregis Curam gerere mente vigili ex debito nostri officii teneamur, præsertim ut eis, per quos nimium diffamatur Ecclesia & scandala generantur in populo, viam præcludamus, digna sollicitudine meditari; sane cum eo, quod matrimonia contrahere volentes, quanquam ipsi etiam contrahere volentes diversorum existant Episcopatuum, vel Parochiarum a se distantium: non tamen in utroque Episcopatuum vel Parochiarum hujusmodi, sed in uno eorum duntaxat aliquotiens banna, pro eisdem contrahendis matrimoniis fieri procurant, scandala vel pericula in Dei Ecclesia contigerunt, hactenus etiam contingunt; ea propter statuimus & statuendo præcipimus præsentibus, ne aliqui de cætero diversorum Episcopatuum vel Parochiarum, quam plurimum a se distantium, matrimonia invicem contrahant, aut contrahere præsumant, nisi bannis & denuntiationibus, seu proclamationibus in utrisque Episcopatibus & Parochiis, quos dicti contrahentes inhabitaverint, seu habitare consueverint, de quibus originem traxerint, debite præmissis, iidem contrahentes litteras testimoniales obtinuerint super factis proclamationibus antedictis. Alioquin dicta matrimonia clandestina reputamus, & ipsos contrahentes, ac Presbyteros eosdem

dem contrahentes matrimonialiter copulantes, decrevimus & declaramus authoritate ſtatutorum ſynodalium, per Nos alias editorum, fore excommunicationis ſententia innodatos, quorum abſolutionem Nobis & Officiario noſtro Trajectenſi ſpecialiter reſervamus.

Item omnibus Proviſoribus, & Decanis, & Officiariis foraneis noſtris, & ſubditorum noſtrorum ſub pœna excommunicationis inhibemus, ne ſupra omittendis uno vel duobus bannis, ſeu proclamationibus, terminis in matrimoniis obſervandis, aliquatenus diſpenſent, aut ſe de eorum diſpenſatione aliquatenus intromittant.

Quæſtoribus modeſtia præſcribitur.

Item Quæſtoribus, qui pro elemoſinis quærendis in noſtris civitatibus & Diœceſi deſtinantur, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ prohibemus, ne in tabernis vel aliis locis inhoneſtis hoſpitentur, aut ſibi mulieres aſſocient, aut habitum falſæ & fictæ religionis aſſumant aliqualiter ſive geſtent.

Item eiſdem Quæſtoribus ſub pœna excommunicationis inhibemus, ne de cætero aliquid acceptent, ſeu faciant contra ea, vel eorum aliquid, quæ in decretali edita ſunt per Dominum Clementem Papam in Conſilio Viennenſi, ſub rubrica: *De pœn. & remiſſione*, quæ ſic incipit: *Abuſionibus*, quas nonnulli elemoſinarum Quæſtores in ſuis proponunt prædicationibus, ut ſimplices decipiant, ut aurum ſubtili vel fallaci potius ingenio extorqueant ab eisdem. Nam ibi continentur ipſis Quæſtoribus ſub eadem pœna diſtricte præcipiente, antequam ad quæſtum admittantur, de obſervandis in dicta *Decret.* contentis, juramentum noſtris vel Commiſſariis noſtris præſtent, & ejusdem decretalis habeant copiam, ne ignorantiam valeant allegare.

Nulli exterorum conferatur Beneficium; nemo in eodem inſtituatur, niſi legitime fuerit approbatus.

Item omnibus & ſingulis Abbatibus, Præpoſitis, & Rectoribus, Archidiaconis, Decanis, Collegiis, ac aliis quibuscunque, ad quos de conſuetudine Beneficiorum collatio, ſeu perſonarum inſtitutio in eadem, vel curæ, aut officiationum aliquorum Beneficiorum commiſſio pertinent, ne perſonis extraneis alienæ Diœceſis, aut his, qui profeſſione in aliquo Ordine a Sede Apoſtolica approbato, tacite, vel expreſſe facta, eundem ſuum Ordinem dimiſerunt prætextu diſpenſationis, vel alias quovis colore quæſito, vel etiam in ſuis Ordinibus permanentes, ſuperiorum ſuorum non obtenta licentia evagantur, Beneficia conferant, vel ipſos in eodem Beneficio inſtituant, aut eis Curam, aut officiationem aliquorum Beneficiorum committant, nec Curati & Rectores Eccleſiarum ipſos ad regnum aliquorum Beneficiorum admittant, niſi prius per Nos, aut per Officialem noſtrum Trajectenſem, per noſtri officii litteras patentes approbati fuerint & recepti.

Curatis facultas conceditur abſolvendi ab adulterio occulto.

Item Curatis noſtrarum civitatum & Diœceſis, & eorum vicem gerentibus, ſuos Parochianos utriusque ſexus, quos adulterium ſe commiſiſſe contingat confiteri, dummodo ſit occultum, abſolvendi in foro pœnitentiæ duntaxat concedimus facultatem.

Item veteri utendi oleo, dum novum difficulter poterit comparari.

Item eisdem concedimus & damus licentiam utendi veteris olei Sacramento in articulo neceſſitatis, utpote in articulo mortis, dummodo non notabilis culpa, negligentia vel deſidia ſuper novo acquirendo valeat imputari.

Notorii exceſſus non emendati, ac teſtamenta non mandata executioni, quot annis deferantur ad Synodum.

Item præcipimus omnibus & ſingulis Eccleſiarum Curatis, & eorum loca tenentibus, ut exceſſus notorios & enormes non correctos, infra limites ſuarum Parochiarum commiſſos, nec non teſtamenta ſeu ultimas voluntates decedentium rite vel legitime factas, infra annum non executas, ſingulis annis in Sancta Synodo, per eorum patentes litteras vel vivæ vocis oraculo, & in ſcriptis ad noſtram vel noſtri Officialis deducant notitiam.

Rectores Ecclesiarum, eorum Vicarii, ac etiam Custodes inter Divina Officia Sacris & ordinatis vestibus induantur.

Item, quia Domum Domini decet Sanctitudo, statuimus, ut Rectores Ecclesiarum nostrarum civitatum & Diœcesis, & eorum vices gerentes, dum in suis Ecclesiis Divina Officia celebraverint, aut eisdem officiis interfuerint, nec non dum Ecclesiastica Sacramenta suis Parochianis ministraverint, nisi quod ad hoc distantia locorum, vel qualitas temporis aliud exegerit, almuciis, & superpelliciis, aut aliis sacris vestibus sint induti. Similiter & eorum Rectorum Custodes, seu Sacristæ in ipsis Ecclesiis utantur superpelliciis, vel sacris vestibus hujusmodi temporibus Divinorum: qui autem nostri Statuti absque legitima & rationabili causa temerarius fuerit violator, per octo dies a Divinis Officiis auctoritate præsentium se noverit ipso facto suspensum; quam suspensionem si non sustinuerit reverenter, extunc pro ut exnunc excommunicationis sententiam se noverit incurrisse. Quarum absolutionem Nobis & Officiali nostro præsentibus reservamus. Et hoc præsens nostrum Statutum post octavas Beati Johannis Baptistæ proxime affuturas, & non prius, volumus obtinere roboris firmitatem. In quorum testimonium &c. Actum in *Synodo* nostra Trajecti feria 3tia post *Cantate*, anno Domini MCCCL.

Heusden Batavia Sacra pag. 192.

Joannis de Arckel, Episcopi Ultrajectini,

Epistola octava Synodica,

ANNO CHRISTI MCCCLI.

Gerardus, Johannis Traject. Episc. Vicarius, Statuta Antistitis sui renovat.

GERARDUS de Veno, Canonicus Trajectensis, Reverendi in Christo Patris, &c. Universis & singulis Clericis & laicis, auctoritate Domini nostri Episcopi prædicti omnes & singulos Clericos huic Synodali, &c. *Quære A.* Eadem auctoritate omnes & singulos Abbates, Præpositos &c. *Quære B.* Eadem auctoritate Constitutiones Canonicas &c. *Quære C.* Cum etiam in tantum quorundam justitiariorum, balivorum, judicumque secularium & temporalium Dominorum, civitatum Diœcesis Trajectensis præsumptuosa temeritas sic excreverit, ut in certis eorum districtibus ad judicium Domini nostri Episcopi Trajectensis recurrentes super causis, negotiis, seu questionibus, quæ de jure seu antiqua consuetudine ad forum suum Ecclesiasticum pertinent, obtinere non possint justitiæ complementum, quin potius super illos incurrere ad judicium seculare, vel a lite, causa, vel quæstione desistere compelluntur, præcipiendo Presbyteris, Curatis & Clericis, dictæ Diœcesis Trajectensis, ne litteras citatorum, seu monitorum, & excommunicatorum, a Domino nostro Nobis, seu Officiario suo in hujusmodi causas obtentas executioni demandent & demandare præsumant; decrevimus & declaramus, tales quoscunque balivos, judices seculares, aut Dominos temporales excommunicationis sententiam auctoritate decretalis, quam ut intelleximus, incurrere, & sententiæ excommunicationis subjacere ipso jure; a qua, nisi dicto Domino nostro, cujus cognitio fuerit impedita & jurisdicto usurpata, de damnis & expensis integraliter fuerit satisfactum, beneficium absolutionis se sciant nullatenus obtenturos: quam quidem excommunicationis sententiam, si per 15. dies animo sustinuerint indurato, etiam alia monitione non præmissa, si nobilis fuerit, aut Dominus terræ, districtus ipsius, si quem habet, Ecclesiastico sit suppositus interdicto. Et nihilominus in loco, ubi balivus, judex secularis, seu Dominus temporalis Domicilium habet, cessetur a Divinis, quousque legitime fuerit satisfactum. Præterea cum nonnulli minus idonei, &c. *Quære O.* Eadem auctoritate negotium fabricæ, &c. *Quære I.* Eadem auctoritate monemus omnes & singulos, &c. *Quære K.* Eadem aucto-

auctoritate omnibus & singulis. *Quære L.* Item in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus &c. *Quære P.* In quorum testimonium &c. Datum & actum Trajecti *in Synodo generali.* (*a*) Anno Nativitatis Domini MCCCLI. XVII. die mensis Maji.

Heusden Batavia sacra pag. 193.

(*a*) Totius Diœceseos: sic abutuntur voce *Generalis* multi Episcopi in suis Synodis appellandis.

Joannis de Arckel, Episcopi Ultrajectini,

Epistola nona Synodica.

ANNO CHRISTI MCCCLII.

Nemo laicus tempore interdicti generalis, etiam dum Divina peragere conceditur, ad Sanct. Eucharistiam admittatur.

JOANNES Dei gratia, &c. Authoritate nostra omnes & singulos huic Synodali, &c. *Quære A.* Eadem authoritate omnes Abbates, Præpositos, &c. *Quære B.* Eadem authoritate constitutionis, *Quære C.* Suscepti regiminis cura Nos sollicitat, ut, quæ in Ecclesiis, Monasteriis, & aliis nostræ civitatis & Diœcesis locis, non absque violatione censuræ Ecclesiasticæ servare vidimus, per appensionem congrui statuti melius conformemus. Cum itaque in nonnullis Ecclesiis ac Monasteriis nostrarum civitatum & Diœcesis observetur, & a longe retroactis temporibus observatum fuerit, ut in aliquo loco nostræ Diœcesis generaliter interdicto, & interdicto hujusmodi a jure vel ab homine aliquibus temporibus, vel per aliquod tempus certis de causis relaxato, ipse populus, & quilibet de populo sanus, & non in mortis articulo constitutus admittebatur non sine metu violationis censuræ Ecclesiasticæ ad Eucharistiæ Sacramentum, quod interdicti tempore decedentibus tamen a sacris Canonibus est concessum. Unde super hoc providere volentes, deliberatione præhabita diligenti, duximus statuendum, ut nullus de cætero laicus tempore Generalis interdicti in quatuor Festivitatibus, quibus licet Divina celebrari, ad Communionem Altaris seu Eucharistiæ admittatur. Quodsi quisquam Sacerdotum alicui sano tempore festivitatum præsumpserit ministrare, pœnam meritam poterit non immerito formidare.

Item statuimus, & pœna excommunicationis prohibemus, ne quis Sacerdos nostrarum civitatum vel Diœcesis aliquem ab homine, vel a jure, aut a statutis quibuscunque Provincialibus vel Synodalibus publice excommunicatum, in mortis articulo, ubi excommunicator præsens est, vel commode adiri poterit, nisi ipse Superior, ad quem absolutionis Beneficium pertinet, id impendere recusaret, vel plus debito differret, deinceps absolvere præsumat: & in casu, quo juxta præmissa in mortis articulo quemquam absolvere contigerit, ipse absolutiones, servata juris forma, modum absolutionis, nomenque, status & conditionem absoluti, & causam, pro qua ligatus fuerat, Nobis aut Officiario nostro, aut illi vel illis, ad quos absolutio pertinuerit, infra XL. dies a tempore absolutionis impensæ notificet competenter, vobis mandamus & præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ fideliter observare. Præterea cum nonnulli minus idonei, *Quære O.* Eadem auctoritate negotium, *Quære I.* Eadem auctoritate monemus omnes & singulos, *Quære L.* Item in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus omnibus, & singulis, *Quære P.* In quorum, &c.

Anno Domini MCCCLII. VIII. die mensis Maji.

Heusden Batavia sacra pag. 193.

Joannis de Arckel, Episcopi Ultrajectini,

Epistola Decima Synodica.

ANNO CHRISTI MCCCLIII.

Hæreticis, falsariis Apostolicarum ac Episc. litterarum manifestis, &c. ultra annum in crimine contumacibus, testamenta, ac legata condere interdicitur.

JOHANNES Dei gratia, &c. Omnes & singulos huic Synodali, &c. *Quære A.* Eadem auctoritate omnes Abbates, & Præpositos. *Quære B.* Præcipientes insuper Provisoribus, Decanis, & Rectoribus Ecclesiarum nostræ Diœcesis supradictis sub intimatione maledictionis æternæ, & in hujusmodi nostra Synodo proxime ventura, hæreticos, falsarios Apostolicarum & nostrarum litterarum, usurarios manifestos, in gradibus prohibitis conjugatos, & in sententiis excommunicationis ultra unius anni circulum contumaciter perdurantes, testamenta & legata, quæ infra annum a tempore mortis legantium & testamenta condentium non sunt executa, nec ad voluntatem decedentium terminata, aliaque crimina graviora, notoria & manifesta, ne præmissorum sanguis de ipsorum manibus requiratur, Nobis, si præsentes in dicta Synodo fuerimus; alioquin Officiario nostro Trajectensi in scriptis particulariter & specifice denunciare non dimittant. Eadem auctoritate citamus omnes & singulos Decanos, & Provisores, & Ecclesiarum Curatos nostræ Diœcesis pro tempore existentes, peremptorie, ut secunda die mensis Octobris proxime venturi compareant coram Nobis Trajecti, si ibidem præsentes fuerimus; alioquin coram Officiario nostro: vel saltem mittant de quolibet Decanatu, vel Provisoria duos vel tres Procuratores, ad audiendum salubria monita & mandata. Eadem auctoritate Constitutiones Can. &c. *Quære N.*

Clerici certis temporibus Ecclesiæ Cappis nigris incedere jubentur.

Item statuimus & ordinamus, quod Clerici Beneficiati nostræ civitatis & Diœcesis in Ecclesiis Collegiatis, in quibus Beneficia obtinent, a Dominica, qua cantatur: *Vidi Dominum*, usque ad Vigilias Paschæ, exceptis Festivitatibus omnium Sanctorum, Martini, Conceptionis, Purificationis, Annunciationis Mariæ, Natalis Domini cum diebus sequentibus, usque ad octavas Epiphaniæ, Petri ad Cathedram, & Dominicæ Palmarum, cum cappis nigris incedere, Archidiaconis exceptis, non dimittant.

Cavetur, ne unus Clericus alterum rogationum tempore in Ecclesiis trudat, aut propellat.

Item illum usum, qui jam diu inolevit inter Clericos Ecclesiarum Trajectensium puta quo unus alium trudit & retrudit, ejiciendo unus alium de loco ad locum, inhoneste in Ecclesiis Nicolai & Gertrudis nostræ civitatis tempore rogationum, penitus reprobamus, ne illum exerceant ulterius prohibentes, districtius præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ fideliter observari. Præterea nonnulli minus idonei, &c. *Quære O.*

Quæstores vetito tempore non admittendi.

Inhibemus sub pœnis excommunicationis, firmiter injungendo omnibus & singulis Ecclesiarum Curatis nostræ Diœcesis, ne aliquem Quæstorem temporibus petitionis B. Martini indultis, sive in XL. sive extra, ad quæstum suum exercendum in Ecclesiis eorum admittere præsumant quoquo modo. Eadem auctoritate monemus omnes & singulos debitores, &c. *Quære K.* Eadem auctoritate omnes & singulos dolose dictæ fabricæ, &c. *Quære M.* Item in virtutue sanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus omnibus, *Quære P.* In quorum testimonium, &c. Datum Anno Domini MCCCLIII. xx tertio die Aprilis.

Heusden Batavia sacra pag. 194.

Joannis

Joannis de Arckel, Episcopi Ultrajectini,

Epistola undecima Synodica.

ANNO CHRISTI MCCCLIV.

I. De denunciandis illis, qui testamenta non exequuntur.

II. Ex pacto ratione mutui aliquid recipere ultra sortem, usura computatur, Episcopo Traject. aut ejus Vicario reservata.

JOHANNES Dei gratia, &c. Cum Nos alias in nostra Synodo, sub anno Domini MCCCLIII feria 3tia post *Cantate*; omnes & singulos Abbates, & Præpositos, Diaconos, Archidiaconos, Provisores Ecclesiarum, Curatos & Clericos nostræ jurisdictioni subjectos citaverimus peremptorie ad secundum diem mensis Octobris proxime venturi coram Nobis Trajecti, si ibidem præsentes essemus; alioquin Officiario nostro, vel saltem mitterent de quolibet Decanatu & Provisoria duos vel tres Procuratores, ad audiendum salubria monita & mandata, omnes hic non comparentes contumaces computamus, *Quære A.* Eadem auctoritate omnes & singulos Abbates, *Quære B.* Præcipientes Provisoribus, ac Decanis, & Ecclesiarum Curatis, sub intimatione maledictionis æternæ constituta Can. &c. *Quære N.* Nostri Officii debita ac ultimas voluntates decedentium exequi volentes, statuimus, & sub intimatione maledictionis æternæ præcipimus, ut Rectores Ecclesiarum Parochialium nostrarum civitatum & Diœcesis, testamentum seu ultimas voluntates suorum Parochianorum, infra annum a die mortis decedentium non executa vel executas, & hæredes & executores, qui ea exequi infra annum prætermiserint, Nobis aut Officiario nostro Trajectensi infra tres menses annum hujusmodi subsequentes, immediate per se vel per alios procurent denunciare; quod si non fecerint, & in hoc remissi fuerint, Nos contra eos ad pœnas Canonis, prout de jure poterimus, procedemus. Præterea illum abusum, quo plerique civitatis & Diœcesis Trajectensis abutuntur circa pecuniæ quantitatem, mutuando tali pacto, ut post annum unum pro decem denariis unum denarium recipiant ultra sortem, non attendentes illud dictum Salvatoris: *Mutuum dantes & nihil inde sperantes*; reprobamus istos: & illos, qui acceptis muneribus fructus non computant in sortem, exceptis in casibus a jure concessis, usurarios declaramus, eorum absolutionem Nobis seu Pœnitentiario nostro, qui pro tempore fuerit, reservantes, præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ observari. Præcipimus omnibus & singulis, *Quære P.*

Datum Anno Domini MCCCLIV. secunda die mensis Octobris.

Heusden Batavia sacra pag. 194.

Joannis de Arckel, Episcopi Ultrajectini,

Epistola duodecima Synodica.

ANNO CHRISTI MCCCLV.

Judices Eccles. non admittantur, nisi saltem Baccalaurei in jure &c.

JOHANNES Dei gratia, &c. Auctoritate nostra omnes & singulos huic Synodali, &c. *Quære A.* Eadem auctoritate citamus, *Quære B.* Eadem auctoritate constitutis Canonicis, *Quære N.* Quorum tenor talis est: Pastoralis Nos cura sollicitat, ut in foris Ecclesiasticis nostrarum civitatum & Diœcesis observetur, quod a longis retroactis temporibus fuerit observatum, quod Clerici juris ignari passim ad causarum Patrocinia seu advocatiam admittantur, in Ecclesiasticæ jurisdictionis illusionem, litigantium dispendium, & Clericorum nostrarum civitatum & Diœcesis in jure Canonico vel civili studentium, qui amore scientiæ facti sunt exules, de divitibus pauperes semetipsos exi-

exinaniunt, vitam ſuam omnibus periculis exponunt, & a viliſſimis ſæpe hominibus, quod graviter eſt ferendum, corporales injurias ſine cauſa perferunt, ac non modicum detrimentum. Nos ſuper hoc providere volentes, deliberatione habita ſuper hoc diligenti, duximus ſtatuendum, ut Judices Eccleſiaſtici noſtræ civitatis vel alicujus loci noſtræ Diœceſis, ubi copia peritorum facile poſſit haberi, in cauſis criminalibus, Beneficialibus, vel prophanis coram eis pendentibus, libellos exceptionis, replicationes, ſeu alium actum judicialem, a partibus exhibitum de cœtero non admittant, niſi ſubſcriptione ſaltem Baccalaurei in Jure Canonico vel Civili, vel alterius juris periti per Nos ad honorem advocatiæ in civitate ac Diœceſi Trajectenſi exercendi approbatum: præſens ſtatutum vero ad cauſas prophanas, quæ ſummam decem librarum Trajectenſium monetæ excedunt, & ad lites jam pendentes volumus non extendi.

Item inhibemus ſub pœna excommunicationis omnibus Presbyteris Nobis ſubditis, ne cadavera mortuorum cum pileo, baculo vel alio habitu flagellatorum, Eccleſiaſticæ tradant ſepulturæ, vobis inſinuamus & præcipimus, in virtute ſanctæ obedientiæ fideliter obſervari. Præterea cum nonnulli minus idonei, &c. *Quære O.* Eadem auctoritate negotium, &c. *Quære H.* Eadem auctoritate monemus omnes & ſingulos, doloſe. *Quære L.* Præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus & ſingulis Eccleſiarum Curatis, *Quære P.* In quorum, &c.

Datum Anno Domini MCCCLV. XIII. die menſis Maji.

Heusden Batavia ſacra pag. 195. *Ex libello Goudæ anno* 1484. *impreſſo.*

Epiſtola decima tertia Synodica.

Statutum JOANNIS AB ARCKEL, Epiſcopi Trajectenſis,

Negligentes exequi Legata ad pias cauſas ad Synodum deferendi.

JOHANNES, DEI GRATIA, UNIVERSIS RECTORIBUS ET ECCLESIARUM CURATIS CIVITATIS ET DIOECESIS TRAJECTENSIS, NOTARIIS, SEU PERSONIS PUBLICIS, IN DICTIS NOSTRIS CIVITATIBUS ET DIOECESI, SALUTEM IN DOMINO.

AD noſtrum ſpectat Officium, Defunctorum exequi voluntates: Cum ergo nonnulli noſtrarum civitatum & Diœceſis iniquitatis filii, ſe Chriſtiano nomine inaniter glorientur, tanquam ſcorpiones fel in corde habentes, & mel in ore gerentes, ſe eſſe amici fideles morientium, piarum voluntatum executioni offerunt, & poſt eorum obitum de animarum redemptione non curantes, eas pias voluntates debitæ executioni renuunt demandare: quin potius, ac ſi hæredes juſti exiſtentes, ea, quæ in pios uſus legata exiſtunt, nituntur in propriis applicare. Volentes his abuſibus obviare, prout Nobis ab alto promittitur, & præſertim, quia ad hoc commonet Nos, & compellit Canon felicis recordationis DOMINI CLEMENTIS PAPÆ Quinti editus IN CONCILIO VIENNENSI. Vos omnes & ſingulos, cujuscunque ſtatus & conditionis ſitis, monemus primo, ſecundo, & tertio, & vobis in virtute ſanctæ obedientiæ, qui factionibus teſtamentorum interfuiſtis & intereritis, & præcipiendo mandamus, quatenus annis ſingulis in noſtra Synodo, quam annis ſingulis ac feria tertia poſt Dominicam *Cantate*, in præſenti noſtra Eccleſia tenere & ſervare intendimus, Nobis teſtamenta, in quibus legata ad cauſas pias, præſertim ad fabricam iſtius Eccleſiæ noſtræ Trajectenſis fiunt, quæ per eos executores & manufideles non fuerint executioni mandata, & nomina executorum, & de præteritis inſtructionem plenariam, Nobis per vos vel per alios fideliter referatis: quod ſi in prædictis vos de negligentia notari contingat, ad pœnas debitas procedemus. Cœterum de hinc noſtrum proceſſum, &c. videbitis.

Heusden Batavia ſacra pag. 195.

Epiſtola

Epiſtola decima quarta Synodica.

Statutum JOANNIS AB ARCKEL, Epiſcopi Ultrajectini,

Pro fabrica Eccleſiæ Sancti Martini perficienda inſtructio Epiſcopalis.

PLacet Domino Epiſcopo, quod Eccleſiarum Rectores, & Presbyteri per ſuas civitates & Diœceſim Trajectenſem conſtituti, quartam partem de petitionibus & legatis, per ipſos collectis & acquiſitis, ſeu impoſterum acquirendis per eas, ad opus novæ fabricæ Eccleſiæ Trajectenſis ſuæ prælibatæ, dummodo bene & fideliter reportaverint, & Procuratores novæ fabricæ Eccleſiæ Trajectenſis prædictæ effectualiter ſenſerint, ad arbitrium prædictorum Procuratorum licite recipere valeant, in munera earundem, licet alias per ſuos certos proceſſus inhibuerit, ne quis eorum de dictis Collationibus, petitionibus & legatis quidquam acciperet.

Item præcipit eiſdem in virtute obedientiæ, ut quiſquis eorum recipiat extunc cedulam indulgentiarum, dictæ ſuæ Eccleſiæ conceſſarum, & eam ſcribat in Miſſali, ac publicet ſuis ſubditis ipſas indulgentias omnibus diebus Dominicis & feſtivis, prout in eisdem continetur, ne a modo Eccleſia ſua prædicta Trajectenſis gravetur laboribus & expenſis, immitendo dictas cedulas Eccleſiarum Rectoribus & ſubditis ſibi Presbyteris.

Item præcipit Proviſoribus, & Decanis Chriſtianitatis, ut quilibet eorum ſemel in anno, ad unam certam diem & locum determinatum, quos ad hoc præfixerit * q-q ; Omnes & ſingulos Curatos Eccleſiarum & Presbyteros in ſuo Decanatu exiſtentes,(a) ac eiſdem præcipiat, ut oblationes & petitiones petitas, ac legata ad opus dictæ fabricæ Procuratoribus infra menſem, poſt notificationem ipſis factam, reportent fideliter, ut tenentur.

Item præcipit dictis Curatis & Presbyteris in virtute ſanctæ obedientiæ, ut ipſi præcipiant ſuis ſubditis omnibus & ſingulis, & legata dictæ fabricæ detrahentibus & detinentibus, ut infra menſem poſt inſinuationem eis factam, hujusmodi legata Procuratoribus dictæ fabricæ perſolvant, ſeu eiſdem cautionem ſufficientem faciant.

Heusden Batavia ſacra pag. 196.

(a) *Supple :* convocet.

Gerlaci, Archi-Epiſcopi Moguntini,

Declaratio ſuper Concilio PETRI.

GERLACUS, DEI GRATIA, SANCTÆ MOGUNTINÆ SEDIS ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII ARCHI-CANCELLARIUS, &c. HONORABILIBUS VIRIS: JOHANNI PRÆPOSITO, BORCHARDO DECANO, TOTIQUE CAPITULO ECCLESIÆ HALBERSTADENSIS, SALUTEM CUM SINCERA IN DOMINO CARITATE.

QUia, ut a vobis intelleximus, nuper proh dolor! Eccleſiæ veſtræ Concanonicus, per quosdam cives veſtræ civitatis Halberſtadenſis, in ſtrata publica, intra muros civitatis ejuſdem, enſibus evaginatis, violenter fuit invaſus & occiſus; Nos veſtra circumſpecta dilectio duxerat conſulendos: nunquid pro eadem occaſione, ſicuti pro captivitate ejuſdem, vel alterius Clerici, ſi hoc eveniſſet, ſint ſtatuta *Concilii generalis obſervanda*, & ad hoc ejus decreta rationabiliter ſe extendant, veſtri dubii rationes quamplurimas annectentes;

Super

Super quibus veſtræ circumſpectæ dilectioni ſic duximus mandandum: quod eodem Concilio, olim ſano atque maturo conſilio, & matura deliberatione præhabita per felicis recordationis Dominum *Petrum*, Archiepiſcopum Moguntinum, Prædeceſſorem noſtrum, cum noſtris Suffraganeis peracto, contigit per aliquos Juriſperitos in civitate ipſa Moguntina, & ejus Diœceſi, de eodem caſu, quem movetis, ſollicite dubitare; propter quod ipſe Dominus *Petrus*, Princeps & Auctor ejuſdem Concilii, cum ſapientibus atque peritis, deliberatione præhabita, ex forma & continentia, ac manifeſta eorundem ſtatutorum Provincialium, fecit unum ſuum Synodale ſtatutum talis temporis.

" Innoteſcere volumus, & tenore " præſentium declaramus: quod ſtatuta " contra captivatores Clericorum, per " Prædeceſſores noſtros, & Nos edita, " ad occiſores, & mutilitatores eorundem extendantur; nolentes, ut de " hoc de cætero, vel in Judicio, vel " extra, aliquod dubium habeatur."

Quod quidem ſtatutum, quod eſt declaratorium antiquorum Provincialium ſtatutorum prædictorum, publicatum in noſtris ſanctis Synodis, continue cum eis ſervamus, & cuſtodimus, & ſervari volumus, & mandamus a noſtro Clero reverenter, quod & vobis præſentibus indicamus. Scribimus etiam vobis confidenter, quod, ut præmittitur, fecit ipſe idem ſtatutum Synodale ex forma & continentia, ac mente manifeſta eorundem ſtatutorum, ut credimus.

I. Ex eo, cum hoc ipſo Clericus etiam in Equo exiſtens detinetur, capi cenſeatur, longe iniquius, qui ad mortem invaditur, detentus eſt, cum non ſit veriſimile, ſi non eſſet prius detentus, & circumvallatus, & captus, quin potius evaderet, quam mortem ſubiret.

II. Præſumendo argumentum a minori, quod accipitur affirmative, & quod longe majus eſt delictum, occidere, quam captivare; Ergo, ſi in captivitate ceſſatur, multo fortius in occiſione. Nec obſtat, quod dici poſſit, quod aliæ pœnæ ſuper occiſione inflictæ non excludunt pœnas propter captivitatem inductæ (a): ſed exaggerant & augmentant eas propter immanitatem criminis. Non obſtat etiam, quod dicitur, quod declaratio Archi-Epiſcopi Moguntini Synodalis ipſius, ſe extendere poſſit ad Provinciam; videmus enim, quod & frequenter Archi-Epiſcopus Moguntinus Statuta & Synodalia, & conſuetudines Eccleſiæ Moguntinæ quoad ſuam Provinciam declarat; ad quod facit optime in prædictis Conſtitutionibus Synodalibus c. 1. *De Rapto*. c. 2. & 3. *De conſuetudine*, ad quod etiam optime facit, quod Archi-Epiſcopus poſſit Statuta Concilii declarare: nam conſtat, quod in majoribus, videlicet: in abſolutionibus & diſpenſationibus impendendis, juxta eadem ſtatuta, poteſt diſpenſare & abſolvere ſolus, etiam ad ſolam relacionem Epiſcopi de ſatisfactione, ubi agitur expreſſe de principali præjudicio partium, & eis non vocatis; multo fortius ergo poteſt Statuta Provincialia declarare, maxime ſecundum intellectum juris communis, ſecundum quod ipſa Statuta ſunt ordinata & injuncta. Quod autem idem ſit intelligendum in occiſore, & multo fortius, quam in captivatore, probat C. *De Rapto*, cum C. *Nos igitur*, & C. *Statuimus*, ſemper ſe referant ad præcedentia, & etiam in tantum ipſa Capitula ſe continuentur præcedenti, & ſe referant ad ipſum, quod potius ab aliquibus videantur paragraphi, quam Capitula; & dictum c. *Statuimus*, in fine concludit, quod præcedentia ſunt de mutilatoribus & occiſoribus Clericorum multo fortius obſervanda.

Hoc diligenti veſtræ Inquiſitioni tranſcribimus, ut animum veſtrum ex præmiſſis, & aliis, quæ vos movere poterunt, informetis.

Datum anno Domini MCCCLIV. in craſtino Nativitatis Beatæ MARIÆ Virginis.

Ex cod. MS. Bibliot. Monaſterii S. Petri Erphord. deſcripſit Cl. Schannat b. m.

(a) leges inductas.

Statu-

SYNODUS EYSTETTENSIS

Anno Christi MCCCLIV. Innocentii VI. Papæ II. Caroli IV. Imp. VIII.

Statuta Synodalia Episcopi BERTHOLDI, Burggravii Norimbergensis,

Hæc sunt Statuta Synodalia Reverendi Patris & Domini, Domini BERTHOLDI, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Venerabilis Ecclesiæ Eystetensis Episcopi promulgata, anno Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto, in die Sancti Galli Confessoris, in Ecclesia Eystetensi prædicta.

NOS (*a*) BERTHOLDUS, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Ecclesiæ Eystetensis, (*b*) *generalem Synodum* celebrantes, diligenti ac sollicita consideratione pensavimus, quod licet universis & singulis nostræ jurisdictioni subjectis, tamquam gregi Dominico Nobis commisso, vigilem debeamus curam impendere, & debitæ sollicitudinis remedia adhibere, primo tamen & principaliter officii nostri debitum in illos credimus exercendum, quorum vita & conversatio exemplum debet esse, & speculum aliorum, qui in partem sollicitudinis unà nobiscum vocati, in seipsis debent ostendere, quomodo alios in domo Dei oporteat conversari: ad quorum siquidem ædificationem congruam, & commissi sibi populi instructionem pariter & doctrinam statuta Synodalia subnotata, quæ in ipsa Synodo lecta fuerint, & edita, ac ab omnibus, quorum interest, approbata, ab universis Decanis & Camerariis nostræ Diœceseos per copiam haberi præcipimus, (*c*) quia in singulis convocationibus in Confratrum suorum præsentia recitari & publicari volumus, ac ab omnibus inviolabiliter observari.

De Prebendis diminutis.

LIcet jam dudum, jure & ratione hoc dictante, a Sanctis Patribus salubriter sit statutum, ut cuilibet Sacerdoti Vicario, Plebem seu Parochialem Ecclesiam gubernanti, ratum de ipsius Ecclesiæ proventibus assignari debeat, unde idem Sacerdos cum familia sua, decenter sustentari, jura Episcopalia exsolvere, & hospitalitatem caritativam valeat exhibere; ob hoc authoritate ordinaria statuimus, & districte & in virtute sanctæ obedientiæ precipiendo mandamus omnibus & singulis. . . Decanis & Camerariis, ut in suis Decanatibus Prebendas Vicariorum in scriptis annotent, sique ibidem sint aliquæ antiquæ

Ex codice chartaceo *MS. Vicariatûs Eystettensis*, quem *P. Ignatius Bonschab S. J.* A. 1759. 9. Julii ad me misit, descripsi, & contuli & remisi A. 1759. 7. *Augusti.*

(*a*) Bertholdus Burggravius Norimbergensis, construxit magnificum castrum Episcopale, post exauctoratum Albertum ab Hohenfels A. 1344. sublectus Alberto Bertholdus A. 1351.

(*b*) *Generalem* pro *totius* Diœcesis Synodo: alió sensu dicitur *Generalis* Synodus œcumenica.

(*c*) Berchtoldi in illustrissima Burggraviorum Norimbergensium gente nati, elogium justum dat *Gretserus in Catalogo Episcoporum Eystettensium*, recuso *Tomo X. novæ editionis pag.* 86. Episcopus XLV. fuit, ex Commendatore Provinciali in Prussia & Franconia, anno 1351. ætatis suæ XXXI. A Clemente VI. tiara Eystettensi redimitus Feria II. Rogationum, quæ tunc in VIII. Kal, Junii incidebat. Sedit annis XIV. Carebat ante Sacris Ordinibus, sed concessione Papæ statim, tamen gradatim, iis insignitus fuit. Obiit A. 1365. Sepultus in Monasterio Heilsbronnensi, in Gentilitio Burggraviorum sepulcro.

quæ diminutæ, aut ſiquæ ſint ibidem minus ſufficientes pro labore & ſuſtentatione Sacerdotum, & Nobis hujuſmodi diminutionem & inſufficientiam in ſcriptis infra menſem aſſignent cum effectu, quia circa hoc ex officio noſtro, prout tenemur, intendimus providere.

De non amovendis Sacerdotibus.

Item ſtatuimus & præcipimus univerſis Eccleſiarum Rectoribus, ne Sacerdotes, inſtitutos in Eccleſiis, aliquatenus amovere preſumant, niſi amotionis cauſa ſufficiens coram nobis probata fuit & oſtenſa.

De non admittendis perſonis extraneis.

Item ſtatuimus & precipimus, ut Decani & Camerarii nullum Sacerdotem extraneum & ignotum ad conſortium ſuæ fraternitatis admittant; niſi ſuper receptione ſua noſtras eis exhibeat literas ſpeciales, & niſi eis veraciter conſtet, quod alias pro ſuis non ſit ejectus exceſſibus & repulſus.

Ut quælibet Parochialis Eccleſia proprium habeat Sacerdotem.

Adjicimus etiam ſtatuendo, quod quælibet Parochialis Eccleſia proprium habeat Sacerdotem, qui ipſam gubernet & reſideat in eadem, ut ſolitum eſt ab antiquo, ſi ipſam Parochiam tenens privationis penam, quam jura infligunt, voluit evitare; niſi facultates Eccleſiæ ſint ita diminutæ, ut ipſam regens reſiſidendo in eadem commode non valeat ſuſtentari.

De perpetuis Vicariis præſentandis.

Item ſtatuimus & precipimus, ut infra inſtantem octavam Epiphaniæ, ad ſingulas Parochiales Eccleſias, quarum ad hoc facultates ſufficiant, perpetui Nobis Vicarii præſententur, alioquin extunc Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto.

Ut veri Paſtores de bona vita Vicariorum ſuorum diligenter inquirant.

Item ſtatuimus & univerſis veris Paſtoribus in virtute ſanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus diſtricte, ut de vita, converſatione, moribus, & idoneitate Vicariorum ſuorum, antequam Nobis per Nos inſtituendi in Eccleſiis preſententur, diligenter inquirant: & ipſis preſentatis & inveſtitis ſimiliter omni anno de vita & converſatione ac modo regiminis ipſis commiſſi, ne ſanguis ſubditorum de manibus ipſorum requiratur, inquirere non obmittant, & eos, quos incontinentiæ vitio maxime laborare invenerint, a tempore, quo exceſſus hujuſmodi ad eorum pervenit notitiam, noſtris vel Officialis noſtri, qui pro tempore fuit, deferant ſimiliter auribus infra menſem, alioquin contra ipſos Paſtores ad penam ſuſpenſionis ab Officio & Beneficio, in quantum poterimus, procedemus.

De Sacerdotibus concubinariis.

Cum curam animarum gerentes debeant mundis manibus Eccleſiaſtica Sacramenta pertractare, Deo Sacrificium non pollutis manibus offerre; Ut autem commiſſi regiminis curam valeant ſalubriter exercere, mandamus omnibus & ſingulis. . Decanis, Camerariis, Rectoribus, Plebanis, Viceplebanis, nec non Vicariis per totam noſtram Diœceſim conſtitutis, qui hactenus publici & notorii fornicatores & concubinarii fuerant, concubinas in domibus ipſorum publice tenentes, eis manifeſte cohabitando; quatenus infra menſem a publicatione preſentium concubinas ſuas de domibus & habitationibus ipſorum ejiciant & amoveant cum effectu, a familiaritate eorum de cetero omnino abſtinendo, alioquin dicto termino elapſo tales manifeſti & notorii concubinarii ab ingreſſu Eccleſiæ & a Divinis noverint ſe per nos fore ſuſpenſos, quas ſententias ſuſpenſionis in ipſo extunc, prout exnunc ferimus in his ſcriptis, mandantes nihilominus ſub pœna prædicta omnibus Decanis & Camerariis per totam noſtram Diœceſin conſtitutis, quatenus omnes Sacerdotes concubinarios, publice concubinas in domibus ipſorum poſt admonitionem, & contra prohibitionem noſtram premiſſam amplius tenentes, ab ingreſſu Eccleſiæ & a Divinis per Nos fore ſuſpenſos, publice in omnibus convocationibus veſtris denuntietis & per Confratres veſtros alios in ſuis Eccleſiis Parochialibus eoſdem denuntiari procuretis; Nomina quoque ipſorum concubi-

cubinariorum, ut prædicitur, Nobis vel Officiali nostro, qui pro tempore fuit, infra mensem a tempore concede (*d*) notitiæ computandum, literis vestris volumus intimari. Quod si non feceritis, mandatis nostris in hac parte non obediendo, contra vos, in quantum de jure potuerimus, ad graviores pœnas indubitanter procedemus. Insuper sub pœna prætacta damus vobis firmiter in mandatis, ut singulas Clericorum concubinas per evidentiam facti notorias, si amplius ab hujusmodi vitio, competenti monitione præmissa, cessare noluerint, excludatis, & per alios Confratres vestros excludi faciatis penitus a Divinis, nec eis presentibus, aut in cimiterio stantibus, Divina Officia per vos & per alios Confratres vestros ullatenus celebrentur.

Sequitur de Tabernariis & Lusoribus.

Statuimus insuper & prohibemus sub pœna prædicta, ne quicunque Clericus in quocunque Ordine, maxime tamen in Sacerdotali Ordine constitutus, tabernas a modo frequentare, aut ludos taxillares continuare præsumat, alioquin lusor hujusmodi totiens Nobis nomine pœnæ teneatur in tanto, quantum eum per ludum hujusmodi lucratum fuisse constiterit, seu amisisse. Tabernarii vero si tertio moniti per Decanos suos a frequentatione tabernarum abstinere noluerint, a consortio Fratrum, nec non a tota nostra Diœcesi, tamquam incorrigibiles excludantur. Clerici similiter officium tabernariorum publice & personaliter exercentes, de cetero, si infra mensem, a tempore incepti officii prædicti numerandum, non cessaverint, aut si post cessationem amplius dictum officium resumpserint, ipso facto privilegio Clericali noverint se per Nos in personis eorum fore privatos, ac a consortio Confratrum & a tota Diœcesi nostra per Decanos penitus excludantur. Insuper Clerici, qui Clericalis Ordinis dignitati non modicum detrahentes, se jocolatores seu histriones faciunt in publicis spectaculis per instrumenta musicalia, vel per quemcumque alium modum exquisitum spectaculum suorum corporum in publico faciant, si per duos menses artem illam ignominiosam exercuerint, ut prædicitur, ab ingressu Ecclesiæ & a Divinis noverint se suspensos. Quas sententias suspensionis in ipsos ex tunc prout ex nunc ferimus in his scriptis. Clerici quoque nutrientes comas & barbas in verecundiam & destructionem honestatis Clericalis tamdiu sint a perceptione decimarum & omnium fructuum Beneficiorum suorum suspensi, quamdiu eas indecenter nutrire præsumunt, nisi hoc faciant ex honesta causa vel ex rationabili alia causa. Clerici etiam, & maxime Sacerdotes tonsuras congruentes non deferentes, seu crines non præcidentes, per Decanos eorum tondeantur & præcidantur, seu ipsos tonderi & præcidi procurent & compellant, si indignationem nostram & correctionem velint evitare.

De Vestibus Clericorum.

Sacra insuper Synodo approbante statuimus, ut, sicut in statu Clerici a laicis differunt, sic & in habitu sint distincti. Clerici Beneficiati pannorum coloribus a jure prohibitis, videlicet rubris, viridibus, & maxime in caleis (*e*) non utantur; sed vestes deferant nimia brevitate vel longitudine non notandas. Sacerdotes vero vestes talares curent deferre, non manicas longas, & pendentes formari sibi faciant, prout laici abusive solent deferre. Amplam quoque vestem desuper deferant, non cinctam, maxime cum fuerint in publico spectaculo vel platea, seu in Ecclesia; pileis etiam & cultellis magnis fixoriis aut gladiis, seu cuspidibus, vel aliis armis quibuscumque non utantur, nisi forsitan fuerint in itinere constituti, vel alia necessitas, aut metus corporis ipsis incumbat.

Nolumus insuper, imo prohibemus omnino, ne Sacerdotes maxime, aut quicumque alii Diœcesis nostræ Clerici calceos rostratos, seu per superstitiosam curiositatem incisos portent: alioquin, quotiescumque in præmissis, aut aliquo præmissorum deliquerint, totiens Nobis nomine pœnæ in quinque solidis Hallerorum brevium per superiores eorum irremissibiliter repetendis teneantur.

De

(*d*) *lego*: conceptæ, *vel* conquisitæ, *vel* communicatæ notitiæ. (*e*) *lego*: calceis

De habenda visitatione per Decanos & Camerarios.

Præterea statuimus, & Decanis, & Camerariis sub pœna suspensionis ab Officio & Beneficio districte præcipimus & mandamus, ut assumptis sibi juratis Confratribus Decanatus illius, singulis annis duabus vicibus, videlicet primo post Festum S. Jacobi infra mensem, secundo infra Adventum, & Nativitatem Domini immediate sequentem, omnes Confratres suos in unum locum convocent causa visitationis habendæ, aut singulas eorum Parochias sigillatim accedant, super excessibus eorum inquirendo, & excessus eorum inquisitos nostris auribus deferatis infra mensem, aut Officiali nostro, qui pro tempore fuit; & hæc statuta nostra Synodalia auribus ipsorum tunc seriosius inculcare curetis.

Ne Monachi regant Parochias.

Statuimus insuper districtius prohibentes, ne Monachi, aut quicumque alii Religiosi, seu Clerici, & Sacerdotes sæculares, cujuscumque conditionis existant, absque nostra licentia speciali & instructione, ac commissione regiminis animarum, præsumant Parochiales Ecclesias regere, & tenere; alioquin ipso facto ab ingressu Ecclesiæ & a Divinis sint suspensi, qua suspensione durante, si se Divinis ingesserint, laqueum irregularitatis non evadent, a qua nisi per Sedem Apostolicam valeant absolvi.

De Sacramento Eucharistiæ.

Cum Sacramentum Eucharistiæ, propter sanctitatem in se contentam sit excellentius ceteris Sacramentis, & tamquam solus Deus debeat adorari, hoc Sancta Synodo approbante statuimus: ut cum Sacerdos cum Sacramento Eucharistiæ visitat & procurat infirmum, si totum Sacramentum expenditur adeo, quod nihil remaneat in conservatorio seu vase, in reditu Sacerdotis extinguatur candela, & nola aliquatenus non pulsetur; ne fideles vas adorando vacuum idololatriæ vitium incidant, vel incurrant; si autem aliquid superfuerit de hujusmodi Sacramento, Sacerdos per se ipsum, vel per Sacerdotem alium, vel Ministrum ad hoc aptum, utpote Diaconum, non per Scholarem, vel Ministrum alium, quantumcunque via difficilis fuerit vel extensa, ad Ecclesiam ipsum referat vel reportet, alioquin hoc non observans, præter ultionem Divinam ad arbitrium nostrum gravissimæ subjaceat ultioni.

De Confessionibus audiendis.

In Confessionibus vero audiendis illam præcipue diligentiam Sacerdotes observent, ut a pœnitente peccata usitata & gravia sigillatim, inusitata vero per quasdam rerum circumstantias caute perquirant, ne inexpertis detur materia, quod ante nescierant, perpetrandi. In communiori quoque loco Ecclesiæ & suspicione carente sedeant Sacerdotes, cum confessiones audiunt, & in spiritu lenitatis audiant, & instruant confitentem. Immo specialiter inhibemus, ne aliquis Sacerdotum in casibus Nobis, & Episcopis reservatis, maxime notoriis aliquiem presumant absolvere in foro pœnitentiæ, nisi ex speciali commissione nostra vel Pœnitentiarii nostri vices nostras in hac parte gerentis. In satisfactionibus vero injungendis minora (a) majoribus reserventur, in minoribus autem secundum quantitatem culpæ & qualitatem delinquentium se teneant, atque regant. Caveant etiam Sacerdotes, ne verbo, signo, nutu, aut alio quovis modo prodant aliquatenus confitentem: quoniam qui peccatum in confessione sibi relatum publicare præsumpserit, non solum ab omni Officio Sacerdotali deponendum decrevimus, verum etiam ad agendam pœnitentiam perpetuam in arctum Monasterium detrudendum. Sciant insuper Sacerdotes, quod juxta doctrinam Canonum infirmis non est injungenda pœnitentia, sed tantum innotescenda. Ita quod satisfactionis impossibilitas Domini nostri Jesu Christi Passione, suique pretiosi sanguinis effusione suppletur. Item confessio nulli proderit, nisi vere contrito.

Isti sunt Casus Domino nostro Episcopo specialiter reservati, in quibus præter specialem Commissionem nullus neque sæcularis, nec Religiosus sive Presbyter absolvere habet confitentem.

Primo absolvere excommunicatos majori excommunicatione alicui simplici Sacerdoti non competit, sed Domino Epi-

(a) *forte:* majora.

Episcopo, vel ejus vices in hac parte gerenti.

Item non possunt absolvere blasphematores Dei & Sanctorum.

Item non possunt absolvere sortilegos, *incantatores.* (*a*)

Item ad Dominum Episcopum spectat quorumlibet votorum commutatio.

Item male ablatorum incertorum vel certorum, quando non extant hi, quibus facienda est restitutio.

Item, qui clandestine contrahunt matrimonia, vel contra interdictum Ecclesiæ, ad Dominum Episcopum remittantur.

Item reservatur absolutio Domino nostro Episcopo ab omni enormi publico crimine.

Primo videlicet, quia a nullo homicidio voluntario, vel casuali, alius Sacerdos potest absolvere, nisi Dominus noster Episcopus.

Etiam, qui opprimunt infantes ex proposito, vel ex casu.

Item a crimine perjurii absolutio Domino nostro Episcopo a jure reservatur.

Item a falso testimonio, seu instrumento.

Item ab Incestu.

Item a corruptione Monialium.

Item a coitu cum brutis.

Item a peccato contra naturam.

Item a Sacrilegio.

Item ab adulterio & aliis consimilibus criminibus notoriis Dominus noster Episcopus poterit absolvere. Et præmissorum absolutio sibi soli extitit a jure reservata.

Ne pro ministrandis Sacramentis aliquid exigatur.

Volumus & districtissime præcipiendo prohibemus, ne Sacerdotes pro ministrandis Sacramentis, vel pro sepultura fidelium munera quantumcumque modica exigant, aut extorqueant a suis subditis, more contrahentium. Ipsis autem Sacerdotibus non interdicimus, ut si subditi eorum post Sacramentorum ministrationem, aut post funerum sepulturam laudabilem & devotam consuetudinem pro hujusmodi Sacramentorum ministratione a fidelibus introductam nollent observare, ad hoc Officium nostrum seu Officialis nostri implorando possunt licite coarctari . . . & ipsos conveniendo . . compelli.

De Observantia Feriarum & Jejuniorum.

Committimus insuper & mandamus universis Sacerdotibus & Vicariis Ecclesias Parochiales regentibus per nostram Diœcesim constitutis, ut subditum sibi populum ad condignam feriarum & jejuniorum observantiam inducant verbo pariter & exemplo.

De Baptismo.

Baptismum etiam cum suprema reverentia præcipimus celebrari, maxime in præscripa forma, & pondere verborum, in quibus virtus Sacramenti consistit in elemento aquæ, scilicet in his verbis: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Statuimus etiam & præcipimus universis, ut in baptismate tantum unus assumatur Patrinus ad impedimenta matrimonii precavenda. Precipimus etiam, quod nullus filiam Sacerdotis, qui ipsam (*b*) baptizavit, ducat aliquatenus in uxorem.

De damnatis ad mortem.

Volumus & strictissime prohibemus, quod Sacerdotes, cum confessiones illorum audiunt, qui propter eorum excessus suspendio, aut incendio traduntur, a consortum suorum proditione retrahant, sed eos potius in hac parte, an tales velint, an nolint prodere, propriæ voluntati relinquantur.

De prohibendis petitoribus.

Propter nimietatem Indulgentiarum & quorumdam Quæstionariorum turpitudinem & nequitiam prohibemus, omnes omnino & singulos petitores elemosynarum in Ecclesiis per totam nostram Diœcesin admitti, nisi super hys speciales nostras litteras valeant exhibere, quibus habitis, visis, & ostensis, nullus Quæstionarius laicus admittatur ad prædicandum in ambone in aliqua Ecclesiarum Verbum Dei, sed tantum ad indulgentias simpli-

(*a*) *Alia manu additum.*

(*b*) *forte:* ipsum

ſimpliciter exponendas. Inſuper prohibemus Quæſtionarios omnes & petitores admitti & maxime laicos conjugatos, qui non ſunt familiares Eccleſiarum, ad quas elemoſynas intendunt colligere, ſed ſunt extranei, & pro certa quota elemoſynarum collectarum conveniuntur ab his, qui Eccleſiis ſolent præeſſe. Et ſic cum ſuis uxoribus elemoſyna per eoſdem expenditur in periculum animarum ſuarum, nec non ſcandalum plurimorum, alioquin contra Sacerdotes, tales admittentes, ad pœnas graves procedemus.

Cum *ſancta & ſalubris ſit excogitatio pro Defunctis exorare*; ſtatuimus, & inviolabiliter obſervari mandamus, ut juxta conſuetudinem Cathedralis Eccleſiæ noſtræ omnes & ſinguli cujuslibet Decanatus Confratres annis ſingulis feria ſecunda ante Feſtum Dedicationis ipſius Eccleſiæ noſtræ, omnium Confratrum ſuorum memoriam Defunctorum apud aliquem locum ad hoc aptum cum Miſſa & Vigiliis præcedenti nocte *Placebo* celebrent ſolemniter & devote.

De Decimis ſolvendis.

Expedit, ut iſte Titulus populo publicetur per Plebanos.

Cum decimæ ſint tributa egentium animarum, quas ſibi Dominus in ſignum univerſalis Dominii reddi præcepit, easque pro cultu ſuo Clericis conceſſit exhibendas ſecundum *Canonum Sanctiones*: Nos prædictis rationibus & juribus freti ſtatuimus declarantes, quod laici decimas de agris, pratis, hortis, & arboribus, nec non de omnibus fructibus, Clericis, ſeu Parochialibus Eccleſiis, nullis deductis expenſis, ſive meſſorum pretium, vel aliorum mercenariorum, ſeu familiæ eorundem, etiamſi de uno fundo & uno anno pluribus vicibus creſcant, atque proveniant plures fructus: & ſimiliter de animalibus, & aliis rebus, licite acquiſitis ſine fraude, quidlibet tribuant integraliter & exſolvant. Alioquin in his excedentes, & minus debite exſolventes, ſi manifeſti fuerint, & poſt ammonitionem ac juſſum non ſatisfecerint Sacerdotum, ad Divina non admittantur, nec eis Eccleſiaſtica ſacra miniſtrentur, & ſi in hujusmodi pertinacia deceſſerunt, Chriſtiana careant ſepultura. Si autem occulti fuerint, poſtquam in judicio animarum ad ſolutionem moniti fuerint atque juſſi, ad damnationis periculum ipſi ſuis conſcientiis relinquantur. Firmiter etiam præcipiendo mandamus, ut Decani, Camerarii, Rectores, Plebani, & alii noſtræ Diœceſeos Clerici, quibus officium prædicandi & confeſſiones audiendi eſt injunctum, publice in ſermonibus ſuis, præcipue in Dominicis diebus Quadrageſimæ, & in feſtis Aſcenſionis Dominicæ, Pentecoſtes, Nativitatis Domini, beati Joannis Baptiſtæ, Aſſumptionis & Nativitatis Virginis glorioſæ, ac etiam occulte informent populum ſibi commiſſum, ut ſecundum modum ſuperius expreſſum decimam dent & exſolvant.

Sequitur, quod omnis Chriſtianus confiteatur ſemel in anno proprio Sacerdoti omnia peccata ſua.

Expedit, ut iſte Titulus populo ſæpius publicetur per quemlibet Plebanum.

Item ſtatuimus, ut juxta CONCILIUM GENERALE " omnis utriusque ſexûs
" quilibet Chriſtianus, poſtquam ad an-
" nos diſcretionis pervenerit, ſolus omnia
" peccata ſua ſemel in anno proprio Sa-
" cerdoti maxime in Quadrageſima con-
" fiteatur. Et in Cœna Domini, ut in die
" Paraſceve, aut in die Paſchæ devote cor-
" pus Chriſti ſuſcipiat, niſi de ipſius Sa-
" cerdotis ſui conſilio ex cauſa rationabili
" a ſuſceptione hujusmodi abſtineat illa
" vice. Alioquin & vivens ſanus ab in-
" greſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens
" Eccleſiaſtica careat ſepultura.

De clandeſtinis Matrimoniis prohibendis.

Clandeſtina Matrimonia contrahi omnino prohibemus, & Plebanos noſtræ Diœceſeos talibus Matrimoniis intereſſe, & auctorizare eadem omnino deteſtamur, ſed in duorum aut trium teſtium præſentia ipſa contrahantur, per quos, ſi quæſtio ſuper his emerſerit, veritas comprobetur.

Immo volumus & ſtatuimus, ut cum aliqui velint contrahere Matrimonium, quod Plebanus eorum prius in Eccleſia ſua publice nominet perſonas contrahere volentes, & moneat omnes ſuos Parochianos, ſi aliquis eorum ſciat & noverit aliquod impedimentum conſanguinitatis, ſeu affinitatis, ſeu compaternitatis,

ſeu aliquod aliud impedimentum, quod iſte tale impedimentum infra quindenam opponat, & ad audientiam ſuam deferat, & tunc audita probabili conjectura contra contractum celebrandum, contractus per eundem contrahere volentibus expreſſe interdicatur; Si autem aliqui contra noſtram & juris inhibitionem matrimonium clandeſtine contraxerint, talis contractus de jure cenſetur fore legitimus, niſi aliquod canonicum obſiſtat impedimentum, quod ſit efficax ad contractum habitum dirimendum.

De Laicis tumulantibus corpora mortuorum in loco interdicto, aut publice excommunicatorum.

Expedit, ut iſte Titulus populo publicetur per quemlibet Plebanum.

Ex Statutis *Concilii Moguntini* collegimus, ſtatuimus, & mandamus, ut quicumque laici noſtræ Diœceſis amodo intra cimiterium loci interdicti aliquod corpus, ſeu corpora mortuorum, aut publice excommunicatorum etiam in loco non interdicto ſepelire præſumpſerint, aut qui talia præſumentibus opem vel operam quocumque modo adhibuerint in hac parte, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto, a qua non niſi per Metropolitanum poſſunt abſolvi; ita quod non reſumantur Divina, niſi ſepulta taliter corpora fuerint exhumata, vel per Nos abſoluta.

De (a) *Laicis ſpoliantibus Sacerdotes defunctos.*

Expedit, ut iſte titulus publicetur populo per quemlibet Plebanum.

Contra laicos inſuper Patronos ſeu Advocatos Eccleſiarum, aut quoſcumque alios laicos, qui poſt mortem Paſtoris aut Vicarii ipſum defunctum ſpoliant univerſis rebus mobilibus ſuis, ſtatuimus, ut Eccleſia, in qua defunctus taliter Clericus fuerit ſpoliatus, interdicto Eccleſiaſtico ſit ſuppoſita ipſo facto. Nolentes, ut alius Sacerdos Succeſſor reparatam ipſam ante reſtitutionem omnium ablatorum & ſatisfactionem plenariam aliquatenus officiare præſumat, alioquin Sacerdos hujuſmodi præter irregularitatem, quam ex hoc contrahet, excommunicationis ſententiam incurrat ipſo facto, relaxationem vero ſententiarum hujuſmodi tam excommunicationis in perſonam, quam interdicti in Eccleſiam, ſolum Metropolitano noſtro, ſeu Romano Pontifici duximus reſervandam. Inſuper ſtatuimus, ſive ſit Clericus, ſive Laicus Patronus, qui defuncto Paſtore vel Vicario, Sacerdotem ſpolians, vel Eccleſiam, ſit in pœnam a jure præſentandi ea vice ſuſpenſus, & immediatus Superior Eccleſiam conferat illa vice.

De Captivatoribus Clericorum.

Expedit, ut iſte titulus populo publicetur per quemlibet Plebanum.

Contra captivatores, occiſores, mutilatores, ſeu vulneratores Canonicorum, etiam in minoribus Ordinibus exiſtentium, & cæterorum quorumcumque Clericorum, pro Clericis ſe gerentium, aut aliarum Eccleſiaſticarum quarumlibet perſonarum ſtatuimus, quod omnes tales, & omnis eorum, ab ipſis utriuſque ſexus deſcendens poſteritas, nec ad ſacros Ordines, nec ad aliqua Beneficia Eccleſiaſtica, nec in Clauſtris, nec in Cœnobiis noſtræ Diœceſeos aliquatenus admittantur abſque diſpenſatione noſtra ſpeciali: ſalvis aliis pœnis contra tales a jure editis & ſtatutis.

De Uſurariis.

Expedit, ut iſte titulus publicetur populo per quemlibet Plebanum.

Sunt nonnulli per diverſas Diœceſis noſtræ Parochias & loca conſtituti fidem Chriſtianam profeſſi, qui lucris uſurarum inſiſtere, & contractus illicitos exercere præſumant, propter quod univerſis Eccleſiarum Rectoribus, Plebanis & Vicariis damus firmiter in mandatis, ut contra manifeſtos Uſurarios & alios, qui contractus illicitos exercent, pœnam *Lateranenſis Concilii* publicent ſolemniter coram plebe, ut videlicet nec ad communionem Altaris admittantur, nec Chriſtianam,

(a) Hujus conſtitutionis Berchtoldi contra ſpoliatores defunctorum Sacerdotum meminit *Gretſerus in Catalogo Epiſcoporum Eyſtettenſium* editæ A. 1364. poſtridie S. Martini, *Tomo X. oper. Gretſeri novæ editionis pag.* 861. Sed in codice chartaceo Synodi A. 1354. mihi communicato, ſubjungebatur hæc conſtitutio immediate veluti emanata in Synodo anni 1354.

nam, ſi in hoc puncto deceſſerint, accipiant ſepulturam. Nullus etiam Sacerdos oblationes eorum accipiat, quia eas & acceptas cogetur reddere, & ad noſtri arbitrium ab executione ſui officii noverit ſe ſuſpenſum.

Quod Parochiales Eccleſias regentes de cauſis Matrimonialibus, & aliis cauſis non cognoſcant, nec eas definiant.

Ad audientiam noſtram quoque ex fide dignorum relatione pervenit, quod nonnulli Decani, Camerarii, Rectores, Plebani, Viceplebani, & Vicarii noſtræ Diœceſis in gravem juriſdictionis noſtræ detractionem, & in ſuarum periculum animarum de cauſis Matrimonialibus cognoſcere, & eaſdem diffinire non verentur, & his, qui de contractibus Matrimonialibus coram ipſis accuſantur ſeu denuntiantur, negantibus dictos contractus ſuper ipſorum negationem publice in ambonibus ſuis corporalia deferrent juramenta, actoribus ſuper his perpetuum ſilentium imponendo, & jurisdictionem noſtram ſibi in hac parte uſurpando: inſuper, quod ſententias excommunicationis majoris in ſubditos ſuos auctoritate propria fulminare præſumunt, nec non perſonaliter ſuſpenſi & excommunicati, ac in præſentia publice majori excommunicatione excommunicatorum ſcienter ſe Divinis ingerere non erubeſcant; Mandata quoque Noſtra & Officialis noſtri ipſis injuncta vilipendendo, executioni mandare non curant. Et quia quilibet Sacerdos in ſua Conſecratione ad Sancta Dei Evangelia tacta jurat, quod ſit obediens ſuo Epiſcopo, ad cujus Parochiam extitit ordinatus; quapropter univerſis & ſingulis.. Decanis ruralibus, Camerariis, & aliis Eccleſiarum Rectoribus, Plebanis, Vice-Plebanis, & Vicariis per totam Diœceſin noſtram conſtitutis ſub pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ diſtrictiſſime ſtatuendo prohibemus, & ſub præſtitis in ipſorum conſecratione juramentis eos ſerioſe requirimus, & in Domino hortamur, ne de cauſis matrimonialibus, uſurarum, Decimarum, nec non de omnibus aliis cauſis & quæſtionibus Clericorum vel Laicorum, quæ judicialem indaginem expoſcunt, & quæ de jure aut conſuetudine ad forum Eccleſiaſticum pertinere dignoſcuntur, audiant, vel diffiniant, ſed eas decidendas ad Officialem noſtrum, qui pro tempore tunc fuit, adhibita diligentia transmittantur. Sententias etiam excommunicationis majoris in ſubditos ſuos fulminare ſub dicta pœna omnino prohibemus. Suſpenſi quoque perſonaliter vel excommunicati per Nos, vel Officialem noſtrum, qui pro tempore tunc fuit, in contemptum Clavium Eccleſiæ ſe Divinis ingerere non prætendant. Alioquin ipſo facto a jure & ſecundum Canonicas ſanctiones irregularitatem noverint ſe incurriſſe, a qua non niſi per Summum Pontificem, ſeu ejus Pœnitentiarium Beneficium abſolutionis poterunt obtinere. In excommunicatorum inſuper præſentia temere & ſcienter celebrare nullo modo pæſumant, alioquin poſt primam celebrationem ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo jure noverint ſe fore ſuſpenſos, & ſi ſic ſuſpenſi, & a dicta ſententia ſuſpenſionis per Nos non fuerint abſoluti, ſecundo ſe Divinis ingeſſerint, laqueum irregularitatis ipſo facto ſimiliter a jure non evitabunt. Vobis etiam firmiter damus in mandatis, in virtute ſanctæ obedientiæ firmiter præcipiendo, ut mandata noſtra, & Officialis noſtri vobis injuncta per vos executioni debite mandentur, alioquin quicumque ea temere abſque cauſa rationabili coram Nobis propoſita exequi neglexerit, ab ingreſſu Eccleſiæ noverit ſe fore per Nos ſuſpenſum. Contra tranſgreſſores nihilominus in præmiſſis ſeu aliquo præmiſſorum præter pœnas juris prætactas ad privationem Beneficiorum ſuorum juſtitia mediante procedemus.

Sequitur de Statutis quibusdam brevibus & cottidianis.

Poſt præmiſſarum autem conſtitutionum obſervantiam ſalutarem quædam ſtatuta ſpecialia, licet pauca ſint, & brevia, devotionem pariter ac ſalutem augentia, poſt dictas annectimus, quo propter eorum brevitatem & de facili obſervari poterunt & mentaliter retineri: quæque ab omnibus Diœceſis noſtræ Clericis ob eorum pro quibus ſunt inſtituta reverentiam ſingulis diebus obſervari monemus, volumus, & in Domino, quantum poſſumus obſecramus; primo, ut omnes Cle-

Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti noſtræ Diœceſis ſæculares, horas Canonicas legant, ſeu cantent ſecundum Breviarium Eccleſiæ noſtræ, ac Divina Officia alia quæcumque ſecundum ritum & conſuetudinem ejusdem Eccleſiæ noſtræ curent cum devotione celebrare: primo tamen volumus, ut poſt ſingulas horas Canonicas de Beata Virgine dicatur: *Salve Regina*, cum Verſiculo: *Ave Maria*, & Collectam: *Concede miſericors Deus* &c. Item quod cottidie ad gratiam ſubjungatur Collecta illa de Spiritu Sancto: *Aſſit nobis, quæſumus Domine, virtus Spiritus Sancti* &c.

Item, quod in omnibus Miſſis poſt elevationem Hoſtiæ ſalutaris Calix non ſtatim, niſi prius verba ad hoc pertinentia, diſtincte prolata fuerint, elevetur.

Item cum Hymnus: *Te Deum laudamus*, cantatur, aut dictus, ſeu lectus fuerit uſque ad illum locum: *Non horruiſti Virginis uterum*, ob reverentiam Beatæ Virginis quilibet reverenter ſe inclinet.

Item, quando in Matutinis Textus Evangelicus legitur, biretum, mitra, vel caputia deponantur.

Item, quod ſingulis diebus in Sacro tribus vicibus in omnibus Eccleſiis Parochialibus noſtræ Diœceſis fiat campanæ unius ſonitus, & tunc tam à Clero, quam a populo ad minus unum *Pater noſter*, & unum *Ave Maria* pro bono ſtatu Eccleſiæ noſtræ flexis genibus cum devotione dicatur.

Item diem Beatæ Catharinæ Virginis & Martyris eximie deinceps per totam Civitatem & Diœceſin noſtram ab omnibus cum ſolemnitate officii & obſervantia ſancta haberi volumus tamquam celebrem & feſtivam.

Sequitur Feſtum Inſigniorum Paſſionis Chriſti, de novo inſtitutum

per Dominum INNOCENTIUM Papam VI. ad ſupplicationem Domini KAROLI Regis Romanorum quarti. Anno Domini Milleſimo trecenteſimo quinquageſimo quarto.

BERTHOLDUS, DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia, Epiſcopus Eccleſiæ Eyſtetenſis, Diſcretis Viris.. Decanis.. Camerariis, cæterisque Rectoribus.. Plebanis.. Viceplebanis, & Clericis per totam noſtram Diœceſin conſtitutis, Salutem & ſinceram in Domino caritatem &c.

Veſtram diſcretionem ſcire volumus, quod nuper Sereniſſimus Princeps & Dominus noſter, Dominus KARULUS, Romanorum & Bohemiæ Rex, ſemper Auguſtus, Nobis coram ipſo conſtitutis quandam litteram Sanctiſſimi in Chriſto Patris Domini Innocentii Sexti veræ Bullæ (a) more Curiæ Romanæ bullatam legi juſſit, & oſtendi, in cujus tenore continebatur, qualiter idem Dominus Papa ad laudem & gloriam Salvatoris noſtri Domini JESU CHRISTI, & ſuæ Paſſionis reverentiam glorioſam, pro veneratione Inſtrumentorum ſalutiferorum ejusdem Dominicæ Paſſionis, videlicet: LANCEE & CLAVORUM a cunctis Chriſti fidelibus honorandorum, nec non ad ſupplicationem cujusdam Domini Regis illuſtris, qui in ſua cuſtodia prædictam Lanceam, & unum de Clavis, ſicut ceteri Imperatores & Reges Romanorum hactenus obtinuerunt, pro Inſigniis Imperialibus, dinoſcitur obtinere, de præmiſſis Lancea & Clavis, Dominicæ Paſſionis Inſtrumentis, ſpeciale feſtum ſingulis annis feria ſexta proxima poſt octavam Reſurrectionis Dominicæ ab omnibus Chriſti fidelibus in Alamaniæ & Bohemiæ partibus ſolemniter celebrandum inſtituit, & cauſam ordinavit, addens tres annos & tres Quadragenas Indulgentiarum omnibus fidelibus pœnitentibus & confeſſis, qui eodem feſto Eccleſiam ſeu Capellam, in qua hujusmodi inſtrumenta recluduntur, viſitaverint annuatim; nec non centum dies Indulgentiarum his, qui in præſentia prædicti Domini Regis, & ſuorum ſucceſſorum Imperatorum, & Regum Romanorum Catholicorum Miſſæ & Horis Canonicis interfuerint in Feſto præfato. Inſuper mandavit Nobis, ac aliis Alamaniæ & Bohemiæ Archi-Epiſcopis & Epiſcopis, ut prædictum Feſtum die præfata annis ſingulis celebraremus, & faceremus a no-

(a) Bullam integram habet *Gretſerus in Syntagmate de Inſignibus Imperii, Tomi I. Operum Gretſeri novæ editionis in Mantiſſa pag.* 109. una cum Apologia contra hæreticos & pſeudo-criticos. Item *Raynaldus in Annalibus Eccleſiaſticis* ad annum 1354. No. 18. *Pagi* hiſtoriam refert *in Breviario geſtorum Pontificum Romanorum Tomo IV. in vita Innocentii VI. No. XIII. pag.* 157.

noſtris ſubditis celebrari. Volentes itaque Apoſtolicis & Regalibus obedire mandatis, ut tenemur, vobis omnibus & ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus prædictum feſtum in honorem Lancee & Clavorum, & aliorum inſtrumentorum Paſſionis Domini noſtri JEſu Chriſti prædicta feria ſexta proxima poſt octavam Reſurrectionis Dominicæ ſingulis annis ſolemniter celebretis, & veſtris Parochianis celebrandum denuntietis, & mandetis, ac in Libris Officialibus Eccleſiarum veſtrarum, in quibus cætera Sanctorum Feſta continentur, conſcribi faciatis; Officium vero ſpeciale hujus Feſti, quod idem Dominus Rex per ſuos Clericos fieri decrevit in Brevi, cum ad Nos pervenerit, recipiatis, & copiam vobis fieri faciatis. Datum

Raynaldus aſſerit Bullæ Innocentii VI. de feſto Lancææ & Clavorum celebrando exemplaria fuiſſe, miſſa ad Magdeburgenſem, Pragenſem, Colonienſem, Treverenſem, Moguntinum, Salisburgenſem, Bremenſem, Rigenſem Archi-Epiſcopos: eorumque Suffraganeos, quæ extant Romæ *in Regiſtro Epiſtolarum Innocentii VI.* poſt Bullam ipſam inſtituti feſti hic relatam ad annum 1354. No. 18.

De Feſtis Mobilibus. Et de Litera Dominicali. Item de diſtantia inter Nativitatem Domini & Dominicam Eſto mihi. *Item de propriis hominibus Eccleſiæ noſtræ diligenter inquirendis.*

Cæterum, ne Feſta Mobilia per annum futurum Sacerdotes & inexpertos Clericos lateant, ſcire debent, quod Adventus Domini in Dominica, in qua cadit Feſtum Sancti Andreæ Apoſtoli, & prædictum Feſtum anticipabitur, cum Officio ſuo Sabbato præcedenti, & ſic erunt tres ſeptimanæ, & tres dies ab Adventu Domini uſque ad diem Nativitatis Domini. Item Litera Dominicalis per totum annum futurum D. Item Septuageſima erit proxima die ante Purificationem Virginis Glorioſæ, & ſic erunt ſeptem ſeptimanæ a Dominica poſt Nativitatem Domini uſque ad Dominicam *Eſto mihi.*

Volumus inſuper & mandamus, ut omnes Sacerdotes Eccleſias regentes, tam in publico, quam in privato de propriis hominibus & ſervis Eccleſiæ noſtræ diligenter inquirant. Eos autem, quos invenerint, Nobis, in ſingulis quatuor Temporibus ad audientiam noſtram in ſcriptis curent deferre.

CONCILIUM ULTRAJECTINUM

Anno Chriſti MCCCLV. Innocentii VI. Papæ III. Caroli IV. Imp. VIII.

SUB JOANNE, EPISCOPO ULTRAJECTENSI,

EPISTOLA XV.

I. Quolibet anno Decretalis Gregorii IX. pro Cathedra publicetur.
II. Notorii exceſſus & teſtamenta infra annum ab obitu, non mandata executioni deferenda ad Synodum.

JOHANNES, Dei gratia, &c. Authoritate noſtra omnes & ſingulos Clericos, huic Synodali, *Quære A.* Eadem authoritate omnes & ſingulos Abbates, &c. *Quære B.* Inſuper præcipientes Proviſoribus, & Decanis, Eccleſiarum Curatis noſtræ Diœceſis ſupra dictis, ſub intimatione maledictionis æternæ conſtituta, *Quære N.* Præterea præcipimus omnibus & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus, ut quolibet anno ſemel vel bis Decretalem GREGORII IX., cum ipſorum Parochianorum major pars affuerit, in Eccleſiis ſuis prædicent & exponant, hujus continentiæ & tenoris: Is, qui fidem dedit mulieri ſuper matrimonio contrahendo, carnali copula ſubſecuta, etſi in facie Eccleſiæ aliam duxerit & cognoverit, ad primam redire tenetur; quia licet præſumptum primum matri-

matrimonium videatur contra præsumptionem, hujusmodi non est probatio admittenda. Ex quo sequitur, quod nec verum, nec aliquod censetur matrimonium, quod de facto est postmodum subsecutum. Præterea licet nos alias in *Synodo nostra generali* decrevimus statuendum, quod omnes & singuli Curati Ecclesiarum testamenta, vel ultimas voluntates suorum Parochianorum, infra annum a die mortis decedentium non executa, nec executas, nec non excessus notorios incorrectos, Nobis, aut Officiario nostro denunciarent; nihilominus tamen plerique Ecclesiarum Curati in præmissis negligentes existunt & remissi; hinc est, quod ipsis, & eorum cuilibet districte præcipimus injungendo, ut ante ipsorum a Civitate Trajectensi recessum, hujusmodi testamenta & excessus, sub juramentis ipsorum, Nobis, aut nostris Commissariis denunciare non obmittant. Si quis vero contrarium præsumpserit, contra eum cum animadversione condigna procedemus. Eadem auctoritate, &c. *Quære B.* Præterea cum nonnulli minus idonei, &c. *Quære O.* Eadem auctoritate negotium, &c. *Quære I.* Eadem auctoritate inhibemus, *Quære Q.* Eadem auctoritate monemus omnes debitores, &c. *Quære K.* Eadem auctoritate omnes & singulos dolose, &c. *Quære M.* Item in virtute sanctæ obedientiæ omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus, &c. *Quære P.*

Datum anno Domini MCCCLV. quarta die mensis Maji.

Heusden Batavia sacra pag. 196.

Joannis de Arckel, Episcopi Ultrajectini, EPISTOLA XVI.

JOHANNES, Dei gratia, &c. Cum nos alias, &c. *Quære N.* Eadem auctoritate omnes & singulos Abbates, &c. *Quære B.* Præterea omnibus & singulis Ecclesiarum Curatis civitatis & Diœcesis, quatenus constituta Canonum, & præsertim Concilii generalis, nec non Statuta *Provincialia*, & Prædecessorum nostrorum Episcoporum Trajectensium, & nostra *Synodalia* firmiter observent, nec non constituta Domini CLEMENTIS Papæ Quinti, in Concilio Viennensi edita, cujus tenor sequitur in hæc verba; " Eos, qui propriæ temeritatis audacia corpora defunctorum, non sine contemptu clavium Ecclesiæ, in cimiteriis interdicti tempore, in casibus non concessis a jure, vel excommunicatos publice, aut nominatim interdictos, aut usurarios manifestos scienter sepelire præsumunt, decrevimus ipso facto excommunicationis sententiæ subjacere, a qua nullatenus absolvantur, nisi prius ad arbitrium Diœcesani Episcopi eis, quibus per præmissa fuerit injuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem, nullo eis circa præmissa exemptionis, vel quovis alio privilegio, sub quacunque forma verborum concesso, aliquatenus suffragante," in Ecclesiis suis, cum major multitudo populi affuerit, & quantum primum poterit, solemniter publicari procurent.

Datum anno Domini MCCCLV. secunda die mensis Octobris.

Heusden Batavia sacra pag. 196.

Potestatem Provisorum ac Decanorum per terminos Hollandiæ, Zelandiæ, limitamus secundum moderationes inscriptas.

Leges circa Immunitatem Ecclesiasticam præfixæ.

ITem Provisor & Decanus non molestent aliquem super perjurio, pro eo, quod coram sæculari judice juramentum præstitit in judicio, (*) ac dictamen legum Patriæ, nisi contra illum qui juravit, sit tanta fama de perjurio, quod illa etiam judici temporali innotescat. In illo casu corrigetur de perjurio, convictus per Provisorem & Decanum. Emolumenta de correctione cum proventu

(*) *forte:* juxta.

ventu æqualiter dividentur inter Provisorem, & Decanum, & Judicem loci temporalem. Item confugientibus ad emunitatem Ecclesiarum, Provisores & Decani habent potestatem extrahendi eos, quos de jure Ecclesiastica emunitas non defendit, videlicet illos, qui de cimiterio exeuntes homines spoliant, aliena rapiunt, & violentias committunt, & ex tunc ad emunitatem Ecclesiasticam redeunt, & alia similia crimina committentes. Et ex cunctis talibus Provisor præsentare debet hujusmodi Dominis, Episcopo, & Archidiacono puniendos, si convicti fuerint per Judicem Ecclesiasticum seu temporalem, pro ut qualitas delictorum exegerit; videlicet, quod Clerici sic extracti, & quos emunitas Ecclesiastica non defendit de jure, per Judicem Ecclesiasticum corrigantur, & quod laici convicti, & quos emunitas Ecclesiastica non defendit de jure, ex emunitate, de qua ejecti sunt, remittantur, defensione emunitatis nullatenus gavisuri.

Judices Ecclesiastici non fulminent interdictum, sine causæ cognitione.

Item Provisores & Decani pro delicto singularis personæ vel secundarum personarum, non fulminent interdicti sententiam sine cognitione causæ.

Item de Clericis non portantibus tonsuram, & vestes Clericales, alias fuit ordinatum, quod infra certum terminum eis statutum se in tonsura & vestibus Clericalibus exhiberent, alioquin non gaudebunt privilegio Clericali. Et cum hoc ordinatum nunc existit de novo, quod volentes gaudere privilegio Clericali, pro eo, quod asserunt, se in minoribus Ordinibus constitutos, exhibeant se Provisori & Decano loci, & se faciant propriis nominibus eorum scribi pro Clericis, & tales gaudebunt privilegio Clericali, & si quis prædictorum Clericorum postea reperiretur delinquens enormiter, caperetur per Judicem sæcularem, Provisori vel Decano præsentandus est, & corrigendus secundum qualitatem delicti sui.

Item Provisor & Decanus non molestent homines super violatione Festorum, extra Synodum, nisi fuerit manifesta probatio contra impetendos seu molestandos, quos tunc Provisor & Decanus poterunt convictos de violatione corrigere, & non nisi per justitiam temporalem ad reparationem aggerum aut aliarum rerum, quæ servare non poterunt, compellantur.

Item de fornicatoribus & aliis delinquentibus observetur consuetudo hactenus observata, hoc salvo, quod mulieres maritatæ non vexentur super fornicatione seu adulterio, nisi fornicatio sit publica, vel sit accusata in Synodo.

Nec vexent aliquem per monitiones, aut excommunicationes, nisi legitime citatos.

Item, quod non molestentur aliqui per monitiones aut excommunicationes, nisi prius ita legitime citati fuerint, quod citatio probabiliter credi possit ad eorum notitiam pervenisse.

Non excedant in pecuniarum exactione.

Item, quod Provisores & Decani de citationibus suis & actis judicialibus, in receptione pecuniarum non excedant, sed se conforment in præmissis observantiæ Trajectensium Curiarum.

Item de proclamationibus & absentiis recipiatur, sicut prætaxatum est.

Item, quod officium Provisoris & Decani in quolibet Decanatu, per unam duntaxat personam idoneam exerceatur.

Nec incolæ Patriæ Trajectum protrahantur ad judicia.

Item, quod incolæ Patriæ, in quibus potestas Provisoris & Decani se extendit, non citentur Trajecti ad instantiam aliorum incolarum ejusdem Patriæ, dummodo citandi realiter in effectu juri parere voluerint coram Provisore & Decano, & Provisor & Decanus amoto quolibet impedimento libere valeant judicare.

Item de bonis Clericorum ad reperfectionem aggerum, & aquæductuum, ac viarum publicarum, quod de consuetudine Patriæ est observatum, de prædiis laicalibus erit observandum.

Statuta hæc a Joanne Syrichio usque ad J. Verneburgum, ex veteri libello, Goudæ Anno D. 1484. *impresso, qualicunque pro ævo isto latinitate, hic dedimus.*

Heusden Batavia sacra pag. 197.

SYNO-

SYNODUS PRAGENSIS PROVINCIALIS

Anno Christi MCCCLV. Innocentii VI. Papæ III. Caroli IV. Imp. VIII.

AB ERNESTO, PRAGENSI ARCHI-EPISCOPO I.

STATUTA LXVIII.

IN NOMINE SANCTÆ, ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

ARNESTUS, DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, SANCTÆ PRAGENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS; UNIVERSIS PRÆLATIS, CAPITULIS, CONVENTIBUS, PLEBANIS, ECCLESIARUM RECTORIBUS, CLERO, ET CLERICIS, AC CÆTERIS CHRISTI FIDELIBUS TAM RELIGIOSIS, QUAM ETIAM SÆCULARIBUS, PRAGENSEM PER CIVITATESM, DIOECESIM, ET PROVINCIAM, CONSTITUTIS, IN (*a*) OMNI SALVATIONE SALUTEM, ET PRÆSENTIUM OBSERVANTIAM, EX (*b*) FREQUENTI LECTIONIS STUDIO, SALUTAREM.

REX magnificus, *qui facit* (c) *mirabilia magna solus*, suum (*d*) magnificentiæ sinum aperiens, *nuper* (*e*) nostram Pragensem Ecclesiam per Sanctissimum in Christo Patrem, & Dominum, Dominum CLEMENTEM Papam VI. ad preces & solertem instantiam Serenissimi Principis & Domini nostri, Domini KAROLI, tunc (*f*) Marchionis Moraviæ, nunc vero Romanorum & Bohemorum Regis, in Metropolitanam erexit, & Archi-Episcopalis dignitatis titulo insignivit, Nos quoque super solium Pastoralis præeminentiæ ipsius Pragensis Ecclesiæ licet immeritos, sua tamen, ac ipsius Sedis Apostolicæ dignatione locavit. Idcirco ex injuncti Nobis officii debito, in hujus novitatis primordio, subditorum utilitati providere volentes *Summam aliquorum Canonum, & Constitutionum Provincialium* Ecclesiæ Moguntinæ, quæ olim in nostra Provincia tenebantur, ac etiam *Statutorum Synodalium* per Nos, & nostros Prædecessores editorum, quæ pro morum correctione & decisione causarum & casuum frequentius occurrentium magis utiles, & transgressoribus periculosiores judicamus, de unanimi consilio, & assensu Suffraganeorum, Capitulorum, & Conventuum, omnium quoque Prælatorum, Personatus, Dignitates, Officia Ecclesiastica regentium, plano & brevi stylo, ut facilius possint memoriæ commendari, in unum libellum duximus redigendum, quem, & nullum alium, pro Constitutionibus Provincialibus reputari volumus & haberi; omnes alias Constitutiones Provinciales Ecclesiæ Moguntinæ, & omnia Statuta Synodalia a Prædecessoribus nostris, *vel a* (g) *Nobis*, usque ad præsens edita, quo ad nostram Dioecesim

(*a*) in omnium Salvatore Salutem, *Archivium Pragense.* (*b*) ex, *omissum.*
(*c*) Psalmo LXXI, 18. (*d*) munificentiæ
(*e*) Anno 1344. 8. Kal. Maji, anno III. Pontificatus a Clemente VI. Pragensis Ecclesia fuit erecta in Metropolim, & subtracta Moguntinæ Provinciæ, cum jam ante A. 1343. pridie Kalendas Maji anno II. Clementis VI. Avenione Pallium eidem missum fuisset, & duas Suffraganeas Olomucensem & Litomislensem Ecclesias ac civitates obtinuisset. *Balbinus in vita Ernesti Archi-Episcopi I. Pragensis L. II. C. III. pag. 97. & sequentibus.*
(*f*) Post mortem Ludovici Bavari Imp. Augusti A. 1347. succedit Carolus IV. Joannis Bohemiæ Regis Filius.
(*g*) Anno 1342. vel prius, ante Archi-Episcopalem Dignitatem Statuta Dioecesana ab Ernesto edita suspicatur *Balbinus in vita Ernesti Lib. II. C. XV*: sed ea nunquam a se visa idem affirmat. *Loc. cit.*

cesim præsentibus non insitas, & insita irritantes; imo irritas, & irrita nuntiantes; & omni carere decrevimus roboris firmitate; Ut autem Constitutiones ipsæ ad singulorum perveniant notitiam clariorem, Venerabilibus Fratribus & Coepiscopis nostris, in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus: quatenus ipsas mox scribi faciant, & sibi procurent, ac singulis annis, *cum suas Synodos celebrant*, Clero suo earundem studium & observantiam, studiosius recommendent, Cathedralium vero & Collegiatarum Ecclesiarum Capitula habeant earundem Constitutionum *duo paria*, unum sub sigillo nostro; quod in Sacristia servetur, aliud, quod in Ecclesia sua in loco patenti affixum (*b*) kathenula, a die publicationis earundem, infra trium mensium spatium reponi faciant: Archi-Diaconi autem, Decani rurales, & Parochialium Ecclesiarum Rectores singuli unum libellum ipsarum Constitutionum sibi comparent, nam lapsis tribus mensibus memoratis, nemo per ignorantiam earundem poterit se tueri.

Cap. I. *De Summa Trinitate.*

Firmiter præcipimus, ut universi Prælati, Plebani, & Rectores Ecclesiarum nostræ Provinciæ de Sancta & Individua Trinitate Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, & articulis Fidei maxime Divinitatem & humanitatem Domini nostri JEsu Christi, concernentibus, nihil aliud tradant, teneant, ac doceant, nisi quod Sancta Romana Ecclesia credit, tenet, & docet. Laici implicite, Clerici vero explicite & distincte; & ne quis Clericorum per crassam ignorantiam articulorum Fidei se possit aliqualiter palliare, de ipsis articulis Fidei; & de quibusdam aliis ad salutem fidelium summe necessariis libellum quendam, qui *de tribus punctis essentialibus Religionis* Christianæ intitulatur in fine harum nostrarum Constitutionum decrevimus annectendum, quem libellum cum præsentibus nostris Constitutionibus mandamus per omnes haberi, & contenta in eo efficaciter observari.

Cap. II. *De Constitutionibus.*

Statuimus: quod Constitutiones seu *Statuta Provincialia*, quælibet personarum superius expressarum *ad Provinciale Concilium secum* afferat, & lectionem eorundem audiat, ac eadem in eodem perlegat, hoc ipsum circa *Synodalia Episcoporum Statuta* per subditos ipsorum *in Synodis Episcopalibus* observari mandamus.

Cap. III. *De Rescriptis.*

Fraudibus impetrantium Rescripta Apostolica, in quibus actor rei potentiam se perhorrescere, falso proponens, tantum, ut Judices extra ipsorum Diœcesim impetret, ut reus fatigatus laboribus & expensis cum eo pro suo libitu concordare cogatur, obviare volentes; Statuimus: quod ipsorum Diœcesanus, vel ejus Officialis, ad instantiam Rei, si hoc notorium fuerit, quod non est tantæ potentiæ, quam actor merito perhorrescere debeat, teneatur conditionem actoris & rei scribere Judici taliter impetrato, & ipsum petere, ut super hoc rei probationes recipiat potius, quam credat actoris simplici juramento. Nam licet jus permittat hanc perhorrescentiam probari posse juramento, quæ probatio inter cæteras est fragilior, non tamen prohibetur, quin reus volens contrarium probare per testes, quæ probatio fortior est juramento, sit merito admittendus. Adjicientes, quod nullus ad requisitionem cujusque ignoti Judicis, se delegatum vel subdelegatum Sedis Apostolicæ asserentis, aliquam citationem, seu publicationem processuum quorumcumque audeat facere: nisi sibi prius de interdictione ipsius per ostensionem Bullæ Apostolicæ, vel transumpti, auctoritate Ordinarii per (*i*) Manualem publica facta fuerit plena fides. Ut autem de citationibus factis, & processibus executis constare possit, injungimus Decanis, & Parochialium Ecclesiarum Plebanis, ut quilibet ipsorum sigillum proprium infra mensem a præsentium publicatione numerandum, habere teneatur sub pœna unius (*k*) fertonis grossorum Pragensium, Fabricæ Cathedralis Ecclesiæ persolvendi.

Cap.

(*b*) catenula.
(*k*) ferto, *species minutæ monetæ.*
(*i*) per manum publicam

Cap. IV. *De (l) Consuetudine.*

Olim Ecclesia Moguntina, diuturna (*m*) servata consuetudine, introduxit, ut Archi-Episcopus Moguntinus, vel ipsius Officialis, causas appellationum, vel alias ad Moguntinam Sedem legitime devolutas, subditis suorum Suffraganeorum in toto vel in parte possit committere, & eos ad suscipiendas hujusmodi causas compellere; Nos, considerantes prædictam consuetudinem & statutum pro subditorum litigantium commodo introductas, & ante erectionem nostræ Pragensis Ecclesiæ in Pragensi, & in Olomucensi Diœcesibus, observatas, eas in Provincia nostra inviolabiliter servandas, & tenendas de cætero, hoc sacro approbante Concilio, diffinimus.

Cap. V. *De Electione.*

Cum in Ecclesiis Prælatorum, seu Canonicorum Electio, vel Præbendarum, seu Beneficiorum collatio, vel bonorum alienatio, seu obligatio, aut alia ardua negotia Ecclesiæ imminent facienda, ad talia absentes Canonici sunt vocandi; alioquin ipsis instantibus per Superiorem cassabitur, quod in eorum absentia per præsentes fuerit attemptatum; nisi consuetudo habeat eos ad talia non vocari, vel absentes sint extra Provinciam constituti.

Cap. VI. *De Excommunicatione.*

Excommunicamus (*n*) omnes sæculares, & Regulares Canonicos, ac Monachos, qui in Electionibus aut aliis suarum Ecclesiarum, seu Monasteriorum negotiis persequendis conspirationes, seu alias quascumque colligationes fecerunt, eis districte injungentes: ut ipsi utilitatem & profectum Ecclesiarum, & Monasteriorum suorum solummodo habentes præ oculis, recta conscientia & mente libera satagant procurare.

Cap. VII. *De Renuntiatione.*

Sunt tamen nonnulli, qui se ad Beneficia Ecclesiastica minus pinguiora procurant institui, ut ratione tituli recipiantur ad Ordines, & demum facti Presbyteri, temeritate propria, dimittunt Beneficia, & more conductorum servorum singulis annis pro cottidiano victu de una Ecclesia ad aliam se transferunt, facientes, quæ non licet loqui, in Cleri opprobrium, & scandalum laicorum. Nos attendentes: quod nullus sine Superioris sui licentia Beneficium Ecclesiasticum dimittere, vel recipere potest, temeritatem hujusmodi volentes compescere, statuimus: quod tales per Diœcesanos suos suspendantur ab executione Ordinum susceptorum, & nihilominus in exaggerationem facti subdantur pœnæ carcerali; verumtamen Beneficium suum aliquis ad manus sui Superioris si renuntiare voluerit, Superior ipse de renuntiationis causa, an sit rationabilis & justa, & per consequens admittenda, an non simoniaca? vel in fraudem exspectantium, aut Ordinum, ut prædicitur, susceptorum, seu per vim & metum extorta, & sic non admittenda; inquisitionem faciat diligenter.

Cap. VIII. *De ætate, & qualitate ad sacros Ordines (o) promovendorum.*

Cum Clericorum Ordinatio vel Beneficiorum provisio imminerit (*p*) facienda, Prælati, ex sui officii debito, diligentius inquirant an promovendus ad sacros Ordines, vel ad (*q*) citatum Beneficium, sit gravis in moribus, ætatis legitimæ, & scientiæ competentis, & utrum sit de thoro legitimo generatus? (nam cum illegitime nato, si in sæculo remanet, quo ad sacros Ordines, vel Curatum Beneficium obtinendum solus Papa poterit dispensare) & an promovendus, vel aliquis suorum progenitorum usque ad quartum gradum per paternam lineam ascendendo, occiderit vel mutilaverit aliquem Clericum in sacris Ordinibus constitutum, & pro Clerico se gerentem? & utrum habeat perpetuum Beneficium Ecclesiasticum, vel sufficiens Patrimonium volens ad sacros Ordines promoveri: & si est de alia Diœcesi, utrum habeat commendatitias seu dimissorias Superioris sui litteras; quem autem criminosum, vel defectuosum

(*l*) *De diutina consuetudine.* (*m*) diuturne servatam consuetudinem,
(*n*) *In Pragensi Archivio hoc Caput priori junctum unum facit.*
(*o*) & curata beneficia (*p*) imminuerit
(*q*) ad curatum

ſum invenerint in præmiſſis, aut aliquo præmiſſorum, hunc omnino repellant. Præcipimus inſuper: quod Epiſcopi excommunicationis ſententiam proferant in illos, qui furtive ad receptionem Ordinum acceſſerint, priuſquam ordinationem inchoent Clericorum.

Cap. IX. *De Clericis peregrinis.*

Nullus in Eccleſia ſua ignotum ſeu peregrinum Clericum de alia Diœceſi venientem ad celebrationem Divinorum in publico præſumat admittere, licet *formatas*, ſeu litteras ſuæ ordinationis exhibeat, niſi etiam oſtendat litteras Diœceſani Epiſcopi, vel ejus Vicarii, in cujus Diœceſi ſe petit admitti, in quibus contineatur expreſſe, quod in ejus Diœceſi habeat licentiam celebrandi; contrarium faciens, in uno *fertone* groſſorum Pragenſium pro admiſſione qualibet per loci Archidiaconum puniatur, pro utilitate fabricæ Cathedralis Eccleſiæ convertendum.

Cap. X. *De Officio Archidiaconi.*

Permittimus, ut Archidiaconi, juxta antiqua ſtatuta Eccleſiæ Moguntinæ, per conſuetudinem approbata, perſonaliter in ſuis ſedibus reſidentes, ſi juris habent peritiam, ſeu Aſſeſſores peritos, cauſas matrimoniales, & uſurarum, audire & diffinire valeant, cauſis aliis Diœceſanis Epiſcopis, & Officialium examini reſervatis; judicata per eos, præterquam in caſibus ſupradictis, ſint irrita ipſo jure, & nihilominus per loci Ordinarium a ſuis officiis ſuſpendantur, nec abſque ſuorum Epiſcoporum ſpeciali licentia ex cauſa quacumque a Clero ſuorum Archidiaconatuum poſſint petere ſubſidium. (*d*)

Cap. XI. *De Vicariis.*

Multorum querelis, & propria experientia Nos docente, didicimus: quod nonnulli Prælati, ſeu Canonici, Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum ſæcularium, & Regularium, quorum Dignitatibus, Præbendis, ſeu Monaſteriis Parochiales Eccleſiæ incorporatæ ſunt, vel annexæ, perpetuis Vicariis earundem aſſignant ſic tenuem portionem, quod de ea Vicarii nequeant ſuſtentari; Nos in his diſpoſitionem *Juris communis* obſervari volentes, omnibus, ad quos talium Vicariorum inſtitutio, ſeu inveſtitura pertinet, præſentis ſtatuti ſerie diſtricte præcipimus: quod de cætero nullatenus ad Vicarias ipſas præſentatos admittant, niſi ipſis præſentatis pro ſuſtentatione ſua, & hoſpitalitate ſervanda, ac pro aliis oneribus incumbentibus ſufferendis congrua portio deputetur; inſuper Rectoribus Parochialium Eccleſiarum, ſimili diſcretione (*e*) mandamus: ut quoniam (*f*) ipſis ſtudiorum, vel alia juſta cauſa, per Epiſcopum datur licentia ſe ad tempus a ſuis Eccleſiis abſentandi, non quærant Vicarios, qui eis ſolvant magnam penſionem, quam veriſimiliter de fructibus Beneficii ultra ſuſtentationem comportare non poſſunt; ſed potius illos, quos plebibus ſuis prodeſſe crediderint verbo pariter, & exemplo; hujuſmodi autem Vicarios, Rectores Eccleſiarum Epiſcopo loci præſentare teneantur, ut ab eo, præmiſſo examine, pro illo tempore curam animarum recipiant, quam Rectores ipſi auctoritate propria eis nequeunt delegare.

Cap. XII. *De Officio Legati.* (*g*)

Quorundam delegatorum, ſive ſubdelegatorum, mentem (*h*) progreditur periculoſa temeritas; quod licet à Sede Apoſtolica ſimplices in forma commiſſiones recipiant, nihilominus in earundem auctoritate (*i*) civitates, oppida, villas, loca, territoria, vel diſtrictus Eccleſiaſtico ſubdunt interdicto, & ut malefactum deterius valeant effectui mancipare, in ſuum ſubſidium potentiam invocant Brachii ſæcularis; cum auctoritas (*k*) talium Judicum, ipſo jure, ſit (*l*) nulla, omnibus Metropolitico jure Nobis ſubjectis, ne antedicta hujuſmodi teneant, diſtrictius inhibemus, nec ſæculare Brachium, quo ad hoc, ipſis præſtet aliquod ſubſidium, vel juvamen.

Cap.

(*d*) moderatum (*e*) diſtrictione (*f*) quando (*g*) Delegatorum.
(*h*) in tantum pro mentem (*i*) nonnunquam etiam pro pecuniario debito
(*k*) auctoritate talium judicum, vel pro tali cauſa interdicta poſita (*l*) ſint

Cap. XIII. *De Officio Ordinarii.*

Ne inferiores Prælati suorum Superiorum jurisdictionem eludant, Episcopis, Archidiaconis, Decanis, & aliis Prælatis, seu eorum Officialibus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ, districtius inhibemus: ne subditis suis, seu eis, qui litigant, aut litigaverint, coram eis inhibitionem faciant, aut aliquod impedimentum præstent directe vel Indirecte, quominus appellationem, (*m*) vel alias suas causas ad superiorem deducere valeant, seu perferre examen.

Cap. XIV. *De* (*n*) *Vicariis, & Prædicatoribus Episcoporum.*

Cum propter occupationes multiplices, aut invalitudines, seu occasiones alias, Episcopi, per se ipsos, non sufficiant ministrare populo Verbum Dei, ac ipsius confessiones audire, maxime propter amplas Diœceses, & diffusas, assumant sibi viros idoneos, ac Sanctum prædicationis officium salubriter exequi potentes, (*o*) qui plebes sibi commissas vice ipsorum, cum per se nequiverint, solicite visitantes eos verbo reficiant pariter & exemplo, ac cæteris, quæ ad salutem pertinent animarum. Habeant, & saltem tres privatos (*p*) sæculares, vel Religiosos industres (*q*) & peritos, quorum duo apud Ecclesiam Cathedralem sint assidui; tertius Episcopalem Curiam sequatur continuo, quibus plenam suam auctoritatem tribuant in audiendis confessionibus, & absolutionibus impendendis, & eis, cum indiguerint, necessaria subministrent, ne per necessariorum defectum cogantur desistere ab incepto. Celebrent autem Episcopi Missarum solemnia in suis Ecclesiis Cathedralibus, præsertim in Festivitatibus Domini, & Virginis gloriosæ, Clero & populo indulgentias solitas concedentes, & quia plures non re, sed solo nomine, tam Clerici, quam Monachi magis metu pœnæ, quam verbo vitæ a suis cohibentur excessibus, statuimus; quod Episcopi singuli suos habeant carceres duplicatos, minores scilicet, & magis rigidos, in quibus secundum exigentiam criminum, tales delinquentes ad tempus vel in perpetuum ad agendam pœnitentiam recludantur.

Cap. XV. (*r*) *Ne Beneficia spolientur.*

Præsenti prohibemus Edicto, ne Episcopi, aut Abbates, seu quivis alii Regulares, vel sæculares Prælati, aut Ecclesiasticæ, vel laicæ quæcumque personæ, vacantibus Dignitatibus, Personatibus, Prioratibus, vel Ecclesiis quibuscumque sibi subjectis, seu ad Collationem, Præsentationem, Ordinationem, institutionem, vel custodiam pertinentibus, eorundem bona, morientibus eorum Rectoribus vel Ministris, in ipsis inventa, sive vacationis ipsorum tempore obvenientia, quæ in utilitatem eorundem expendi, vel futuris debent Successoribus fideliter reservari, occupare, aut in usus suos convertere, quoquo modo præsumant; alioquin Episcopi ab ingressu Ecclesiæ, cæteri vero Clerici ab Officio & Beneficio tamdiu eo ipso noverint se suspensos, quousque restitutionem fecerint de prædictis; laici vero Patroni, pro illa vacatione præsentandi potestate, & nisi (*s*) occupata plene restituant infra mensem, jure Patronatus ipsius Ecclesiæ perpetuo sint privati.

Cap. XVI. *De* (*t*) *Reverentia, & Obedientia.*

Cum inferior suo Superiori regulariter ad exhibendam reverentiam & obedientiam teneatur, quarum exhibitio nonnisi per obsequium humilitatis extrinsecus præstitum, aliorum notitiæ innotescit; Quapropter Canonici Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum Prælatis, & inferiores Prælati Superioribus, ac universaliter omnes Clerici Majoribus suis in assurgendo, inclinando, & aliis prærogativis, quibus consueverunt honoratiores revereri, honorem debitum deferant reverenter: ut etiam laici a Clerico sumentes humilitatis exemplum, eis-

(*m*) appellatione (*n*) *omisso titulo connectuntur sequentia antegressis.*
(*o*) in opere & sermone (*p*) Primarios (*q*) industrios
(*r*) *Sine medio titulo sequentia antecedentibus jungit codex Pragensis MS.*
(*s*) moniti (*t*) De majoritate & obedientia. *Cod. Pragensis.*

ciſdem exhibeant reverentiam ampliorem.

Cap. XVII. *De* (*u*) *Obedientia manuali.*

Quia frequenter Rectores Parochiarum non audent contra Nobiles & Potentes mandata Superiorum exequi propter eorundem tyrannidem belluinam, ſtatuimus: quod nullus Presbyter aſſumat Capellaniam cujuscumque Nobilis vel Potentis, ſeu ipſorum Capellas tanquam Capellanus adminiſtret; niſi prius ipſo Diœceſano ſuper eo, quod ad ipſius Synodos veniat, & mandata Superiorum ſibi injuncta ad ſui domum (*x*), & ipſius caſtri familiæ notitiam perferat, obedientiam faciat manualem. Item, cum aliquis nobilis Juſticiarius, ſeu laicus quicumque captivaverit aliquem Clericum, ſeu pro Clerico ſe gerentem, ſeu deprædatus fuerit alicujus Eccleſiæ bona, Capellani caſtrorum hujusmodi, & Plebani locorum, in quibus Clericus detinetur captivus, aut præda ſervatur, non exſpectato ſuper hoc alio Superiorum mandato, a celebratione abſtineant Divinorum, ſub pœna excommunicationis, quam facientes contrarium incidere volumus eo ipſo facto.

Cap. XVIII. *De* (y) *Rege.*

Omnes Clerici ſæculares, & religioſi, Metropolitico noſtro & Diœceſano Nobis jure ſubjecti, pro Sereniſſimo Domino noſtro KAROLO, Rom. & Boemiæ Rege, & Glorioſa Conthorali ſua Domina Regina, ac eis, qui pro tempore fuerint Boemiæ Reges & Reginæ, in Miſſis & cottidianis orationibus ſuis, fundant devotas preces ad Dominum, ut in præſenti vias ipſorum dirigat per ſuorum ſemitas mandatorum pro ſtatu pacifico ſubditorum, & in futuro eis præmium tribuat Beatorum.

Cap. XIX. *De* (z) *Poſtulationibus.*

Repellantur ab Advocatorum, ſeu Poſtulationis officio, qui in Presbyteratus ordine, vel in dignitate Prælationis Eccleſiaſticæ conſtituti, niſi proprias, & Eccleſiæ ſuæ; aut, cum neceſſitas imminet, convictarum vel miſerabilium perſonarum cauſas, non temporalis lucri cauſa, ſed Divinæ retributionis intuitu proſequantur; Religioſi vero, ſolum in cauſis ſuorum Monaſteriorum, & tunc, cum ſuper hoc a ſuis Superioribus mandatum oſtendunt, ad hujusmodi Poſtulationis, vel Procuratoris officium admittantur.

Cap. XX. *De his*, (a) *quæ metu ſine cauſa fiunt.*

De multorum inobedientia tam Sæcularium, quam Religioſorum, crudelibus hominibus diſplicere nolentium, contempnitur nimis [*b*] Eccleſiaſtica diſciplina: quibus cum a ſuis Superioribus injungitur, ut contra rebelles proceſſus publicent, vanum metum talium prætexentes, eosdem proceſſus publicare recuſant; & ex hoc illi, pro quibus hujusmodi latæ ſunt ſententiæ, beneficio (*c*) earundem indebite defraudantur. Ut igitur huic peſti ſalubris obviet medicina, ſacrorum *Canonum* ſequentes veſtigia, diffinimus: quod metus amiſſionis rerum temporalium omnium, aut ſaltem majoris partis, aut invaſionis perſonæ, propter publicationem hujusmodi proceſſuum imminens, qui, ſi requirat Superior, probari poſſit per teſtes idoneos, ſubditum ab executione mandati ſui excuſat; ſi quis vero ad communicandum excommunicatis, vel celebrandum coram eis, ſeu in loco ſuppoſito Eccleſiaſtico interdicto, ſive ad quodcumque ſimile faciendum ſe coactum aſſerat, quod a jure, vel mandato Superiorum fieri prohibetur, qualiscumque ſit metus, quem prætendit, etiamſi poterit cadere in conſtantem virum, eum a transgreſſionis pœna non valeat (*d*) excuſare; qui autem abſolutionem a ſententiis excommunicationis vel ſuſpenſionis, aut relaxationem interdicti per vim ſeu metum extorquent, ipſo facto ſunt excommunicationis vinculo innodati.

Cap. XXI. *De* (e) *Ceſſionibus.*

Cum ceſſiones actionum multis intervenien-

(*u*) *Omiſſo titulo ſequentia connectuntur priori.*
(*x*) Domini
(*y*) *Hic titulus omittitur in cod. Prag.*
(*z*) *De Poſtulando.*
(*a*) *De his, quæ vi, metusve cauſa fiunt.*
(*b*) nervus Eccleſiaſticæ
(*c*) executionis
(*d*) quomodolibet
(*e*) *De alienatione mutandi judicii cauſa facta.* Cod. Prag.

venientibus caufis invalidæ reputentur; ad tollendam fuper hoc omnem materiam dubitandi, hoc *facro approbante Concilio*, illam tantum ceffionem, quæ fit in præfentia, & de authoritate proprii Epifcopi, vel ejus Officialis, vel alterius ordinarii Judicis, præmiffa fummaria cognitione, an fiat ex caufa legitima, validam reputamus.

Cap. XXII. *De Judiciis.*

Hoc *facro approbante Concilio* ftatuimus: quod hi, qui propter pericula verifimiliter imminentia per nuntios perfonaliter adiri non poffunt, ut citentur, in ipforum Parochiali Ecclefia citentur (*f*) in publico; & fi ibidem etiam citator de periculo dubitat, tunc in ambone Cathedralis Ecclefiæ, continuis tribus diebus Dominicis, citatio talium publice proponatur: contra quos taliter evocatos procedi poterit, fi fuerint contumaces, ac fi eos apprehendiffet citatio perfonalis. Reus autem, qui per fe, vel per alium, feu alios, Judicis nuncios (*g*) verberat vel captivat, excommunicationis fententiam ipfo facto incidit.

Cap. XXIII. *De foro competenti.*

Quia tam Ecclefiafticus, quam fæcularis Ordo confunditur, cum unicuique fua jurisdictio non fervatur; hinc eft, quod fpiritualia & fæcularia judicia convenit effe inpermixta. Quare omnibus Ecclefiafticis Judicibus diftrictius inhibemus, ne laicos ad inftantiam quorumcumque Clericorum, vel Laicorum pro caufis fæcularibus, feu mere civilibus ad fuum Confiftorium citari faciant, aut de cognitione caufarum hujusmodi fe aliquatenus intromittant; nifi forte miferabilium perfonarum, vel in defectum Judicis fæcularis. Nec e contra, Judices fæculares, Clericos pro quibuscumque caufis criminalibus vel civilibus, nec etiam laicos fuper rebus vel poffeffionibus Ecclefiarum, quocumque titulo eas poffideant, ad fuum judicium faciant evocari, vel eas audeant judicare; alioquin tam Ecclefiafticus, quam fæcularis Judex, metas fuæ poteftatis excedens, excommunicationis fententia innodetur, & actor Clericus, qui reum indebite coram non fuo Judice fatigaverit, in expenfas condempnetur, & fuper eadem caufa de cætero nullatenus audiatur.

Cap. XXIV. *De fide Inftrumentorum.*

Cum ex eo, quod plerique rudes & ignari, per fe protocolla facere nefcientes, & alii Notarios publicos fe mentientes, conficere inftrumenta præfumunt, plurima incommoda & pericula oriuntur; quibus Nos obviare volentes, prohibemus: ne pro Notario publico quisquam fe gerat, vel quævis Inftrumenta conficiat, antequam de fua creatione loci Diœcefano, vel ejus Officiali fecerit plenam fidem; contrarium faciens, excommunicationis fententiam incidat, & Inftrumenta per eum confecta, fint irrita ipfo facto.

Cap. XXV. *De Appellationibus.*

Juris beneficio abutitur appellans, qui (*h*) fententia obtenta contentus, de juftitia forfitan principalis caufæ dubitans, appellationem fuam (*i*) confequi prætermittit. Ut igitur parti appellatæ, (*k*) & honori Judicis, a quo appellavit, provideatur de remedio oportuno, præfenti Conftitutione ftatuimus: quod fi appellans ipfe, jufto impedimento ceffante, fuam appellationem non profequatur, ex tunc Judex ipfe, a quo appellavit, eum in priftinas reducat fententias, quousque judicatis pareat, vel appellationem fuam debite profequatur.

Cap. XXVI. *De vita, & honeftate Clericorum.*

Dolenter referimus, quod multorum Clericorum adeo reprehenfibilis fit vita, ut ipfi per exemplum mores non inftruant, fed potius deftruant laicorum; Quapropter univerfi Clerici, mores & vitam reforment, (*l*) & ea, quæ ad ipforum ftatum & honeftatem pertinent, cum magna cautela cuftodiant; nec folum a malo, fed etiam ab omni fpecie mali fe (*m*) ftudeant cohibere; cafte vivant, a crapula & ebrietate abftineant, quæ

(*f*) per edictum (*g*) fpoliat, verberat,
(*h*) revocatione per appellationis Judicem attentatorum poft fententiam obtenta contentus,
(*i*) profequi (*k*) appellanti (*l*) in melius (*m*) prudenter

quæ ſunt libidinis incentiva; (*n*) arma non portent niſi per neceſſitatem, & viarum pericula in itinere conſtituti, (*o*) commercia ſæcularia, & præſertim carnificum ſeu macellanorum, prorſus evitent; nam Clerici, ſi hujuſmodi carnificum, aut etiam tabernariorum officium publice & perſonaliter exerceant, & cum hoc habitum deferant Clericalem, & per Diœceſanum tertio moniti non deſtiterint ab hujuſmodi officiis, vel poſtea reaſſumant, Clericorum immunitate non gaudeant; ſi vero cum hoc abjiciunt habitum Clericalem, etiam quoad perſonas perdunt privilegium Clericale. Decet etiam, ut Clerici coronam, ſeu Clericalem tonſuram patentibus auribus (*p*) deferant: & quicumque Clericus publica virgata veſte utitur, niſi rationabilis cauſa ſubeſſet, ſi Beneficiatus exiſtat, per VI. menſes a perceptione fructuum ſuorum beneficiorum (*q*) ſit ſuſpenſus; ſi vero Beneficiatus non fuerit, in ſacris tantum Ordinibus infra Sacerdotium conſtitutus, per idem tempus redditur eo ipſo inhabilis ad Beneficium Eccleſiaſticum (*r*) poſſidendum. (*s*) Clerici inſuper, maxime Beneficiati, (*t*) tabardis rubeis aut viridibus uti non debent, nec joculatores ſe faciant, &, ſi (*u*) poſt unam aut trinam ammonitionem artem illam ignominioſam exerceant, eo ipſo privati ſint omni (*x*) beneficio Clericali: alearum & taxillorum ludos fugiant; corearum, torneamentorum, & haſtiludiorum, & aliis publicis ſpectaculis, non interſint; Clauſuras Monaſteriorum Monialium absque cauſa rationabili & manifeſta, & ſine Superiorum licentia, ingredi non præſumant; Clericos, qui *vagi* communiter nuncupantur, in domibus ſuis non recolligant, nec eis aliquod munus nec parvum nec magnum tribuant: Eccleſiam Cathedralem, vel Collegiatam, in qua quis Beneficiatus exiſtit, infra Divinum Officium ſine religione non intrent. Presbyteri Parochialium Eccleſiarum, campanatores literatos ſeu Clericos, non laicos uxoratos, habeant, qui cum eis legere & cantare non ignorent, &, cum Divinum Officium celebratur, (*y*) uterque Presbyter & Campanarius, ſuperpelliciis deſuper ſint induti, inſuper nullus Presbyterorum ſine Miniſtro Miſſam audeat celebrare.

Cap. XXVII. *De cohabitatione* (*z*) *Clericorum.*

Quamvis fornicationis crimen inter cætera crimina ſit deteſtabilius Clericis, utpote, qui inter cæteras virtutes principaliter carnis continentiam profitentur; multi tamen Clerici, ſuæ ſalutis immemores, & profeſſionis, non ſolum temptationibus victi deſideria carnis perficiunt, ſed etiam temptationem præveniunt, dum, ne fruſtra temptentur, in domibus propriis vel vicinis, paratas ad malum fornicationis inter tenent (*a*) mulieres. Ne igitur crimen ipſum videamur per tolerantiam approbare; omnes Clericos, qui de cætero in domibus ſuis ſuſpectas mulieres, vel etiam extra domum in ſua procuratione publice detinent concubinas, ſi ſunt Beneficiati, Beneficiis ſuis privandos; ſi vero non habeant Beneficia, ab executione Ordinum per ſuos Superiores fore decernimus ſuſpendendos perpetuo, quos demum, eorum malitia

(*n*) & etiam quando convivia præparant, quæ rara ſint, Clericis, ſex cibariorum ſeu ferculorum numerum non excedant. Tabernas non viſitent,

(*o*) officia vel commercia

(*p*) cum habitu Clericali

(*q*) quæ obtinet ipſo facto

(*r*) obtinendum

(*s*) & idem eſt de aliis Clericis, qui nec Beneficiati ſunt, nec ſacram veſtem talem ſimul & tonſuram publice deferunt Clericalem. Dignitatem vero, vel Perſonatum, ſeu Beneficium aliud obtinens, cui cura imminet animarum, nec non cæteri in Sacerdotio conſtituti, ac Religioſi quilibet, quos oportet per decentiam habitus extrinſeci morum intrinſecam honeſtatem oſtendere, ſi præterquam ex cauſa rationabili publice veſtem ferant hujuſmodi, ſunt eo ipſo Beneficiati a perceptione Beneficiorum, quæ obtinent, ſuſpenſi per annum. Cæteri vero Sacerdotes & Religioſi quilibet per idem tempus annuale redduntur inhabiles ad quæcunque Beneficia Eccleſiaſtica obtinenda.

(*t*) caligis, ac ſcaccatis rubeis, ac viridibus

(*u*) per annum aut poſt trinam

(*x*) privilegio Clericali

(*y*) vel fidelibus Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrant

(*z*) & mulierum

(*a*) nutriunt

litia exigente, ipsi Superiores carcerum pœnis afficiant, vel de suis Diœcesibus ejiciant & expellant, si nec sic vitam suam curaverint emendare. Archidiaconus autem locorum, qui Clericos sui Archidiaconatus: & Plebanum, qui vicinos sibi socios, hac labe respersos, scienter toleraverit, tanquam pro concubinatu proprio volumus condemnari. Licet autem Clericus per fornicationis crimen vel pro alio mortali peccato quolibet, quoad se ipsum, sit suspensus, non tamen debet ab aliis in Divinis Officiis evitari, nisi crimen id sit notorium. (b)

Cap. XXVIII. *De Clericis non residentibus.*

Si Parochialis Ecclesiæ Rector, aut alius quivis Clericus a Beneficio, quod obtinet, sine sui Superioris licentia se absentare præsumpserit; eodem Beneficio per superiorem suum est privandus, quacumque contraria consuetudine non obstante; cum de jure omne quodlibet Beneficium requirat residentiam personalem.

Cap. XXIX. *De (c) Institutionibus.*

Eum, qui Beneficium, cui Cura animarum incumbit, vi occupat, seu scienter se intrudit in eo, decrevimus (d) privatum Beneficio, quod cum cura simili primitus obtinebat: non enim decet, ut stultus melioris, quam peritus, conditionis existat, vel quod invasor, eo qui juste ingreditur, privilegio gaudeat potiori. Insuper, ut violenti, qui authoritate, vel potius temeritate propria occupare Dignitates, Personatus, aut alia quæcumque Beneficia Ecclesiastica non verentur, & si non virtutis amore, pœnæ saltem formidine, a sua remeritatis audacia refrænentur, eo ipso jus, quod in Dignitatibus, Personatibus, & Beneficiis occupatis taliter, vel ad ea ipsis forsitan competebat, amittant.

Statuimus (e) etiam, quod persona Ecclesiastica quæcumque, regularis, aut sæcularis, in Dignitate, Personatu, Officio, seu Ecclesiastico Beneficio quocumque constituatur, vel in eodem confirmetur, nisi ante omnia, de obedientia & reverentia suis Superioribus impendenda, *de Statutis Provincialibus & Synodalibus*, in quantum eam tangunt, observandis, (f) corpore præstiterit Juramentum. (g)

Clericus, qui authoritate Patroni, Clerici, vel laici, sine *Institutione Episcopi*, vel ejus, ad quem Institutio ejusdem Beneficii de jure pertinet, (h) in Beneficio in temporalibus & spiritualibus administrare præsumit, eo ipso ad illud se reddit indignum. Patronus vero, qui talem in hujusmodi Beneficio pertinaciter fovere præsumpserit, perpetuo præsentandi potestate privetur. Religiosi similiter, etiam exempti, in Ecclesiis, quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, & per Religiosos consueverunt gubernari, instituendos Presbyteros præsentent Episcopis ut ipsis de plebis cura respondeant (i) nec institutos per Episcopos, sine authoritate ipsorum Episcoporum, Religiosi poterunt amovere, nisi eis hoc competet *ex privilegio speciali.* (k)

Cap. XXX. *De (l) Concessione Præbendarum.*

Ne contra *Statuta Canonum* desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus

(b) per sententiam, seu confessionem factam in jure, aut evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit. Notorium concubinarium dicimus per Canones etiam ab officio, nedum quo ad se, verum etiam quo ad alios suspensum: qua suspensione durante, si Divinis se ingerit, sicut prius, irregularitatis notam incurrit, a qua nisi per Summum Pontificem poterit liberari.

(c) De Præbendis & Dignitatibus.

(d) decernimus.

(e) *Novus titulus*: De Institutionibus. *Cod. Pragensis.*

(f) ac de cura & onere Beneficii, in quo instituendus est, pro posse suo explendis

(g) institutionem contra præmissa factam, nullius firmitatis fore decernentes.

(h) vel consuetudine approbata

(i) Religiosis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem.

(k) In hujusmodi quoque institutionum, & aliorum arduorum negotiorum literis exinde confectis, Archi-Episcopalis, vel Episcopalis majoris sigilli appositionem sine minoris impressione decernimus non valere.

(l) *De concessione Præbendæ non vacantis.*

cujus præbenda ſe credit ſucceſſurum, diſtrictius inhibemus: ne Capitulum Cathedralis, vel Collegiatæ Eccleſiæ, aliquem, non vacante Præbenda, in Canonicum recipiat, (*m*) niſi evidens Eccleſiæ utilitas id expoſcat, quam ſuo Epiſcopo exponere tenebitur, & tunc unam perſonam tantum recipiendi habeant facultatem: quibus obmiſſis, receptio unius, vel plurium, eo ipſo ſit nulla; & in pœnam Capituli, Epiſcopus totidem in eadem Eccleſia Canonicatus & Præbendas conferat, dum vacabunt.

Cap. XXXI. *De* (*n*) *indemnitatibus Eccleſiarum.*

Indemnitatibus Eccleſiarum providere volentes, ſtatuimus, ut in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, Prælaturarum, Præbendarum, & cæterorum Officiorum, ac bonorum Eccleſiæ, nec non omnium reddituum & proventuum, & quid ad cujuslibet Dignitatem, Officium, Præbendam ſeu diſpenſationem pertineat, ſub ſigillo majoris Prælati, & ipſius Capituli, habeatur in Sacriſtia Eccleſiæ clara & fidelis conſcriptio, ut ſaltem novus Prælatus, Canonicus, vel Miniſter, per hujusmodi ſcripturam de ſuis juribus & proventibus informatus, recuperare valeat per ſuum Prædeceſſorem deperdita, vel neglecta; ſimiliter Libri, & Ornatus, Calices & cætera clenodia (*o*) Eccleſiæ regiſtrentur, & ſaltem de anno in annum videantur per Seniores de Capitulo, ut appareat, ſi qua (*p*) fuerint diſtracta, aut (*q*) a novo acquiſita.

Cap. XXXII. *De* (*r*) *Rebus Eccleſiæ alienandis, vel non.*

Adminiſtratores bonorum Eccleſiæ, (*s*) ſi (*t*) quam rem mobilem aut pretioſam, ſine conſenſu majoris ſive ſanioris partis Capituli, donationis, vel venditionis, vel permutationis titulo alienent aut obligent, invalidus ſit contractus; quod ſi Abbates, Præpoſiti, Priores, ſeu alii quivis Monaſteriorum, ſeu Religioſorum locorum Rectores, aliquid de rebus ſuorum Monaſteriorum, citra *formam Canonum*, ut prædicitur, alienare præſumpſerint, contractus eſt nullus, & alienantes, per ſuos Superiores adminiſtratione officii perpetuo ſpolientur, nec aliquis creditorum audeat repetere a Succeſſore mutuum, quod fecit Eccleſia per litteras, vel pignorum cautione, (*u*) niſi prius probet, quod in evidentem utilitatem Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum hujusmodi ſit commiſſum.

Cap. (*x*) XXXIII. *De Emptione & Venditione.*

Si quis emerit Animalia, vel alias res prædatas, cum in prædonis jus ſuccedat, ad reſtitutionem eorundem per Cenſuram Eccleſiaſticam compellatur. Emptor vero vel venditor, qui alterum decipit in legitimo pondere, vel menſura, aut qui ſcienter ignoranti rem vendiderit vitioſam, pœnitere non poteſt, donec ſatisfaciat taliter damnum paſſo.

Cap. XXXIV. *De Pignoribus.*

Sacrorum Canonum veſtigiis inhærentes declaramus, quod ſiquis alteri caſtrum, villam, ſeu poſſeſſionem quamlibet, titulo pignoris obligat, ratione cujus ad eundem Eccleſiæ inibi ſituatæ jus pertinet Patronatus, etſi hoc non exprimat, nihilominus apud obligantem jus remanet præſentandi, ex eo, quia fructus rei pignoratæ minuunt debitum principale, fructus vero juris Patronatus, cum ſit ſpiritualis, nequit cum rebus temporalibus compenſari.

Cap. XXXV. *De Teſtamentis & ultimis voluntatibus.*

Cum in officiis charitatis primo loco illis naturaliter obligemur, a quibus Beneficium Nos cognoſcimus recepiſſe, proinde ſtatuerunt, & definierunt Sancti Patres, quod Clericus de bonis per Eccleſiam & intuitu Eccleſiæ acquiſitis, non poteſt condere teſtamentum, ſed bona hujusmodi, ſive Clericus ipſe teſtatus, ſive inteſtatus decedat, per eum reli-

(*m*) & in fratrem, niſi
(*n*) *De rebus Eccleſiæ alienandis, vel non.*
(*o*) & ornamenta
(*p*) per imprudentiam Miniſtrorum
(*q*) eorum diligentia
(*r*) *Hic titulus omiſſus in Cod. Pragenſi, & ſequentia priori titulo conjunguntur.*
(*s*) vacantis, vel alia ex cauſa legitima Superioris officio deputati,
(*t*) quam poſſeſſionem
(*u*) ſuper cautione
[*x*] *Cap.* 33. & 34. *omiſſa erant in codice MS. Eccleſiæ Moguntinæ.*

relicta Ecclesiæ, a qua percepit Beneficium, vel Successoris usibus applicentur: salvo quod Pauperibus, & Religiosis locis, & illis, qui sibi viventi servierunt, sive consanguinei sint, sive alii, juxta servitiorum merita, potest donationem facere moderatam. De his vero, quæ personæ suæ industria, vel intuitu, aut ex successione parentum acquisivit, disponere poterit in vita pariter, & in morte. Præterea Statuta locorum, quæ habent, quod nullus ultra certam summam Ecclesiis, vel Clericis donare, seu legare audeat in ultima voluntate, irrita judicamus, cum iniquitatem contineant, & testandi perimant libertatem. Conditores vero hujusmodi Statutorum, ac eisdem utentes, coerceantur Canonica disciplina. Invigilent insuper Ordinarii circa executores testamentorum, & ultimarum voluntatum, & contra illos, qui eas impediunt quovis modo, ut ipsæ voluntates extremæ infra tempus testatoris arbitrio limitatum effectui mancipentur. Vel si testator exequutionis terminum non præfixit, ut ipsa executio ultra unius anni spatium, nullatenus prorogetur. Executores etiam ultimarum voluntatum, de bonis defuncti se nullatenus intromittant, donec de eisdem inventarium fecerint sub fide dignarum testimonio personarum.

Cap. XXXVI. *De Sepulturis.*

Illi, qui propriæ temeritatis audacia defunctorum corpora in cœmiteriis, interdicti tempore, in casibus non concessis a jure, vel excommunicatos publice, aut nominatim interdictos, vel usurarios manifestos, scienter sepelire præsumunt, excommunicationis sententiæ subjaceant ipso facto, a qua nullatenus absolvi poterunt, nisi prius ad arbitrium Diœcesani Episcopi eis, quibus per præmissa fuerit injuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem. Quicunque Religiosi, & sæculares Clerici aliquem ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducunt, ut sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel jam electam ulterius non immutent, excommunicationis sententiam incidunt ipso facto, a qua ab alio, quam a Sede Apostolica præterquam in mortis articulo nullatenus absolvuntur.

Nec valet talis electio. Et is, qui sic elegerit, nec apud sic electam Ecclesiam sepeliri, nec alibi poterit eligere sepulturam, ne contra votum, juramentum, vel promissum hujusmodi a se factum, materiam habeat veniendi; sed contradictione quacunque cessante, sepeliatur omnino apud illam Ecclesiam, apud quam sepeliendus de jure fuisset, si alias sepultura non electa forsitan decessisset. Si vero iidem Religiosi, vel Clerici prædictum in sua Ecclesia, vel Cœmiterio præsumpserint sepelire, ad restitutionem tam sepulti corporis, si petatur, quam etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illius provenerint quomodolibet ad eosdem, infra decendium integraliter faciendam obligantur: quæ nisi fecerint, Ecclesia ipsa, apud quam sepultus fuerit, nec non ipsius cœmiterium, ex tunc eo ipso sunt, & tam diu manebunt Ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum. Plebanus Ecclesiæ, vel ipsius vices gerens, si præter licentiam sui Episcopi, vel ipsius in Spiritualibus Vicarii, defunctum intra Parochialem Ecclesiam præsumpserit sepelire, in pœnam unius sexagenæ grossorum Pragensium ad fabricam Cathedralis Ecclesiæ applicandorum incidat ipso facto. Et nihilominus per Episcopum subjiciatur pœnitentiæ graviori; nisi is, qui est sepultus, fuisset Presbyter, vel Patronus Ecclesiæ, aut alius ipsius Ecclesiæ notabilis Benefactor.

Cap. XXXVII. (y) *De Parochiis.*

Dominicis, & aliis festivis diebus, Presbyteri Parochiarum, antequam Missam celebrent, plebem interrogent, si alterius Parochianus sit in Ecclesia, qui proprio contempto Plebano ibi Missam velit audire: quem, si invenerint, de Ecclesia ejiciant sine mora. Nullus Presbyter Parochianum alterius, sine proprii Sacerdotis licentia, nisi in mortis periculo constitutum, ad Confessionem recipiat, cum eum absolvere nequeat, vel ligare, neque ei ministret quodcunque aliud Ecclesiasticum Sacramentum.

Cap. XXXVIII. *De Statu Monachorum.*

Præcipimus, ut Abbates, Præpositi, Priores Monachorum, & Canonicorum Regu-

(y) *Hoc Caput omissum in cod. Moguntino.*

Regularium, nec non Abbatissæ, Magistræ, & Priorissæ Monialium tam in se ipsis, quam in subditis, prout ad cujuscunque spectat officium, vitam, & conversationem exhibeant, ac habitum deferant Regularem, se ipsos, ac suos subditos ab his præcipue, quæ ipsorum professioni obviant, & Ordinis honestati non congruunt, puta circa exquisitum ornatum, vel notabilem excessum in vestibus, cibis, & potibus, equitaturis, & lectisterniis, ac similibus superfluitatibus, seu taxillorum, alearum, & scachorum ludis, ac chorearum lasciviis, totaliter cohibentes, juxta dispositionem suæ regulæ, & Sacrorum Canonum instituta, sollicite providentes, quod nullus Monachus, vel Canonicus Regularis, seu Monialis nisi ratione administrationis, seu officii, possessiones, redditus, vel aliud quidpiam proprii habeat, quin imo illud, quod cuilibet singulari personæ, ex suo labore, vel artificio, aut parentum, seu amicorum largitione obvenit, Superiorum manibus offeratur, ut per ipsorum providentiam circumspectam, emolumentis hujusmodi, communitatis, vel singularium personarum necessitas sublevetur, apostatasque suos inquirant, & repetant, ac ipsos carcerum pœnis afficiant, & voluntarie revertentes, paterne suscipiant, salva semper pœnitentia regulari.

Cap. XXXIX. (z) *De Capellis Monachorum.*

Religiosi in Ecclesiis, ad ipsos etiam pleno jure spectantibus, Rectores sui Ordinis locare non audeant, quæ alias sunt solitæ per sæculares Clericos gubernari. Nec Episcopus potest Ecclesias Parochiales, vel certos redditus earundem sine consensu sui Capituli, Religiosorum usibus applicare.

Cap. XL. *De Jure Patronatus.*

Volentes viam præcludere, ne quis per subreptionis astutiam præficiatur Ecclesiis, & ne ex institutionibus repentinis inter Patronos, si qui sunt, lites oriantur ex litibus fortiores, præsenti decreto statuimus: Quod, cum aliquis ad Curatum Beneficium, per quempiam Clericum, vel laicum fuerit præsentatus, Ordinarius loci, seu is, ad quem institutio spectat, per Decanum loci, vel viciniorem Plebanum in Ecclesia, ad quam fit præsentatio, præsente plebe ad hoc specialiter convocata, publice faciat proclamari. Quod si quis est, qui velit docere de jure suo, quod ad ipsum solum, vel cum alio, seu aliis, jus pertineat præsentandi, aut præsentato aliquid objicere, quod eum reddat inhabilem, ne possit ad idem Beneficium promoveri, veniat infra certum, & peremptorium terminum, ad ipsius instituentis præsentiam, hoc facturus; adjiciendo in proclamatione hujusmodi, quod si infra talem terminum nullus compareat, præsentationi, vel præsentato se opponens, ex tunc ad institutionem præsentati procedetur, juxta formam juris. Institutio vero facta, non præmissa proclamatione hujusmodi, sit irrita eo ipso.

Cap. XLI. *De Patronis, & Clericis, qui mediante pacto Ecclesias præsentant, & recipiunt: quod est Simoniacum.*

Detestanda quorundam Patronorum, seu Advocatorum cupiditas, in tantum metas suæ potestatis excedit; quod, cum aliqua Ecclesiastica Beneficia vacare contingit, quorum ad ipsos jus pertinet Patronatus, nullam idoneitatem præsentandarum personarum, sive Ecclesiarum, seu Plebium utilitatem attendentes, sed imitatores Giezi, quærunt Clericos *Simonis* Successoris, quos recepta prius ab eis certa summa pecuniæ, sive cautione, de ipsa in posterum persolvenda, aut promissione de remittendis sibi, vel non repetendis ab eo decimis, vel aliis Ecclesiæ juribus: aut quod si eis quandocunque displicentiam fecerint, Ecclesias ipsas dimittere, & litteras præsentationis suæ ipsorum manibus tradere teneantur, aut similibus pactionibus præmissis, demum eos instituendos Episcopis repræsentant. Ne igitur hujusmodi execrabile mercationis genus jus sibi vendicet de cætero contra Canonicas Sanctiones; *hoc Sacro approbante Concilio* diffinimus, quod Patronus, Clericus, vel laicus, qui ex conventione, vel pacto, aut quolibet præmissorum, vel simili deprehensus fuerit, aliquem præsentasse, eo ipso, pro illa vacatione jus præ-

(z) *Hoc Caput 39. omissum in cod. Moguntino.*

præſentationis amittat, & pro tunc Beneficium hujusmodi per eum, ad quem ipſius inſtitutio pertinet, conferatur. Præſentatus vero (a) non ſolum eodem Beneficio ſit privatus, ſed ipſo facto reddatur inhabilis, ad ſacros Ordines, & ad alia quævis Eccleſiaſtica Beneficia obtinenda.

Cap. XLII. *De Conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris.*

Si Eccleſiam pollui humani ſanguinis, aut ſeminis effuſione contingat, ipſius Eccleſiæ Cœmiterium, ſi contiguum ſit eidem, cenſetur eſſe pollutum; & antequam reconcilietur per Epiſcopum, in ea non debent Divina celebrari, vel aliquis ſepeliri.

Cap. XLIII. *De celebratione Miſſarum.*

In eadem Eccleſia, & eodem tempore, duas Miſſas ſub nota celebrare diſtrictius inhibemus: Adjicientes, quod nullus pro vivis, mortuorum officium audeat facere ſeptimum, triceſimum, vel annuale. Omnibus Sacerdotibus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommuniacationis pœna, diſtrictius inhibemus, ne die, qua primam Miſſam celebrant, ſeu octo diebus immediate ſequentibus, per ſe, vel alium, invitatum ſolemnem audeant præparare. Salvo, quod tunc certos Clericos, ſæculares, & Religioſos, paucos tamen, & ſine ſolemnitate qualibet procurare poterunt. Sic tamen, quod joculatores, & hiſtriones nullatenus admittantur. Miſſarum etiam novarum Officia, quas ſancta Romana, & univerſalis non recepit, ſeu inſtituit Eccleſia, penitus reprobamus. Hiſtorias novas, Hymnos, Sequentias, niſi *in Concilio Provinciali*, aut *in Epiſcoporum Synodis* approbentur, in Eccleſiis legi, aut decantari diſtrictius prohibemus. Quod enim ſanctorum Patrum decreto non eſt ſancitum, ſuperſtitioſis non eſt adinventionibus præſumendum. Si cui per Nos, aut Suffraganeorum noſtrorum aliquem conceditur, quod in Altari viatico portatili Divina coram ipſo poſſint officia celebrari; non in loco ventoſo, ſeu alias periculoſo, vel inhoneſto, hoc fieri debere intelligimus. Unde ſi quis Presbyterorum, occaſione conceſſionis hujusmodi contra præmiſſa Divina celebrare præſumpſerit, eo ipſo per unum menſem a Miſſæ Officio, præſentis ſtatuti vigore noverit ſe ſuſpenſum.

Cap. XLIV. *De Baptiſmo.*

Quia Sacramentum Baptiſmi omnium aliorum eſt janua, quo carens, non eſt capax cujuscunque alterius Sacramenti, Presbyteri cum exacta diligentia ſtudeant providere, ne in collatione ipſius, tam in prolatione formæ verborum debita, quam immerſione in aqua, circa quæ tota virtus Baptiſmi verſatur, aliqua negligentia committatur. Forma autem verborum, de qua nihil poteſt obmitti, nec ei debet aliquid interponi, eſt iſta: *Ego te baptiſo, in nomine † Patris, & † Filii, & † Spiritus Sancti.* Immerſio vero fiat trina, ſic, quod primam faciat ſtatim, cum incipit formam verborum proferre, ultimam autem finiendo formam. Hanc autem formam frequenter Plebani doceant plebes ſuas. Nam propter neceſſitatem iſtius Sacramenti, ſine quo nullus poteſt ſalvari, etiam laicus quicunque, vir, vel mulier, pater, vel mater, puerum, vel adultum baptizare poterunt in ſuo vulgari proferentes formam verborum, in mortis articulo conſtitutum. Et cum in tali neceſſitate per hujusmodi perſonas, quis fuerit baptiſatus, Presbyter a baptizato, & perſonis circumſtantibus, diligenter inquirat, ſi forma debita ſit ſervata: quam ſi ſervatam invenerit, circa Baptiſmum unctiones tantum ſupplere debitas non obmittat. Si vero circa formam erratum fuerit, tunc ipſum denuo baptizet. Quod ſi veriſimiliter dubitatur, an quis rite, vel non rite fuerit baptizatus, tunc baptizetur ſub hac forma: *Si baptizatus es, non te rebaptizo, in nomine † Patris, & † Filii, & † Spiritus Sancti.*

Cap. XLV. *De cuſtodia Euchariſtiæ, Chriſmatis, & aliorum Sacramentorum, vaſorum, & veſtimentorum ſacrorum.*

Statuimus, ut in Eccleſiis Chriſma, & Euchariſtia, Oleum ſacrum, Aqua Baptismi, ſub fideli cuſtodia, ſive ſeris conſerventur, ne poſſit ad illa temeraria manus

(a) taliter

manus extendi, pro nephandis aliquibus exercendis. Si vero is, ad quem ſpectat cuſtodia, ea incaute reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur. Et ſi per ejus incuriam aliquid nephandum inde contigerit, graviori ſubjaceat ultioni. Relinqui nolumus incorrectum, quod quidam Clerici Eccleſias ſic exponunt ſupellectibilibus propriis, & etiam alienis, ut potius domus laicæ, quam Dei Baſilicæ videantur, non conſiderantes, quod Dominus in Evangelio non ſinebat, ut vas transferretur per templum. Sunt & alii, qui non ſolum Eccleſias dimittunt incultas, verum etiam vaſa Miniſterii, & veſtimenta Miniſtrorum, ac pallas Altaris, nec non & ipſa corporalia, tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus ſunt horrori. Quia vero zelus nos comedit domus DEI, firmiter prohibemus, ne hujusmodi ſupellectilia in Eccleſiis admittantur, niſi propter hoſtiles incurſus, aut incendia repentina, ſeu alias neceſſitates urgentes, ad ea oportet haberi refugium. Sic tamen, ut neceſſitate ceſſante, res in loca priſtina reportentur. Præcipimus quoque, ut in Oratorio, vaſa, corporalia, & veſtimenta prædicta, munda, & nitida conſerventur. Nimis enim videtur abſurdum, in ſacris ſordes negligere, quæ dedecerent etiam in prophanis.

Cap. XLVI. *De Feſtivitatibus celebrandis.*

Ut circa Celebrationem Feſtivitatum ſit Eccleſiarum noſtræ Provinciæ concordia ſingularum, ſtatuimus, ut in ſubſcriptis diebus tantum, Clerici, & laici debeant a ſervilibus operibus abſtinere. Primo in Feſtivitatibus Chriſti, videlicet: Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, & Reſurrectionis ipſius, cum duobus diebus immediate ſequentibus, Aſcenſionis ipſius, & Pentecoſtes, cum duobus immediate ſequentibus, Corporis Chriſti, in Feſtivitatibus Sanctæ Crucis, Inventionis ſcilicet, & Exaltationis, & omnibus diebus Dominicis. In quatuor Feſtivitatibus Beatæ Virginis MARIÆ, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, & Aſſumptionis. Item, in die Angelorum, quod dicitur feſtum S. Michaelis. In feſto Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ. Item, in diebus Apoſtolorum, videlicet: Matthiæ, Philippi, & Jacobi, Petri, & Pauli, Jacobi Majoris, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Judæ, Andreæ, Thomæ, & Joannis Evangeliſtæ tranſitus tantum. Item, in diebus Beatorum Martyrum, Stephani, Laurentii, Viti, Wenceslai paſſionis tantum, Adalberti, & quinque Fratrum, ſcilicet, Benedicti cum fratribus. Item, Confeſſorum Martini, Nicolai, & Procopii. Item Mariæ Magdalenæ, & Margarethæ, Ludmillæ paſſionis tantum, & Catharinæ. Item, in feſto omnium Sanctorum. Item, Epiſcopus Feſtivitates Patronorum ſuæ Eccleſiæ, in ſua Diœceſi poteſt facere celebrari. Et quælibet Parochialis Eccleſia feſtum Patroni ſui, in cujus eſt honorem principaliter dedicata, & Anniverſarium Dedicationis diem in ſua Parochia faciat celebrari. Item, in diebus Beatorum Marci, & Lucæ Evangeliſtarum, & quatuor Doctorum Eccleſiæ, Gregorii, Ambroſii, Auguſtini, & Hieronymi, quorum feſtivitates felicis memoriæ Bonifacius Papa mandavit in univerſis Eccleſiis ſub officio duplici ſolenniter venerari: Et populus in ſua Parochiali Eccleſia Divino officio peraudito, ad ſua opera licite ſe convertit.

Cap. XLVII. *De Obſervatione Jejuniorum.*

Quidam novitatum avidi ſectatores, jejunia per Eccleſiam indicta violant, propter quædam alia jejunia, quæ faciunt diverſis fictionibus hominum adinventa. Cum autem omnes novitates ſint ſuſpectæ, & propter hoc fugiendæ, maxime autem illæ, quæ Sanctorum Patrum obviant inſtitutis, diſtrictius inhibemus, ne aliquis quodcunque jejunium Eccleſiæ propter aliud votivum audeat ſolvere, ſed univerſi Fideles utriusque ſexus, præſertim a viginti annis ſuper omnia jejunia, quæ per Eccleſiam indicuntur, vel conſuetudine Patriæ approbantur, cum ſumma diligentia ſtudeant obſervare, niſi forte aliquis debilitate, vel infirmitate gravatus, refectione cibariorum egeat, & tunc de licentia Superioris, ſi commode adiri poterit. Nec ſufficit licentia ſimplicis Sacerdotis, niſi jejunanti periculum immineret.

Cap.

Cap. XLVIII. *De Ecclesiis ædificandis.*

Ecclesiam, seu Basilicam denuo nullus ædificet, nec antiquam transferat, nisi per Episcopum, vel ejus Commissarium, in locum structuræ ponatur lapis primarius benedictus, alias ædificium diruatur, ædificans temerarius Clericus, vel laicus Canonice puniatur. Nec Episcopi socii Diœcesanorum, seu Vicarii, qui communiter Suffraganei appellantur, hujusmodi primarium lapidem ponant, maxime in locis, in quibus Ecclesiæ alias non fuerunt, nec ædificatas consecrent, sine Diœcesani licentia speciali, qui ex officio suo providere tenetur, ne Ecclesia erigatur sine dote congrua, luminaribus, & ornamentis, & absque alterius Ecclesiæ notabili detrimento. Cum autem hujusmodi Episcopo per Diœcesanum committitur, ut in Diœcesi sua Ecclesiarum construendarum primarios lapides ponat, seu constructas consecret, in tali generali mandato non comprehenduntur Collegiatæ Ecclesiæ, nisi de speciali Diœcesani commissione: nec potest ipsius subditos solvere, vel ligare. Insuper singulæ Parochiales Ecclesiæ duorum altarium, vel maxime trium numero sint contentæ, nisi essent Collegiatæ, in quibus altaria, arbitrio Diœcesani multiplicari poterunt, secundum exigentiam multitudinis Ministrorum. Quicunque Ecclesiastica Beneficia obtinent, omnino adjuvent, ad tecta reficienda, vel Ecclesias emendandas. Collectores eleemosynarum pro fabricis Ecclesiarum, quos quidem *vitricos* appellant, deputati, sint omnium exceptione de plebe majores, & iidem eleemosynas fidelium inconsultis Ecclesiarum Rectoribus non expendant.

Cap. XLIX. *De Immunitate Ecclesiarum & Ecclesiasticarum Personarum.*

Licet laicis in Ecclesiis in Ecclesias, Ecclesiasticasve personas, ac eorum bona, omnis authoritas sit ablata tam Jure Canonico, quam Civili; nonnulli tamen laici nitentes in vetitum, immunitates eorum diversis conatibus infringere moliuntur. Nos super his volentes eorum ausum reprimere, *auctoritate hujus Sacri Concilii*, sub obtestatione Divini Judicii, & maledictionis æternæ districtius inhibemus, ne de cætero ad hujusmodi temerarias manus præsumant extendere, quod videlicet aliquem confugientem ad Ecclesiam, quantumcunque maleficium commiserit grave, Judex laicus, seu quivis alius, quantamcunque sæcularem Dignitatem obtinens, seu potestatem exercens, de Ecclesia violenter præsumant extrahere, immunitatem Ecclesiæ taliter violando. Sed potius ad instantiam Rectoris Ecclesiæ, ad quam fugit, eidem vitam, & membra illæsa conservent, & ipsum pecuniaria, vel alia disciplina puniant mitiori; nisi malefactor ad Ecclesiam fugiens publicus latro fuerit, vel nocturnus prædator agrorum, aut si in ipsa Ecclesia, vel ejus cœmiterio homicidium, vel membri truncationem sub spe immunitatis perpetraverit. Tales enim quolibet immunitatis privilegio sunt indigni. Nullus sub excommunicationis pœna in Ecclesia, vel de Ecclesia munitionem, seu fortalitium præsumat erigere, vel facere, aut ipsius cœmiterium pro ejus firmitate fossatis quibuslibet vallare. Nullus laicorum Clericum quemcunque deferentem coronam, & habitum Clericalem, sine demandatione Ecclesiastici Judicis captivare præsumat. Quod si fecerit, excommunicationis sententiam incidit ipso facto, a qua eum solus Papa absolvere potest. Et nihilominus in ejus opprobrium Clerus civitatis, villæ, oppidi, vel castri, seu Parochiæ, in quibus Clericus captus est, seu detinetur captivus, eo ipso, alio non expectato mandato, cessationem faciat a Divinis, donec per Diœcesani providentiam, ad cujus notitiam id perferant sine mora, vel aliter liberetur. Nec aliquis consanguineorum, seu amicorum Clerici, taliter captivati, pro ipsius liberatione sub excommunicationis pœna aliquid audeat solvere, vel de solvendo ponere cautionem. Verum si Clericus vagabundus, in furto, vel alio maleficio deprehendatur, & habeatur de fuga suspectus, tunc ex hac nostra generali licentia, quam præsentibus impartimur, sæcularis potestas sub testimonio tamen Clericorum, si commode haberi poterit, vel alio fide digno, poterit malefactorem hujusmodi captivare, ac eum quamprimum Ecclesiastico judicio præsentare, juxta traditiones sacrorum Canonum puniendum. Qui autem ausu sacrilego Prælatum, Canonicum, aut quem-

cunque Clericum pro Clero se gerentem occiderit, seu mutilaverit; præter alias diversas pœnas juris, omnibus feodalibus, si quæ ab Ecclesia tenuit, sit eo ipso privatus, & ad Ecclesiam, a qua ea tenuit, libere revertantur. Jus Patronatus, si quod in una, vel in pluribus Ecclesiis habuit, ipso facto perdat, & ad Diœcesanum Episcopum devolvatur: filii ejus, & nepotes usque ad quartum gradum per masculinam lineam descendentes, ad Ordines, seu quodcunque Ecclesiasticum Beneficium nullatenus admittantur. Illi autem, qui omnem maliciam superantes, Archi-Episcopum, vel Episcopum fuerint hostiliter insecuti, vel eorum aliquem percusserint, ceperint, vel occiderint, seu ipsis malefactoribus ad hoc præstiterint consilium, auxilium, vel favorem; ipsorum filii, & nepotes descendentes, ut una cum supra ipsis ad hoc quomodolibet cooperantibus, ipso facto pœnas incidunt a jure statutas. Eos, qui temporale Dominium obtinentes suis subditis aliquando interdicunt, ne Prælatis, aut Clericis, seu personis Ecclesiasticis quidquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem, neque ipsis bladum molant, coquant panem, aliqua obsequia exhibeant, vel exhibere præsumant; cum talia in derogationem libertatis Ecclesiasticæ vergant, eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus subjacere. Insuper præsenti constitutione jubemus, ut locorum Diœcesani contra eos, qui ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis pro eorum rebus propriis, quas non negotiandi causa deferunt, aut deferri faciunt, vel transmittunt, gabellam, seu theloneum suo, vel alieno nomine exigunt, vel extorquent in suarum animarum periculum, & eorum, a quibus talia exigunt, præjudicium, & gravamen; excommunicationis, & interdicti sententias a jure prolatas, postquam de hoc ipsis constiterit, omnino publicent, & a suis subditis tam diu faciant publicari, donec illi sic ablata, restituant, & de transgressione hujusmodi satis faciant competenter. Ad hæc quicunque servari faciunt Statuta edita, vel consuetudines introductas, contra Ecclesiæ libertatem, Statutarii, & Scriptores Statutorum ipsorum, nec non Potestates, Consules, Rectores, & Consiliarii locorum, ubi hujusmodi statuta, & consuetudines editæ fuerint, vel servatæ, nec non & illi, qui secundum ea præsumpserint judicare, vel in publicam formam scribere judicata, in excommunicationis sententiam incidunt ipso facto.

Cap. L. *De Sponsalibus, & Matrimoniis.*

Si inter virum, & mulierem legitimus consensus interveniat de præsenti, ita quod unus alterum mutuo consensu, verbis consuetis expresse recipiat, utroque dicente: *Ego accipio te in meam, & ego te in meum*, vel alia verba consensum exprimentia de præsenti, non liceat alteri ad alia vota transire. Quod si fecerint secundum matrimonium, imo verius adulterium de facto contractum, etiamsi sit carnalis copula subsecuta, separari debent, & primum in sua firmitate manere; Verum si inter ipsos accessit tantum promissio de futuro matrimonio contrahendo, utroque dicente: *Ego te recipiam in meam, & ego te in meum*, sive verba similia; & alter eorum, antequam carnaliter se cognoscant, aliam seu alium per verba sibi desponsaverit de præsenti, dato, quod prima promissio de futuro per interpositionem fuerit juramenti firmata, ei tamen præjudicat de præsenti desponsatio post secuta. Illi vero, qui primam promissionem per secundum contractum irritam fecit, est de violatione fidei pœnitentia injungenda. Carnalis vero copula si sequatur promissionem de futuro, eo ipso matrimonium efficit: sic, quod ei in nullo præjudicat quicunque contractus matrimonialis postmodum consecutus. Constitutionem quoque generalis Concilii, tum inhibitionem, contrahentium periculis providentem, censemus districtius observandam, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, diebus Dominicis, vel aliis Festivis, in Ecclesiis per Presbyteros coram plebe publice proponatur, trium dierum ad minus, termino præfinito, ut infra illum, qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat. Sed & ipsi Presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat, & si nec per oppositionem alicujus, nec per investigationem propriam infra eundem terminum inter volentes contrahere, ali-

aliquod impedimentum invenerint, Presbyteri ipsi factis interrogationibus consuetis, eos non differant copulare. Si vero ex oppositione cujuscunque, vel alias contra copulam contrahendam apparuit probabilis conjectura, per Presbyteros interdicatur contractus publice, & expresse, donec, quid fieri debeat, super eo, per Episcopum, vel ejus Officialem, ad quorum hæc notitiam perferant, sint edocti. Si quis autem edicto hujusmodi prætermisso, clandestina, vel interdicta conjugia inire præsumpserit in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum consensu nullum subsidium habitura: cum ipsi parentes taliter contrahendo affectatores ignorantiæ videantur. Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, præter Ecclesiæ interdictum, etiam in conspectu Ecclesiæ contrahere præsumpserint. Sane, si Parochialis Sacerdos hujusmodi clandestinas conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ qualitas postulaverit. Sed & his, qui taliter copulare præsumpserint, etiam nullo alio impedimento obstante, condigna pœnitentia per Episcopum injungatur. Si quis vero ad impediendam legitimam copulam, malitiose impedimentum objecerit, Canonicam non effugiet ultionem. Nullus autem elapso dicto denunciationis termino, matrimonium audiatur accusans, seu contra illud testificans, nisi denunciationem hujusmodi probabiliter ignoraverit, vel nisi juret, quod post terminum denunciationis illud didicerit, quod opponit, & quod ad hoc ex malitia non procedat. Cum autem Presbyter contrahentes matrimonium legitime copulavit, eis Benedictionem Sacramentalem impendat, si neuter contrahentium alias fuerit in matrimonio constitutus. Nam si benediceret secundas nuptias, per Episcopum cum literis testimonialibus ab officio, Beneficioque suspensus, ad Sedem Apostolicam est mittendus. Laici sub excommunicationis pœna nubentes non audeant copulare, nec aliqua statuta condere, quæ libertatem contrahentium matrimonium impediant quovis modo. Cognitionem vero causarum matrimonialium Plebani, & Decani rurales sibi penitus noverint interdictam.

Cap. LI. *De Cognatione Spirituali.*

Spiritualis cognatio, sive compaternitas, in viginti casibus matrimonium contrahendum impedit, & dirimit post contractum, scilicet, inter levantem, & levatum, levatum, & filios levantis, levatum, & conjugem levantis prius cognitam: Parentes levati, & conjugem levantis prius cognitam: Levantem, & Parentes levati. Item inter baptizatum, & baptizantem: baptizatum, & filios baptizantis: baptizatum, & conjugem baptizantis prius cognitam: Parentes baptizati, & conjugem baptizantis prius cognitam: Baptizantem, & parentes baptizati. Item inter confirmatum, & levantem: confirmatum, & filios levantis: confirmatum, & conjugem levantis prius cognitam: Levantem, & parentes confirmati. Item, confirmatum, & confirmantem: confirmatum, & filios confirmantis, & conjugem confirmantis prius cognitam. Parentes confirmati, & conjugem confirmantis prius cognitam: confirmantem, & parentes confirmati. Ne igitur occasione spiritualis cognationis in matrimonio difficultates emergant, districte præcipimus, ut ad prædicta baptismi, & confirmationis Sacramenta, per quæ tantum compaternitates hujusmodi contrahuntur, solum unus vir, vel mulier cum compatre levante, de cætero admittatur: non obstante in contrarium prava consuetudine, cum sit contra sacrorum Canonum instituta.

Cap. LII. *De Consanguinitate, & Affinitate.*

Qui Divino timore postposito in animarum suarum periculum scienter in quarto, vel infra consanguinitatis, vel affinitatis gradu, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur, nec non Religiosi, & Moniales, ac Clerici in sacris Ordinibus constituti, matrimonia contrahentes, præter alias pœnas juris, excommunicationis sententiam incidunt ipso facto.

Cap. LIII. *De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per Adulterium.*

Habens uxorem legitimam, ſi adulteræ ſuæ hoc ſcienti promittit fidem de ea ducenda poſt mortem uxoris, vel cum ea de facto contrahit, carnali copula præcedente, vel ſequente, non poteſt cum ipſa, legitima mortua, in matrimonio remanere. Si vero ſecunda ducta contractum cum alia ignorabat, tunc ſecunda inſtante cum ea compellitur remanere. Compulſione autem hujusmodi durante, ſi vir cum tertia contrahit, tenet contractus: eſt tamen ſibi propter hoc pœnitentia imponenda. Similiter ſi ipſe, vel adultera ſua, mortem uxoris legitimæ effectualiter procuravit, non poteſt adulteram aliquatenus ducere in uxorem. Item, ſi uterque etiam ſine adulterio in mortem legitimæ eſſet machinatus cum effectu.

Cap. LIV. *De Simonia, & ne aliquid pro Spiritualibus exigatur, vel promittatur.*

In tantum peccatis exigentibus corda quorundam Presbyterorum ſimoniaca pravitas depravat, qui nec Baptiſmi, Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, aut extremæ Unctionis Sacramenta, nec benedictionem nubentium, aut exequias, ſeu ſepulturam mortuorum, ſive alia quæcunque ſpiritualia ſuis volunt ſubditis miniſtrare, niſi pro hujusmodi ſeu adminiſtratione ipſorum eis ſolvatur, vel promittatur precium, pro ſuæ turpitudinis excuſatione, imo verius accuſatione, diuturnam conſuetudinem prætendentes. Ne igitur tam pernitioſam venalitatem pravitatis ſimoniacæ per impunitatem vendentium videamur noſtris temporibus approbare, hujus *ſacri approbatione Concilii* duximus ſtatuendum, quod ſingula prædicta Sacramenta, & res ſacræ, non obſtante quacunque conſuetudine in contrarium, quæ cenſenda eſt potius corruptela, per Presbyteros ſine exactione cujuscunque temporalis emolumenti libere conferantur. Et quicunque de cætero præmiſſorum, vel alicujus ex prædictis venditor fuerit deprehenſus; ſi eſt Rector Eccleſiæ, perpetuo ipſa privetur, ſi vero Vicarius, ſeu ſocius Rectoris fuerit, ad Epiſcopales carceres, ut ibi perpetuam agat pœnitentiam, detrudatur. Veruntamen, ſi laici nollent rationabiles, & approbatas Eccleſiarum conſuetudines obſervare, tunc non per ipſos Presbyteros, cum in propria cauſa judices eſſe nequeant, ſed per Epiſcopum, vel ejus Officialem ſummarie, & de plano de hoc veritate cognita, ad earundem obſervationem cenſura Eccleſiaſtica compellantur. Præterea Archidiaconi locorum, ſeu Decani rurales, ſi pro ſacris liquoribus, vel Chrismate, & Oleo per ſe, vel alios aliquid præſumpſerint extorquere, ſuis Beneficiis perpetuo ſpolientur.

Cap. LV. *De Judæis.*

Etſi Judæos, quos perpetua culpa perpetuæ ſervituti ſubjecit, pietas Chriſtiana receptet, & ſuſtineat cohabitationem illorum, ingrati tamen eſſe non debent, ut reddant Chriſtianis pro gratia contumeliam, & de familiaritate contemptum, & illam retributionem impendant, quorum juxta vulgare Proverbium: *Mus in pera, ſerpens in gremio, & ignis in ſinu*, ſuis conſueverunt hoſpitibus exhibere. Accepimus autem, quod Judæi Chriſtianas puerorum ſuorum nutrices, quod non tantum dicere, ſed etiam nefandum eſt cogitare, cum illas recipere Corpus & Sanguinem JESU CHRISTI contingit, per triduum antequam eos lactent, lac effundere faciunt in latrinam: alia inſuper contra Fidem Catholicam deteſtabilia, & inaudita committunt, propter quæ fidelibus eſt verendum, ne Divinam indignationem incurrant, cum eos perpetrare ſuſtinent, quæ fidei noſtræ confuſionem inducunt. Inhibemus ergo diſtricte, ne de cætero Nutrices, ſeu Obſtetrices, vel ſervientes habeant Chriſtianos, ne ipſos ex familiaritate nimia, ad ſuæ infidelitatis errorem pertrahant, & ne filii liberæ, filiis famulentur ancillæ, ſed tanquam ſervi a Domino reprobati, in cujus mortem nequiter conjurarunt, ſe ſaltem per effectum operis recognoſcant ſervos illorum, quos Chriſti mors liberos, & illos ſervos effecit. Si vero hac prohibitione noſtra, imo verius Apoſtolica contempta, Nutrices, Obſtetrices, & aliam familiam, non dimiſerint Chriſtianam, Epiſcopi locorum ſub

ſub excommunicationis pœna inhibeant diſtricte omnibus Chriſtianis, ne cum Judæis commercium aliquod audeant exercere. Quia ſimilitudo exterioris habitus, quem Judæi cum Chriſtianis indiſtinctim deferunt, plerumque tantum periculum inducit, quod per errorem Chriſtiani Judæorum, & Judæi Chriſtianorum mulieribus commiſcentur. Ne igitur tam damnatæ commixtionis exceſſus, per velamen erroris hujusmodi, quandoque ſimulati, ulterius excuſari poſſit; Statuimus, ut maſculi Judæorum in capitibus ſuis pilea lata, ut antiquitus conſueverunt, & non capucia, deferant. Mulieres vero ſub peplo, ſive alio velamine capitis ornarium, ſive levaturam eminentem ſupra frontem ponant: ſic, quod omni tempore per hujusmodi ſigna a Chriſtianis diſcernantur. Quæ ſigna, ſi Judæi, infra duorum menſium ſpacium a publicatione præſentium non aſſumpſerint, ut eſt dictum, ex tunc eis, per excommunicationis ſententiam Chriſtianorum communio ſubtrahatur, & in pœnam temporalis Domini loci, qui ipſos ad hoc non compellet; Clerus ſæcularis, & Religioſus civitatis, oppidi, ſeu villæ, in quibus Judæi taliter indiſtincte morantur, eo ipſo generalem ceſſationem faciant a Divinis, donec per Judæos ſtatuto præſenti fuerit obeditum. In die Paraſceves Dominicæ Paſſionis, Judæi in pubcum non prodeant, & per totam illam diem oſtia, & feneſtras ſuas clauſas teneant, ne in Chriſtianorum conſpectum, qui tunc ſacratiſſimæ Paſſionis memoriam exhibentes, lamentationis ſigna prætendunt, per ſuas deriſiones, & blasphemias in contumeliam proſiliant Creatoris. Nulli eorum publico præficiantur officio. Si quis autem hæc commiſerit, excommunicationis ſententia innodatur. Judæo vero officiali, tamdiu Chriſtianorum communio in commerciis, & aliis denegetur, donec in uſum Pauperum Chriſtianorum ſecundum providentiam Diœceſani Epiſcopi convertatur, quidquid fuerit a Chriſtianis adeptus occaſione officii ſic ſuſcepti, & officium cum pudore dimittat, quod irreverenter aſſumpſit. Synagogas novas conſtruere nullatenus admittantur: ſed antiquas, ſi corruerunt, vel ruinam minantur, reædificare poterunt: non autem, ut eas exaltent, aut ampliores, aut pretioſiores faciant, quam antea fuiſſe noſcuntur, qui utique pro magno debent habere, quod in veteribus Synagogis, & ſuis obſervantiis tolerantur. Ad Baptiſmum non cogantur inviti, nec in perſonis, vel rebus ſuis, ſine judicio puniantur: nec in ſuis Feſtivitatibus perturbentur, nec eorum Cœmiteria per exhumationem corporum, vel alias violentur.

Cap. LVI. *De Hæreticis.*

Hæretici, quarumcunque ſectarum, & credentes ipſorum erroribus, necnon receptatores, defenſores, & fautores eorum excommunicati ſunt, quos univerſi fideles Chriſti, maxime Parochiales Presbyteri, Diœceſano loci, vel Inquiſitori hæreticæ pravitatis denunciare tenentur, ut pro ſuis demeritis ultionem recipiant, & ne fidelium corda eorum doctrinis peſtiferis corrumpantur.

Cap. LVII. *Contra Chriſtianos, qui ad ritum tranſierunt, vel redierunt Judæorum.*

Etiam ſi hujusmodi redeuntes, dum erant infantes, aut mortis metu, non tamen abſolute, ſeu præciſe coacti baptizati fuerint, eſt tamen contra eos tanquam contra hæreticos, ſi fuerint de hoc confeſſi, aut per Chriſtianos, ſeu Judæos convicti, & ſicut contra fautores, receptatores, & defenſores talium procedendum.

Cap. LVIII. *De Raptoribus.*

Mandamus univerſis Plebanis, & aliis Clericis, cujuscunque ſunt ſtatus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna privationis Beneficii, ne aliquem raptorem, proſcriptum, bannitum, profugum, vel incendiarium, aut eorum rapinas, in domibus ſuis recolligant, vel conſervent, aut ipſis etiam extra domos ſuas, expenſas ſeu alimenta miniſtrent, ſive ipſorum literas, vel legationes, ad quascunque perſonas perferant, a quibus plerumque hujusmodi peſtiferum genus hominum, per comminationes de occidendis perſonis, vel earum bonis cremandis, pecunias extorquere conantur.

Cap.

Cap. LIX. *De Usuris, & Usurariis.*

Usurariorum pravitatem, qui plerumque mercatorum famam inquinant, dum sub mercationis velamine, diversis adinventis fraudibus plus secum contrahentes damnificant, quam illi, qui nullo quæsito colore, directe mutuant ad usuras, detegere cupientes; & ne etiam juris ignorantiam simulatam circa hoc possint prætendere, & sic suos errores de cætero, frivolis rationibus excusare: Declaramus, & dicimus, quod, cum usura tantum committatur in mutuo; mutuum autem in iis rebus consistit, quæ determinantur numero, pondere, vel mensura; non solum is, qui expresse rem hujusmodi eo pacto, vel principaliter ea spe mutuat, ut aliquid emolumentum temporale ultra sortem recipiat, quantumcunque sit parvum, sive sit fructus, seu proventus rei pignoratæ, in sortem non computat, usurarius est censendus; sed & ille, qui mercem quamcunque venditionis tempore, communi æstimatione minus valentem, & quam tunc venditurus erat, carius vendit, solutionem precii differens ea vice, & qui statim solvit precium cujuscunque rei emptæ pro minori, quam tunc valeat, lucri causa, ejusdem rei traditione dilata ad terminum, in quo constat, ipsam rem plus valere, usurarii sunt censendi: & qui tales esse probari possunt, ad notitiam Diœcesanorum, vel eorum Officialium perferantur, ut per eos ad restitutionem usurarum ipsi, vel eorum hæredes districtione Canonica compellantur. Confessores autem in foro animæ, tales ad restitutionem inducant efficaciter, si suarum animarum damnationem cupiunt evitare. Sane si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, *exercere usuras, non esse peccatum*, ille, velut hæreticus condemnetur. Prædicimus autem Plebanis locorum, ac illis, qui habent officium prædicandi, quod saltem semel singulis mensibus statutum præsens, fidelibus exponant vulgariter, ac eos salutaribus inducant monitis, ut abstineant a criminibus, & fraudibus usurarum. Et innotescant omnibus, ac eis in remedium peccatorum suorum injungant, ut ipsi in nostro, seu Suffraganeorum nostrorum Consistoriis usuras, aliquo de prædictis modis solutas, repetant, vel si nondum solverint, sed solvere promiserint, a promisso se, & suos fidejussores absolvi petant.

Cap. LX. *De Falsariis.*

Plerumque Parochialium Ecclesiarum Rectores, & alii simplices Clerici, decipiuntur per falsarios literarum, dum juris ignari, falsitatem eorundem, quæ non solum in sigillis, & eorum applicatione, verum etiam in rasuris chartarum, & alias multipliciter perpetrantur, deprehendere nescientes, falsas, pro veris receptant.

Volentes igitur inconvenientiis, & periculis, quæ ex hujusmodi incauta credulitate sequuntur, occurrere; statuimus, ne de cætero aliquis Plebanorum, vel quæcunque alia Ecclesiastica persona, literas, quæ dicuntur a Sede Apostolica, vel ejus Pœnitentiariis, seu a quocunque alio de ignotis partibus, super indulgentiis, petitionibus eleemosynarum, vel dispensationibus, seu quibuscunque aliis negotiis impetratæ, in favorem, vel præjudicium cujuscunque audeat approbare, nec ipsas, in sua Ecclesia permittat aliquatenus publicare, nisi prius per Diœcesani loci, vel ejus Officialis, patentes literas fuerint approbatæ. Quod si portitores hujusmodi literarum, contradicente Plebano, eas publicare, vel earum prætextu eleemosynas, seu alios quoscunque actus præsumpserint exercere: ipse Plebanus, eos cum rebus suis, auctoritatem habeat arrestandi, cum adjutorio, si opus foret, brachii sæcularis, sic, quod ipsos una cum rebus, & literis Diœcesano, vel Archi-Diacono loci, quam cito commode poterit, studeat præsentare.

Cap. LXI. *De Sortilegiis.*

Parochiales Presbyteri plebes suas frequenter informent, ut sciant sortilegas artes, & incantationes sub prolatione quorumcunque verborum, vel scriptura characterum, quibuslibet infirmitatibus hominum, seu animalium, nihil posse conferre remedii, vel sterilitati agrorum, vel arborum, seu potestati tonitruorum, vel grandinum providere, & eis sub excommunicationis pœna præcipiant, quod a sor-

a sortilegiis, & superstitionibus quibuscunque abstineant, nec sortilegos consulant, vel ad domos suas recipiant, sed quod ipsi Plebano tales denuntient, ut turpiter dehonestati ejiciantur de plebibus, ne per eos simplicium conscientiæ polluantur.

Cap. LXII. *De Excommunicato, Interdicto, vel Suspenso celebrante.*

Is, qui celebrat majori excommunicatione ligatus, aut cui est ingressus Ecclesiæ interdictus, si in ea se Divinis ingerat, celebrando, vel concelebrando in suo agens officio, sicut prius: & ille, qui scienter celebrat in loco supposito interdicto, irregularitatem incurrunt, a qua nequeunt per alium, quam per Romanum Pontificem liberari. Talis etiam, cui est ingressus Ecclesiæ interdictus, si, interdicto hujusmodi durante, decedit, non debet, sicut nec excommunicatus excommunicatione majori, in Ecclesia, vel Cœmiterio Ecclesiastico sepeliri. Illi vero, qui scienter celebrat præsente excommunicato excommunicatione majori, est ingressus Ecclesiæ interdictus. Et si hoc interdicto durante celebrat, irregularis efficitur, ab ea tantum per Summum Pontificem liberandus. Qui autem sic irregularis in contemptum clavium Divina præsumpserit profanare, Beneficiis suis privetur perpetuo, & nihilominus subjiciatur pœnitentiæ carcerali.

Cap. LXIII. *De injuriis, & damno datis.*

Si culpa tua factum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus auxilium præbuisti, aut hæc imperitia tua, seu negligentia evenerunt; de jure super his satisfacere te oportet. Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam. Quod si animalia tua alicui nocuerunt, tu ad satisfactionem teneris, nisi eadem animalia dando passis damnum, velis liberare te ipsum: quod tamen ad liberationem tuam non proficeret, si fera animalia, vel quæ naturaliter consueverunt nocere, dato, quod domesticata fuissent, & quam debueras, non curasti, diligentiam adhibere. Sane, licet ille, qui occasionem damni dat, damnum videtur dedisse; secus tamen est in illo dicendum, qui ne damnum accideret, de contingentibus nil obmisit. Et si injuriam passus secundum Christianitatis legem injurianti rancorem, ex corde, gratis, pro DEO dimittere teneatur; satisfactionem tamen pro eadem, coram competenti judice potest petere, dimissione rancoris hujusmodi non obstante.

Cap. LXIV. *De Pœnitentiis, & Remissionibus.*

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam pro virilibus studeat adimplere: suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam causam rationabilem, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum, alioquin, & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.(a) Unde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ex ignorantiæ cæcitate, velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit, justa de causa, sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ipse illum non possit solvere, vel ligare. Sacerdos autem sit discretus, & cautus, ut more periti medici, superinfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris confitentis, non alterius circumstantias, & peccati, per circumlocutiones cautas, maxime circa inusitata peccata, quibus prudenter intelligat, quale ei debeat præbere consilium, & remedium adhibere, diversis experimentis utendo, ad sanandum ægrotum. Nam si peccator dicat, se non posse, vel nolle in futurum ab aliquibus peccatis mortalibus abstinere, dato, quod pro præteritis pœnitentiam sit paratus suscipere, tamen, quia contritionem veram non habet, quæ requiritur, quod & præterita plangat, & in futuro ab eisdem, & similibus abstinere proponat, absolvi non debet; sed ejus confessione recepta crebris, & salubribus monitis ad absti-

(a) Concilii Lateranensis anni 1215. Statutus Canon 21mus.

abſtinendi propoſitum, aliquali ſibi impoſita pœnitentia inducatur. Caveat autem Sacerdos omnino, ne verbo, aut ſigno, aut alio quovis modo ſerioſe, vel jocoſe prodat aliquatenus peccatorem; ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud absque ulla expreſſione perſonæ, caute requirat. Quoniam, qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum a Sacerdotali officio decernimus deponendum; verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum Monaſterium detrudendum. Presbyteri circa principium Quadrageſimæ, in ſuis Prædicationibus, ſuas plebes ſollicitent, ut Confeſſiones ſuorum peccatorum ad finem ipſius Quadrageſimæ non differant, ſed eas ſtatim faciant, cum jejunium, ſeu alia quæcunque bona opera ad ſalutem non proſint, in peccatis mortalibus conſtitutis; & induti ſuperpelliciis in Eccleſia confeſſiones audiant: pœnitentibus, qui confitentur, ſe furtis, rapinis, uſuris, vel aliis fraudibus facultates aliorum abſtuliſſe, ante omnia male ablatorum reſtitutionem injungant, in toto, vel in parte, prout eorundem ſe facultates extendunt, cum non dimittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Nec confitentibus ſibi præciſe comparationes Miſſarum injungant, ſed mandent certum, quod erogandum pauperibus Presbyteris, vel aliis, prout rationabilius devotioni videbitur congruere confitentis. Caſus reſervatos, auctoritati Summi Pontificis, vel Epiſcopis de jure ad eosdem remittant; niſi habens caſus hujusmodi ſit in mortis articulo conſtitutus, quo ceſſante periculo ſuper criminibus Papæ, vel Epiſcoporum auctoritati reſervatis, pro recipienda pœnitentia ipſorum, vel Pœnitentiariorum eorundem ſe conſpectui repræſentent. Cum autem vocatur Presbyter ad curandum infirmum, priusquam ad eum deferat Corpus Chriſti ipſius, ſi non imminet mortis periculum, familiariter confeſſionem recipiat; ne per multorum præſentiam, & tumultum, qui ob devotionem, & indulgentias comitantur ipſum Presbyterum Sacramentum Euchariſtiæ deferentem, impediatur devotio confitentis. Ab infirmis in periculo mortis poſitis, pura eſt inquirenda confeſſio peccatorum, non tamen illis imponenda eſt quantitas pœnitentiæ, ſed innoteſcenda, & cum amicorum orationibus, & eleemoſynarum ſtudiis, pondus pœnitentiæ ſublevandum: quod ſi forte migraverint, ne obligati, a communione, & conſortio veniæ, fiant alieni. A quo periculo, ſi Divinitus erepti convaluerint, pœnitentiæ modum a Sacerdote ſibi impoſitum, diligenter obſervent. Et ideo ſecundum auctoritatem Canonicam, ne illis janua pietatis clauſa videatur, orationibus, & conſolationibus Eccleſiaſticis, ſacra unctione Olei inuncti, ſecundum Statuta Sanctorum Patrum, Communione viatici reficiantur. Aliis vero pro qualitate peccati, & præſidentium arbitrio, tempora pœnitentiæ ſunt decernenda. Licet Fratribus *Prædicatoribus*, & *Minoribus* ſit a jure permiſſum, ut ex iis perſonæ ſufficientes, idoneæ, vitæ probatæ, diſcretæ, modeſtæ, atque peritæ, per eorum certos Superiores *electæ & præſentatæ Diœceſanis locorum*, in eorum civitatibus, & Diœceſibus, de ipſorum humiliter petenda licentia, gratia, & beneplacito, confeſſiones ſibi confiteri volentium audire, & imponere pœnitentias ſalutares, & abſolutionis beneficium impendere poſſint: Quia tamen ſumus certo certius informati, quod iidem Religioſi contempta ejusdem juris forma, indifferenter omnes, dummodo ſint Presbyteri, etiam non præſentati Epiſcopo, confeſſiones audiant ſingulorum, in apertam damnationem ſuarum, & ſibi confitentium periculum animarum; Ne per errorem hujusmodi animæ ſubditorum noſtrorum periclitentur de cætero, hoc *Sacro provocante*, ac *approbante Concilio*, omnibus Rectoribus Parochialibus noſtrarum Diœceſis, & Provinciæ firmiter inhibemus, ne Parochianos ſuos permittant, dictis Fratribus confiteri, niſi illis duntaxat, qui per patentes literas Diœceſani Epiſcopi pro ipſis Confeſſionibus audiendis nominatim fuerint deputati. Quas quidem litteras de Cancellaria noſtra, & Suffraganeorum noſtrorum, gratis, & ſine ſolutione pecuniæ aliqua ipſi fratres habent recipere, & eas Rectores Eccleſiarum ad requiſitionem ipſorum fratrum ſub excommunicationis pœna teneantur in ſuis Eccleſiis publicare. Verumtamen

ſi Epi-

ſi Epiſcopus fratribus ipſis, ut præmittitur, electis, & præſentatis, ſine cauſa recuſaverit audiendi confeſſiones licentiam exhibere; ex tunc fratres ipſi *ex ſpeciali conceſſione Apoſtolica* id faciendi, habent liberam facultatem. In nullo tamen caſu, circa abſolutionem, majorem auctoritatem habent, quam Parochiales Presbyteri, niſi Epiſcopus, vel Superior, qui poteſt, ipſis uberiorem gratiam ſpecialiter duxerit concedendam. Nec etiam poſſunt dicti fratres, ſeu quivis alii Religioſi, Clericis, vel laicis, ſine ſpeciali licentia Parochialis Presbyteri, miniſtrare alia Sacramenta, & qui contrarium faciunt, excommunicationis ſententiam incidant ipſo facto.

In Eccleſiis quoque Parochialibus, dicti fratres prædicare non poſſunt, niſi de ipſorum Rectorum beneplacito & aſſenſu. Cum autem fratres ipſi, diebus Feſtivis, in ſuis domibus, in mane prædicationes faciunt, non eas in tantum protrahant, quod plebs ad prædicationem, & ſummam Miſſam, ſuæ Parochiæ, quibus tunc intereſſe tenentur, negligat horam debitam veniendi. Nec Parochianos in ſuis ſermonibus detineant, niſi forte domorum ſuarum Feſtivitates indicent, nec gyrando per Eccleſias, & eorum ambitus, populum aqua benedicta aſpergant, aut cereorum, cinerum, vel frondium palmarum benedictionibus occupent, cum talia in Parochialibus Eccleſiis de jure, & antiqua conſuetudine peragantur. Non impediant etiam dicti fratres per ſuas prædicationes, ſtationes, & proceſſiones ſolennes, quas obſervat Eccleſia generalis, quin imo fratres ipſi ſe in his debent Parochialibus Eccleſiis conformare.

Plerique Epiſcopi, per indiſcretam, & ſuperfluam indulgentiarum conceſſionem, claves Eccleſiæ contemptibiles reddunt, & pœnitentialem ſatisfactionem enervant; non advertentes, quomodo Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet poteſtatis, in hoc tantum moderamen conſuêrit obſervare, qui in Capella ſua perſonaliter celebrans, vel prædicans, intereſſentibus contritis, & confeſſis, ad maximum ſeptem annos indulgentiæ & carenas totidem largitur. Ne igitur per temeritatem hujusmodi, ſimplicitati fidelium de cætero illudatur, decernimus, ut ſecundum diſpoſitionem juris communis, cum dedicatur Baſilica, non extendantur indulgentiæ ultra annum, ſive ab uno ſolo, ſive a pluribus Epiſcopis dedicetur. In anniverſario vero dedicationis tempore, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis, indulta remiſſio non excedat. Et ſimiliter, quando ex aliis rationabilibus cauſis, per literas ſuas Epiſcopus hujuſmodi remiſſiones ſuis ſubditis voluerit indulgere, quadraginta dierum, & non amplius numero ſit contentus. Nec remittentium indulgentias ſubditi participant alieni, niſi hoc, ut ipſi, uti poſſent, eis proprii judices ſpecialiter duxerint indulgendum.

Huic autem ſtatuto neceſſario duximus annectendum, quod nullus Clericus ſæcularis, vel Religioſus exemptus, in Eccleſia ſua, ſeu Monaſterio, indulgentias, præterquam Diœceſani loci audeant publicare, vel niſi per Diœceſani patentes literas fuerint approbatæ. Nam frequenter in diverſis Eccleſiis, ſive locis multorum annorum, & carenarum indulgentiæ ſub nominibus ſummorum Pontificum, & etiam Epiſcoporum ignotorum conceduntur, quæ propter nimium exceſſum de falſitate vehementer ſunt ſuſpectæ, & propter hoc hujusmodi indulgentiarum literæ, per Diœceſanum examinari & approbari debent, cujus intereſt, ne ipſius ſubditi ex ſpe, quam (*a*) hujusmodi mendoſas & falſas indulgentias obtinent, ab agendis, condignis pœnitentiis retrahantur. Prohibemus inſuper, ne publice pœnitentes alias, quam in die Cœnæ Domini, reconcilientur Eccleſiæ, & eis relaxentur carenæ, & niſi iidem a ſuis Plebanis teſtimoniales portent literas, quod vere ſunt pœnitentes, & quod jam pœnitentiam, vel ejus partem aliquam peregerunt. Si Epiſcopus ſubdito conceſſerit, ut ſibi poſſit idoneum eligere Confeſſorem, ille, quem is elegerit, in caſibus, qui idem Epiſcopo ſpecialiter reſervantur, nullam habet penitus poteſtatem, niſi hoc in conceſſione ſpecialiter exprimatur, cùm in generali conceſſione illa non veniant, quæ non eſſet quis veroſimiliter in ſpecie conceſſurus. Nulla quoque poteſt conſuetudine introduci, quod aliquis præter ſui Superioris licen-

(*a*) *forte:* per, *addendum.*

licentiam Confefforem fibi eligere valeat, qui eum poffit folvere vel ligare.

Cap. LXV. *De Sententia Excommunicationis, Sufpenfionis, & interdicti.*

Sacrò approbante Concilio prohibemus, ne quisquam Prælatus, vel Judex, de jure, vel confuetudine excommunicandi poteftatem habens, in aliquem procedendo tanquam Judex excommunicationis fententiam, nifi competenti ad monitione præmiffa, & præfentibus perfonis idoneis, per quas, fi neceffe fuerit, poffit probari monitio, promulgare præfumat.

Excommunicationem autem in fcriptis proferat, & caufam excommunicationis expreffe fcribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum etiam hujusmodi fcripturæ, excommunicans teneatur excommunicato tradere infra menfem, fi fuerit requifitus, fuper qua requifitione, volumus fieri publicum inftrumentum, vel literas teftimoniales confici, figillo authentico confignatas. Si quis autem Judicum hujus conftitutionis temerarius extiterit violator, etiamfi alias fuerit jufta excommunicationis fententia, per menfem unum ab ingreffu Ecclefiæ, & Divinis noverit fe fufpenfum.

Et hæc eadem in fufpenfionis, & interdicti fententiis volumus obfervari. Plebani vero, feu Parochiarum Rectores, excommunicandi authoritatem fibi noverint penitus interdictam. Quod fi propria temeritate quempiam excommunicare præfumpferint, Superioris arbitrio proinde puniantur. Cum autem in prolatione fententiarum hujusmodi magna maturitas requiratur, Epifcopi & alii Judices Ecclefiaftici fententias ipfas, per fe ipfos, in rebelles proferant, & demum publicationem feu denuntiationem eorundem, Plebanis locorum committant. Qui commiffione fuper hoc, feu mandato recepto, induti Sacerdotali vefte ad Altare, feu in ambone Ecclefiæ ftantes, expofita populo excommunicationis caufa accenfis candelis projectis ad terram, excommunicatum denuntiabunt publice & præcipient, ut ab ipfius communione abftineant univerfi. Denunciare etiam debet Epifcopus, eum, quem excommunicavit, vicinis Epifcopis, qui ad ipfius requifitionem, talem in fuis Diœcefibus excommunicatum denuntiabunt, & ipfum tanquam excommunicatum vitabunt, & a fuis fubditis arctius facient evitari.

Cap. LXVI. *Qui abfolutionis Beneficium parvipendunt.*

Nonnulli majore excommunicatione ligati, & publice denuntiati, abfolutionis Beneficium parvipendunt, ex eo, quia Clerici fæculares, & Religiofi, & maxime exempti, eis non folum in communibus actibus, & extra Divinum Officium, verum etiam in Divinorum celebratione communicare præfumunt: Etfi quandoque Clerici ipfi de communione feu participatione hujus arguuntur, refpondent nonnunquam mendaciter, quod talis excommunicatio ad eorum notitiam non pervenit. Quia vero excommunicatos excommunicatione majori, tam exempti, quam non exempti vitare tenentur, & fi eis communicant, excommunicationem incurrunt minorem, ne fit neceffarium, quod fingulorum auribus fingulariter inculcetur, ex quo fententia ipfa publice promulgatur; diffiniendo ftatuimus, quod quando excommunicationis fententia *in Ecclefia Cathedrali, Synodo, Parochia propria, vel alio loco debito* & patenti folemniter fuefuerit promulgata feu publicata, ipfi excommunicato participans fe, quin hujusmodi Canonice puniatur, per ignorantiam nullatenus valeat excufare, nifi doceat, quod tempore promulgationis ipfius fententiæ fuerit extra Diœcefim, vel alibi, in tanta diftantia conftitutus, fic, quod ad eum talis excommunicatio non pervenit, nec potuerit verifimiliter perveniffe. Infuper ille, qui dum effet fanus corpore, abfolutionis Beneficium a fententia excommunicationis, qua innodatus exiftit, petere negligit, feu contemnit; in ægritudinis lecto abfolutionem petens, antea non abfolvatur, donec ponat idoneam cautionem, quod five convalefcat, five moriatur fecundum poffibilitatem fuam per fe, vel per alium plenarie fatisfaciat de commiffo, ratione cujus fuit excommunicationis vinculo innodatus. Qui vero excom-

communicatus moritur, ipſius cadaveri Chriſtianorum communio denegetur.

Cap. LXVII. *De Verborum ſignificatione.*

Intelligentia verborum ex cauſis dicendi aſſumenda eſt: quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubjectus, verba ex communi uſu ſunt intelligenda.

Cap. LXVIII. *De Regulis Juris.*

" Dubia in meliorem partem ſunt " interpretanda.

" Utilius ſcandalum naſci permitti- " tur, quam veritas relinquatur.

" Neceſſitas licitum facit, quod in " lege licitum non habetur.

" Res ſacræ a quoquam injuſte vio- " lari non debent.

" Non juſte facit, qui ex timore " ſervili aliquid facit.

" Defleat peccator, quia *offendens in* " *uno* (*c*) *factus eſt omnium reus.*

" Non poteſt eſſe Paſtoris excuſa- " tio, ſi lupus oves comedit, & Paſtor " neſcit.

PRAGÆ,

Imprimebantur apud Nicolaum Straus, Anno MDCVI. accurante Georgio Bartholdo Pontano a Braitenbach, S. Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis Præpoſito, Archi-Epiſcopatus Officiali & Vicario generali.

(*c*) Jacobi C. II, v. 10.

Statutum Synodale Domini ARNESTI,
Archi-Epiſcopi Pragenſis, nondum typis datum.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

ARNESTUS, DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, SANCTÆ PRAGENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS; UNIVERSIS PRÆLATIS, CAPITULIS, CONVENTIBUS, DECANIS, PLEBANIS, VICE-PLEBANIS, CÆTERISQUE ECCLESIARUM RECTORIBUS, TAM RELIGIOSIS, QUAM SÆCULARIBUS, IN NOSTRA ECCLESIA, CIVITATE ET DIOECESI PRAGENSI CONSTITUTIS, SALUTEM, ET SINCERAM IN DOMINO CHARITATEM.

I. ET *licet in libro Conſtitutionum ſive Statutorum Provincialium* ſit præmiſſum, & per Nos dudum mandatum, ut in omnibus Eccleſiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, & in aliis Eccleſiis ruralibus dictæ noſtræ Diœceſis liber ſcriptus habeatur earundem conſtitutionum; tamen ne ſe aliquis per ignorantiam valeat excuſare, ex ſuperabundanti virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus omnes & ſinguli videlicet Prælati, Capitula, & Conventus, cæterique Eccleſiarum Rectores, & Capellarum, prædictum librum conſtitutionum, ſive ſtatutorum Provincialium mox ſibi ſcribi faciant, & ſe ſecundum eaſdem regant, plebi ſuæ, in quantum eas tangunt, ipſas exponendo, ſimiliter & Eccleſia noſtra Cathedralis, ac aliæ Eccleſiæ Collegiatæ ſtatuta ſpecialia per Nos data in ſingulis ipſorum Eccleſiis habeant, & contenta in eiſdem fideliter obſervent cum effectu.

II. Cum enim ex injuncti Nobis Officii debito, dictam noſtram Diœceſin quolibet anno viſitare teneamur; omnibus perſonis Eccleſiaſticis in Diœceſi noſtra conſtitutis innoteſcimus, & mandamus, ut ſe ad ſanctæ viſitationis officium præparent, quam, DEO concedente, inſtaurare volumus per Nos, vel per Commiſſarios noſtros ſpeciales tempore opportuno.

III. Inhibemus, ne ullus in Eccleſia ſua Clericum peregrinum, ſeu ignotum ex alia Diœceſi vel Provincia ad celebrationem Divinorum in publico admittere præſumat, licet literas ſuæ ordinationis exhibeat; niſi etiam oſtendat noſtras, vel noſtrorum Vicariorum in Spiritualibus literas, in quibus contineatur expreſſe, quod in noſtra Diœceſi habeat licentiam celebrandi: & quod univerſi

Rectores Ecclesiarum, seu ipsorum vices gerentes omnibus diebus Dominicis & Festivis ante sermonem seu exhortationem, quam facient ad populum, Dominicam orationem, & Symbolum Apostolorum in vulgari præmittant; & sic ab oratione, & fidei fundamento sermo, vel exhortatio incipiat, & procedat.

IV. Mandamus etiam universis Decanis, & Plebanis, ac aliis Clericis, cujuscunque sint status, vel præeminentiæ existant, ne aliquem raptorem, proscriptum, bannitum, profugum, vel incendiarium, aut eorum rapinas in domibus suis recolligant, vel conservent, aut ipsis extra domos expensas ministrent, sive ipsorum literas, vel legationes ad quascunque personas deferant, & si quos tales invenerint, vel sciverint, Nobis, vel Officialibus nostris, seu Archidiaconis locorum eos sine moræ diffugio significent: hæreticos, & quarumcunque sectarum, & ipsorum erroribus credentes, nec non receptatores, defensores, & fautores eorum Nobis, sive nostris requisitoribus hæreticæ pravitatis denuntient ex nomine, ut quod pro suis excessibus ultione condignum promant, ipsisque inquisitoribus nostris in causa fidei omni consilio, & auxilio assistant, qnoties fuerint requisiti.

V. Omnibus Archi-Diaconis præfatæ nostræ Diœcesis in virtute S. Obedientiæ injungimus, & mandamus, ut Clericos, quos notoriis criminibus sciverint irretitos, utpote concubinarios, falsarios, contemptores sententiarum, fures, tabernarios, lusores, taxillorum, & chorearum, habitum, & tonsuram Clericalem deferentes, ac arma sine nenecessitate gestantes, corrigant, & etiam incarcerandi eosdem, si opus fuerit, nostram præsentibus habeant potestatem, quamdiu non duxerimus revocandum.

VI. Item, ut in omnibus Ecclesiis, Monasteriis, exemptis, & non exemptis, Festum Lanceæ & Clavorum Domini nostri Jesu Christi a Fidelibus Christi devotius celebretur; mandamus & præcipimus, ut prædictum Festum proxima feria sexta post octavam Paschæ, prout per Sanctissimum Patrem, & Dominum, Dominum *Innocentium sextum* Papam modernum est institutum, solemniter & reverenter per totam nostram Provinciam celebretur, in cantu nocturno, pariter & diurno nostræ Pragensi Ecclesiæ se conformando: volentes, ut Archi-Diaconi & Decani locorum copiam historiæ de Festo prædicto compilare a Nobis incipiant, & suis subditis ulterius ministrent.

VII. Insuper præcipimus, & mandamus, ut ob reverentiam sacrorum Corporum & Reliquiarum, ac aliorum Sanctorum, quorum Corpora & reliquias Serenissimus Princeps, & Dominus, Dominus *Carolus Quartus* Divina favente Clementia Romanorum Imperator, & semper Augustus, ad honorem & decorem Regni Bohemiæ in Pragensem civitatem attulit, & ipsa in sancta Pragensi Ecclesia collocata eidem Ecclesiæ donavit, perpetuis temporibus possidenda, *Festum allationis prædictarum Reliquiarum*, per nostram Archi Diœcesim, & Provinciam *in octava sancti Stephani Prothomartyris* cum debita reverentia, & devotione celebrent in cantu, & *legendam* more, & ordine, prout in Pragensi Ecclesia agitur, tenendo, & similiter observando.

VIII. Monemus quoque omnes Plebes, Plebanos, & Rectores Ecclesiarum, ut plebes suas informent, & inducant, ut osculum pacis post Agnus DEI per Clericum ipsis porrectum solum propter XI. dierum indulgentias per Nos dudum datas, & concessas mutuo inter se recipiant, alter alteri porrigendo; & si eos ad hoc inducere non possent, indulgemus, ut tabula cum Crucifixo in signum pacis ad osculandum deferatur.

IX. De cætero mandamus omnibus Archi-Diaconis, & Decanis, ut præsentis scripti seriem, seu copiam, a nostris Notariis recipiant Sigillo nostro appresso consignatam. In quorum omnium testimonium præsentes literas fieri volumus, nostrorum Sigillorum appressione communiendas. Datum & actum apud prædictam Ecclesiam nostram Pragensem, Anno Domini MCCCLV. (*a*) in die S. Lucæ Evangelistæ, Archi Episcopatus nostri anno XII.

Dili-

Diligenter collatum cum suo genuino textu, in Archivo Archi-Episcopali Pragensi sub fide mea jurata asservato, per omnia concordare testor, Pragæ die VII. Octobris Anno MDCCLVII.

(L.S.) *WENCESLAUS PROCOPIUS DUCHOWSKY, Sac. Eccl. Regiæ Capellan. OO. Sanctor. in Castro Pragensi Beneficiatus, Notarius Apostolicus. Curiæ Archi-Episcopalis Pragensis Archivarius Curatus.*

(a) Eodem die & anno Statuta Provincialia Ernesti edita fuisse, putat *Balbinus in vita Arnesti Archi-Episcopi I. Pragensis L. II. Cap. XV. pag.* 204. 205. 206. Etsi hanc Epocham nec aliquo argumento firmet, nec sollicite inquirat.

Cœterum Ernestus, Divini & Ecclesiastici juris peritissimus, annos XIV. in Academiis Bononiensi & Paduana iisdem incubuit: Curiam Romani Pontificis, Avenione tunc hærentem plus semel adivit.

Unusquisque Canonicorum Ecclesiæ Metropolitanæ Pragensis, priusquam ad Statum & Capitulum admittatur, sancte jurare debet in hæc Statuta Ernesti: eadem Carolus IV. Imperator & Bohemiæ Rex aurea Bulla confirmavit.

Balbinus in vita Ernesti Lib. III. Cap. I. pag. 224. 225. *Eadem extat descripta in Codice MS. Bibliothecæ Moguntinæ, ubi eam Cl. Schannatus b. m. descripsit, sed mutilam multis Capitulis, & ad annum* 1366. *relatam.*

CONCILIUM SPIRENSE

Anno Christi MCCCLVI. Innocentii VI. Papæ IV. Caroli IV. Imp. IX.

GERHARDUS ab ERNBERG, Episcopus Spirensis, BERTHOLDUM BECKHART VON RORBACH Sacræ Scripturæ Testimoniis ab erroribus liberare conatus est, sed frustra: ergo sæculari potestati eundem tradidit: in loco supplicii denuo interrogatus? num errores detestari vellet? Respondit non posse a se suam veram fidem abjici: ergo a Judice sæculari igne consumtus, periit.

POst hæc tempora judicabatur Spiræ Beghardus Bertoldus de Rorbach. Hic antea in Herbipoli quosdam articulos reclamaverat, videlicet: *quod Christus in passione sua sic fuerit a Patre derelictus, quod præ nimio dolore dubitarit, salvarine anima suâ deberet.* Secundus articulus: *quod Christus in cruce propter nimiam passionem & dolorem, maledixerit Beatæ Mariæ Virgini.* Tertius: *quod maledixerit terræ, quæ suscepit ejus sanguinem de Cruce.* Propter præmissa fugiens, ad Diœcesim Spirens. venit, ubi articulos hos veros asseruit. Addidit etiam, *quod homo in hac vita in tantum proficere possit, quod nec orare, nec jejunare eum oporteret;* Item: *quod laicus illuminatus possit plus proficere in docendo, & plus sit sibi credendum, quam Evangelio, aut Doctoribus Sacræ Scripturæ.* Item: *quod homo devotus in perceptione cibi communis possit percipere tantam gratiam, ac si acciperet Eucharistiæ Sacramentum.* Et quia relapsus; tradebatur Curiæ sæculari, & est incineratus.

Nauclerus Volumine 2do Chronographiæ pag. 1015. *concordat Chronicon Spirensium Episcoporum Germanicum, scriptum a Philippo Simonis, Capituli Cathedralis Secretario, ex Bibliotheca Cl. D. Joannis Pistorii.*

Vulgatum & impressum Friburgi in Brisgoia anno 1608.

SYNO-

SYNODUS CAMINENSIS
ANNO MCCCLVIII.

JOANNES, Dux Saxoniæ Inferioris, Epiſcopus Caminenſis X. *Synodum conſcripſit . . . . neque Coadjutorem ſeu Chori-Epiſcopum habuit, ut alii inter Prædeceſſores, ſed ipſemet tam ſpiritualia, quàm temporalia dexterrime adminiſtravit.*

P. de Wuia Hiſtoria Epiſcopatus Caminenſis Cap. XXIX.

Forte an in eadem Synodo Monaſterium *MARIÆ Thronus* in memoriam Deiparæ anno 1356. ædificatum, a Bugislawo quinto & fratre, conſecravit. Obiit 1372. anno 29no ſuæ Sedis: ætatis 43.: ſepultus in ſua æde Cathedrali Caminenſi.

Cramer Hiſtoria Eccleſiæ Pomeraniæ Lib. II. Cap. XXVIII. pag. 71.

SYNODUS DIOECESANA MAGDEBURGENSIS
Anno Chriſti MCCCLXII. Urbani V. Papæ II. Caroli IV. Imp. XIV.

THEODORICUS, Archi-Epiſcopus Magdeburgenſis, anno ſuo ſecundo *in die S. Luciæ* perſonaliter præſedit *Synodo*, aſſidentibus ſibi Domino Ebronenſi Epiſcopo, & Abbatibus pluribus infulatis, in qua Synodo nihil gravaminis actum eſt, ſed pro pace & contra peſtilentiam Miſſas & Suffragia idem Archi-Epiſcopus injunxit, ad hoc nihilominus ſuam Indulgentiam largiendo.

Meibomius Tomo II. Scriptorum Germaniæ. Chronicon Magdeburgenſe.

Theodoricus, humili loco natus Stendaliæ, ex Ciſtercienſi Cœnobio a Carolo IV. eductus fit primo Conſiliarius, dein Regni Bohemiæ Cancellarius, & Supremus Camerarius. Anno 1553. 1. Martii fit Epiſcopus Mindenſis. Anno 1360. a Cæſare creatur Imperii Adminiſtrator & Advocatus. Anno 1361. a Carolo IV. proponitur Innocentio VI. pro Cathedra Magdeburgenſi, ad cujus inſtantiam liberatur a vinculo Mindenſis Eccleſiæ, & ad Magdeburgenſem transfertur Sedem, Bullâ datâ Avenione A. 1361. XII. Kal. Junii. Anno 1361. 27. Septembris aggreditur ſolemni ingreſſu Sedem Magdeburgenſem. Obiit A. 1367. 16. Decembris, ſepultus in ſua Metropolitana.

Cl. Lentzen Magdeburgicæ Eccleſiæ Diplomatica Hiſtoria.

CONCILIUM EYSTETENSE (a)
SUB BERTHOLDO EPISCOPO,
Anno Chriſti MCCCLXIV. Urbani V. Papæ III. Caroli IV. Imp. XVI.

REGISTRUM.

I. De Summa Trinitate, & Fide Catholica.
II. De Hæreticis & Superſtitioſis.
III. Contra Blaſphemos.
IV. De prædicatione Verbi Dei.
V. Omnis utriusque ſexus.
VI. De indictione Feriarum.

VII.

(a) Impreſſum Eyſtadii anno 1484. typo Walkeri de Reutlingen: aperiente Archivium Synodalium Statutorum Wilhelmo Epiſcopo Eyſtetenſi nobili a Reichenaw, qui obiit anno 1496. *Liber extat in Collegio Auguſtano Societatis JEſu in 4to.*

Hinc liquet editionem Statutorum Ecclesiæ Eystetensis, quæ anno 1484. imperata est, inchoare collectionem a Concilio Bertholdi celebrato 1364., sed & posteriorum Conciliorum Canones illi innexuisse ante A. 1484. statutos.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

NOS BERTHOLDUS, DEI GRATIA, EPISCOPUS EYSTETENSIS. AD UNIVERSORUM ET SINGULORUM, PRÆSENTIUM ET FUTURORUM, AD QUOS PRÆSENTES PERVENERINT, NOTICIAM VOLUMUS PERVENIRE,

QUod quidem inter sollicitudines nostras ista debet esse præcipua, ut a laboribus nostris voluntariis, prout ex debito Pastoralis tenemur Officii, quietum & pacificum statum Nobis subjectis, maxime personis Ecclesiasticis procuremus. Ita quod Clerici, nostri cooperatores officii, una cum rebus ipsorum immunitate & remuneratione Ecclesiastica pacifice gaudeant. Ut qui sponte obsequiis Divinis & Ecclesiarum necessitatibus se subjiciunt, nostris provisionibus consolentur. Sane quidem quorundam laicorum non satianda cupiditas tam in vita, quam post mortem Clericorum res & bona in DEI Omnipotentis & Ecclesiasticæ libertatis offensam, præjudicium, & gravamen impudenter & potenter invadit, totaliter occupat, adeoque violenter usurpat, quod alioquin ante-

Bertholdus, Burggravius Norimbergensis, a Clemente VI. dictus Episcopus Eystettensis sedit in Cathedra hujus Ecclesiæ ab A. 1355. ad 1365. quo obiit.

antequam anima migret a corpore, ablatis lectis, ſuppellectilibus, & facultatibus aliis, relinquantur corpora ſolo ſtratu, & quo tradantur Eccleſiaſticæ ſepulturæ, deſit ſubſtantia; ut nec decentes exequiæ valeant celebrari. Propter quod nonnulli Clerici ſumptus inutiles faciunt & majores, dicentes, ſibi nil velle in vita detrahere: ex quo poſt mortem rebus ſuis a laicis totaliter ſpolientur, & aggregata laboribus alieni diripiant, nec de eorum iubſtantia provideatur domeſticis vel amicis.

Unde ſocietates Clerici inſolitas adeunt, ſumptus ſuperfluos ſubeunt, pauperibus eroganda vane diſpergunt, nec Eccleſiarum facultates, ut deberent, diſpenſantur.

Nos inculcatam ſic ſæpe querelam ad animum revocantes, laicali potentiæ, imo inſolentiæ obviare, ac aviditatis & præſumptionis morbo mederi, & provide providere curantes, Paſtorali ſuffulti præſidio, deliberatione ſuper hoc cum honorabilibus *Rabnono* Præpoſito, *Gotfrido* Decano, & Capitulo noſtro diligenti præhabita, ipſorum accedentibus conſilio & aſſenſu ſtatuimus, & ordinamus, auctoritate ordinaria concedimus, & præſentibus indulgemus, ut omnes, & ſinguli Eccleſiarum Rectores, Plebani, & Viceplebani, Capellarum, & Altarium Capellani, quique Clerici ſæculares noſtræ Diœceſis, diſponendi, & ordinandi de rebus ſuis mobilibus, & immobilibus, & easdem donandi, teſtandi, legandi, vel coram duobus teſtibus idoneis ſuum teſtamentum condendi, ſeu nominandi, & recipiendi Executores ſui teſtamenti, qui de rebus, ut præmittitur, teſtantis diſponere valeant, plena poteſtate gaudeant, & liberam habeant facultatem, prout ſuarum ſaluti congruere viderint animarum, absque tamen Eccleſiarum & Beneficiorum ſuorum, quas & quæ obtinebant, vel obtinent, præjudicio ſive damno. Et quicquid iidem noſtræ Diœceſis Clerici, vel eorum Executores de rebus ſuis, ut præmittitur, quibuscumque diſpoſuerint, & ordinaverint, donaverint, vel pro ſua expreſſerint ultima voluntate, id firmiter & inviolabiliter volumus obſervari, & debite executioni mandari: & nec per Nos, vel Succeſſores, aut Officiales noſtros, imo nec per quamcumque perſonam Eccleſiaſticam vel mundanam infirmari aliqualiter, vel infringi: mandantes, & firmiter injungentes, ac præſentibus inhibentes omnibus & ſingulis præſentibus & futuris, Nobilibus & ignobilibus, perſonisque Eccleſiaſticis & mundanis, & ſpecialiter noſtris & Eccleſiæ noſtræ Caſtellanis, officiatis, Judicibus, præconibus, nec non quibuscumque aliis, cujuscumque conditionis ſeu ſtatus exiſtant, jurisdictionem a Nobis vel noſtris Succeſſoribus obtinentibus; ne quis quempiam Clericorum noſtræ Diœceſis cujuscumque gradus, conditionis, vel ordinis, in perſonis vel rebus, & contra prædictam libertatem perturbet, invadat aliquomodo, ſeu moleſtet in vita vel in morte. Siquis autem contra hanc noſtram libertatem ſtatutum ſeu ordinationem attemptare præſumpſerit, Omnipotentis DEI indignationem ſe noverit incurſurum, & noſtram ſeu Succeſſorum noſtrorum non effugiet ultionem. Talemque ut rerum Eccleſiaſticarum ſpoliatorem per noſtrum vel Succeſſorum noſtrorum Vicarium in Spiritualibus, vel Officialem Curiæ Eyſtetenſis, qui pro tempore fuerint, uſque ad reſtitutionem ablatarum, & ſatisfactionem condignam excommunicari volumus, & taliter procedere nihilominus contra ipſum mediante juſtitia juxta ſacrorum Canonum ſanctiones, ut quem timor DEI a malo non revocat, Eccleſiaſticæ ſaltem coerceat ſeveritas diſciplinæ. Siquis vero Clericorum noſtræ Diœceſis, ut præfertur, propriæ ſalutis immemor, ſuum teſtamentum coram duabus perſonis fide dignis taliter non conderet, & inteſtatus decederet; Volumus, & ſtatuimus, quod de ejusdem inteſtati rebus, & bonis relictis, ſiquid ultra ſolutorum debitorum, & exequiarum ſuarum celebrationem ſupererit, diſponatur per Nos, vel Succeſſores noſtros ſecundum ſacrorum Canonum & antiquorum Patrum ſanctiones, ac etiam ſecundum conſuetudinem, *per Epiſcopos Prædeceſſores* noſtros hactenus obſervatam. Volumus etiam, quod in perpetuam hujus noſtræ libertatis conceſſionis, & conſtitutionis memoriam per ſingulos Decanatus noſtræ Diœceſis, ſinguli Decani, Camerarii, Plebani, & alias quomodolibet Beneficiati, qui hac gaudere voluerint libertate, ſemel duntaxat

taxat

taxat in anno, videlicet secunda feria proxima post octavas Corporis Christi conveniant ad unam Parochialium Ecclesiarum, vel ad duas, si convenienter ad unum locum omnes venire non poterint singulis annis & perpetuo, & nihilominus ibidem duas Missas cum nota, Primam pro Episcopis Benefactoribus, & fidelibus defunctis, Secundam pro salute vivorum Episcoporum & Benefactorum, & pacifico statu Ecclesiæ; Alii vero Sacerdotes omnes & singuli alteram earundem Missarum sine nota, prout uniuscujusque conscientia dictaverit & devotio, devote celebrent & attente. Mandamus etiam firmiter & districte in virtute sanctæ obedientiæ: quatenus singulis annis & in talibus congregationibus copia hujus nostræ Constitutionis per Decanos & Camerarios legatur publice & aperte: insuper strictissime prohibemus, ne in talibus congregationibus ulla fiat per Clericos & Sacerdotes enormitas vel excessus: cum vita Clericorum esse debeat laicorum & simplicium forma & specula. Unde sic unusquisque, cui Deus suum talentum credidit, & dispensandum tradidit, caute videat, ne vel scandali alieni quoque reatus & occulti suis propriis excessibus cumulentur. In quorum omnium testimonium & perpetuam roboris firmitatem præsentes literas conscribi, & Nostri, ac etiam Capituli nostri supradicti sigillorum appensione fecimus communiri. Datum & actum Eystet. Anno Domini Millesimo, trecentesimo, sexagesimo quarto, in crastino Sancti Martini Episcopi & Confessoris.

Joh. Henr. de Falckenstein inter Episcopatus Eichstadiensis Statuta Diœcesana A. 1733. excusa Francofurti & Lipsiæ post Codicem Diplomaticum Nordgavicum pag. 45.

CONCILIUM PROVINCIALE MAGDEBURGENSE

Anno Christi MCCCLXX. Gregorii XI. Papæ I. Caroli IV. Imp. XXIV.

AB (a) ALBERTO II. MAGDEBURGENSI ARCHI-EPISCOPO CELEBRATUM,

In quo simul Antecessorum suorum, notanter BURCHARDI III. Archi-Episcopi, Statuta innovantur.

ALBERTUS, DEI GRATIA, SANCTÆ MAGDEBURGENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, UNIVERSIS PRÆLATIS, CAPITULIS, CONVENTIBUS, CLERO, ET CLERICIS, AC CHRISTI FIDELIBUS TAM RELIGIOSIS, QUAM SÆCULARIBUS SEXUS UTRIUSQUE, PER NOSTRAM MAGDEBURGENSEM PROVINCIAM VENERABILIBUS CONSTITUTIS, IN DOMINO SALUTEM, AC PRÆSENS OPUSCULUM GRATANTER ACCEPTARE, LECTIONIS STUDIO FREQUENTI MEMORIÆ COMMENDARE, ACCEPTATUMQUE DISTRICTIUS EFFECTUALI OBSERVANTIA ADIMPLERE.

Licet a diversis nostris Prædecessoribus, Conciliis diversis celebratis, plurima Statuta & diversa Provincialia, per quæ tam Clericorum, quam laicorum status resplendet adornatus; vitiis repulsis, scandalis resecatis, & nocivis qui-

(a) Anno 1368. Dom. 1. Adventus introducitur Magdeburgum Albertus Bohemus, a Papa rogatu Caroli IV. ex Episcopo Olomucensi Magdeburgensis nominatus Archi-Episcopus. Anno 1372. ab Archi-Episcopatu Magdeburgensi ad Episcopatum Leitomischlensem transiit. Lentzen pag. 337. ad 340.

quibuscumque eminus profugatis, edita & promulgata pervenerunt in lucem. Et quanquam felicis recordationis BORCHARDUS, Prædeceſſor noſter noviſſimus, & tali nomine deſignatus, omnium Prædeceſſorum ſuorum, & noſtrorum, Statuta, in unum collecta opuſculum, ſub certis rubricis adunaſſet, tamen modum & formam, quam alii Archi Epiſcopi in ſuis Statutis Provincialibus digne ſervarunt, prætermiſit obſervare, cauſa congruenti ipſum pro temporis tunc concurrentis diſpoſitione movente. Nos vero, Ordinem & Rubricas poſitas in Conſtitutionibus Sacræ Rom. Eccleſiæ, quam ſequi expedit, quia ex ipſa ſola veritas conſpicitur, ſequi volentes, quia turpis eſt pars, quæ ſuo minime conformat univerſo, Statuta Provincialia prædicti BORCHARDI, & aliorum Prædeceſſorum noſtrorum, & quæ ipſis *in hoc præſenti Concilio* per Nos edita, de conſenſu & approbatione Venerabilium Fratrum noſtrorum, & Coepiſcoporum noſtræ Provinciæ: *Miſſnenſis*, *Merſeburgenſis*, *Nuemburgenſis*, *Havelbergenſis*, & *Brandeburgenſis*, adjecimus, aliis ſtatutis Prædeceſſorum noſtrorum immutatis, ac in melius reformatis, aliis etiam penitus reſecatis, prout tempus expoſcit, & cauſarum de novo emergentium facultas requirit ordinare, ſecundum Rubricas, & juxta Ordinem in Conſtitutionibus Romanæ Eccleſiæ obſervatum, præſenti opuſculo fecimus inſcribere minutatas, ut legentibus Provinciæ ſubditis, qui ad ipſorum obſervantiam aſtricti tenentur, facilior ſit aditus, & ſtatuta ipſa, cum caſus ipſorum, vel aliquis eorum in dubium venerit, facultas inveniendi ſit. Statuta autem Prædeceſſorum noſtrorum quæcumque, & cujuſcumque tenoris exiſtant, etiam Noſtra, præſenti quæ volumine minime reperiuntur inſerta, & præſentibus annumerata, volumus habere pro caſſatis & rejectis, nec quemquam de noſtra Provincia ad ipſorum obſervantiam in Judiciis vel extra, in actibus ſuis, ſed duntaxat ad ea, quæ in præſenti volumine continentur, fore obligatum.

I. *De Summa Trinitate, & Fide Catholica*,

(*b*) Quæ propter ſui exquiſitiſſimam & probatiſſimam perfectionem, ac clariſſimam & lucidiſſimam veritatem, adjectione vel declaratione ulla non indigent, ad quæ inprimis tanquam principium, medium, & finem ſalutis omnium, corda, manus, & oculos elevamus devoti, nihil aliud eſt credendum, tenendum, vel dicendum, niſi quod Romana credit, tenet, docet etiam piiſſima, ſanctiſſima, & prudentiſſima Mater noſtra, ita tamen, ut omnes Prælati articulos Fidei principales fideliter ſuos ſubditos doceant, laicos ſimpliciter credere, ſicut Eccleſia, (*) explicite & diſtincte.

(*c*) In primis igitur ſtatuimus: ut ſi aliquis Clericus, vel laicus, utriusque ſexus, cujuſcumque dignitatis, religionis, vel ſtatus exiſtat, auſus ſit præſumptione damnabili publice prædicare, vel occulte docere, credere, vel tenere, quod Sacerdos in mortali exiſtens peccato non poſſit conficere Corpus Chriſti, ſeu ſic ligatus non poſſit ſolvere, ligare ſuos ſubditos a peccatis, pro hæretico & incredulo habeatur. Quem errorem *hujus ſacri Concilii approbatione* damnamus, anathematizamus, & penitus reprobamus, cum ſacræ Scripturæ dicat auctoritas: quod ſive bonus, ſive malus ſit Miniſter, per utrumque Deus effectum gratiæ confert; non enim, quæ ſancta ſunt, coinquinari poſſunt, nec ipſa Sacramenta poteſt hominum malitia prophanare. Unde Sacerdos, quantumcumque pollutus exiſtat, Divina non poteſt polluere Sacramenta, quæ purgatoria cunctarum contagionum exiſtunt; licite ergo a quocumque Sacerdote, ab Eccleſia tolerato, Divina Myſteria audiantur, & alia recipiantur Sacramenta Eccleſiaſtica.

II. *De Conſtitutionibus.*

(*d*) Canonum Statuta primum, & demum Conſtitutiones Provinciales, tam a noſtris Prædeceſſoribus, quam a Nobis editas, & præſentibus inſertas, ab omnibus ſciri ac inviolabiliter cuſtodiri mandamus, ſub obtentu jurium & honorum

(*b*) Albertus Archiepiſc. ex Concil. Magdeburg. (*) Clericos vero (*c*) Idem ibid.
(*d*) Idem ibid.

norum eorum; post præsentem publicationem ignorans ignorabitur, & negligens negligetur.

(e) Statuimus: ut præsens libellus de Constitutionibus Provincialium in singulis Ecclesiis Cathedralibus sub sigillo nostro, ac deinde in aliis Collegiatis, & Conventualibus nostræ Provinciæ, infra tres menses à publicatione præsentium computandos, sub sigillo Diœcesanorum, sine excusatione qualibet, habeatur conscriptus, & in Choro jaceat, ut sic patere possit cuilibet legere seu videre volenti. Ut autem communis utilitas in prædictarum constitutionum in notitiam luculentam cunctorum deveniat; Venerabilibus Fratribus, & Coepiscopis nostris injungimus & mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, quatenus ipsas mox scribi faciant, ac anno quolibet in singulis eorum Synodis injungant toti Clero, ubi sic commode fieri poterit, aut alibi legi faciant, & injungant subditis suis, ut eas quilibet sibi procuret, & tenorem earum memoriæ recommendet, & maxime Archi-Diaconis, & suis subditis, scilicet: ruralibus Archi-Presbyteris, & Presbyteris hoc injungant. Nos insuper, de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate, nec non *Mauritii*, *& ejus Sociorum*, Patroni nostri, meritis confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui eas sibi comparaverint, legerint, aut legi audierint, quotienscumque hoc fecerint, XL. dies de injuncta sibi pœnitentia relaxamus.

(f) Præsenti statuto, *sacro approbante Concilio*, ordinamus, & mandamus districte observari, ut quilibet Episcopus cum suo Capitulo nostræ Provinciæ pro se, ac suis Capitularibus, Prælatis, Religiosis, & sæcularibus, ac generaliter pro Clericis suæ civitatis, & Diœcesis universis procurent, & habeant, sine defectu, constitutionem felicis recordationis *Friderici*, *& Caroli IV.*, Romanorum Imperatorum, quam & Nos cum nostro Capitulo, eo modo servare intendimus, & quantum possumus, nostros Successores exhortamur, sub Bulla Papali perpetuo durante. Volumus etiam, ut quater in anno quilibet Curatus civitatis & Diœcesis nostræ Provinciæ, videlicet: Dominicis diebus immediate quatuor tempora sequentibus, suis Parochianis infra Missarum solemnia eandem pronuntiet publicando in lingua teutonica, & suos Parochianos ammoneat diligenter, ut sibi caveant, ne in pœnas dictæ *Carolinæ* incidant laqueati. Volumus autem & mandamus, ut in singulis Synodis Episcopalibus, Prælatis, & Clericis universis, ibidem præsentibus dicta Carolina diligenter publicetur, quam in præsenti statuto in fine volumus de verbo ad verbum annotari. (g)

III. *De Rescriptis.*

Cum secundum legitimas sanctiones, Præses Provinciæ delegatos Principes, ad ipsius Provinciam declinantes, non debeat ex officii debito sinère amplius facere, quam eorum legatio intendat;

(h) Attendentes, quod judices delegati a Sede Apostolica, & a Legatis a Latere, vel aliis Legatis, conservatores deputati, gratiarum Executores, vel ab eis subdelegati Judices, subconservatores, vel subexecutores deputati, communiter vel divisim, potestatem eis habitam & mandatorum suorum fines transcendunt multis modis, & fraudibus exquisitis etiam Bullæ Apostolicæ, per nonnullos iniquitatis filios falsificantur, vel etiam alias ipso jure sunt nullæ. . . cum ergo processus, earum auctoritate fulminati, sunt ipso jure & facto nullæ, nec quis ad earum executionem observantiam tenetur obligatus, diversos fulminant processus, limites sui mandati excedentes, locum Ecclesiastico interdicto, seu cessationi generali, pro rebus mobilibus, vel pro pecuniaria summa supponentes; Unde, sacro approbante Concilio, statuimus: ut nullus Plebanus, seu Vicarius, vel quicumque alius Clericus vel Prælatus citationem, seu processum aliquem a Judice delegato Sedis Apostolicæ, vel subdelegato ipsius, vel a Legato dictæ Sedis Apostolicæ, etiam a latere, gratiarum executoribus, vel conservatoribus, vel ab ipsis communiter subdelegatis, vel divisim sibi directo, de citando quemcumque, monendo, vel trahendo &c. aliquatenus exequantur, nisi

(e) idem ibid. (f) idem ibid. (g) desideratur *in MS.*
(h) idem ibid.

nisi fuerint per *vidimus* Diœcesani approbati, pro quo *vidimus* Officialis, Episcopi, vel alius, qui hoc officium habet exercere, non amplius accipiet, quam III. solidos denariorum communium, & in illa Diœcesi currentium; contrarium faciens sit ab ingressu Ecclesiæ suspensus, quousque parti sic indebite exactionatæ duplum restituat.

Statuimus etiam: rescripta conservatoria Papalia, litteras gratiarum Legatorum quorumcumque, & subdelegationes, prædictis Officialibus, vel aliis, qui hoc officium gerunt per nostram Provinciam, pro examinatione diligenti facienda, & ut evitetur omnis falsitas & corruptela, exhiberi debere. Si autem contingit quemquem Plebanum, Curatum, seu Clericum, etiam in dignitate constitutum, in civitatibus & Diœcesibus nostræ provinciæ, per Judices delegatos Sedis Apostolicæ &c. citari vel vexari pro eo, quod sine *vidimus* suæ Diœcesis eorum citationes & processus alios quoscumque, requisiti spreverint recipere, & executioni debitæ demandare; ex tunc Episcopus, cui prædicti Plebani, Curati, & alii Clerici subsunt, & in cujus civitatibus & Diœcesibus nostræ provinciæ sunt Beneficiati, ipsos totius Cleri sumptibus & expensis defendere non tardabit, cum ad ipsum spectet, & suam defendere jurisdictionem teneatur; nihilominus, si Episcopus in præmissis negligens inveniatur, subdito, si quæ damna receperit, & expensas fecerit, ad arbirrium nostrum, vel nostri in Spiritualibus Vicarii sibi plenarie restituat, & cum effectu.

IV. *De Electione.*

(*i*) Item; quamvis provisum sit Canonice de illis nondum in sacris Ordinibus constitutis, quibus de Ecclesiis Parochialibus providetur, & qui tales Parochiales Ecclesias ea de causa dumtaxat recipiunt, ut eas bonis, & rebus inventis in eisdem, mobilibus præcipue (taceamus de alienatione rerum immobilium) possint spoliare, etiam fructus universos primi anni, infra quem deberent ad Sacerdotium promoveri, recipiunt, in usus suos convertunt minime promoti, dictas Parochiales Ecclesias sic spoliatas & defraudatas tacite resignando vel expresse Patronis earum, & Collatoribus. Volumus autem jus, quod in casu illo providit ad permutantes infra annum, sive sint promoti, sive non, prorogari, ita ut bona inventa in dotibus Ecclesiarum prædictarum apud Ecclesias tales debeant sine qualibet diminutione suis Successoribus remanere pro eorum sustentatione. In præmissis vero reperti culpabiles, & delinquentes a perceptione Beneficiorum, quæ obtinent in Provincia nostra, volumus esse suspensos, nec fructus ipsorum posse facere suos, nec in utilitatem suam debere convertere, donec ablata Priori Ecclesiæ cum omni restituant integritate.

V. *De scrutinio in Ordine faciendo.*

(*k*) Statuimus: ad terrorem malefactorum, ut universi Episcopi Provinciæ Magdeburgensis, ac eorum Vicarii, quando volunt, & debent ordines celebrare, committant Examinatoribus Clericorum ordinandorum, sub anathematis interminatione, ut inter cætera perquirenda fideli diligentia perquirant, sub obtentu honoris percipiendi, a singulis ordinandis, Religiosis cujuscumque Ordinis, vel secularibus, ut, si Patres, avi, ac progenitores eorum, usque ad quartam lineam ascendentem, captivaverint, captivatum detinuerint, occiderint, mutilaverint, proscripserint, banniverint, diffidaverint Clericum in sacris constitutum, & pro Clerico se gerentem, etiamsi in minoribus fuerit constitutus, & pro tali se gerebat, habitum, & tonsuram deferentem; eum, quem in aliquo præmissorum affectum per aliquem progenitorum suorum usque ad lineam memoratam invenerint, si factum istud sit notorium, vel scitum in loco nativitatis suæ, nullatenus admittant. Prælati vero, vel eorum vices gerentes, quorum interest investire, vel instituere præsentatos, ante investituram vel institutionem cum summa diligentia de his quærant, & quos tales invenerint, vitio progenitorum laborantes, de quo præscriptum est, nullo modo instituant, vel investiant ad aliquod Officium Ecclesiasticum, etiam dignitatem; & si tales quovis modo per negligentiam ordinantium fuerint ordinati, vel

(*i*) idem ibid.

(*k*) idem ibid.

vel per propriam taciturnitatem, cum de hoc constiterit; sint ab Ordinibus sic susceptis suspensi, & maneant, donec a suis Diœcesanis dispensationem meruerint obtinere. Instituti etiam in Beneficio, vel in claustris professi, vel Monasterio oblati, sint ipso facto, jure quod habent in Beneficiis, privati: oblati vero & professi a dictis claustris expellantur, vel saltem suspensi maneant ab Ordinibus sic susceptis, donec Diœcesani sui cum eis dispensaverint, ipsorum meritis, & laudabili eorum conversatione hoc exigente; & cum Beneficio institutis etiam Diœcesani, prout viderint expedire, habeant plenam in his potestatem dispensandi: Examinatores insuper, & Prælati, ac eorum vices gerentes, qui secus in præmissis agere præsumpserint in futurum, per suos Superiores immediatos suspensionis sententia percellantur, alias etiam pro tanta negligentia per Diœcesanos suos Ordinarios graviter puniendi.

VI. *De Renuntiatione.*

(*l*) Nullus Ecclesiam vel Beneficium Ecclesiasticum dimittere, vel recipere præsumat, sine Superioris sui auctoritate, qua sub pœna suspensionis, omnibus firmiter inhibemus, etiam quodcumque fuerit, Curatum, vel non Curatum, quod ea de causa recepit dumtaxat, ut sub ipsius titulo ad sacros Ordines, & ad Sacerdotium promoveatur. Nam decens est, ut in recipiendo Beneficia Ecclesiastica, Canonum statuta observentur, sic & pari modo in dimittendo, & in renuntiando Beneficio, seu Beneficiis Ecclesiasticis, debent Canones observari.

VII. *De Temporibus Ordinationum.*

(*m*) Statuimus, quod nullus ad examinationem aliquatinus admittatur, nisi ante confiteatur omnia sua delicta idoneo Sacerdoti: & quia pauci sunt, qui sua delicta, vel sequelas intelligant delictorum, ideo per discretum Confessorem debet instrui ordinandus, & talem, seu tales, Vicarius Episcopi, qui statuta Canonum non ignorat, seu alios idoneos pro ordinandis, secundum ipsorum pluralitatem, seu paucitatem, tempore ordinationis deputabit, etiam in loco, ubi continget Ordines celebrari, vel Vicario in Pontificalibus, qui Ordines celebrabit, si de ejus puritate conscientiæ confisus fuerit, tribuet facultatem ordinandos in confessione expediendi. Et talibus Confessoribus injungimus, sub interminatione maledictionis æternæ, ut ordinandos, quos invenerint repellendos in foro suo, id est: animæ, ubi factum est occultum, amoneant, ne quovis modo ad Ordinum susceptiones procedant: si autem casus eorum non præstaret eis perpetuum impedimentum, sed esset dispensabilis per Episcopum suum, vel Papam, vel per alios, sicut Archi-Episcopum, vel per Cardinales, certis in casibus eis specialiter reservatis, pro dispensatione remittant ad eosdem Superiores obtinenda.

VIII. *De Clericis peregrinis.*

(*n*) Nullus in Ecclesia sua ignotum, seu peregrinum de alia Diœcesi venientem ad celebrationem Divinorum in publico præsumat admittere, licet *formatas*, seu litteras suæ ordinationis exhibeat, nisi & ostendat litteras Diœcesani Episcopi, vel ejus Vicarii, in cujus Diœcesi se petit admitti, in quibus contineatur expresse, quod in ejus Diœcesi in Spiritualibus habeat licentiam celebrandi; ne ignoti, & de longinquo venientes, qui frequenter sunt apostatæ, criminosi, & irregulares in sua temeritatis malitia foveantur, & tribuatur audacia Divina prophanandi. Contrarium facientes in una marca puri, & defæcati argenti, pro admissione qualibet per loci Archi-Diaconum puniantur: si vero Archi-Diaconatus non habeatur, per loci Diœcesanum, vel ejus Vicarium in Spiritualibus, cujuscumque etiam dignitatis fuerit, Abbas, Præpositus, seu Decanus, medietatem, reliquam vero medietatem fabricæ Cathedr. Ecclesiæ convertendam.

IX. *De officio Ordinarii.*

(*o*) Cum quilibet Archi-Episcopus, & Episcopus, Canone disponente, teneatur Dominicis diebus singulis, & Festivitatibus aliis, præsertim summis, in Ecclesia suo populo sibi credito se præsentem exhibere, Missam celebrare, verbum Dei proponere, Indulgentias dare, unde

(*l*) idem ibid. (*m*) idem ibid. (*n*) idem ibid.
(*o*) idem ibid.

unde præcipimus: ut quilibet Episcopus nostræ Provinciæ, maxime in summis Festivitatibus, nisi necessitate prohibente, vel causa rationabili excusante, sit præsens in Ecclesia sua Cathedrali, verbum Dei proponat, vel se præsente per alium idoneum proponi faciat, & Indulgentiam populo det, Missam in eadem Ecclesia devotius celebrando.

(p) Post hæc statuimus: ut singuli Episcoporum nostræ Provinciæ suos carceres habeant juxta Ecclesiam Cathedralem, pro Clericis dumtaxat, & specialiter. Itaque nullatenus cum furibus, & aliis ultimo supplicio deputatis, vel deputandis Clerici detineantur, sed in carceribus, in quibus falsarii Clerici, vel Monachi incorrigibiles, & apostatæ, vel alii, qui hoc meruerunt, recludantur perpetuo, vel ad tempus, prout eorum exposcerit excessus, ad quod efficacius consequendum aliæ Ecclesiæ, si opus fuerit, subsidium conferant & juvamen; Episcopus tamen cum suo Capitulo carcerem procurabit apud Ecclesiam majorem, vel in alio loco congruo, & custodem carceris unum, vel plures, secundum quod opus fuerit, suis sumptibus & expensis, juratos tamen prius, quod fideliter velint præesse incarceratis, & eos custodire diligenter, & humaniter tractare, deputabit, & de expensis nihilominus etiam incarceratis providebit, juxta Canonum Præcepta, in victu pariter, & amictu.

X. *De Officio delegati.*

(q) Qui frequenter injuriati Clerici sæculares, vel Religiosi, facultatibus destituti, vel minus idonei, etiamsi eis rerum affluentia favit copiose, vel metu concussi, & tali, qui merito cadere debet in constantem virum, contra suos Injuriatores pro justitia consequenda cum satisfactione debita non præsumunt actionem intentare: statutorum nostræ provinciæ etiam Executores in civitate, vel Diœcesi deputati, ubi Clerico, vel Religioso injuria illata est, injuriantium potentiam perhorrescentes, contra tales, requisiti per dictos Clericos, vel ex suo Officio procedere, & processus fulminare formidant; Ne ergo Injuriatores & Clericis sæcularibus, seu Religiosis injuriam seu violentiam, & bonis Ecclesiarum suarum in suis juribus, & libertatibus, familia, consanguineis, nepotibus, vel neptibus inferentes, transeant impuniti, & de suæ temeritatis violentia commodum reportent, gloriantes cum illis, qui *lætantur cum malefecerint*; Sacro igitur approbante Concilio, præsenti statuto ordinamus: ut Clerus cujuslibet civitatis, & Diœcesis nostræ Provinciæ habeat unum, vel plures Procuratores Fiscales, quos etiam in locis congruis, & securis, ubi Tyrannorum potentiam non habeant formidare, Episcopus loci cum consensu sui Capituli, Prælatorum, & sanioris partis Cleri suæ civitatis, & Diœcesis deputabit, qui Clericorum sæcularium, Religiosorum injuriam, & Promotores Curiæ, cum Clerici injuriati sæculares, vel Religiosi propter inopiam vel injuriantium potentiam, suam justitiam contra injuriantes prosequi non præsumunt, dictorum injuriatorum justitiam coram Executore loci *Karolinæ*, vel *Urbaniæ* prosequi festinabunt; & requisiti procurent processus juxta statuta nostræ Provinciæ cum suis pœnis contra injuriantes & usque ad satisfactionem congruam promulgari, & per subditos nostræ Provinciæ arctius observari: prædicto vero Procuratori Fiscali, seu Procuratoribus, Episcopus loci, & per quem suo Clero fuerit, vel fuerint deputati, eis de expensis, quas in prosecutione injuriarum, & pro injuriatis Clericis, vel Religiosis facient, si injuriati prædictis Procuratoribus de stipendio congruo pro suis laboribus, & expensis satisfacere noluerint, seu inopia eos excusante non potuerint, providebit.

(r) Congruum reputamus, & consonum æquitati, quod Executores statutorum nostræ Provinciæ, sibi debeant, necessitate seu utilitate urgente, in vicem suffragari; unde præsenti statuto sanximus: quod quilibet Executor, dum super processibus, & sententiis per eum in sua Diœcesi factis, & habitis, Executorem alterius Diœcesis super eis publicandis, ac etiam observandis duxerit per suas litteras requirendum, quod idem requisitus, occasione postposita, nisi in ne-

(p) Idem ibid. (q) Idem ibid. (r) Borchardus Archiepisc. ex Concil. Hallensi. (s) Item ex eodem.

necessitate indispensabili se excusare volent, requisitionem admittere teneatur.

(*s*) Si Executor in aliqua Diœcesi nostræ Provinciæ deputatus, executionis suæ ministerium facere negligat, seu deneget conquerenti, & potissimum per Procuratorem fiscalem requisitus, ad instantiam injuriam passi, seu pro eo: ex tunc ad Episcopum loci Ordinarium in casu hujusmodi recurratur, qui Executorem suum pro commissa negligentia corrigat, & ad faciendum debitam executionem compellat, adjicientes: quod nec per Nos, nec per Coepiscopos nostros sententiæ Executorum rite & rationabiliter latæ, de facto possint vel debeant revocari, nec eorum officium aliqualiter impediri.

(*t*) Cum Statutorum nostrorum remediis intendamus, contra notorias injurias & violentias provide decernimus: quod Executores Statutorum hujusmodi ad ea, quæ judicialem indaginem exigunt, se nullatenus intromittant, nec ad talia, quæ ordinem judiciarium requirunt, suam extendant aliquatenus potestatem, quia in talibus juris & judiciorum ordinem servare juxta Canonum instituta expedit & rigorem.

(*u*) Plerumque tamen id, quod notorium asseritur, apud Executorem notorium non habetur, & ob hoc testes quinque producuntur a parte, ut Executori de notorio fides fiat; unde a quibusdam revocatur in dubium: an Executor exceptiones propositas contra testes productos ad notorium ostendendum admittere teneatur; & licet super eo diversi Doctores sentire diversimode videantur, quibusdam assentientibus, exceptiones hujusmodi debere admitti, aliis vero affirmantibus, ipsas in casu hujusmodi repellendas; Nos tamen decernimus & declaramus, illi opinioni favore Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum potius adhærendum, quæ exceptiones tales asserit non esse contra testes hujusmodi admittendas; tales namque ad judicem ordinarie procedentem, non autem ad Executorem, qui circa notoria intendit, pertinere videntur: nisi exceptiones objectæ adeo forent sufficientes & notoriæ, quod nulla possent tergiversatione celari, quod discreti Executoris arbitrio duximus relinquendum.

XI. *De Majoritate & Obedientia.*

(*x*) *Sacro approbante Concilio*, statuimus: ut nulli Clerici Nobilium Capellani, in Capellis castrorum Dominorum suorum celebrare præsumant, seu conferre Sacramenta Ecclesiastica, nisi ante Episcopo loci, si dictæ Capellæ subsint Episcopo immediate, & ad eas habeat instituere: vel alteri Plebano, Archi-Diacono, Præposito, Decano Rurali, qui habeat jus in dictis Capellis, manualem obedientiam faciant, & ad Synodos veniant, & Capitula, certis temporibus & statutis, recepturi, & mandata Ecclesiastica; & prædicaturi suis Dominis & eorum Castrensibus, Secundum quod fuerit oportunum: cum Plebani, in quorum terminis castra consistunt, hoc facere frequenter non audeant propter tyrannidem Dominorum. Qui autem, ante obedientiam sic præstitam Prælatis, ut præmittitur, quibus subsunt immediate, Capellas tales officiare præsumpserint, sint ipso facto excommunicati, & nuntientur per Ecclesiarum Rectores tanto tempore, quousque satisfaciant & obediant, ut dictum est.

XII. *De his, quæ vi, metus &c.*

(*y*) Cum obedientia potentissime meritum vitæ conferat, & victimis præfertur, in quibus aliena caro, sed in ipsa propria Deo consecratur; nonnunquam plures Plebani, Sacerdotes, & Clerici hoc minime attendunt, & cum eis Superiorum mandata diriguntur, etiam pro executione debita facienda requisiti, tanquam vano metu concussi, & talem allegantes, ipsa mandata seu processus exequi, & debitæ executioni mandare, in suarum animarum periculum contemnunt, pœnas diversas Ecclesiasticas frequenter, & legales aliquando ob hoc miserabiliter incurrunt laqueati, & dum pro Christo, & ipsius Sponsa, Sancta Matre Ecclesia, cujus stipendio, & Christi patrimonio laute reficiuntur saginati, ex adverso ascendere, ac pro libertatibus con-

(*s*) Idem ex eodem. (*t*) Idem ex eod. (*u*) Idem ex eod.
(*x*) Albertus Archiepisc. ex Concil. Magdeburg. (*y*) Idem ex eod.

conſervandis bellare refugiunt; quapropter cenſura Eccleſiaſtica contemnitur, nervus diſciplinæ Eccleſiaſticæ diſſolvitur, clavium poteſtas ludibrio fit & vileſcit; *Sacri* hujus igitur *Concilii* provida deliberatione ſanximus diffinientes: ut nullus Prælatorum, Plebanorum, Curatorum, ſeu Clericorum noſtræ Provinciæ debeat ſe excuſare, quo minus requiſitus, ad executionem mandatorum ſuorum Prælatorum &c. procedant, & debite exequantur, & ipſi eadem obſervent, & per ſuos faciant obſervari: etiamſi pœnas & cenſuras contineant Eccleſiaſticas, ſeu legales, etiamſi metum corporum & rerum ſuarum temporalium amiſſionem pro ſua allegent excuſatione inantea: cum revera quisque Prælatus, Plebanus, Curatus, & Clericus (taceamus de laicis) potius debet omnia mala pati præſentis ſtatus, quam malum inobedientiæ incurrere: etiamſi per idoneos teſtes coram Superiore, a quo mandata & proceſſus diriguntur, ſe offerunt paratos ad probandum hujusmodi metum: in his enim, quæ in non faciendo conſiſtunt, utpote cum mandatur non communicare cum excommunicatis, non celebrare in locis interdictis, aut coram majoris ſententiæ excommunicatis, ſeu aliis hujusmodi, nullus omnino, nec rerum, nec corporum, probatus metus, quemquam poſſit vel debeat excuſare a talium obſervatione firmiter & intrepide exequenda. Quia melius eſt viam veritatis non agnoviſſe, quam ut quis poſt agnitam ab ea diſcedat, ut prophanus & idololatra ſceleratus.

XIII. *De alienatione Judicii mutanda &c.*

(z) Quia plerumque ceſſiones actionum in fraudem fiunt, aliquando vero pure & ſimpliciter ex cauſa legitima, vel ex cauſis, ſtatuimus: ut ceſſiones actionum, quæ juſtis cauſis, vel cauſa procedunt, in præſentia ipſorum Epiſcoporum, vel Judicum, vel Officialis ipſorum, & de licentia eorundem, ſi ſubſint legitimæ cauſæ, fiant; jurent etiam, cedentes, quod non ſimulate, ſed vere cedunt, alioquin ſecus (*) ſtans decernimus non tenere.

(a) Et quia quidam propter potentiam, quidam propter crudelitatem magnam perſonaliter citari non poſſunt, quidam etiam, qui in caſtris habitant, ita quod nulla propter eorum tyrannidem citatio ad eos pervenire, vel aditus haberi ſecurus ſubin queat; idcirco provida & neceſſaria deliberatione ſtatuimus: ut contra tales citationis edictum apud Parochialem Eccleſiam ipſorum publice & legitime proponatur; quod ſi Parochialis Sacerdos eos citare non poſſit, & hoc coram Superiore, non ſimplici vel proprio juramento, ſed juſtis probaverit documentis; in Cathedrali Eccleſia tribus Dominicis diebus continuo citentur in ambone, dummodo citandi infra unam dietam ſint a Cathedrali Eccleſia diſtantes: alioquin ad tres quindenas ſolempniter evocentur, & ex tunc contra hujusmodi, ac ſi perſonaliter citati fuerint, procedatur; ne ex malitia hujusmodi valeant commodum reportare.

XIV. *De foro competenti.*

(b) Præterea, quidam crudeles homines & perverſi, dum ad forum Eccleſiaſticum in cauſis etiam, in quibus habet Eccleſia merito judicare & cognoſcere, ab actoribus evocantur, illius auctoritatis, qua dicitur: *Qui* (c) *honorat miſſum mittentem honorat*, immemores exiſtentes, Nuntios Eccleſiaſticorum Judicum, citationis, executionis, vel alias judiciales, & jurisdictionis litteras deferentes, verbis quandoque probroſis, & diris verberibus afficientes, quosdam etiam captivatos vulnerantes, mutilantes, & nonnullos occidentes, alios interdum ſuis rebus temere & publice ſpoliantes, multipliciter afficiunt, & perturbant, & impediunt citationem, & litterarum executionem, & in non modicam Eccleſiaſticæ libertatis contumeliam & jacturam. Conſiderantes igitur, malitiis hominum non eſſe aliquatenus indulgendum, *hoc ſacri approbatione Concilii*, duximus ſtatuendum, ut reus, nuntios acta judicialia deferentes, per ſe, vel per alium verberans, ſpolians, vulnerans, mutilans, occidens, & captivans, lite etſi non conteſtata, auctoritate hujus Concilii, habeatur penitus pro convicto: Actor vero in cauſa reconventionis ſimilia perpetrare per ſe, vel per alium non formidans, ſuper inſtituta contra eum actione amplius nullatenus audiatur, & inſu-

(z) Idem ex eod.
(b) Idem ex eod.
(*) *lego*: pacta, *vel* ceſſa
(c) Lucæ IX, 48. X, 16.
(a) Idem ex eod.

insuper uterque, ac omnes alii, qui nomine ac occasione eorum talia præsumpserint, usque ad condignam satisfactionem læso, & judicibus, summaria cognitione super hujusmodi forefacto præhabita, percellantur adeo justis & gravibus pœnis, ut alii metu pœnæ a similibus arceantur: ita etiam, quod si tales sint Clerici, pœna in captivantes Clericos, vulnerantes, mutilantes, verberantes, & occidentes, promulgata, in Statutis nostris Provincialibus, & Prædecessorum nostrorum huic volumini inscriptis usque ad satisfactionem congruam districtius observetur, pœnis etiam a Canonibus & Legibus, talibus inflictis nihilominus rigorose observatis.

Præterea, *hujus approbatione Concilii*, statuimus: & vobis universis & singulis Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, seu vices eorum gerentibus, per nostram Provinciam constitutis, sub pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ præcipimus, & mandamus: quatenus omnes tam Clericos, quam laicos, in terminis Ecclesiarum vestrarum constitutos, cujuscumque dignitatis, nobilitatis, conditionis, aut status existant, publice in vestris Ecclesiis moneatis: ne jurisdictionem Ecclesiasticam, nuntios, mandata nostra, seu litteras nostras, vel Judicum nostrorum, etiam nostrorum Suffraganeorum, & Judicum Ecclesiasticorum quorumcumque nostræ Provinciæ deferentes, verberando, offendendo, &c. seu ipsas litteras lacerando, vel quocumque alio modo impedire præsumant; alioquin contrarium facientes, sententiam excommunicationis incurrere volumus ipso facto, & excommunicatos nuntiamus, & ab omnibus arctius evitandos singulis diebus Dominicis, accensis candelis, & pulsatis campanis, cum Nobis de hoc per evidentiam facti constiterit: etiamsi aliud mandatum nostrorum Judicum, seu Suffraganeorum nostrorum, vel eorum Judicum super hoc non receperitis, in vestris Ecclesiis publice nuntietis, quousque a sententiis excommunicationum hujusmodi per Nos, vel Judices nostros, seu nostros Suffraganeos, vel eorum Judices, sicut in civitate, vel Diœcesi, vel altero eorum excessus hujusmodi commissus reperitur, fuerint legitime absoluti. Adjicimus insuper, quod quilibet Episcopus in sua Diœcesi, prout sibi expedire videbitur, super statutis hujusmodi valeat dispensare.

(*c*) Cum laici, etiam cujuscumque dignitatis, status, & præeminentiæ fuerint, de rebus Ecclesiæ disponere non habeant, multo fortius Prælatos, & Clericos, seu quemcumque de personis Ecclesiasticis, vel laicum religiosum alicui religioni dedicatum, etiamsi nondum fuerit tacite professus, vel expresse, cum omnes tales sint in sortem Domini electi, & a sæculari potestate, & judicio tam in criminalibus, quam in civilibus *Christi privilegio exempti*; unde universis Judicibus sæcularibus per nostram provinciam constitutis districtius inhibemus, & mandamus, ne quenquam Prælatum, tam regularem, quam sæcularem Clericum, vel laicum Religiosum contra Ecclesiasticam libertatem ad cujuscumque instantiam laici, vel Clerici, vel ex suo officio ad judicium trahere sæculare per se, vel per alium procurent, etiam ipsum judicare, vel sententiare præsumant: actor vero, si laicus fuerit, qui hoc procuraverit cum judice, ambo sint majoris excommunicationis sententia ligati ipso facto, quos sic citatos, & Judicis Officialis Episcopi *in Synodo Episcopali*, & in propriis eorum Parochiis, ac aliis vicinis sic excommunicatos, donec parti citatæ, & Episcopo loci de hujusmodi excessu satisfactionem præstiterint ad condignum, publice faciat denuntiare. Clericus vero, qui sic procuraverit Clericum alium, ad sui, vel alterius instantiam, ad judicium evocare sæculare, sit ipso Beneficio suo meliori, si plura obtinet in nostra provincia, ipso facto privatus; si vero unum dumtaxat, eodem etiam ipso facto sit privatus; si vero nullum Beneficium obtinet in nostra provincia, domicilium tamen habens, aut aliunde veniens, hunc excessum committens in nostra provincia, propter quem se subditum nostræ jurisdictioni facit; volumus præsenti constitutione esse inhabilem ad Beneficium Ecclesiasticum in nostra provincia obtinendum; donec a Nobis, si hunc excessum commiserit in nostra Diœcesi, vel civi-

(*c*) Idem ex eodem.

civitate, seu a nostris Suffraganeis, in quorum civitatibus, vel Diœcesibus, vel alterius eorum hujusmodi excessus commiserit, satisfactione condigna præmissa, fuerit cum eo interim indultum.

XV. *De Fide Instrumentorum.*

(*d*) Cum ex eo, quod plerique adeo rudes, & ignari inveniuntur, quod per se protocolla facere penitus ignorent, & alii, se Notarios publicos mentientes, conficere instrumenta præsumant, ex quibus incommoda, & pericula oriuntur, quibus Nos obviare volentes, prohibemus: ne pro Notario publice quisque se gerat, vel quævis instrumenta conficiat in nostra provincia, vel quisquam eis utatur confectis, antequam de creatione sua loci Diœcesano, vel ejus Officiali fecerit plenam fidem; contrarium faciens, excommunicationis sententiam incidat ipso facto, & instrumenta per eum confecta sint irrita ipso facto, & alias per loci Diœcesanum, conficiens cum utentibus scienter, pœna debita puniatur.

XVI. *De Jure jurando.*

(*e*) Cum Legis veteris authoritas, & Evangelica veritas invincibilis præcipiat, quod omne verbum in ore debeat stare duorum, vel trium. Unde prohibemus omnibus Spiritualibus, & sæcularibus judicibus, ne de cætero in judicio in quacumque causa, juramentum deferant decisorium reo, adversa parte volente intententum suum per testes probare fide dignos, & hoc potente.

XVII. *De Exceptionibus.*

(*f*) Quoniam exceptio de loco non tuto nonnunquam ad fugam ab opponente confingitur, ut ejus ope evitetur judicium, & conquerens defraudetur: id quod, sicut experientia docuit, plerumque fieri consuevit coram Executoribus statutorum nostræ provinciæ: quamvis autem exceptio eadem adeo videatur legitima, quod si repulsa fuerit, licite valeat appellari. An igitur Executor statutorum exceptiones hujusmodi teneatur admittere vel repellere, non immerito dubitatur. Unde, juxta prudentum consilium, ac doctrinam, duximus statuendum: quod si quis coram Executore, locum ad quem citatus existit, sibi oggerit non securum; idem excipiens, ad mandatum Executoris debeat exprimere coram eo, quid illo loco securo, quem postulat, velit proponere vel probare, & si tale quid exprimere jussus contumaciter recusaverit, ex tunc Executor in negotio proposito, tali exceptione non obstante, procedere non obmittat: si vero aliquid vel aliqua dixerit exprimendo, Executoris relinquatur arbitrio, an super tali aut talibus expressis sit exceptio admittenda, & locus alius securus super expressis & propositis assignandus.

XVIII. *De Appellationibus.*

(*g*) Quia sæpe contingit in causa appellationum, ad Nos a nostris Suffraganeis appellari; statuimus: ut si infra duos menses, hujusmodi appellantes, prosequi appellationes suas non curaverint, ex tunc per inferiores Judices, a quibus appellarunt, in pristinas sententias extrudantur, & tam diu eisdem ligati publice nuntientur, quousque justa causa cessante, ad appellationum suarum prosecutionem redire festinent, vel pareant judicatis.

XIX. *De Vita, & honestate Clericorum.*

(*h*) Ad hæc, quia Clerici vagabundi, qui *Everhardini* dicuntur, quorum vita Deo odibilis est, Clericos, & ipsos laicos scandalizant discurrendo per terras, in villis, quæ carent propriis Sacerdotibus, celebrare præsumunt; statuimus: ut tales ad mandatum Diœcesani, vel loci Archidiaconi teneantur in custodia carcerali.

Contra illos Clericos militares, & præsertim in sacris constitutos, qui Clericali schemate derelicto, comam nutriunt, gestantes habitum laicalem; demum post tyrocinia, & actus alios militares, quos interdum exercent, habitum pristinum resumentes, ad Beneficia priora se admitti impune desiderant, sic terram *viis duabus ingredi* non verentur, Hoc *Sacro Concilio* approbante, statuimus: ut apostantes hujusmodi, si a Prælatis suis, & Capitulis evocati, ad suas Ecclesias, & Præbendas redire voluerint,

(*d*) Idem ex eod. (*e*) Idem ex eod. (*f*) Borchardus Archiep. ex Conc. Hallens. (*g*) Albertus Archiepisc. ex Concil. Magdeburg. (*h*) Idem ex eod.

rint, non aliter admittantur, nisi disciplinæ Claustralis carcerem tanto tempore sustineant, quanto a suis Ecclesiis eos constiterit taliter aberâsse, & sic reversi debent ultimum in Choro, Capitulo, aliisque actibus, locum dumtaxat perpetuo obtinere.

XX. *De Cohabitatione Clericorum.*

(*i*) Attendentes, quod omnibus Dei Ministris, & in ejus sortem sua providentia electis, sit a sacris Canonibus præceptum, ut non solum abstineant a malo, sed etiam ab omni specie mali. Unde quoslibet Canonicos, tam Cathedralium, quam Collegiatarum Ecclesiarum nostræ Provinciæ, cæterosque Beneficiatos hortamur, & in visceribus Christi obsecramus, ne amodo in stuffis, venatibus, & publicis balnea recipiant, ubi suspectarum personarum præsentia se præbet frequenter scandalose; sed in stuffis suarum Ecclesiarum balnea sua faciant, personis suspectis longe exclusis; has autem stuffas in singulis Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis nostræ provinciæ, si non habeantur, volumus ædificari, vel si sunt defectuosæ, infra mensem restaurari, & debitis temporibus calefieri, idque ad minus de quindena in quindenam, deputatis ad hoc consuetis & honestis ministris.

Religiosis universis nostræ provinciæ in Monasteriis degentibus, quibus urbium locorumque publicorum aditus omnino interdictus est, prohibemus præsenti nostro statuto, ne quis de cætero in stuffa publica, extra septa sui Monasterii, balnea subire attemptet: præsens etiam statutum ad Sanctimoniales nostræ provinciæ, prout concernit Religiosis, observandum extendimus. Transgressores vero hujus statuti volumus, si Canonici sunt, vel Beneficiati, per suos Episcopos pœna debita emendari, si vero Religiosi vel Moniales fuerint, pœna graviori post carceralem, per suos Prælatos præcipimus emendari.

Attendentes insuper, quod scriptum est, & dictum præcipue Sacerdotibus, & Clericis universis: *Sancti estote, quia Sanctus Ego sum:* (k) Præcipimus, hujus approbatione Concilii, ut universi in sacris Ordinibus constituti, studeant caste vivere, quatenus in conspectu omnipotentis Dei, puro corde, & mundo corpore valeant ministrare. Si quis autem Clericorum deinceps visus fuerit incontinentiæ vitio laborare, publice concubinam secum detinendo, vel alias a se positam in domo nutriendo aliena, post ammonitionem Canonicam ei per Prælatos suos immediatos factam verbo, vel scriptis, illam de sua domo non expulerit, vel a se positæ victum & amictum non subtraxerit, Officio, & Beneficio suo privetur; si vero nec sic, fautorèm libidinis suæ curavit evitare, quia crèscente contumacia, crescere debet & pœna; anathematis gladio feriatur. Qui vero concubinas usque ad hæc tempora tenuerunt, ne delictum præteritum transeat impunitum, eos sub tali pœna duximus religandos, ut si Canonici fuerint, vel Beneficiati, in Ecclesia eorum XL. diebus in claustris suis quadragesimali cibo vescantur; si autem hoc agere contempserint, Præpositis, Decanis, & Capitulis Ecclesiarum suarum, sub anathemate prohibemus, ne prædictarum fructus eis ministrent, vel ad chorum, vel ad consortium eos admittant, nisi digna pœnitentia, de qua præmittitur, peracta plenarie. De Clericis concubinariis ruralibus, rigor superius expressus servetur, quorum Archidiaconi, si eos in suis iniquitatibus voluerint confovere, vel eorum dissimulare excessus, sciant ab officiis se suspendendos.

XXI. *De Institutionibus.*

(*l*) Cum frequenter magis a tramite Regulæ, & Statutorum observantia deviare videntur, qui amplioribus privilegiis præfulgent, præsertim Hospitalarii Fratres de Domo Teutonica; sanximus, ne Ecclesias Parochiales, quas unitas sibi & incorporatas habent, per suos Confratres officiare præsumant, sed Clericos sæculares, & idoneos, Episcopo, sive Archidiacono loci infra debitum tempus præsentent, qui istos instituant tanquam perpetuos Vicarios in eisdem, ordinata ipsis portione congrua, & jurabunt dicti Fratres pro se, & suo Conventu, quod hujusmodi portionem dicto instituendo per pactum non minuent, vel alias quocumque modo sibi auferent in parte, vel in

(*i*) Idem ibid.

(*k*) Levitici XI, 44.

(*l*) Idem ibid.

in toto, & quod dictum Vicarium sic instituendum non procurabunt amoveri, cum talis titulum habeat perpetuum in Beneficio.

Præterea statuimus: ne Religiosi cujuscumque Ordinis existant, fines privilegiorum suorum excedant. Si qui etiam Religiosorum, per donationem, vel alium legitimum titulum, jura Patronatus aliquorum Beneficiorum Ecclesiasticorum acquisiverint, talia Beneficia, propria temeritate, suis usibus non usurpent; sed ipsis vacantibus, ad ea Sacerdotes idoneos sæculares, per quos regi consueverunt, non Fratres sui Ordinis, vel alterius præsentent, nec bona ipsarum Ecclesiarum corporalia, vel incorporalia, seu libertates quascumque detracta, suis Monasteriis seu Domibus applicare præsumant; contrarium facientes, auctoritate præsentis constitutionis Jure Patronatus, quod ad ipsa Beneficia habuerunt, privari volumus, & jus Patronatus ad loci Diœcesanum, sine omni exceptione, devolutum volumus. Si quas etiam Ecclesias Parochiales, infra quarum limites, granges de Monasterio habuerint, terras, agros, prata, vel vineas, aut alia bona, de quibus jure decimas solvere tenentur, in decimatione defraudaverint, omnes ipsis ad hoc opem, & operam dantes, & ipsorum servitiis intendentes, decernimus ipso facto sententiam excommunicationis incurrisse.

Item; cum Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferri debeant; quidam Ecclesiarum Patroni, personis idoneis prætermissis, tales ad ea præsentent, qui paucis debeant esse contenti, reliquum suis usibus applicando; unde ad hujusmodi mali perniciem extirpandam statuimus: quod si tales Clerici portione debita se spoliare sinentes, ad Episcopum suum querelam non detulerint, authoritate hujus consilii, sint ipso facto suspensi, & nihilominus eisdem Ecclesiis priventur per Episcopum, & de Plebano idoneo provideatur ipsis Ecclesiis, seu Beneficiis. Si vero ad Superiorem querelam detulerint, ipse Patronum per censuram Ecclesiasticam ab hujusmodi molestatione compescat, adjiciendo nihilominus, quod si in hoc pertinax Patronus exstiterit, jure præsentandi sit privatus, & Episcopus, ut ante, Patronatus jure fungatur.

XXII. *De rebus Ecclesiæ non alienandis.*

(*l*) Hoc *Sacro Concilio approbante*, districtius inhibemus; ne aliquis Episcopus, vel Prælatus, Capitulum, vel Conventus, aliqua bona immobilia Ecclesiæ sub pignoribus ponant, aut alienent sine expresso consensu Episcopi, & juris solemnitatibus, quæ in hujusmodi alienationibus requiruntur, alioquin factum ipsum decernimus irritum, & inane, & Episcopi, qui hoc fecerint, ab ingressu Ecclesiæ suspendendi; alios vero Prælatos ab Officio, & Beneficio: personas vero alias excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subjacere.

Item; de rebus Ecclesiæ, & ornatu, nulli privatæ personæ ad obligandum aliqua concedantur, & si aliquibus sint concessa, illa infra infra mensem redimere, & Ecclesiæ restituere compellantur.

Item statuimus: ut proventus fabricæ, uni, vel duabus personis fide dignis committantur, qui eos ad opus Ecclesiæ convertant utiliter, & justam de ipsis reddant rationem. Et quia pauci sunt in singulis Ecclesiis, qui prædia, & redditus plene cognoscunt; statuimus: quod prædia, redditus, & servitutes Ecclesiarum, Monasteriorum, Officiorum, Beneficiorum etiam laicorum, qui Ecclesiæ specialiter obsequuntur, in duobus libris conscribant, & quibus terminis redditus præmissorum sint colligendi; quorum unus ponatur in loco Ecclesiæ, vel Monasterii tuto; alius vero liber reservetur ubi privilegia, & clenodia reservantur.

XXIII. *De Pignoribus.*

(*m*) Detestanda quorundam temeritas, qui in causa sua jus sibi dicere contra sanctiones legitimas moliuntur, nonnunquam personis Ecclesiasticis exhibet se molestam: cum enim aliquid quæstionis contra personas Ecclesiasticas habere proponunt, licet personæ prædictæ Ecclesiasticæ paratas se exhibent, stare coram suo Judice Ecclesiastico competente; nihilominus tamen iidem temerarii impignora-

(*l*) Idem ibid.

(*m*) Burchardus Archiep. ex Concil. Hallensi.

noratores, qui vulgo *Phänding* dicuntur, frequenter in rebus, & bonis ad Beneficia dictarum Ecclesiasticarum personarum spectantibus, vel ad personas eorum committere non verentur, unde, non modica damna & injuriæ oriuntur; attendentes igitur, quod præmissas invasiones, de cætero conniventibus oculis dissimulare non debemus: unde, provida deliberatione sacri hujus Concilii, sancimus: quod quæcumque persona, licet ipsorum Advocati, vel Officiati, quæ hujusmodi *Phändinge* fecerit, aut fieri mandaverit, si persona fuerit singularis, ipsam excommunicationis sententiæ majoris volumus ipso facto subjacere; si requisitus per Executorem ex officio suo, vel ad instantiam injuriam passi infra XV. dies, res personæ Ecclesiasticæ non restituerit integraliter, damna resarciat cum satisfactione de injuriis ea occasione illatis.

. . . .
. . *Lacuna in MSS.* . .
. . . .

Ita ut laicis, quibus tempore interdicti, Divinorum participatio omnino est interdicta, ea per viam illicitam, lucri & quæstus causa concedatur; Et quia hujusmodi abusionem committentes, tam Clericos sæculares, quam Religiosos Ordinum, vinculo excommunicationis constrinxit, ne ipsi in nostra provincia degentes statuti pœnam non incurrant, volumus, & mandamus prædictum statutum URBANI in singulis Synodis nostris ac Fratrum, & Coepiscoporum nostræ provinciæ legi, & publicari; ut metu pœnæ ipsius abusum prædictum de nostra provincia extirpemus.

(*n*) Statuimus: ut cum Sacramentum Eucharistiæ, quod summa dignum est veneratione, ad infirmum defertur, Presbyter nullatenus in calepodiis, sed calceatus incedat, in habitu decenti, superpelliceo indutus, deferens desuper stolam, corpusque Dominicum decenter ante pectus suum portet, luminariis cereis ardentibus antelatis, cum campanula continue resonante, & fideles hortamur ut Presbyterum deferentem sequantur humiliter, & devote ad infirmum, & de infirmo redeuntem ad Ecclesiam: Indulgentiam XL. dierum ipsis elargiendo.

XXX. *De observatione jejunii.*

(*o*) Adhæc etiam prohibemus: ne adultus ordinaria & statuta jejunia præsumat infringere, nec hujusmodi necessaria jejunia prætextu votivi, & extraordinarii jejunii violare: quia tale dampnum tali lucro Deus nolit compensari. Inhærentes ergo priori Concilio, pravam quorundam consuetudinem reprobamus, qui sextam feriam violant, sabbatho, vel alia die hebdomadæ jejunantes: quod de cætero fieri, hujus sacri auctoritate Concilii, firmiter prohibemus, & præsertim alia jejunia superstitiosa, quibus Deum tentare videntur: vel dum sic jejunant, ut tribus buccellis panis, & totidem cerevisiæ vel aquæ, pro die naturali sint contenti, vel alio modo superstitioso jejunant usque ad visionem syderum, more Gentilium & Judæorum. Hæc & hujusmodi similia cum Religioni Christianæ sint inimica, hujus sacri Concilii approbatione, de cætero fieri prohibemus, injungentes Confessoribus tam sæcularibus, quam Religiosis, ut confitentes sibi ab hujusmodi jejuniis superstitiosis retrahant: districtius eis injungentes, ne talia de cætero faciant, sed Ecclesiæ jejunia, quæ Deo sunt accepta, cum omni sinceritate observent.

XXXI. *De Ecclesiis.*

(*p*) Prohibemus etiam, ut Religiosi, vel quilibet alii, Ecclesias de novo fundare, vel fundatas transferre sine Episcopi Diœcesani licentia, & sine primarii lapidis benedictione non præsumant: aliter fundata Ecclesia diruatur, & is, qui fundat, sive Clericus, sive Monachus, ab officio suspendatur, alia nihilominus pœna, juxta Superiorum arbitrium puniendus; si vero laicus sit, usque ad satisfactionem, excommunicationis vinculo innodetur. Item Altaria superflua per Parochiales Ecclesias omnino tollantur; nec aliquid de novo fiat, nisi Episcopo permittente.

Excommunicamus & anathematizamus omnes, qui dedicatas Deo Ecclesias ausu sacrilego prophanant, aut munitiones de ipsis faciunt, & cæmiteria perfodiunt, ossibus mortuorum ejectis.

Ad hæc, sacro approbante Concilio, irritamus omnia statuta & consuetudi-

(*n*) Idem ibid. (*o*) Idem ibid. (*p*) Idem ibid.

tudines, quas civitates, vel oppida, Consules, & quæcumque aliæ personæ contra libertates Ecclesiasticas edere adversus Canonicas sanctiones præsumunt, & eadem mandamus infra duos menses, post hujusmodi publicationem statuti, penitus aboleri.

Novas etiam exactiones, quæ vulgo *Ungelt* dicuntur, vel alio nomine, nulla civitatum instituat, & ab institutis, post hujusmodi edicti publicationem, infra mensem, desistat, nec mensuras rerum venalium ab antiquo servatas minuere, vel immutare præsumat; de servis vero & mancipiis Ecclesiarum in civitatibus residentibus, & post mortem eorundem, Ecclesiæ debita jura recipere minime prohibeantur.

XXXII. *De Sponsalibus & Matrimonio.*

(q) Cum Sacramentum Matrimonii sit magnum, & omni reverentia & celebritate dignum; sacro hoc approbante Concilio, statuimus: ne quis laicos, cujuscumque etiam conditionis, status, vel præeminentiæ fuerint, præsumat aliquis copulare in domibus, vel extra Ecclesiam. De Desponsatis vero statuimus: ut eorum proprii Sacerdotes tribus diebus Dominicis, aut aliis Festivis diebus tribus, a se distantibus, per Edictum publice proponantur infra Missarum solemnia coram Christi Fidelibus, & Parochianis; ut si quis, vel si qui sunt, qui inter desponsatos de futuro aliquod impedimentum noverint, illud infra tempus proclamationis in facie Ecclesiæ, & consanguineis ipsorum omni studio adhibito, & sine difficultate revelent.

XXXIII. *De Judæis.*

(r) Cum gens Judaica Crucis sit inimica, & nostræ Religioni, ut rei evidentia multis signis edocuit. Unde, sacro hoc approbante Concilio, statuimus: ut in septimana Dominicæ Passionis domos suas, & fenestras clausas teneant, nec de domibus suis in publicum prodeant, sed ante de sibi necessariis pro illo tempore provideant, ne Christiani sacratissimæ Passionis memoriam exhibentes, ab eodem Judæorum populo illudantur. Judæos vero contrarium facientes volumus per locorum Ordinarios pœnis pecuniariis graviter mulctari, & eorum rebellione exigente, si in præmissis culpabiles reperti fuerint, contra eos brachium invocari sæculare.

Insuper districte præcipiendo, præsentis Concilii approbatione, mandamus: ne provinciæ nostræ Comites, Barones, per se, vel per alios, dictis Judæis sæculares dignitates, officia publica, & privata, de cætero regenda committant; cum valde sit indecens filium liberæ filio ancillæ subesse debere, & famulari; quod si quæ jam commissa sunt, infra XV. dies, post publicationem præsentium, revocentur, quæ & Nos præsenti Concilio revocamus. Insuper; nullus Judæus nostræ provinciæ Christianos, masculum, vel fœminam, in domibus suis in servitio teneat, vel extra, vel in mensa, nec in stupa. Inhibemus etiam Christi fidelibus universis nostræ provinciæ, ne aliquo tempore infirmantes, seu sani, Judæos medicos ad se advocent, nec medicamina, vel consilia quovis modo ab eis recipiant; contrarium facientes per locorum Ordinarios volumus excommunicari, & qui in illa infirmitate decesserint, nisi digne pœnituerint, Ecclesiastica careant sepultura.

XXXIV. *De Hæreticis, & Schismaticis.*

(s) Universos Canones, & Statuta, prout a sancta Matre Ecclesia sunt edita, Spiritu Sancto docente, qui universum Corpus Ecclesiæ suo flatu regit, & vivificat, observare tenemur. Quapropter, hujus sacri Concilii approbatione, tanquam veræ fidei Zelatores præcipimus, & mandamus, in omnibus suis Capitulis, & articulis, ea districtius, omni metu ac potentum terrore cessante, observari, & potissime per Coepiscopos, & Confratres nostros, eorumque Vicarios in Spiritualibus, ad quos hoc principaliter pertinet, ut ipsi diligenti studio, solicita cura, & toto conatu invigilent, ut hæretici, & schismatici in suis civitatibus, & Diœcesibus reperti, penitus exterminentur, frequenter scrutinium contra eos observent, eis debitas pœnas infligendo, & si opus est, pro executione ulti-

(q) Idem ibid. (r) Idem ibid. (s) Idem ibid.

ultimata, brachio ad hoc sæculari invocato.

XXXV. *De Maleficis.*

(*t*) Cum veteri Testamento omne genus aruspicum, maleficii, & incantationis, sub pœna corporis fuit prohibitum, & interdictum. Unde omnes augurium facientes, masculos, & fœminas, Phytones, & Phytonissas, maleficos, incantatores, præsenti statuto, approbante sacro Concilio, excommunicamus; & volumus eos ad Nos remitti absolvendos, inhibentes sub interminatione Divini Judicii: ne quis, Religiosus, Curatus, vel Sacerdos aliquos in ista causa absolvere præsumat. Si autem tales reperti fuerint, & vere, non simulate, ad gremium sanctæ Matris Ecclesiæ redire voluerint, signa pœnitentiæ edentes, absolutione obtenta per Diœcesanum, aut Vicarium in Spiritualibus, quibus reservata est; nihilominus, quia Deum creatorem temptantes sponte Idololatriam commiserunt, volumus, ut IV. diebus Dominicis, nudis pedibus, cum Processio fit per Cœmiterium, Crucem, & vexilla antecedant, caputio abjecto: processione finita ante fores Ecclesiæ maneant, & post omnes introeant, accedentes chorum illic sic stantes, nudis pedibus, non longe retro Presbyterum, sine caputio, cingulum gerentes in collo, totam Missam in signum veræ pœnitentiæ audiant.

XXXVI. *De Apostatis.*

(*u*) Contingit aliquoties, quod nonnulli Clerici, vinculo excommunicationis adstricti, vel prophani, vel aliter ad Divinorum celebrationem indigni, e Diœcesi, in qua de his habetur notitia, fugientes, ad Diœcesim aliam se transferant fraudulenter, ut sic debitas suorum excessuum pœnas evitent, & Divinis se ibidem ingerunt officiis. Cum itaque malevolis non sit indulgendum; præcipimus: ut Executor in ea Diœcesi, in qua prædicti præsumptores se receperunt, eos per suas litteras denuntiare teneatur, ut & Episcopi tales excommunicatos faciant ab omnibus cautius evitandos.

XXXVII. *De Raptoribus, & Clericorum occisoribus.*

(*x*) Considerantes, quod Clericorum quorumcumque, præcipue in dignitate constitutorum, sive Religiosi fuerint, sive sæculares, occisoribus seu mutilatoribus, tanti criminis attenta enormitate nondum sit sufficiens pœna per constitutiones Prædecessorum nostrorum, & nostras, inflicta; *Sacro hoc approbante Concilio*, præsenti statuto ordinamus, & adjicimus: quod ultra alias pœnas, emendas, & satisfactiones, prædicti occisores & mutilatores, & eorum quilibet, debet tribus diebus Dominicis se continue sequentibus, nudatis pedibus & corpore, femoralia dumtaxat habens, in Ecclesia Cathedrali civitatis & Diœcesis illius, in qua Clericum occidit, vel mutilavit, stare, & sic nudus & discalceatus, deferens rotam in dorso, & virgam in qualibet manu, processionem antecedere, donec circuitu facto, sancta processio Ecclesiam ingreditur, & ante illam januam, per quam processio ingreditur, subsistet, & duobus ultimis Prælatis, vel Canonicis in processione, cuilibet unam virgam præsentabit ad manum, & in signum veræ pœnitentiæ, petet se ab eis emendari, qui virgis receptis ipsum pro qualibet vice emendabunt. Nolumus etiam emendam per quemquam debere remitti, nec prædictos facinorosos ad communionem Christi fidelium recipi & admitti, nisi emendam præscriptam in forma sua observaverint, ultra alias emendas & pœnitentias prædictis injunctas a Lege, vel a Canonibus. Et hujusmodi Constitutionem volumus districtius observari per illos, qui proprios Capellanos, Plebanos, seu Curatos occidunt vel mutilant, vulnerant, captivant, & detinent captivatos, & similiter per Vasallos & omnes subditos Ecclesiarum & Monasteriorum, in præmissis delinquentes.

XXXVIII. *De Usuris.*

(*y*) Contra usurarios, juxta *Statutum Lateranensis Concilii*, procedatur, ut si notorius fuerit ipsorum excessus, sine distinctione qualibet, Ecclesiastica careant

(*t*) Idem ibid. (*u*) Borchard. Archiepisc. ex Concil. Hallensi.
(*x*) Albertus Archiepisc. ex Concil. Hallensi. (*y*) Idem ibid.

careant ſepultura: ſi quis autem tales ſepelire præſumpſerit, ſuis beneficiis ſpolietur. Excommunicationis ſententia ſingulis diebus Dominicis, & Solempnibus, proferatur in omnes, quicumque uſuras de cætero præſumpſerint. Hoc priori Concilio adjungentes: ut ſi notorii uſurarii demum in ægritudine conſtituti, abſolvi deſiderent, nullatenus audiantur, niſi primitus ſatisfaciant, vel hæredes ſuos tales habeant, quod pro eis ſatisfaciant, in quantum poſſibile fuerit, de uſuris.

XXXIX. *De exceſſibus Privilegiatorum.*

(z) Ex multorum ſubditorum noſtrorum querelis recepimus, quæ & ipſi quidem dolenter referimus, & experientia didicimus evidenti, quod Mendicantium Ordinum Fratres, ſuæ inſtitutionis & Profeſſionis facti immemores, ſoli incedere in campis, in civitatibus, & in villis, nunc pedeſtres, nunc in equis, nunc in curribus, aliquando ſine habitu, aliquando habitum ſuæ Profeſſionis deferentes, præſumunt, & Curatis noſtræ Provinciæ, quibus deputati Terminarii ad ſuportandum cum eis eorum onera, eorumque ſubditis facti ſint in gravamen: & cum ſolum in Adventu Domini uſque ad diem Circumciſionis incluſive, & per Quadrageſimam uſque ad Octavam Paſchæ, & per feſta Pentecoſtes deberent in locis, ubi Terminarii deputati ſunt, requiſiti & licentiati per Curatos, in verbo Dei proponendo, & audiendis Confeſſionibus præſtare ſubſidium, ſuis ſanctis moribus populum ad ſalutis perfectionem incitare; nunc vero privilegiis eis conceſſis præſumptuoſe ab Eccleſia univerſali abeuntes, ſe per totum annum in locis, in quibus Terminarii deputati ſunt, & in domibus ſoli cum mulieribus, quas ipſorum *Marthas* (ut eorum verbis utamur) habitare non verentur: ex quibus ſcandala plurima oriuntur in populo; nunc Medicorum officium exercentes, nunc ſe artifices in diverſis artibus mentientes, victum per tales abuſus quærentes, & quod deterius eſt in ſtuffis communibus inter populares balneari non verentur. Unde, *Sacro approbante Concilio*, præſenti ſtatuto ordinamus: ne quis mendicantium ordinum frater de cætero præſumat ſolus, etiam in habitu ſuæ profeſſionis, per quævis loca noſtræ Provinciæ incedere, vel morari in locis, & domibus, ubi ſunt Terminarii deputati, ultra tempora præſcripta; nec ea exercere, quæ ſuæ Religioni non conveniunt. Contrarium facientes, volumus per Curatos, in quorum Parochiis ſunt deputati, ad ſuos Superiores ad manendum in clauſtris ſuis remitti, & de cætero eos pro Terminariis minime ſuſtineri. Si autem prædictorum ordinum Mendicantium Fratribus, ſic ſolis repertis, vel in ſtuffis communibus balneantibus, injuria facta fuerit; volumus eis per Executores Statutorum noſtrorum noſtræ Provinciæ minime ſubveniri, nec ipſos ad prædicandum verbum Dei in Eccleſiis noſtræ Provinciæ, vel ad audiendum confeſſiones, vel ad petendum caritativa ſubſidia, a populo noſtræ Provinciæ per Plebanos & Curatos amplius admitti.

Præterea, ſacri hujus Concilii auctoritate, ſub pœna excommunicationis jam latæ ſententiæ, mandamus omnibus Religioſis, ne ſubditos Plebanorum, maxime autem Begghardos, Begginas, & incluſos, aut alias ejuſmodi perſonas communicent corpore Domini, aut alia porrigant Eccleſiaſtica Sacramenta parvulis, & adultis, hoc etiam ſub eadem pœna Religioſis omnibus firmiter inhibentes: ut cum proceſſiones, & ſolemnes ſtationes fiunt, quas obſervat Eccleſia generalis, ne populum abſtrahant ab eisdem, prædicationes tunc ipſis inſtaurando: imo in prædicationibus ſedulo proponant, quod totaliter tenentur intereſſe Feſtivitatibus, & quod peccant, ſe ab hujuſmodi abſtrahendo: & populo exponant, quod matricem Eccleſiam in præcipuis Feſtivitatibus tenentur accedere; ipſique tunc abſtineant ab omnibus allectivis, quibus attrahi poſſet populus, quominus ad ſolemnitatem veniat. Interdicimus etiam omnibus Religioſis mendicantibus, ne ipſi præſumant facere novas adinventiones in proceſſionibus, & aliis, nec diebus Dominicis aut Feſtivis circuitus faciant per ambitum, & Cœmiteria, niſi diebus Dedicationum ſuarum Eccleſiarum. Requirimus igitur omnes Coepiſcopos noſtræ provinciæ, ut diligenti cura invigilent, ut mendicantium Ord. Fratres in præmiſſis culpabiles reperti, de tanto temeritatis exceſſu ſatisfacere, per diſtrictionem Eccleſi-

(z) Idem ibid.

clesiasticam compellantur, Executore statutorum hoc efficiente.

XL. *De Verborum significatione.*

(*a*) Parum esset malitiis hominum occurrere per novorum statutorum sanctiones, nisi quilibet ad ipsorum observantiam, prout sui status concernit decorem, justo modo compellatur. Sacro igitur approbante Concilio, statuentes ordinamus: quod licet statuta Provincialia præsentis opusculi sint ab omnibus subditis nostræ provinciæ debita reverentia, & observantia amplectenda; tamen non omnibus omnia præscripta videntur, sed aliqua Prælatis, aliqua Canonicis sæcularibus, aliqua Curatis, & Plebanis, aliqua vero Religiosis utriusque sexus; Quapropter volumus, & præcipimus: ut Plebani, & Curati statuta præsentis opusculi habeant, & frequenter perlegant, & præsertim, quæ eis specialiter injunguntur, memoriæ commendent, ne pœnas ipsorum incurrant. Insuper Monachi, & ipsorum Prælati, & quicumque Regulares statuta ipsos concernentia, & per quæ status suæ professionis in decore conservatur, volumus singulis septimanis feria VI. ipsis congregatis in unum, lectione diligenti recitari, & istum modum per Præpositos sanctimonialium volumus diligenter observari.

(*a*) idem ibid.

REGULÆ JURIS.

" Omne statutum præsentis opuscu-
" li, aut continet mandatum, aut con-
" silium.

" Statutum, continens mandatum
" aut præceptum, obligat omnes subdi-
" nostræ Provinciæ, quibus dirigitur
" sub pœna peccati.

" Statutum, continens consilium,
" licet transgressor pœnam non mere-
" tur, tamen personis prodest ipsum
" adimplendo.

" Sicut diversi sunt status hominum
" nostræ provinciæ, ita oportunum fuit
" diversa statuta edere, quibus mali
" retrahantur a noxiis, & boni dirigan-
" tur vel instruantur ad opera virtutis.

" Omne statutum præsentis nostri
" opusculi, continens præceptum, sive
" affirmativum, sive negativum, ligat
" & constringit subditos *nostræ Provinciæ*,
" quibus dirigitur secundum suam li-
" mitationem, & adjectas conditiones.

Sanctorum Patrum Regulis, & statutis quilibet Christianus regatur in vita verbis, & factis, ut sciat, & faciat, quod acceptum est Omnipotenti DEO, qui vivit, & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SYNODI COLONIENSES

AB ANNO MCCCXXXIII. AD ANNUM MCCCXLVIII. SUB WALRAMO, (*a*) ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI, EX PRÆPOSITO LEODIENSI, ET THESAURARIO COLONIENSI A PAPA NOMINATO, CELEBRATÆ.

SYNODUS COLONIÆ Anno MCCCXXXIII. Autumnal. Joannis XXII. Papæ XVIII. Ludovici IV. Reg. XX.

MCCCXXXIII. *Synodus Autumnalis Coloniæ, sub Walramo, in crastino S. Remigii.* Schatenus T. II. Annal. Paderb. ad h. a. pag. 275.

Statutum I. *Nullus Clericus titulo Patrimonii approbandus: competens Patrimonium, quod 24. solidos grossorum Turonensium annue reddit.*

Statutum II. *Indebitæ ætatis Candidati rejiciendi.*

Statu-

(*a*) Synodi hæ Colonienses sub Walramo & Wilhelmo Archi-Episcopis per oblivionem locis suis omissæ, hic sub unum conspectum simul ponuntur, licet annis suis singulæ, uti & in Coloniensi impressione A. 1554. sub uno conspectu simul collocatæ sunt.

Statutum III. *Tabernarii officium Clericis sæcularibus, & Religiosis interdictum.*
Statutum IV. *Declaratio Statuti Henrici II. anni* 1321. *in Clericos non portantes habitum Clericalem & hastiludia exercentes.*
Statutum V. *Innovatio Statuti Conradi Archiep. Colon. A.* 1260. *de modo & forma Officii Divini exercendi.*

Coloniensis Ecclesiæ anni MCCCXXXV. Synodus Verna & Autumnalis.

MCCCXXXV. *Synodus Verna Coloniæ, Dominica: Invocavit.*

Canon I. *Officialis Coloniæ non habet potestatem absolvendi Clericos excommunicatos ob hastiludia, vel vestium licentiam.*
II. *Ne plures Missæ una die fiant.*
III. *Contra Pastores non promotos, non residentes.*
IV. *Ne Patroni præsentent ineptos aut sub pactis illicitis.*
V. *Contra Beggardos & Suestriones.* Crastino Dominicæ Invocavit.

MCCCXXXV. *Bonnæ post festum Petri ad Vincula.*

Statutum I. *De non promotis & non residentibus.*
II. *Statuti Engelbertini Declaratio contra injicientes manum in Clericos.* In Vigilia B. Remigii.
III. *Innovatio Statuti Henriciani contra Beggardos & Suestriones.* Ipso die B. Remigii A. 1335.

Coloniensis Ecclesiæ anni MCCCXXXVI. Synodus Verna & Autumnalis.

MCCCXXXVI. *Brulæ in Crastino B. Valentini M. Synodus Verna.*
Schaten. Annal. Paderborn. Tom. II. ad h. a. pag. 281.

Statutum I. *De non residentibus & non promotis ad sacros Ordines.*

MCCCXXXVI. *Synodus Autumnalis. Leggenich: in præsentia Synodi die B. Matthiæ Apostoli.*

Statutum I. *Indulta pro Monialibus, vela non gestantibus in publico, revocantur.*
II. *Comminantibus incendia, & tædam posti affigentibus, pœna dictata.*

Coloniæ, dum Synodus ibi esset congregata in crastino B. Remigii, quæ erat 2da Octobris.

Coloniensis Ecclesiæ anni MCCCXXXVII. Verna & Autumnalis Synodus.

MCCCXXXVII. *in vigilia B. Matthiæ Apostoli Statutum promulgandum coram Concilio in crastino B. Remigii quolibet anno celebrando.*

Statutum I. *De Synodi observatione.*
II. *De habitu & tonsura Clericorum.* Gudesberg in vigil. B. Michael.
III. *De cinctura & vestibus Clericorum.* Ibidem.

Coloniensis Ecclesiæ A. MCCCXXXVIII. Synodus Autumn.

MCCCXXXVIII. *Brulæ Sabbato post festum B. Matthiæ.*

Statutum I. *Non habentes Beneficia ad Ordines non promovendi, & non habentes ætatem.*

Statu-

Statutum II. *Contra Quæstores eleemosynarum*, publicatur *Bulla CLEMENTIS V. ex Concilio Viennensi*: Abusionibus.

Brulæ in vigilia B. Michaelis.

Statutum III. *Tabelliones nonnisi ab Officiali examinatos admittendos.*

De Capituli assensu & consensu in crastino B. Michaelis.

Statutum IV. *De annis gratiæ ultra triennium non extendendis.*

Constitutio extravagans Joannis XXII. *suscepti Regiminis* publicatur.

Synodus Coloniensis Ecclesiæ A. MCCCXXXIX.

MCCCXXXIX. Statutum I. *De exspectatione trienni, ultra quod anni gratiæ non extenduntur.*

Statutum II. *De Confraternitate S. Petri, & ejus interpretatione.*

Colon. Ecclesiæ Synodus autumnalis A. MCCCXLIV.

MCCCXLIV. *Feria VI. post Festum S. Andreæ.*

Statutum I. *Moderatio Statuti de triennio annorum gratiæ ad quadriennium extenso.*

Statutum II. *Conjungenda tempora & exspectantias in utilitatem Ecclesiæ convertendas.*

Statutum III. *Permutantem posse redimere duos annos pro tribus libris grossorum monetæ Domini Coloniensis.*

Colon. Ecclesiæ A. MCCCXLVI. Synodus autumnalis.

MCCCXLVI. *Feria VI. post Remigii.*

Statutum I. *De Clericis & Religiosis vina vel cerevisiam vendentibus contra vel præter modum permissum.*

Colon. Ecclesiæ A. MCCCXLVIII. Synodus autumnalis.

MCCCXLVIII. *Die S. Michaelis.*

Statutum I. *Contra committentes fraudem in observatione interdicti generalis.*

Statutum II. *Eodem anno, & die monentur Conventuales, ut exhibeant privilegium, de admittendis suis Procuratoribus ad Divina, stante interdicto.*

COLONIÆ SYNODUS AUTUMNALIS

ANNO MCCCXXXIII.

WALRAMUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

QUia plerique ad sacrorum Ordinum fastigia, non ut convenit, adspirantes, dum eis Beneficii competentis titulum prætendendi (eo quod Beneficium non habeant) facultas non suppetit, sub fraudis cujusdam commento falso allegant, sufficiens Patrimonium se habere: & cum ab eis super hoc probatio exigitur, personas forte vel literas ignotas, aut suspectas, quod sufficiens obtineant Patrimonium, producere non verentur, & ad ipsos sacros Ordines, immo in Presbyteros sic promoti, cum revera nihil, vel parum in bonis habeant, in Cleri, & Sacerdotalis dignitatis opprobrium, mendicare, & ob mendicitatis angustiam, lucra sectari illicita ac turpia compelluntur;

I. *Quod nulli Clerici ad Sacros Ordines sub titulo Patrimonii per Examinatores admittantur, nisi sub distinctione inferius annotata.*

Statuimus igitur, ne de cætero quisquam sub titulo Patrimonii ad aliquem sacrorum Ordinum per Examinatores ad hoc deputatos, aut deputandos aliqualiter admittatur; nisi nostras super hoc literas habeat, & ostendat: quas si ostenderit, super eo tamen, quod sufficiens Patrimonium obtineat, nisi ad minus literas alicujus Prælati, aut Christianitatis Decani, seu Curati, aut Canonici, vel duorum Presbyterorum idoneorum literas habeat, sigillis notis signatas: & nihilominus per duos testes idoneos juratos, & per proprium juramentum coram nostris Examinatoribus hoc doceat, & ostendat. Volumus etiam, quod sic (*a*) ad titulum Patrimonii, his habitis & receptis probationibus promovendus suo se obliget præstito juramento, quod sic obtinere se probavit, nequaquam alienet in toto, vel in parte, quousque sit Ecclesiasticum Beneficium competens pacifice assecutus. Mandamus etiam Examinatori seu Examinatoribus ad hoc deputatis, deputandis, præsentibus, & futuris, sub pœna suspensionis ab officio, quam (monitione sex dierum exnunc præmissa) in quenlibet eorum ferimus, ne omissis prædictis probationibus & juramentis, aut aliqua eorum parte, aliquem sub titulo Patrimonii ad aliquem sacrum Ordinem audeant admittere, seu præsumant. Competens autem Patrimonium vocamus, & æstimamus, de quo viginti & quatuor solidi grossorum Turonensium regalium expendi commode ad minus poterunt annuatim.

II. *Ne per Examinatores ad Ordines admittantur, qui debitæ ætatis non sunt.*

Licet præsentati sub titulo Ecclesiarum, seu Monasteriorum citra literaturæ, & ætatis examinationem, ad sacros Ordines in nostra Diœcesi recipi consueverunt, & admitti: quia tamen (sicut experti sumus) nonnulli sub titulo Ecclesiarum, & Monasteriorum sæcularium, & Religiosorum, ad sacrorum Ordinum susceptionem aliquoties præsentantur, qui ex ipso solo affectu pro eo suscipiendo ordine, ad quem suscipiendum præsentati sunt, ætatis pati defectum apparent evidenter: statuimus, ut Examinatores pro tempore existentes, coram quibus se ordinandi præsentare debent, quantumcunque sub titulo Ecclesiarum aut Monasteriorum sæcularium aut Religiosorum fuerint præsentati, sic præsentatos diligenter inspiciant: & si quis ex eis, quoad suscipiendum ordinem, ad quem præsentatur, pati defectum ætatis (cujus ipsum esse debere statuta declarant Canonica) ex ipso solo apparuerit, seu videatur evidenter adspectu, ad susceptionem talis Ordinis nullatenus admittatur, donec ad debitam perveniat ætatem: vel nisi docuerit Canonice, quod quanquam minoris appareat, sufficientis tamen, quoad hunc Ordinem suscipiendum, ad quem præsentatus fuerit, sit ætatis. Vicario etiam nostro in Pontificalibus pro tempore existente, ne sub titulo Ecclesiarum, Monasteriorum, vel sæcularium seu Religiosorum quenquam, de quo aliquo modo, quoad ætatis sufficientiam, pro eo adipiscendo ordine, quem desiderat, poterit verisimiliter hæsitari, sine Examinatoris examine, & admissione ad hunc Ordinem admittere præsumat, nostram interdicimus potestatem.

III. *Declaratio Statuti D. HENRICI Archi-Episcopi, ne Clerici sæculares, vel Religiosi, Officium Tabernariorum exerceant.*

Cum bonæ Memoriæ HENRICUS Prædecessor noster statuendo prohibuerit, ne Clerici sæculares, & Religiosi, Officium Tabernariorum exerceant: nolens tamen per hoc Statutum, quenquam a venditione vinorum, si qua ei a Beneficiis, seu aliunde præter negotiationis causam derivata fuerint, dummodo hoc sine dolo, nec in fraudem sui prædicti Statuti fecerit, modis hactenus consuetis, & decentibus, prohibere: a nonnullis in dubium revocatur, qui modi sint consueti, & decentes, & circa venditiones vinorum hujusmodi, Clericis observandi? Statuto igitur præsenti duximus declarandum, modos venditionis consuetos, & decentes fore, quod scilicet hæ vinorum venditiones sine caupo-

num

(*a*) *forte:* sub titulo.

num vociferatione, & clamore, & quantum in venditoribus est, sine fraude, absque remansione, & demoratione hominum bibentium ea vina intra, vel ante domum, ac intra immunitatem, in quibus vina venduntur, fiant: & potare hæc vina volentibus, ne eis ibidem remanendi, & demorandi occasio præbeatur, pocula sive amphoræ, sicut in tabernis publicis laicalibus fieri consuevit, non commodentur, nec aliqualiter ministrentur: suntque secundum tenorem præfati Statuti, de cætero a Clericis vinorum venditiones exercendæ. Eos autem Clericos, qui secus fecerint, in pœnas virtute præfati (*b*) Statuti in ipsos promulgatas, incidere decernimus.

IV. *Declaratio statuti ejusdem D. HENRICI Archi-Episcopi, & adjectio pœnarum, contra Clericos non portantes Coronas, & Vestes statui Clericali congruentes, & hastiludia exercentes.*

Felicis recordationis HENRICUS Prædecessor noster, de suorum Capituli, & Prælatorum consilio in Clericos quoslibet Beneficiatos, non portantes assidue Coronas in capite, quæ secundum sui Ordinis, & status decentiam detectæ appareant, interdicti ab ingressu Ecclesiæ sententiam, quam extunc (monitione quindecim dierum præmissa) ipsos incurrere voluit, promulgavit: similiter in Clericos vestes scaccatas, omnino virides, aut omnino glaucas, aut omnino rubeas, aut a lateribus vel ante pectus notabiliter (*c*) fissas, aut nodatas, publice desuper sine causa rationabili portantes, unius mensis monitione præmissa, ne hujusmodi vestibus uterentur de cætero, decrevit, statuendo pœnas constitutionis *Clementinæ*, quæ incipit: *Quoniam qui abjectis* &c. extendendas volens, & statuens, ut Clerici talibus vestibus post hunc mensem utentes publice, pœnas hujusmodi (quæ, quoad Beneficiatos, est suspensionis sententia per sex menses a perceptione fructuum Beneficiorum, quæ obtinent) incidant ipso facto. Nonnulli tamen Clerici Beneficiati, effectum harum pœnarum, & Clericalis militiæ (immo etiam aliqui ex eis, qui sacrorum Ordinum sunt charactere insigniti) minime attendentes, quo ad usum, & utilitatem privatam stipendiorum Beneficialium, Clericalis militiæ stipendiarii esse volunt, ad obsequia vero, quæ horum stipendiorum receptio exigit, se nequaquam obnoxios reputantes, adscribunt dedecori, vile æstimant, aut autumant inhonestum, in hujusmodi characteris Clericalis militiæ, & sacrorum Ordinum, quos sibi assumpserunt, signis, & insigniis, in tonsura scilicet, & habitu eos decentibus, conversari, & incedere, & in publico comparere. Hanc itaque tonsuram abhorrescentes, & habitum, in capillorum longitudine, in capitibus, & in barbis, absque coronis, minime tonsurati, & in vestibus prohibitis, & omnino indecentibus, &, quod deterius est, in Choro, & Capitulo, immo serviendo in ordine, barbati, & sine corona Clericali, decente statum, & ordinem, incedentes, laicis adeo se conformant, ut inter ipsos, & laicos, etiam excessive delicatos, & mundanos delectus modicus, immo nullus quoad tonsuram, & habitum valeat perpendi. Quidam etiam eis, hastiludiis (ex quibus homicidia, & membrorum mutilationes probabiliter sequi possunt) cum militibus, & armigeris laicis, in locis etiam, ubi Beneficia obtinent Ecclesiastica, temere se immiscent, ipsa hastiludia corporaliter exercendo. Quibus Nos competentem cupientes adhibere medelam, in Clericos quoscunque cujuscunque dignitatis, conditionis, aut status existant, barbam ultra consuetum Clericis modum nutrientes, pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ: item in exercentes hastiludia in locis, in quibus Beneficia Ecclesiastica obtinent, & tunicas, quibus manicæ coloris alterius, quam sint ipsæ tunicæ, sunt assutæ, portantes, pœnam suspensionis per sex menses a perceptione Beneficiorum, quæ obtinent, secundum prædictorum continentiam statutorum duximus extendendas: statuentes, ut qui deinceps in has interdicti, vel suspensionis pœnas ex dictis causis inciderint, & durantibus his interdicto, & suspensione, & antequam absolutionis literas ab hujusmodi sententiis a Nobis, seu nostro Officiali, meruerint obtinere, & eas Capitulo suo ostenderint, maxime hi, qui in Choro, & Capi-

(*b*) mandati. (*c*) *forte:* scissas.

Capitulo, aut in ferviendo in officio fine coronis decentibus ftatum, & ordinem, & cum barbis ultra quindenam non abrafis, feu in veftibus prohibitis comparuerint, ne quicquam de fuis Beneficiis, etiam fibi ab alio quocunque oblatum, recipere, nec ex diftributoribus, pro Præbendarum, fructuum, proventuum & obventionum diftributionibus faciendis a Capitulo deputatis, eis quicquam de eorum præbendis, five in groffo, five in quotidianis diftributionibus, miniftrare præfumat: alioqui tam recipiens, quam miniftrans fcienter, eo ipfo fe noverint excommunicationis fententia, quam ex nunc ferimus, innodatos. Et fi durantibus hujusmodi interdicti feu fufpenfionis fententiis, & antequam fic interdicti, & fufpenfi, ut dictum eft, fe doceant abfolutos, ipfi quicquam de fuis præbendis receperint, & Capitulum Ecclefiæ, in qua interdicti, & fufpenfi hujusmodi negligentias commiferunt, ratum habuerit, hanc receptionem expreffe, feu tacite, diffimulare (ne hoc noftrum ftatutum effectum habeat) cupiens, a tractatibus Capitularibus eo ipfo volumus effe fufpenfum tamdiu, donec ipfos interdictos, & fufpenfos induxerit integre, & fine diminutione aliqua reftituere fic percepta: tollentes præfentis authoritate ftatuti, ipfis interdictis taliter, & fufpenfis quicquam de præfatis fructibus, redditibus, proventibus, & obventionibus ab ipfo Capitulo, feu a quocunque alio, remittendi, dandi, feu reftituendi poteftatem.

V. *Innovatio Statuti D. CONRADI Archi-Epifcopi, de modo, & forma tenendis, & exercendis circa Officium Divinum, cum adjectione pœnarum contra non obfervantes.*

Quanquam olim bonæ Memoriæ Prædeceffor nofter CONRADUS, de Confilio Capituli, & Priorum fuorum, ftatuendo præceperit, ut Divinum Officium, in Choro cujuscunque Ecclefiæ Collegiatæ nunquam abfque Ordine Miniftrorum Sacerdoti miniftrare debentium, fcilicet Diaconi, & Subdiaconi, decantaretur: in Ecclefia tamen noftra, & nonnullis aliis Ecclefiis Collegiatis (quod cum cordis amaritudine referimus) ad hoc his temporibus eft deventum, quod frequenter propter miniftrantium, feu alterius eorum defectum (eo quod illi Canonici, quibus ex more pro miniftrando in officio ad Altare in fuo Ordine hebdomada defignatur, hoc miniftrandi officium facere negligunt, neque curant) Miffarum folennia omittuntur: ex quo DEUS offenditur, ordo Ecclefiafticus confunditur, excrefcit indevotio populi, fcandala oriuntur: & ipfa noftra Ecclefia (quæ cæteris fubjectis Ecclefiis, in Divinorum Officiorum peractione folenni, deberet effe fpeculum, & exemplar) occafio negligentiæ ipforum reputari poterit Divinorum. Cui Nos volentes omnino, ut tenemur, remedio occurrere opportuno, ftatuendo renovamus, ut ficut in prædictis continetur ftatutis, in noftra, & qualibet noftræ civitatis, & Diœcefis Ecclefia Collegiata, quoties opus fuerit, poft ingreffum ad Capitulum, ante omnem tractatum difciplinæ, vel etiam alterius cujuscunque actus feu negocii, Decano præfente, vel abfente, tabulæ Capitulares, lecturam habentes in fcripto diftincte, quid unicuique fit cantandum aut legendum in choro, legantur, & audiantur diligenter: vel Cantor, vel Succentor, feu alius, ad quem hoc pertinet de confuetudine Ecclefiæ, vel cui hoc duxerint committendum, poterunt cuilibet, quid fibi legendum aut cantandum in choro incumbat, referre. Et fecundum hoc præcipimus cuilibet, quatenus id, quod fibi faciendum, cantandum, feu legendum incumbit, per fe, vel per alium compleat reverenter. Huic etiam ftatuto addimus, quod fi aliquis Sacerdos, Diaconus, aut Subdiaconus, cui in fummo Altari celebrandi, aut ferviendi Ordine, per lecturam prædictam, aut Cantoris aut Succentoris relationem, feu ejus, ad quem hoc de confuetudine pertinet, feu ex eorum parte, hebdomada fuerit deputata: feu is, qui fecundum aliquarum Ecclefiarum confuetudinem, ex gradus ordine, aut alio quovis modo, præter aliquam lecturam, aut intimationem faciendam, fe Miffam celebraturum fcit, vel fcire debet; nifi per caufam legitimam, vel rationabilem evidenter (ita quod per fe, vel per alium explere non valeat) impediretur, per fe celebret, & ferviri per alium modo debito, & confueto faciat, & procuret. Alioqui fi ceffan-

cessante hujusmodi legitima, & rationabili causa evidenter, hoc neglexerit, pro cujuslibet officii unius Missæ negligentia, a perceptione distributionum, & omnium observationum (præter fructus grossos, qui corpus præbendæ appellantur) tamdiu ipso facto sit, & maneat suspensus, quousque grossos quatuor Turonenses regales, nomine pœnæ, collector suspensionum de hujusmodi ejus fructibus toties quoties in una Missa suum non fecerit officium, scilicet pro singulæ Missæ defectu singulos quatuor grossos, recipiat: vel ipse negligens aliunde satisfaciat, in eos usus, in quos suspensorum distributiones quotidianæ servari, & expendi consueverunt, servandos, & exponendos: & de hujusmodi pœna in parte, vel in toto quicquam ipsi negligenti remittendi, Capitulo vel alicui adimimus potestatem. Quod si hac suspensione durante talis sic negligens, receptioni harum distributionum, aut obventionum, aut partis ejus alicujus, etiamsi Administrator, vel quicunque alius eos seu hujusmodi partem sibi offerat, immiscuerit, recipiendo distributiones, & obventiones hujusmodi seu earum partem, ipso facto excommunicationis sententiæ, quam exnunc ferimus, ipsum negligentem, & sibi distributiones, & obventiones hujusmodi scienter offerentem seu dantem, volumus subjacere, pœna præmissa nihilominus in suo robore duratura. Volumus etiam hanc scripturam, & lecturam in Capitulis Ecclesiarum, in quibus de consuetudine ex gradus Ordine, aut alio modo celebraturi seu ministraturi, quando celebrare aut ministrare debeant, nesciunt, nec scire tenentur, nec alias eis intimatio fieri solet, Cantor, vel Succentor, seu alius, ad quem hoc de consuetudine pertinet, fieri procurent, aut relationem faciant, ut est dictum. Alioqui ipse Cantor, seu is, ad quem hoc de consuetudine pertinet, toties quoties hoc negligenter omiserit, & ex hoc defectus Missæ decantandæ evenerit, dictis pœnis, prout superius enarrantur, subjaceat ipso facto. In quorum testimonium, sigillum nostrum una cum sigillo Capituli nostri duximus præsentibus apponendum.

Datum *Coloniæ* in crastino B. Remigii Confessoris, Anno Domini MCCCXXXIII.

Statuta Ecclesiæ Coloniensis impr. A. 1554.

CONCILIUM COLONIENSE
VERNUM ET AUTUMNALE,
Anno Christi MCCCXXXV. Benedicti XII. Papæ II. Ludovici IV. Regis XXII.

Cap. I. *Quod Officialis Coloniensis non habet potestatem absolvendi Clericos, excommunicationis sententiam incurrentes, propter hastiludia aut indecentiam Vestium seu Tonsuræ, nisi recepta prius ab eis cautione Juratoria de parendo mandatis Ecclesiæ.*

WALRAMUS, Dei Gratia, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius &c.

Alias Statuta quædam *Synodalia*, edita per bonæ memoriæ HENRICUM Prædecessorem nostrum, super Tonsuris, & Vestibus Clericalibus, in aliqua sui parte *in nostris Statutis Synodalibus* declaramus, & extendimus ad eos, qui barbas statum Clericalem non decentes nutriunt: nec non ad eos, qui hastiludia in locis, in quibus Beneficiati existunt, exercent: additis, subtractis, & mutatis quibusdam, sicut hæc in ipsis nostris Statutus plenius continentur. Quia vero nonnulli in pœnas horum Statutorum ex suis incidentes delictis, quasi parvi, immo nihil reputant, a nostro Officiali, a suspensionis, interdicti, excommunicationis sententiis, in eisdem statutis prolatis, quas incidunt, absolutiones petere, & impetrare, sic etiam, quia quasi ex hujusmodi facili impetratione, recidivare continue in pœnas sententiarum hujusmodi non formidant, & præfatas sententias vili-

vilipendunt: ipsi Officiali nostro, ne de cætero eos, qui in tales sententias suspensionis, interdicti, & excommunicationis prolapsi fuerint, ab hujusmodi absolvere præsumat, omissa solennitate juris, qua cavetur, quod tales, absolvendi non sunt sine cautione Juratoria præstanda *de parendo mandatis Ecclesiæ*, & postquam talem præstiterint cautionem, eis in virtute hujusmodi juramenti injungat, quod de cætero ab his, propter quæ has inciderunt sententias, abstinebunt: & aliter, quam præmissis observatis per omnia, prædictos sic ligatos absolvendi a sententiis hujusmodi, prædicto Officiali nostro totalem adimimus potestatem.

Datum *Anno Domini* 1335. die Dominica, qua cantatur *Invocavit.*

Cap. II. *Ne quis plures Missas una die celebret.*

WALRAMUS, Dei Gratia, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius &c.

Quanquam sacrorum Testatoribus *Regulis Canonum*, cuilibet Sacerdoti sufficere, quod unam de die Missam duntaxat celebret, præterquam in casibus exceptis, regulare existat, immo, & valde felicem esse Presbyterum, qui unam digne de die celebret: Nonnulli tamen Sacerdotes, non in casibus permissis sibi, immo (quod horrendum est) avaritiæ ducti cupidine, vel nolentes sibi habere socios in Ecclesiis, in quibus præfecti sunt, ut amplius de redditibus earum sibi absorbeant, de quibus tamen sibi, & socio possent pro suis necessitatibus satisfacere competenter; vel qui tanquam mercenarii aliis serviunt, ut amplius lucrentur: ex pacto etiam & condicto onus celebrandi quasi quotidie, seu alternis diebus, Missas duas in se recipiunt, *contra eorundem sacrorum Canonum instituta*, quod de cætero omnino prohibemus: inhibentes ex nunc universis Presbyteris nostræ Civitatis, & Diœcesis, ne quis de cætero plus quam unam Missam una die, nisi per aliquem de casibus a jure exceptis, manifeste, & plane se excusare valeat, celebrare præsumat. Contrarium facientes, quos Nos monitione (qua Nos ex nunc omnes, & singulos monemus) novem dierum præmissa, excommunicamus in his scriptis, excommunicatos per Decanos Concilii, & locorum Plebanos, seu eorum vices gerentes, volumus publice nunciari. Si qui etiam de cætero talia facere præsumpserint, ex nunc Decanis Christianitatum in virtute sanctæ obedientiæ districte mandamus, ut tales ad Nos, seu Officialem nostrum deferant, pœnam sibi super hoc debitam recepturos.

Datum crastino Dominicæ *Invocavit*, Anno Domini 1335.

Cap. III. *Contra Pastores non promotos, & non residentes.*

WALRAMUS, DEI gratia &c. Dilectis in Christo Decanis Christianitatum, nec non Plebanis Ecclesiarum nostræ Civitatis & Diœcesis, aut eorum vices gerentibus, Salutem in Domino sempiternam.

Quoniam inter cætera, quæ nostræ considerationis oculus in nostra civitate & Diœcesi, postquam ad regimen Coloniensis Ecclesiæ, licet immeriti, Divina disponente clementia, assumpti fuimus, correctione digna prospexit, unum notabiliter periculosum & detestabilem comperimus abusum & pessimam corruptelam, scilicet, quod in nostra Diœcesi non pauci, immo in multitudine copiosa, Ecclesiarum Rectores seu Pastores, postquam pacificas suarum Ecclesiarum possessiones adepti sunt, ad annum, & amplius, immo per multos annos, ad ordinem Sacerdotii non promoti existunt: aliqui vero in suis hujusmodi Ecclesiis non resident, citra dispensationes & licentias eorum, qui super his potestatem habent canonice dispensandi: fructusque ex ipsis suis Ecclesiis, nec non redditus & proventus non eo minus tollere verentur. Cui morbo, etsi competentem apponere intendamus medelam; quia tamen idem morbus ex dissimulatione nostrorum Prædecessorum adeo communis irrepsit, quod tales sic non promoti & non residentes, corruptelam hanc nominant consuetudinem, sua hac in parte peccata notoria, hac allegatione pudenda defendere satagentes: nos in præmissis, omissa pro nunc contra eos executione justitiæ rigorosæ omnes tales & singulos, cujuscunque status seu conditionis existant, in hujus-

hujusmodi *Sanctæ Synodi Congregatione* rogamus, hortamur in Domino & monemus, ut se intra tres menses a data præsentium sic disponant, non promoti scilicet, ut promoveantur, & non residentes, de cætero residentiam faciant personalem. Alioqui sciant nos contra eos, prout nobis melius faciendum, & utilius visum fuerit, sine dubio processuros.

Cap. IV. *Ne Patroni vel ineptos præsentent ad Ecclesias, vel alioqui intercedentibus pactis illicitis.*

Item quia nonnulli (quod utique non minus præmissis dolendum est) Ecclesiarum curatarum Patroni existunt, ipsis quospiam præsentare incumbit, & carnali, seu alio inordinato affecti desiderio circa aliquos, fortasse suos filios aut cognatos, aut alia affinitate seu amicitia conjunctos, qui vigesimum quintum ætatis suæ annum minime attigerunt: & sic defectu ætatis obstante, ad Beneficia curata minus habiles existunt, tales sic inhabiles, ad tales præsentare Ecclesias gerunt in voto, verisimiliterque dubitant, tales, si præsententur, per eos, ad quos horum pertinet admissio, admitti nequaquam debere; cum quibusdam, forte Presbyteris, seu aliis, quibus ætatis, licet non justitiæ seu conscientiæ maturitas suffragatur, paciscuntur, & inter se condicunt quod scilicet tales Presbyteri se præsentari ad tales permittunt Ecclesias, & postquam admissi fuerint ad easdem, eas ad ipsorum Patronorum voluntatem debeant dimittere, & certam partem modicam fructuum, reddituum, & obventionum earundem Ecclesiarum sibi reservare, ipsis Patronis toto residuo remansuro. Aliqui etiam simpliciter cum Patronis conveniunt, ut ad Ecclesias aliquas præsententur, de certa portione ad tempus, seu quamdiu ipsas Ecclesias tenuerint, anno quolibet persolvenda. Et sic tales Presbyteri suæ salutis immemores, pessima specie simoniacæ pravitatis infecti, ad tales Ecclesias non intrantes per ostium, eas possident: immo verius occupant minus juste, & curæ talium Ecclesiarum non capaces, populos harum Ecclesiarum decipiunt, circa prædictos fructus, redditus, proventus & obventiones committendo spolium & rapinam. Cui quantum possumus, occurrere cupientes, omnes & singulos tales, hujusmodi peccati turpitudinis labe respersos, in præsentia congregatorum *in hac Sancta Synodo* monemus nostra auctoritate, ut tales, Ecclesias, quas sic præsentati obtinent, immo occupant, statim coram Nobis, seu Officiali nostro, & præsente persona publica, verbo & facto publice dimittant, ad eas (nisi super præmissis egerint pœnitentiam, & dispensationem ad hoc habuerint) nequaquam de cætero reversuri. Et coram Nobis, aut prædicto nostro Officiali compareant, Nostrum, seu ipsius Officialis super hoc audituri mandatum. Monemus etiam omnes & singulos hujus rei conscios, ut Nobis, seu prædicto Officiali nostro tales personas, sic Ecclesias obtinentes, nominent, & revelent. Alioqui tam prædictos, sic Ecclesias obtinentes, quam conscios & non revelantes, (quos, monitione decem dierum præmissa, in his scriptis excommunicamus) excommunicatos nominatim, quorum nomina sciveritis, reliquos in genere, publice in vestris Ecclesiis nuntietis, & per Plebanos, seu eorum vices gerentes, intra vestros constitutos Decanatus, nostra authoritate, quam vobis in hac parte committimus, nunciari præcipiatis. Intimamus etiam eisdem, quod si prædicti tales, sic Ecclesias obtinentes, se Nobis, seu Officiali nostro non præsentaverint seu nominaverint, nostram indignationem incurrent: & si eam exspectare maluerint, nullam a Nobis gratiam invenient, (quam tamen, si se ipsos ostenderint, firmiter exspectare poterunt) verum consequentur id, quod justitia dictaverit rigorosa. Et ne aliqui ex eis, crassam præsentium prætendere valeant ignorantiam, quamvis necesse non esset, id, quod in hac *Sacra Synodo* ita publice promulgatur, singulorum auribus inculcare; vobis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis districte præcipiendo mandamus, quatenus has nostras literas, & in eis contenta, in vestris Ecclesiis, & per Plebanos, seu eorum Vicarios, intra vestros Decanatus constitutos, publiceris, & nostra authoritate publicari omnimode faciatis. Datum crastino Dominicæ *Invocavit*, Anno Domini 1335.

Cap. V. *Contra Beggardos & Sueſtriones.*

WALRAMUS, Dei gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius &c. Dilectis Abbatibus, Præpoſitis, Decanis Eccleſiarum Collegiatarum, nec non Collegiis & Conventibus, ac Decanis Chriſtianitatum, Plebanis, & eorum vices gerentibus, nec non omnibus & ſingulis Clericis ſæcularibus & religioſis, ac univerſis Chriſti fidelibus noſtrarum Civitatis & Diœceſis, Salutem in Domino ſempiternam.

Olim bonæ memoriæ HENRICUS Prædeceſſor noſter, homines, qui Beggardi & Sueſtriones appellantur, propter vitam & converſationem eorum ſuſpectam, eorum ſectam cupiens extirpare, ne communione eorum periculoſa, cæterorum Chriſti fidelium gregem tanquam oves morbidæ coinquinarent, proceſſus quosdam fecit, in quibus eos, monitione Canonica præmiſſa, ſuam præcepit exire Diœceſin: & ſi qui manere debeant, ſub certis modis, & conditionibus fuerant remanſuri; ipſosque poſtmodum ſi remanerent, ſeu ad ſuam reverterent Diœceſin, & civitatem, vel venirent, ſeu mandatis ſuis ſalubribus non parerent, monitione legitima præmiſſa excommunicavit, & excommunicatos mandavit publice denunciari, & alios diverſos, & eis merito formidandos proceſſus, contra ipſos duxerat emittendos: Nosque ejus veſtigiis inhærentes, ſecundum eorundem proceſſuum continentiam; contra eos, & eorum perſonas noſtros proceſſus duximus faciendos ac etiam publicandos, ſicut hæc ad veſtram, ſeu veſtrum majoris partis notitiam deveniſſe, minime dubitamus, prout hæc & alia in literis tam Prædeceſſoris noſtri, quam noſtris ſuper hoc confectis, plenius continentur. Verum quia, prout ad noſtram relatum eſt audientiam, hujusmodi hominum pernicioſa de novo incipit adeo in noſtra civitate & Diœceſi invaleſcere multitudo, ut niſi de novo eis per competentia contraria reſiſtatur, pejora prioribus pericula ſubintrabunt: Vobis Plebanis & vices veſtras gerentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus contra omnes hujusmodi ſectarum homines, Beggardos & Sueſtriones, ſecundum præfati Prædeceſſoris noſtri, & noſtorum proceſſuum continentiam procedatis, ipſos proceſſus contra eos, & ipſos in domos ſuas recipientes, communicantes eisdem, ſeu eis quidquam dantes, nec non eorum fautores, & eis opem ſeu operam conferentes, procedatis. Vosque omnes, & ſinguli ſupradicti ipſos arctius evitetis: & intimamus vobis, quod ſi in præmiſſa executione aliqui ex vobis inventi fuerint deſides, vel remiſſi, contra tales per rigorem juſtitiæ ſine dubio procedemus.

Datum craſtino Dominicæ *Invocavit*, Anno 1335.

C. VI. *De non promotis, & non reſidentibus.*

WALRAMUS, Dei gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius &c. Dilectis in Chriſto univerſis, & ſingulis Decanis Chriſtianitatum noſtræ Diœceſis, ſalutem in Domino.

Cum nuper in *Concilio proxime* præterito in *majori Eccleſia noſtra Colonienſi celebrato*, omnes & ſingulos Eccleſiarum Parochialium (*a*) Paſtores non promotos ad Sacerdotium, aut non reſidentes, moneri, requiri & hortari in Domino charitative fecerimus, ut intra certa tempora promoveri ſe facerent, & in ſuis Eccleſiis reſiderent, niſi eos cauſæ rationabiles excuſarent: alioqui Nos proceſſuros contra eos fuerimus comminati: quo non obſtante, nonnulli in ſua pertinacia perſiſtentes, non promoti, ac non reſidentes, & ad ſuſceptionem ordinis Sacerdotii, & ad reſidentiam faciendam, ſicut prius, hactenus ſe non diſpoſuerunt, & adhuc minime ſe diſponunt. Quocirca vobis committimus & mandamus, quatenus quilibet veſtrum per ſe, ſeu per alium, aut alios vice, & authoritate noſtra, quas cuilibet veſtrum in hac materia committimus, fructus univerſos Eccleſiarum hujusmodi non promotorum, & non reſidentium, prout cuilibet veſtrum ſubſunt, ſequeſtretis, & in ſequeſtro ſub (*b*) firma cuſtodia teneatis

(*a*) Rectores (*b*) fida

tis & reſervetis, quousque aliud receperitis in mandatis. Volumus etiam, ut ſi qui ex eis cauſas rationabiles juris proponere (c) voluerint, quare tales non promoti, & non reſidentes, ad præmiſſa minime teneantur, coram Officiali noſtro Colonienſi probent, & proponant, & ejus ſuper hoc declarationem recipiant. Si qui vero ex eis, in hujusmodi rationabilibus cauſis deficiunt, vel eas non habuerint, in fructibus hujusmodi ſuarum Eccleſiarum, aut parte aliqua eorum, cum veriſimiliter hanc pœnam plus timere conſueverint, prout quantitas eorum contumaciæ exegerit, decernimus mulctandos. Quos quidem fructus Dilecto in Chriſto Sigillifero Colonienſi, dum, & prout requiſierit, volumus aſſignari, & ei rationem fieri de eisdem: Eccleſias etiam prædictorum non promotorum, & non reſidentium, quarum fructuum ſequeſtratio forſitan impediretur violenter, expreſſe vel occulte, per quamcunque perſonam cujuscumque Dignitatis, Status, aut conditionis exiſtat, monitione ſex dierum præmiſſa, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, in ipſasque perſonas in hoc culpabiles, excommunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis. Et tam diu Eccleſiæ maneant interdictæ, & perſonæ excommunicatæ denuncientur, quousque Eccleſiæ fuerint relaxatæ, & perſonæ mereantur a Nobis, ſeu ab Officiali noſtro abſolutionis Beneficium humiliter obtinere. Nomina vero non promotorum, & non reſidentium, & Eccleſiarum, quas obtinent, aut quid in præmiſſis feceritis, Sigillifero noſtro prædicto intra novem dies poſt receptionem noſtri mandati, reſcribere nullatenus omittatis. Nomina etiam illorum, qui in hoc præſenti noſtro mandato rebelles aut impedientes tacite ſeu expreſſe, per ſe, ſeu per alios, fuerint reperti, quam cito talem rebellionem aut impedimentum intellexeritis, prædicto noſtro Sigillifero reſcribere, & intimare non differatis. Datum Bonnæ *Feria quinta poſt feſtum B. Petri ad Vincula*, Anno Domini 1335.

(c) habuerint

C. VII. *Declaratio ſuper Statuto edito a D. ENGELBERTO contra eos, qui manus violentas injiciunt in Clericos.*

WALRAMUS, DEI gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius:

Cum olim bonæ memoriæ ENGELBERTUS noſter Prædeceſſor, in primo Capitulo *Statutorum tunc Synodalium*, quod intitulatur: *Contra eos, qui manus in Clericos, vel perſonas Eccleſiaſticas injiciunt temere violentas*: quosdam probandi modos, per quos, ſeu per quorum alterum ad minus, probari & conſtare deberet de injectione hujusmodi violenta, ad hoc, quod prædictum Statutum contra eos editum ſervaretur, expreſſerit ſub his verbis, ſcilicet: Cum de injectione hujusmodi conſtiterit per facti evidentiam, vel publicam famam, vel aliam fidem, coram loci Ordinario faciendam per juramentum injuriam paſſi, ſi fuerit perſona honeſta & fide digna, vel per teſtes: & in *Statutis ſubſequentibus*, quæ de injuriis perſonarum Eccleſiaſticarum, ac Monaſteriorum, & rerum Eccleſiaſticarum, ſeu ad eas, vel ad ea pertinentium, faciunt mentionem, modos probandi non expreſſerit & conſtandi; in hujusmodi tamen Statutis iidem probandi & conſtandi modi, per multa tempora, puta per quadraginta annos & amplius, nedum hujusmodi Statutis exiſtentibus Synodalibus, verum etiam poſtquam per bonæ memoriæ HENRICUM Prædeceſſorem noſtrum *in Provinciali Concilio* congregato, authoritate & conſenſu hujus Provincialis Concilii, ad ipſam noſtram Provinciam in omni forma, modo, ac clauſulis, & tenoribus, & pœnarum adjectionibus ſuis fuerunt extenſa & Provincialia facta, uſque ad hæc tempora ſint obſervata a noſtris ſubditis pacifice & quiete: quia tamen ad Nos noviter devenit, apud nonnullos in dubium revocatum eſſe, an hæc ſubditorum noſtrorum obſervantia, ex eo, quod prædicti modi probandi, in præfato primo Capitulo duntaxat expreſſi ſunt, ſint ſic de jure hactenus obſervata, & in antea obſervanda: Nos minime ambigentes,

gentes, ut Ecclesiasticis personis, Ecclesiis, & Monasteriis, ac earum rebus contra multiplices injurias, quæ frequenter ipsis & multipliciter irrogantur, celeri subveniretur remedio, nec ipsos Prædecessores nostros in hac parte in odium injuriatorum, ad probationes aliquas, in quibus prorsus ad celere non posset perveniri remedium oppressorum, remittere voluisse, & ob hoc eosdem probandi modos & constandi, cum eadem sit ratio primi & omnium subsequentium Statutorum, & si quodammodo non expresserint, fieri debere, eorundem Prædecessorum nostrorum fuisse absque dubio voluntatem. Authoritate igitur præsentis statuti, de consilio & consensu dilectorum in Christo Capituli & Prælatorum nostrorum decernimus, dicimus, & declaramus, juris observantiam prædictam rationabilem, ac intentioni prædictorum Condentium correspondentem, & ita debere a nostris subditis sine contradictione qualibet, absque dubitationis scrupulo, de cætero observari. Datum anno Domini 1335. in *vigilia B. Remigii Confessoris.*

C. VIII. *Innovatio Statuti D. HENRICI Archi-Episcopi, contra Beggardos & Sueſtriones.*

IN Nomine Domini, Amen. WALRAMUS, DEI gratia, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, Dilectis in Christo Præpositis, Archi-Diaconis, Abbatibus, Decanis, Prioribus, & Prælatis, Ecclesiarum Rectoribus nostrarum civitatis ac Diœcesis Coloniensis, ac aliis nostris subditis universis, Salutem in Domino sempiternam.

Cum alias bonæ memoriæ HENRICUS Prædecessor noster, multa diligentia & deliberatione præhabitis, quosdam homines, Beggardos & Sueſtriones vulgariter nuncupatos, cum suis receptatoribus, defensoribus, & fautoribus, propter sectam, quam sequuntur, & errores varios Fidei Catholicæ contrarios, exigente justitia excommunicasset, & excommunicatos per omnes Ecclesias civitatis & Diœcesis nostræ mandasset publice nunciari, diversis nihilominus pœnis contra eos in suis processibus promulgatis, quos & Nos in *pluribus nostris Synodalibus Conciliis* innovari fecimus publice & solemniter publicari, prout hæc & alia in ipsius nostri Prædecessoris processibus atque nostris plenius continentur: Nos demum fide dignorum assertionibus inclinati, asserentium complures ex his, dictorum Beggardorum & Sueſtrionum abjecto habitu & spretis erroribus, reconciliationis gratiam & absolutionis beneficium affectare, etiam erroris (a) sectam hujusmodi & habitum abjurare; certo nostro Commissario super his inquirendi, eosque, vel eas ab ipsis processibus, atque pœnis in ipsis contentis, absolvendi dedimus potestatem. Verum quia de novo, nonnullos hujusmodi habitus delatores, & sectæ professores, non abjuratis secta & habitu hujusmodi, immo ipso habitu non abjecto, a dictis processibus & pœnis in ipsis contentis, per dictum nostrum Commissarium (quod tamen nec speramus, nec credimus) se publice percepimus asserere absolutos: Nos, qui præcipue in votis gerimus, ut negotium Catholicæ Fidei nostris prosperetur temporibus, & errores hujusmodi a finibus fidelium exstirpentur, præsentibus declaramus, nostræ intentionis nec fuisse, nec esse, quod ipse noster Commissarius ipsos Beggardos aut Sueſtriones a dictis processibus & pœnis eximeret, vel absolveret, aut eos ipsis decerneret non teneri, nisi prius ipsi, ipsorum erroribus, secta etiam & habitu hujusmodi, abjuratis, sub communi vita & habitu Christi fidelium, viverent laudabiliter & devote. Decernimus etiam & declaramus, absolutiones ipsis Beggardis & Sueſtrionibus datas, & decreta super ipsis facta aliter a quovis nostro Commissario, quod tamen non credimus, non tenere. Quocirca vobis & cuilibet vestrum sub pœnis in dictis processibus expressis & prolatis, præcipimus & mandamus, quatenus dictæ sectæ professores & habitus hujusmodi delatores Beggardos & Sueſtriones, una cum suis defensoribus, receptatoribus & fautoribus excommunicatos, & a cunctis Christi fidelibus evitandos publice nuncietis, contra eos, sicut prius, procedentes, secundum dicti nostri Prædecessoris, & nostrorum continentiam mandatorum, ipsa in omni

sua

(a) errorum

ſua forma executioni fideli debite demandando. Datum ipſo die B. Remigii Confeſſoris, Anno Domini MCCCXXXV.

COLONIÆ SYNODUS DUPLEX
ANNO MCCCXXXVI. VERNA ET AUTUMNALIS.

I. *De non reſidentibus, & non promotis ad ſacros Ordines.*

WALRAMUS, Dei gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, Dilectis in Chriſto omnibus, & ſingulis Chriſtianitatum Decanis noſtræ Diœceſis, ſalutem in Domino.

Meminimus Nos dudum paterna ſolicitudine ex officii noſtri debito, omnes, & ſingulos noſtræ civitatis, & Diœceſis Eccleſiarum Rectores ad Sacerdotium non promotos, aut etiam promotos, in ſuis Eccleſiis minime reſidentes, charitative monuiſſe, & induxiſſe, ut intra certa competentia tempora, ceſſantibus aliis Canonicis impedimentis ſeu privilegiis, ſe promoveri in Sacerdotes procuraſſent, & in ſuis Eccleſiis reſiderent. Veruntamen complures ex eis, noſtris monitionibus, & inductionibus ſalubribus ſpretis, intra hujusmodi tempora ſe minime promoveri procurarunt, neque in hujusmodi ſuis Eccleſiis curaverunt reſidere, aut privilegia, ſive Canonica impedimenta, aut Statuta allegare ſeu prætendere, quare ad hoc non tenerentur, vel compelli non deberent. Unde Nos talium non promotorum ſeu non reſidentium temerariam audaciam animadvertentes, fructus hujusmodi Eccleſiarum mandavimus, & commiſimus, per vos, & quemlibet veſtrum, prout vobis ſuberant, ſequeſtrari, & teneri fideliter in ſequeſtro, quousque aliud perciperetis ſuper his in mandatis: hac tamen moderatione tunc adjecta, ut ſi quis eorundem non promotorum, aut non reſidentium, privilegiis aut aliis cauſis rationabilibus, ſeu Canonicis impedimentis ſe tueri poſſet, quominus hujusmodi noſtris monitionibus, & ſequeſtrationibus fructuum parere tenerentur, coram Nobis aut Officiali noſtro Colonienſi illas proponerent, & probarent, & ſuam declarationem reciperent, & determinationem. Aliarum vero Eccleſiarum (quarum Paſtores nullam habent excuſationem contra hanc noſtram ſequeſtrationem) mandavimus fructus noſtro Sigillifero per vos Decanos aſſignari, & ei rationem fieri de eisdem, niſi componerent hujusmodi Paſtores de his cum eodem. Et ne hujusmodi ſequeſtrationis noſtræ mandata præfata, ludibrioſa reddant, Eccleſias hujusmodi non promotorum, aut non reſidentium, in quibus, vel quarum aliqua, ſequeſtratio noſtra præfata impediretur violenter, expreſſe, vel occulte per quamcunque perſonam cujuscunque ſtatus aut conditionis exiſteret, monitione ſex dierum præmiſſa, ut deſiſterent, Eccleſiaſtico in Scriptis ſupponimus interdicto: & in culpabilem, ſeu culpabiles in iſtis, promulgamus ſimiliter propter hoc in ſcriptis, præfata Canonica monitione præmiſſa, ſententiam excommunicationis: & mandavimus eosdem excommunicatos, ſi ſatisfacere non curarent de commiſſis, & abſolutionis Beneficium a Nobis, aut a dicto Officiali noſtro obtinere, publice nunciari. Sane cúm nonnulli ex dictis Paſtoribus, ad huc non promoti, ſeu non reſidentes reperiantur, qui nec privilegia, ſeu cauſas rationabiles, aut Canonica impedimenta, quare ad hoc minime tenerentur, coram Nobis, aut dicto Officiali noſtro oſtenderunt: & his non obſtantibus, contra noſtram ſequeſtrationem fructus hujusmodi ſuarum Eccleſiarum, ſicut prius perceperunt, & abſportaverunt, in animarum ſuarum grave periculum, & ſcandalum plurimorum, ac noſtram, & noſtrorum mandatorum parvi penſionem. Propter quod vos Decanos Chriſtianitatum prædictos, & quemlibet veſtrum requirimus, vobisque mandamus, quatenus fructus per vos (*a*) ſequeſtratos, & veſtræ cuſtodiæ deputatos, præfato Sigillifero noſtro aſſignetis, & rationem de his faciatis intra tres ſeptimanas, a data præſentium numerandas. Eccleſias vero Paſtorum non promotorum, aut non reſidentium, qui fructus earum ſine licentia noſtra, vel ordinatione habita cum Sigillifero noſtro, perce-

(*a*) nos

perceperunt, & abſportaverunt (quas propter hoc Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto) interdictas publice nuntietis, mandantes inibi interdictum inviolabiliter obſervari. Ipſos vero Paſtores, ſeu alios, qui in hoc culpabiles exſtiterint, & ſunt, & propter hoc ſententiam excommunicationis inciderunt, excommunicatos publice in veſtris Eccleſiis, & eorum, & alibi, ubi opportunum fuerit, nuntietis, & faciatis ab aliis nuntiari, ubi & quando de hoc fueritis requiſiti: mandantes eisdem & aliis, qui ſcienter in ipſis Eccleſiis ſic interdictis in contemptum clavium, divina celebraverint officia, immo potius profanaverint, qui niſi de celeri ſatisfactione ſibi proſpexerint, contra eos nominatim tanquam contra irregulares, prout juſtitia exegerit, procedemus, nomina horum, qui dictum noſtrum ſequeſtrum impediverunt, ſeu fructus ſequeſtrationis abſportaverunt, & nomina Eccleſiarum earundem, Nobis aut præfato Officiali noſtro fideliter reſcribentes.

Datum Brulæ in craſtino B. Valentini Martyris Anno Domini 1336.

C. II. *Revocantur omnia indulta prætenſa, per quæ Moniales conſuta velamina tollendi authoritatem ſibi conceſſam excuſare volunt, & falſo allegarunt.*

WALRAMUS, Dei gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, univerſis præſentes literas viſuris, & audituris, ſalutem in Domino ſempiternam.

Quanquam animarum ſubditorum noſtrorum periculis, ex noſtri Officii debito præcavere, quantum poſſumus, teneamur, illarum tamen exceſſibus perſonarum, quæ ſpecialiter Divino ſunt mancipatæ miniſterio, præſertim quando ipſorum diſſimulatio correctionis exceſſuum, non absque noſtra aliquali infamia poterit non modica perdurare, debemus occurrere, quanto celerius poſſumus, toto niſu, ne in aliis errorum occaſio (qui poſiti ſumus, ut aliorum corrigamus errores, ſedentes ſuper ſpeculam) videamur, cum teſtante ſacro (*b*) Canone crudelis ſit, qui famam ſuam negligit. Sane his temporibus (quod dolenter referimus) nonnullæ Sancti Auguſtini, & Sancti Benedicti Ordinis Monaſteriorum noſtræ civitatis, & Diœceſis Sanctimoniales, Ordinis ac Status ſui, ac Jurium, & Statutorum Synodalium Prædeceſſorum noſtrorum ſuper hoc editorum immemores, & eorum pœnas formidabiles minime formidantes, tam intra, quam extra Monaſteria ſua habitibus, quibus ex eorundem injunctione Statutorum uti tenentur, abjectis, ſeu in majori parte mutatis, incedere publice non verentur, & habitibus ac ornamentis etiam ad inſtar mulierum ſæcularium, ſuum Ordinem, Statum & regulam nequaquam decentibus, ſe parant illicitis in exceſſu, prout de his tanquam de notoriis, non poteſt alicui de populo non conſtare: & nonnullæ ex eis, ut ſuæ hujusmodi inordinationis excuſationem habere in talibus teputentur, in noſtri Status injuriam aſſerunt, prout ad Nos pervenit, Nos eis, ut talibus ipſis uti liceat, indulſiſſe. Nos igitur, licet non credamus, nec recordemur, Nos eis verbo vel facto aliqua talia indulſiſſe, per quæ fomentum licentiæ eis talia faciendi poſſint elicere quoquo modo: ex abundanti tamen (ut cunctis noſtra hac in parte pateat intentio) hujusmodi calva excuſationis conſuta velamina omnino tollere cupientes, omnia, & ſingula quibuscunque Sanctimonialibus, & earum Prælatis cujuscunque Ordinis, Status, & conditionis noſtræ civitatis & Diœceſis in genere, vel in ſpecie indulta, ſub quacunque verborum forma concepta, dicta, vel ſcripta per Nos, aut noſtro nomine aut authoritate quocunque modo, quæ aliquem intellectum, per quem hujusmodi abuſum prædictæ Sanctimoniales, ſeu eorum Prælatæ valeant de cætero colorare, & tanquam noſtram ſe habere ſuper hoc licentiam pro excuſatione protendere, trahi poſſent (cum intentionis noſtræ non fuerit, ſicut nec eſſe debuit, quin ſemper Prædeceſſorum noſtrorum Statuta ſalva, & incolumia voluerimus, remanere) præſentibus revocamus, & nullius penitus volumus fore momenti: immo noſtræ non fuiſſe intentionis, quin prædicta Statuta prædeceſſorum noſtrorum ſuper ſtatu, & decentia prædictarum Sanctimonialium, & ſuarum Prælatarum edita,

(*b*) Nolo 12. q. 1.

edicta, in suo remanerent robore, & ad ea tenerentur efficaciter observanda, his nostris literis declaramus. Mandantes eisdem sanctimonialibus omnibus, & singulis, ac earum Prælatis in præsentia omnium *in hac sacra Synodo* congregatorum, ut prætextu cujuscunque nostræ licentiæ, si quam hactenus ex eis aliquæ minus veraciter allegarunt, Statuta præfata aliqualiter non excedant, nec pro sui Status, & habitus aliquo abusu, tuitione seu excessu, nostræ licentiæ prætextu audeant seu debeant se aliqualiter excusare. Datum Lechenich in die Beati Mathiæ Apostoli, Anno Domini 1336.

C. III. *De comminantibus incendium, & tædas ante portas seu ostia appendentibus.*

WALRAMUS, Dei gratia, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius &c.

Quædam in his partibus (prout apud omnes notorium est) abusio inolevit, quod quidam iniquitatis filii, dum ab aliquibus, quos sibi in aliquo injuriatos aliquando, aut alias obnoxios confingunt, aliqua contra Deum & Justitiam nituntur fallaciter extorquere; ad Sacerdotes aliquos accedunt, quibus prædicunt, quo sub Sacramentalis confessionis titulo exponere desiderent aliqua eisdem, ipsis postea committendo, quod ipsi Sacerdotes absque illorum nominum expressione, seu certa denominatione, his, quos sibi injuriatos seu obnoxios sic confingunt, dicant, quod aliqui devenerint ad ipsos Sacerdotes, qui ipsis dixerint, quod nisi ipsi prædictis iniquitatis filiis certas pecuniarum summas per tales Presbyteros transmittant, eorum curtes, grangias seu domos volent incendio devastare: aut tedas quasdam eorum portis seu ostiis clam appendunt, in signum, quod domus tales, grangias, seu curtes concremare proponant, nisi secundum eorum voluntatem aliquantæ summæ pecunias eis solvant: & denuo ad ipsos accedunt Presbyteros, eis suum in hac parte dicentes propositum, his, quorum portis aut ostiis tedas appenderant, per ipsos Presbyteros indicandum sub Sacramentalis confessionis nomine, ut est dictum. Nonnulli etiam Presbyteri nimia simplicitate, immo vera detenti ignorantiæ cœcitate, sub cujusdam pietatis, & monitionis faciendæ velamento, tales iniquitatis filios, circa talia audiunt, & eorum sic relata (eo quod hujusmodi scelerati asserunt se talia sub Sacramentalis confessionis titulo dicere ipsis Presbyteris) sub hoc confessionis Sacramentalis titulo recipiunt, & se debere recipere existimant, & ea ulterius absque illorum sic confitentium nominum expressione seu designatione apud illos, a quibus sic ipsi extorquere cupiunt, exponunt, & frequenter sic ab innoxiis pecuniæ extorquentur, & sceleratis, & noxiis assignantur. Præterea, quod magis perniciosum exemplo est, & gravius dolendum, de quibusdam audivimus Sacerdotibus, quod aliquando, etsi nullus eis talia dixerit, seu etiam aliquas tedas aliquorum portis seu ostiis non appenderint, per se tedas hujusmodi appenderunt, alios hoc fecisse, & sibi sub Sacramentalis confessionis retulisse nequiter confingentes, & sic aliquando pecunias extorserunt. Nos itaque, ne tales homines perniciosi, de sua commodum reportent nequitia, eorum (quantum possumus) malitiis occurrere cupientes, de nostri Capituli consilio, & consensu, hoc fieri de cætero authoritate præsentis statuti omnimode prohibemus: monentes universos Presbyteros nostræ civitatis, & Diœcesis, ne, si qua sibi talia occurrerint, sub titulo hujus Sacramentalis confessionis recipiant, sicut nec recipere possunt, cum talis confessio (per quam expresse apparet, nedum confitentem velle aliqualiter a peccato abstinere, verum plane intendere peccati flagitium perpetrare) Sacramentalis naturam confessionis excludat. Talia etiam eis de cætero sic dicenda audire refutent, vel si audierint casu, dicta, nominaque dicentium, & facti circumstantiam, plane his, quorum interest, exprimant: dum tamen per expressionem hujusmodi, ipsi talia dicentes, vitam, & membrum non sint verisimiliter perdituri: circa quam expressionem, eorum conscientiam oneramus: nec de his: ut ipsis iniquitatis filiis aliquid detur, vel promittatur, aut ipsi aliquam utilitatem consequantur sub prædicta

dicta confessionis specie, & modis præfatis, se nullatenus intromittant. Alioqui ipsos omnes, & singulos contrarium facientes, monitione ex nunc decem dierum præmissa, excommunicationis sententiæ volumus subjacere: omnes etiam, & singulos Clericos, & laicos, qui tedas de cætero apposuerint aliquoram portis seu ostiis, aut aliqua signa clandestina, seu furtiva, seu aliqua sub Sacramentalis confessionis specie aliquibus Sacerdotibus exposuerint, ad hunc finem, quod per appositionem talium tædarum, vel aliorum signorum clandestinorum, & furtivorum prætensionem, & talis confessionis per aliquem Presbyterum relationem, nec expresso nomine seu designato faciendam, ut propter hoc emolumentum aliquod extorqueatur, eadem excommunicationis sententia, quam authoritate præsentis Statuti in ipsos ferimus, innodamus. Datum & publicatum in Ecclesia nostra Coloniensi, *dum esset ibidem Sancta Synodus congregata.* Anno Domini 1336. in crastino B. Remigii Confessoris, quæ fuit dies secunda mensis Octobris.

SYNODUS COLONIÆ A. MCCCXXXVII.
VERNA ET AUTUMNALIS.

C. I. *De Synodi observatione.*

WALRAMUS, Dei gratia, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, Dilectis in Christo, nostras in sacra ventura Synodo, in crastino Dominicæ *Invocavit*, in Ecclesia nostra Coloniensi celebranda, vices gerentibus, salutem in Domino sempiternam.

Multis modis, & in pluribus sacris Synodis, hactenus per Prædecessores nostros, & per Nos celebratis, universos Prælatos, Collegia, Christianitatum Decanos, nec non Vicarios, cæterosque in Synodis Coloniensis Ecclesiæ, diversis vicibus, prout observatæ fuerant, congregatos, rogatos, hortatos, ac requisitos, nec non ipsis mandatum ex parte nostrorum Prædecessorum intelleximus, & a Nobis meminimus, ut sicut Statuta Prædecessorum nostrorum, præsertim piæ memoriæ SIFRIDI nostri Prædecessoris, præcipiunt, in ipsis Synodis præsentialiter, vel per Procuratores in suo casu, & cum decenti habitu & modo, ac habentes Statuta ipsius nostræ Ecclesiæ in manibus, comparerent: nonnulli tamen ex eis, hujusmodi salubres rogatus, hortationes, requisitiones, & mandata minime advertentes, secundum ipsorum Statutorum continentiam, venire, & stare, & comparere in ipsis Conciliis non curarunt, pœnas in ipsis expressas minime formidantes, forte supina quadam & crassa prædicti Statuti, Domini SIFRIDI maxime, ignorantia volentes suam inobedientiam excusare. Verum etsi de rigore juris, ut forsan pluribus videretur, circa præmissa inexcusabiles videantur hi, qui circa talia excesserunt; quia tamen hujusmodi statuti pœnæ sunt multum formidabiles, & secundum aliquorum reputationem, prædicti excedentes, reputari deberent suspensionis, excommunicationis, & irregularitatis nexibus damnabiliter laqueati: Nos tamen misericorditer agere volentes, delicta, quæ sic per eosdem delinquentes hactenus facta sunt, liberaliter remittimus: Vosque a sententiis suspensionis & excommunicationis eosdem delinquentes (si & in quantum in ipsas inciderunt) vice nostra ad cautelam absolvere studeatis: super irregularitatibus vero & eorum dispensationibus ipsos ad Sedem Apostolicam (si & in quantum ipsos eorum urgent conscientiæ, præsertim rationabiliter informatæ, quibus conscientiis ipsos in hac parte relinquimus) remittentes. Cæterum, ne per hanc crassam & supinam ignorantiam de cætero valeant se tueri, & omni semota excusatione fucata, (*a*) ad prædicti statuti SIFRIDI observantiam totalem sciant & noscant se de cætero penitus obligatos, ipsum statutum, quod est primum inter statuta ipsius SIFRIDI, &, quod sic incipit: *Licet de Clericis, qualiter eos cum modestia* &c. de verbo ad verbum volumus, & omnino præcipimus, legi publice intelligibiliter in sacra Synodo memorata, & eisdem ibi præsentibus, ac aliis omnibus, quorum interest, publice prædici, post prædictam nostram Synodum,

(*a*) ficta

dum, omnes Prælatos, Collegia, Christianitatum Decanos, Plebanos, Capellanos, Vicarios, ac omnes & ſingulos, de quibus in ipſo ſtatuto mentio fit, pœnis in ipſo ſtatuto expreſſis, ſi contrarium fecerint, innodatos ſecundum ipſius continentiam & plectendos, & per vos, qui præſentes fueritis, hoc præcipimus declarari. Prædictum etiam ſtatutum cum omnibus ſuis clauſulis & pœnis extendi volumus ad Concilium in craſtino B. Remigii Confeſſoris anno quolibet celebrandum. Datum anno Domini 1337. in vigilia Beati Mathiæ Apoſtoli.

C. II. *De tonſura & habitu Clericorum.*

WALRAMUS, DEI gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, Dilectis ſibi Abbatibus, Præpoſitis, Decanis Eccleſiarum Collegiatarum, ac Collegiis & Conventibus, ac Decanis Chriſtianitatum, Plebanis, & eorum vices gerentibus, nec non omnibus Clericis ſæcularibus & religioſis, ac univerſis Chriſti fidelibus noſtrarum Civitatis & Diœceſis Colonienſis, ſalutem in Domino ſempiternam.

Quoniam diverſi generis hominum diſtingui & ſecerni per habitum Profeſſores, conſultæ editiones tam Civiles, quam Canonicæ decreverunt, ut hi, qui ſpecialiter Divino ſunt officio mancipati, & contemplationi & orationi dediti, ab omni conformatione ceſſent temporalium, & in ſe, qui ſunt forma aliis & exemplar, quomodo deceat *in domo Domini converſari*, per decentiam habitus extrinſeci oſtendant morum intrinſecam honeſtatem: & quod corde gerunt, ore prædicent, actu demonſtrent, tanquam militiæ Dei & Eccleſiæ militanti ſpecialiter deputati, a ſæcularibus ſint ſejuncti: contra laſcivientes per ejusmodi habitum, coronam, crines, & inceſſum quemlibet Ordini Clericali minime congruentem, a noſtris Prædeceſſoribus, & a Nobis ſub duris pœnis & gravibus ſententiis emanarunt ſucceſſive, prout reformationi horum & honeſtati Cleri expedire pro tempore putabatur, diverſimodæ ſanctiones. Sane cum humana infirmitas, vitiorum imitatrix, quæ plus vetitis, quam conceſſis ſolito immoratur: nonnullos noſtræ Civitatis & Diœceſis tam Clericos, quam Prælatos, hujuſmodi prohibitionibus non contentos adeo excæcavit, ut inter ipſos (quod dolenter referimus) quaſi communis morbus irrepſerit, quod ſe in inceſſu, moribus, veſtibus, & capillis, laicis, & plus etiam, quam vel hos deceat, ſtudeant conformare: & tamen quoad uſum & utilitatem privatam ſtipendiorum beneficialium, Clericalis militiæ ſtipendiarii eſſe volunt: ad obſequia vero, quæ horum exigit receptio, nequaquam ſe obnoxios reputantes, adſcribunt dedecori, vile æſtimant, & autumant inhoneſtum, in horum ordinum ſignis & inſigniis, in tonſura ſcilicet & habitu eos decentibus, converſari, & in publico comparere, minime advertentes, quod ipſi Clericalis militiæ, immo aliqui ex eis, ſacrorum Ordinum ſunt charactere inſigniti: ac quod non ſolum crudeliter famam ſuam negligunt, & Cleri ſtatum deformant; ſed & plerumque more fœmineo laborare contra propria ſua commoda moliuntur. Incedunt ſiquidem in veſtibus arctis & ſtrictis, quibus cum difficultatibus induuntur: in tantum etiam brevibus, quod vix per eas genua & inferiora femoralia conteguntur. Wamboſiis etiam cum longis manicis, per particulas appendentes, ſciſſis & non ſciſſis, ac non ſolum longis, ſed ultra genua pendentibus: & aliqui nimis brevibus, amplis & latis multipliciter complicatis utuntur, ſubtus pro prima ſubveſte Wamboſia apparent contra Clericalem decentiam deferentes: & quod nec licet in aliis veſtibus, eadem variata ex diverſis coloribus & figuris, etiam ſcacata & virgata, ex texturis ſericis & aliis induuntur. Veſtes etiam ſcacatas rubei & viridis coloris, ſeu quibus de alio colore manica eſt aſſuta, ante pectus & ultra cubitum, multum & notanter nodatas, a lateribus ſciſſas, ibi & in longum ad oram ac in manicis cum quadam revolutione furratas, ita quod ad modum chordæ exterius apparet ipſa notabiliter furratura.

Nonnulli etiam CORONAS non deferunt, & ſi ipſas deferunt, in locis hoc faciunt indebitis, retro videlicet in capite, ut dum velint, ipſas, de quibus deberent,

berent merito gloriari, poſſint ſub crinibus occultare. Quidam etiam comam & barbam exquiſite nutriunt, & deſuper cincturis (a) de auro & argento, quod potius deberet ad uſus pauperum erogari, multifarie ornatis, ſe cingunt; quibus teſſas ſive peras pretioſas & ſimili modo ornatos cultellos truſorios, & non ſolum truſorios, ſed & ſemigladios (b) appendunt, & eoſdem non tantum in populo & in grande Cleri ſcandalum, ſed & intra immunitates, & in Eccleſiis, ubi Beneficiati ſunt, & (quod deterius eſt) quando Divinis interſunt Officiis, in Omnipotentis DEI offenſam deferre publice non verentur. Caligis rubeis, glaucis & viridibus ſe caligant: & calceis modo vario perforatis & inciſis, ſic etiam, quod inciſum corium aliquibus in calceis appendet per fruſta volitantia hinc & inde, obliti cœleſtis militiæ, cui adſcripti ſunt, tanquam inſervientes armatæ militiæ induuntur. Aliqui etiam ex diſſolutionis fomite, caputiis utuntur longis, quorum ſimilibus Monachi converſi intra ſepta ſui Monaſterii ſolent uti, cauſam legitimam confingentes, quod ipſorum caputiorum caudis nuda manuum a frigoribus protegant: quas non ſolum decentius & commodius, ſed & utilius & celerius præſervaret ab his abuſivis, ſi eiſdem uterentur, veſtium amplitudo. Plures etiam quædam caputia perforata ſciſſa & fiſſa, cum magnis panni particulis pendentibus: quidem vermiculata filis ſericeis, aureis & argenteis, eademque deſuper variis contextis & depictis figuris ornata deferunt, ſtatum ſuum in præmiſſis, & pluribus aliis plus, quam laici, diſſolventes, & adeo in ſuis ſtultitiis & ſuperſtitioſis adinventionibus gloriantes, ut ſuo (c) judicio plus laudetur, qui plures & magis raras formas adinvenit, & geſtat: & in his abuſionibus plus laicis ſe conformant, ſic quod nullus delectus vel modicus perpendi valet inter tales Clericos & laicos exceſſive delicatos, & plus etiam, quam eosdem deceat, diſſolutos.

Nos igitur cupientes ex debito Paſtoralis noſtri Officii (ut tenemur) præmiſſis, quæ nuper *in viſitatione noſtra generali*, nonnullis noſtræ Civitatis Eccleſiis perſonaliter per Nos impenſa, ac in aliis per *noſtros Commiſſarios facta*, tanquam notoria, & quia pro more jam evidens abuſio inolevit, reformationi noſtræ reſervavimus ſpeciali, competentem adhibere medelam; ut eos, quos ad delationem habitus, tonſuræ, inceſſus, & converſationem honeſtam congruentes Ordini Clericali, virtutum præmia non inducunt, licet de rigore juris ſecundum decretum *Innocentii Papæ II.* (qui præcipit, ut *Clerici univerſi, in ſtatu mentis, in habitu corporis, Deo, & hominibus placere ſtudeant*, & nec in ſuperfluitate fiſſuræ, aut colore veſtium, nec in menſura, intuentium, quorum forma, & exemplum eſſe debent, offendant adſpectum, ſed potius, quod eorum deceat ſanctitatem: quod ſi moniti ab Epiſcopis, emendare noluerint, Eccleſiaſticis careant Beneficiis) contra toties monitos, ad privationem Beneficiorum ſuorum procedere nunc poſſemus: quoniam juſtum eſſet, ut Beneficiis privarentur, qui eiſdem ſe reddunt indignos, & ipſorum inſigniis abutuntur, ut ſimilem cum illis, quorum ſectantur geſtus, & leges, reciperent in legibus diſciplinam: ſaltem mitius, prout ad præſens proficere credimus, tam adjectarum pœnarum exaggeratione, quam adjiciendarum de novo formidine, poſſemus a ſuis auſibus temerariis refrenare. Monemus igitur univerſos, & ſingulos noſtrarum civitatis, & Diœceſis Priores, & Prælatos, & Clericos, Beneficiatos, & quoscunque etiam alios in ſacris Ordinibus conſtitutos, pro Clericis ſe gerentes, cujuſcunque dignitatis, & præeminentiæ, conditionis aut ſtatus fuerint, quatenus a præmiſſis omnibus, & ſingulis abuſionibus, præſertim coram Nobis, nec non in locis, aut intra Eccleſias, & immunitatem Eccleſiarum, ubi Beneficiati exiſtunt, penitus abſtineant, & honeſte incedant, ſecundum decentiam Clericalem, tonſuram ac habitum deferant ſuo Ordini congruentes. Et ſuperius cincti, nuſquam compareant, niſi tempus hoc requirat, vel receſſuri ſint a locis, ubi degunt, aut ſint in itinere conſtituti. Alioqui Nobis in præmiſſis, vel præmiſſorum quolibet non parentes, vel contrarium facientes, *triginta ſex dierum monitione præmiſſa*, quorum ipſis duodecim pro primo, duodecim

(a) tincturis (b) gladiolos (c) ipſorum

cim pro ſecundo, reliquos vero duodecim pro tertio termino peremptorio, & monitione Canonica aſſignamus, exnunc prout extunc excommunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis: Monentes nihilominus vos omnes, & ſingulos noſtræ civitatis, & Diœceſis Eccleſiarum Collegiatarum Decanos, nec non Subdecanum Eccleſiæ noſtræ Colonienſis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam in vos, & quemlibet veſtrum, ſex dierum monitione præmiſſa, in his ſcriptis ferimus, ſi non feceritis, quod mandamus: quatenus vos Decani prædicti, authoritate vobis in hac parte competente, nec non tu Subdecane, prædicta authoritate, quam tibi in hac parte per præſentes ſpecialiter indulgemus, poſtquam vobis poſt dictam noſtram monitionem, aliquem de Prælatis, Canonicis ſeu Clericis Eccleſiarum Noſtrarum apparuerit excedere in præmiſſis, ſeu aliquo præmiſſorum, ſuper quo vobis, & ſimplici volumus adhiberi relationi veſtræ plenam fidem: ſtatim abſque moræ diſpendio, quantocitius poteritis, Adminiſtratoribus, & Diſtributoribus fructuum, reddituum, proventuum, & obventionum, Præbendarum, & Beneficiorum ſuorum, nec non diſtributionum, & præſentiarum, inhibeatis, & interdicatis, quibus Nos præſentibus interdicimus, & etiam inhibemus, ne poſt monitionem veſtram, ipſis quicquam de præmiſſis, ſive in groſſo, ſive in minuto, diſtribuant ſive adminiſtrent quomodolibet, vel aſſignent; cum illis fructus Beneficiorum ſuorum merito ſubtrahantur, quibus Eccleſiaſtica communio denegatur. Alioqui in Adminiſtratores, & Diſtributores prædictos, in præmiſſis contrarium facientes, ſex dierum monitione præmiſſa, excommunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis. Volumus etiam quod nomina rebellium præſenti noſtro mandato, nobis intra menſem, poſtquam vobis de hujuſmodi rebellione apparuerit publicum per inceſſum, fideliter referatis, ut contra eoſdem, prout eorum protervitas exegerit; per alia juris remedia arctius (*a*) procedere valeamus. Porro vos etiam omnes, & ſinguli ſupradicti, præmiſſis inobedientes, & rebelles, lapſo dicto noſtræ monitionis termino, tanquam excommunicatos, & a communione hominum excluſos, nequaquam ad Divina Officia admittatis, nec cum ipſis interſitis eiſdem, ſed eos in actibus legitimis ac in omni humanitatis ſolatio penitus evitetis, ſicut pœnas a jure ſtatutas ſuper his, incurrere formidatis: ut ſic rubore confuſi, a præmiſſis abſtinere, & ad gremium Eccleſiæ Matris ſuæ redire, & dictis ſententiis, abſolutionis Beneficium quærere compellantur. Quarum (*b*) abſolutionem, Nobis, & Officiali noſtro duntaxat, præſentibus reſervamus, ipſi Officiali noſtro eoſdem abſolvendi (niſi prius exacta ab ipſis, & præſtita juratoria cautione, quod mandatis Eccleſiæ parere debeant humiliter; & poſtquam talem cautionem præſtiterint, eis injungat in virtute hujuſmodi juramenti, quod de cætero ab his, propter quæ has inciderunt ſententias, abſtinebunt) poteſtatem omnimodam adimentes. Per præmiſſa autem nolumus, nec intentionis eſt Noſtræ, juriſdictioni veſtræ Decanorum, quam vobis in correctionem prædictorum exceſſuum quomodolibet vendicare poteſtis, in aliquo derogare: ſeu tuam Subdecani (cui propter hoc, quod Decanus Eccleſiæ noſtræ Colonienſis hactenus non fecit, nec adhuc facit in ipſa Eccleſia noſtra reſidentiam perſonalem in præmiſſis authoritate noſtra exequendis dedimus poteſtatem) ad alia, quæ tibi non competunt, prorogari: ſed hinc inde juriſdictionem veſtram, nec plus auctam, nec diminutam, ſed in ſuo ſtatu ſalvam manere providemus ſicut ante, pœnis etiam, & ſententiis aliis a jure commui, Prædeceſſorum noſtrorum ſtatutis, atque noſtris præceptis aut mandatis, contra & in præfatos abuſores prolatis & expreſſis in ſuo robore nihilominus duraturis. Inſuper vobis univerſis, & ſingulis Chriſtianitatum Decanis per noſtras civitatem & Diœceſin conſtitutis ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam in vos,& veſtrum quemlibet ſex dierum monitione præmiſſa in his ſcriptis ferimus, ſi præſenti noſtro mandato non parueritis, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus

(*a*) acrius (*b*) Quorum

nus poſtquam Nobis aliquem Paſtorum, Plebanorum, Rectorum, ſeu Vicariorum perpetuorum Eccleſiarum ſeu Capellarum, intra limites veſtrorum Decanatuum conſiſtentium, aut ipſas Eccleſias, ſeu Capellas quomodolibet Officiantium, & Regentium, lapſo dictæ noſtræ monitionis termino, excedere in præmiſſis, ſeu in aliquo præmiſſorum apparuerit publicum per inceſſum, Nobis ex tunc nomina ipſorum excedentium, intra menſem fideliter referatis, ut DEO authore ad graviora (prout intendimus) procedamus. *Datum Godesberg, in Vigilia B. Michaelis. Anno Domini* 1337.

C. III. *De Cinctura, & Veſtibus Clericorum.*

WALRAMUS, Dei gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius &c. Dilectis ſibi Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Eccleſiarum Collegiatarum, nec non Collegiis, & Conventibus, ac Decanis Chriſtianitatum, & eorum vices gerentibus &c.

Nuper Nos *in Synodo noſtra proxime præterita* inter alia, quæ pro reformatione Status Clericalis tam in habitu quam tonſura, in quodam noſtro mandato per Nos facto, & inibi publicato, univerſis & ſingulis Prioribus, Prælatis, & Clericis, noſtrarum civitatis, & Diœceſis, cujuſcunque Ordinis, Status aut conditionis exiſterent, dummodo pro Clericis ſe gererent, inhibuimus eiſdem, cum facti experientia informati didiciſſemus, propter geſtationem cingulorum deſuper in arctitudine, & brevitate veſtium, & aliis, habitum, & inceſſum Clericalem multipliciter deformantibus, ipſos in abuſus varios incidiſſe, quos veriſimiliter proſpeximus ex prohibitione cinguli poſſe facilius aboleri, ne uſquam cincti deſuper comparerent, niſi in caſibus quibuſdam exceptis, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ſine qua alias nihil Nos proficere putabamus, aliiſque gravibus pœnis, in eodem mandato noſtro prolatis, & expreſſis, duximus inhibendum. Verum quia nonnulli Eccleſiæ noſtræ Canonici, ſe perſonaliter noſtro conſpectui præſentantes, Nobis pro ſe, & aliis ſuis Concanonicis, de cætero in decenti eos habitu, & tonſura debita, & patente incedere promiſerunt, ut cincturis ſimplicibus deſuper uti valerent, ſine aliis abuſionibus in dicto mandato noſtro prohibitis: quodque ſententiam excommunicationis in eodem mandato noſtro latam, cum inde poſſent gravia etiam animarum pericula provenire, & non ſolum culpabiles, ſed inſontes, & alios innocentes per eam poſſet contingere laqueari, ſalvis tamen aliis pœnis in dicto mandato, & in aliis noſtris Prædeceſſorum noſtrorum Statutis, præceptis, & mandatis expreſſis, & prolatis, tollere dignaremur, inſtantius ſupplicantes. Unde *Nos cum Capitulo, & Prioribus noſtris* deliberatione præhabita diligenti, qui Nobiſcum quo ad correctionem ſuorum ſubditorum, quoad alias abuſiones, in dicto mandato, Statutis, & præceptis, expreſſas & prohibitas, ſecundum formam, & modum eorundem vellent in antea diligentius inſurgere, ipſaque mandata, ſtatuta, & præcepta in omni ſui (*a*) forma alias obſervare: dicto periculo attendentes, & præcipue, quod non modicum jam in reformatione habitus, & tonſuræ Clericali ſtatui congruentis profecimus, immo multum; dictam excommunicationis ſententiam in ſingulis ſuis clauſulis in dicto mandato expreſſam, & prolatam, præſentibus tollimus, & penitus amovemus. Eiſdem Prioribus, Prælatis, & Clericis noſtrarum civitatis, & Diœceſis univerſis & ſingulis, ut cincti ſuperius, cingulis tamen ſimplicibus, ſine peris, & cultellis, dummodo his cingulis, dum religionem deferunt, non utantur, neque propter hoc magis ſtrictas, & breves veſtes deferant, ſed alias in habitu competenter longo, & lato: in tonſura vero in loco debito ſita, patente, & ſuo Ordini congruente, publico ſe conſpectui exhibeant, nec alias abuſiones in eodem mandato noſtro prohibitas committant, incedere valeant uſque ad craſtinum Dominicæ *Invocavit*, proxime adventuræ: Interim experiri volentes, an ex ceſſatione cauſæ prohibitionis dictorum cingulorum, Nos ad hoc moventis, quod Nobis promiſſum eſt, ut præfertur, ſequatur in effectu, & ut eos decet, in habitu, & cinctura aſſueſcant in publico comparere, præſenſentibus indulgentes: ſic tamen, quod ſi quiſ-

(*a*) ſua

ſi quiſquam per publicum inceſſum, dicti mandati noſtri in aliis abuſionibus inventus fuerit violator, extunc ſibi per perſonas ad hoc in dicto noſtro mandato deputatas fructus, redditus, & diſtributiones quæcunque ſui Beneficii, vel Beneficiorum, ſi plura obtinet, auferantur, & penitus denegentur, & alias fiat, prout in eodem noſtro mandato continetur: ita etiam, quod ſi qui eiſdem fructibus, redditibus, diſtributionibus, obventionibus ſeu receptioni eorundem ſe ingeſſerint, ſeu quicquam etiam a volente recipiant de eiſdem, extunc ſententiam excommunicationis (quam in his ſcriptis in eoſdem ferimus, præter etiam eas ſententias, quas authoritate priorum noſtrorum Statutorum ſive mandatorum, propter hoc incidere dignoſcuntur) incurrant ipſo facto. Quarum abſolutionem Nobis, & Officiali noſtro, ſecundum formam tamen alias ei indultam, præſentibus reſervamus: Intimantes nihilominus eiſdem noſtris Prioribus, Prælatis, & Clericis, quod niſi a prædictis abuſionibus ſtudeant effectualiter abſtinere, Nos ad dictam excommunicationis ſententiam, privationem ſuorum Beneficiorum, & alia graviora, prout expedire videbitur, procedemus. Per præmiſſa autem intentionis noſtræ non exiſtit, eos teneri pro abſolutis, qui contra prædictum noſtrum mandatum faciendo; jam in excommunicationis ſententiam inciderunt, donec abſolutionem earum ſententiarum, quas ante revocationem noſtram præſentem inciderunt, oſtenderint competenter. Datum, *ut ſupra* &c.

SYNODUS COLONIÆ AUTUMNALIS ANNO MCCCXXXVIII.

C. I. *De non habentibus Beneficia, ad Ordines non promovendis. Et de Clericis, niſi prius receperint ab Examinatoribus approbationem ſuper debitis tonſuratione, & ætate, ſimiliter non promovendis.*

WALRAMUS, DEI gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius &c. Dilectis ſibi Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Paſtoribus, Plebanis &c.

Cum ſub vetuſtæ conſuetudinis velamine, qua tam regulares, quam ſæculares Collegiatæ Eccleſiæ, per noſtras Civitatem & Diœceſin conſtitutæ, illos in ſuis Eccleſiis beneficiatos Clericos, quos ex tranſacta vita per honeſta mutuæ converſationis exempla, ad ſacrorum ſuſceptionem Ordinum, prout in ſuis Eccleſiis Divini cultus miniſterium exigebat, idoneos reputarunt, Nobis, aut vice noſtra Ordines celebriter conferenti, pro ſuſcipiendis eiſdem, ad titulum ſuarum Eccleſiarum, citra aliam examinationem & ſcrutinium, ut hoc ſuis dimiſſum eſt conſcientiis hactenus, præſentarunt complures, ad præſentationem Eccleſiarum hujusmodi, de quorum vita & converſatione ipſis aliqualiter non conſtabat, titulos non habentes, imo (quod pejus eſt) per pactiones & renuntiationes præhabitas, ſpe habendi ab ipſis Eccleſiis titulum, penitus deſtitutos, intercedentibus quorundam precibus importunis (quibus prout frequenter fit, non concedenda conceduntur) ipſæ Eccleſiæ aliquoties reluctantes, adhoc contra conſcientias proprias inducuntur, & experientia non ſolum ad ſacros Ordines, ſed ad Sacerdotium etiam didicimus jam promotos: qui tandem ducti penuria in Omnipotentis DEI offenſam, & in ſui ordinis periculum, venale ſuum officium viſi ſunt exponere, & oſtiatim quærendo victum, in totius Cleri opprobrium publice mendicare. Cupientes huic morbo ex officii noſtri debito competentem adhibere medelam, vobis diſtricte ſub interminatione æternæ maledictionis, & ſicut illæſam vultis præfatam conſuetudinem obſervari (meretur enim ſuum uſum amittere conſuetudo, cum trahitur in abuſum) præſentibus inhibemus, ne quempiam, niſi actu in veſtris Eccleſiis obtinentem beneficium, ad titulum earundem, pro ſuſcipiendis ſacris Ordinibus Nobis, aut cui hoc committendum duxerimus, de cætero præſentetis, nec quiſpiam ad eas procuret

curet ſe a vobis, ubi actu non obtinet beneficium, præſentari, niſi ſuper eo a Nobis per patentes noſtras litteras, obtinuerit ſpecialem licentiam & conſenſum, & ſe prius noſtris Examinatoribus cum ipſis litteris, antequam procedat ad Ordines, repræſentet: & tam literarum hujusmodi, quam de vita, ſcientia, moribus, & ætate, & aliis, quæ in hujusmodi ſcrutinio (*a*) fuerint indaganda, approbationem obtineat ab eisdem. Qui vero contra præmiſſa ad titulum alicujus Eccleſiarum veſtrarum, de cætero ad aliquem ſacrum Ordinem procuraverit promoveri, Canonica monitione præmiſſa, ſententiam excommunicationis (quam in his ſcriptis ex tunc prout ex nunc ferimus) hujuſmodi præſumptorem incurrere volumus ipſo facto. Inſuper cum nonnullos in Eccleſiis veſtris etiam actu Beneficiatos, qui prætextu præfatæ conſuetudinis citra examinationem aliquam, ad locum, ubi conferuntur Ordines, proceſſerunt, ex (*b*) eo, quod minus erant congrue tonſurati, ab ipſo loco in conſpectu omnium non ſine magno ſcandalo amoveri, & ad ſacros ſuſcipiendos tunc Ordines, invenerimus non immerito refutari: Nos malo hujusmodi, antequam ad lucem ſic ſcandaloſe prodeat, occurrere fore ſalubrius attendentes, vobis univerſis & ſingulis noſtrarum Civitatis & Diœceſis, Clericis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus non obſtante præfata conſuetudine, antequam vos ad ſacros ſuſcipiendos Ordines præparetis, & ad locum, ubi conferuntur Ordines, reponatis, perſonas veſtras Examinatoribus noſtris, qui pro tempore fuerint, præſentetis, approbationem ſaltem ab ipſis ſuper tonſuratione & ætate debitis recepturi. In quo, ſi reperti fueritis negligentes, non ſolum vos volumus & mandamus publice refutari, ſed & nos contra vos juxta qualitatem facti arctius (*c*) procedemus. Datum Brulæ Anno Domini 1338. ſabbato poſt feſtum B. Mathiæ Apoſtoli.

C. II. *Contra Quæſtores Eleemoſynarum, & diverſos abuſus, & temerarias præſumptiones eorum.*

WALRAMUS, Dei gratia, ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius &c. Dilectis ſibi Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Plebanis, & eorum Vices gerentibus ſalutem in Domino ſempiternam.

Morbo, qui in noſtram Diœceſin quaſi communis irrepſit, quod nonnulli Eleemoſynarum quæſtores, ſe fore alios mentiuntur: & ut pauperum ſubſtantias rapiant, & aurum ſubtili, imo potius fallaci ingenio extorqueant, ad alia, quam eis competant, ſuæ extendunt limites poteſtatis; ſuper votis quidem de facto diſpenſant: a perjuriis, homicidiis, & peccatis aliis, ſibi confitentes abſolvunt: mala ablata incerta, data ſibi aliqua pecuniæ quantitate remittunt, tertiam aut quartam partem de pœnitentiis injunctis relaxant: animas tres, vel plures Parentum, aut amicorum, illorum, qui Eleemoſynas eis conferunt, de purgatorio (*ut aſſerunt mendaciter*) extrahunt, & ad gaudia Paradiſi perducunt: & alias complures *abuſiones* committunt: nonnulli etiam ſe confingunt habere poteſtatem per literas Apoſtolicas, quas non habent: & ſi habent, eis (ut præmittitur) abutuntur) ut per eas etiam ante, quam ipſæ literæ per Nos examinatæ fuerint, ſint admiſſi: huic inquam morbo cupientes mederi, remedio a ſede Apoſtolica jam proviſo, vobis Conſtitutionem per felic. recordation. Dominum CLEMENTEM Papam Quintum, contra hujuſmodi abuſores etiam in *CONCILIO VIENNENSI in præſenti noſtra Synodo* duximus publicandam, cujus tenor de verbo ad verbum dignoſcitur eſſe talis:

„ ABuſionibus, (*d*) quas nonnulli eleemoſynarum Quæſtores in ſuis „ proponunt prædicationibus, ut ſimplices decipiant, & aurum ſubtili vel fallaci potius ingenio extorqueant ab eisdem, cum in animarum cedant periculum & ſcandalum vergant plurimorum, viam (prout eſt Nobis poſſibile) præcludere cupientes, juxta ſtatutum Concilii generalis duximus prohibendum diſtricte, ne Quæſtores aliqui, niſi Apoſtolicas vel Diœceſani Epiſcopi literas exhibuerint, quomodolibet admittantur, nec permittantur: cum ſolum ipſis competat, indulgentias ſibi conceſſas inſinuare populo, & charitativa

(*a*) ſcrutinio pro examine (*b*) & eo (*c*) acrius
(*d*) Inter CLEMENTINAS Lib. V. Tit. IX. De pœnitentiis & remiſſionibus. Cap. II.

" tativa poſtulare ſubſidia ſuppliciter ab
" eodem: nullatenus CHRISTI populo
" prædicare, vel aliquid exponere, quam
" quod in literis continebitur ſupra dicta.
" *Literas quoque Apoſtolicas* DIOECESANI
" *EPISCOPI*, ne quid fraudis committi
" valeat per eaſdem, antequam admit-
" tantur Quæſtores, examinent diligen-
" ter. Ad hoc (*a*) cum aliqui ex hu-
" juſmodi Quæſtoribus, ſicut ad no-
" ſtram audientiam eſt perlatum, non
" ſine multa temeritatis audacia, & de-
" ceptione multiplici animarum, indul-
" gentias populo *motu ſuo proprio* de facto
" concedant: ſuper votis diſpenſent: a
" perjuriis, homicidiis, & peccatis aliis
" ſibi confitentes abſolvant, male abla-
" ta, incerta, data ſibi aliqua pecuniæ
" quantitate, remittant: tertiam aut quar-
" tam partem de pœnitentiis injunctis re-
" laxent: animas tres, vel plures Paren-
" tum, vel amicorum illorum, qui elee-
" moſynas eis conferunt, de purgato-
" riis (*ut aſſerunt mendaciter*) extrahant,
" & ad gaudium Paradiſi perducant: Be-
" nefactoribus iſtorum, quorum Quæ-
" ſtores exiſtunt, remiſſionem plenariam
" peccatorum indulgeant (& aliqui ex
" ipſis, eos a pœna & a culpa) *ut eorum*
" *verbis utamur*) abſolvant: Nos abuſus
" hujuſmodi, per quos cenſura vileſcit
" Eccleſiaſtica, & clavium Eccleſiæ au-
" thoritas deducitur in contemptum, om-
" nimode abolere volentes, ea per quoſ-
" cunque Quæſtores fieri, vel attentari
" de cætero diſtrictius inhibemus: om-
" nia & ſingula privilegia, ſi qua ſuper
" præmiſſis, vel eorum aliquo ſint aliqui-
" bus locis, ordinibus, vel perſonis
" Quæſtorum hujuſmodi, quomodocun-
" que conceſſa, ne ipſorum prætextu ſit
" eis materia talia ulterius præſumendi,
" *authoritate Apoſtolica*, quantum ad præ-
" miſſa, penitus revocantes. Quæſtores
" autem, qui deinceps in præmiſſis, vel
" aliquo præmiſſorum deliquerint, vel
" alias etiam quibuscunque privilegiis ſuis
" abuſi fuerint, ſic per locorum Epiſco-
" pos puniri volumus, nullo prorſus eiſ-
" dem quæſtoribus in hac parte privilegio
" ſuffragante; quod (*b*) a ſuis temera-
" riis auſibus, qui ubique (ut commu-
" nis habet aſſertio) nimium excreverunt,
" pœnæ formidine propenſius compeſ-
" cantur.

(*a*) hæc (*b*) quoad

Hujuſmodi igitur authoritate Conſtitutionis, vobis univerſis, & ſingulis Abbatibus, Prioribus, Prælatis, & Clericis, ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis, quam in vos, & veſtrum quemlibet hujuſmodi noſtri mandati tranſgreſſorem, monitione tamen Canonica præmiſſa, in his ſcriptis ferimus, diſtrictius inhibemus, ne aliquos elemoſynarum Quæſtores, etiam antea admiſſos per vos, quacunque authoritate fungantur, etiamſi literas Apoſtolicas ſuper eo ſe habere aſſerant, & oſtendant, niſi vobis *literas noſtras patentes* exhibuerint, quibus vobis appareat, quod per examinationem noſtram diligentem, ipſas literas Apoſtolicas tales invenerimus, quod earum prætextu ſint merito admittendi: nec ex tunc per vos ad alia admittantur, quam quæ expreſſa in his examinatis per Nos literis continentur. Quæſtores autem, qui in antea ſuam ultra, quam in ipſorum literis exprimitur, extenderint poteſtatem, vel qui in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum deliquerint, per vos eo ipſo volumus, & mandamus, ad competentes diem, & horam coram Officiali noſtro, cui in hoc committimus Vices noſtras, non obſtante quocunque exemptionis privilegio citari, pœnam pro meritis recepturos. Et diem, & horam citationis veſtræ per literas veſtras patentes, Sigillo veſtro, vel alio authentico ſigillatas, vel per alia legitima documenta prædicto noſto Officiali, quanto citius poteritis, ante citationis terminum intimari curetis. Datum Brulæ Anno 1338. Sabbatho poſt Feſtum B. Mathiæ Apoſtoli.

C. III. *Caſſatur conſuetudo, qua majorem Præbendam adoptans, ſi illa ab eo poſtmodum evincatur, debeat minori Præbenda, quam prius obtinebat, eſſe privatus.*

WALRAMUS, Dei gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, univerſo Clero noſtrarum civitatis, & Diœceſis ſalutem in Domino ſempiternam.

Cum in quibuſdam noſtræ Diœceſis Collegiatis Eccleſiis, in quibus nonnullæ minores, & quædam majores Præbendæ exiſtere dignoſcuntur, & ad majo-

majores per ipſas minores gradatim aſcenſus conſuevit haberi, ſic, quod ſenior in gradu minores obtinentium Præbendas, majorem Præbendam vacantem adoptare poteſt ſecundum conſuetudinem ibi hactenus obſervatam: dicaturque pro conſuetudine obſervari, eo ipſo, quod minorem obtinens Præbendam majorem adoptat Præbendam, quam ſibi, & nulli alii competere opinatur, etiam in hoc errore ducatur probabili, & ipſa Præbenda major ab eo, tanquam ſibi non competens, ſententialiter evincatur, licet nunquam ipſam majorem Præbendam poſſederit, vel occupaverit, vel fructus ex ea receperit, ipſa minor Præbenda ſua, quamvis nec re, nec verbo dimiſſa fuerit, vacare cenſetur, & tanquam vacans, alii conferri poteſt, ipſo adoptante ad eam nullo tempore regredi valituro: & propter hoc a multis didicimus in dubium revocari, an præmiſſa (dato etiam quod ſint conſuetudine introducta, cum potius contraria rationi, quam conſona, videantur) de jure poſſint & debeant pro conſuetudine obſervari. NOS igitur, quia ex hoc dubio plures perplexitates inter Beneficiatos ibidem etiam inevitabiles experimento didicimus eveniſſe, & complura prævidemus poſſe (niſi occurratur) ſcandala provenire; ut de cætero tollatur ambiguitas, & ſedetur opinio in præmiſſis: præfatam conſuetudinem, tanquam nulla ratione fulcitam, non fuiſſe, nec eſſe obſervandam, præſentibus declaramus: mandantes ipſis Eccleſiis, ut eandem de ſuis obſervantiis ſtudeant abolere. Datum Brulæ, anno Domini 1338. in vigilia B. Michaelis Archangeli.

C. IV. *De Tabellionibus ad exercendum officium Tabellionatûs non admittendis, niſi primitus per Dominum Officialem examinatis & admiſſis.*

WALRAMUS, Dei gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius &c. Dilectis ſibi Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Paſtoribus, Plebanis &c.

Quoniam morbum per noſtras Civitatem & Diœceſin generalem, compluribus noſtris damnoſum ſubjectis, & periculoſum Reipublicæ, cognovimus ex facti evidentia irrepſiſſe, quo dum paſſim hi, qui ſe ad dictas noſtras Civitatem & Diœceſin tranſtulerunt, vel in eiſdem degerunt, ad tabellionatus exercendum officium ſe ſenſerunt admitti, complures nulla legitima poteſtate fulciti, utpote, qui ab illis (quorum aliqui ſuam creandi poteſtatem, quam tamen aſſeruerint & aſſerant ab Imperiali culmine proceſſiſſe) de facto ſolum absque ullo, aut cum minus ſufficiente ſibi titulo, uſurparunt: aliqui etiam eorum penitus ſunt ignoti, ſic quod eorum poteſtas, cum nec oſtendi, nec famari poſſit, potius conficta præſumitur a creatis, quam uſquam rerum exiſtere in natura) aſſerunt ſe creatos, vel qui ſuæ creationis nullam oſtendunt, vel oſtendere poſſunt penitus poteſtatem: quoſdam etiam tam grammaticæ, quam contractuum ignaros, aut infames, perjuros & infideles, aliaſque leves perſonas, hujuſmodi didicimus officium uſurpaſſe. Propter quod juramentum, quod in creatione tabellionum præſtari conſuevit, ſuper contractibus uſurariis, & aliis per vim & fraudem conventis, nec non aliis factis, extrajudicialibus, ubi ipſi conficientes rogati non fuerint, immo (quod periculoſius) nec præſentes, ad voluntatem hoc petentium per falſitatis commentum, quædam etiam ex ſui forma falſa, & cum falſis datis, & indictionibus, nonnulla incerta, & defectuoſa, ex corruptione grammaticæ, complura confici vidimus publica inſtrumenta, quibus multi noſtri ſubjecti, etiam innocentes, ſtatus & honoris, & bonorum ſuorum periculum ſubierunt: Nos igitur tam generalem peſtem, & mortiferam plus omnibus venenoſam, per quam, ſine defenſione, in ſe innocens, potenter ſuccumbit, & ſibi latenter conſcius potenter aſcendit, de noſtris terminis extirpare radicitus, quo poſſumus, conamine cupientes, omnibus & ſingulis, cujuſcunque conditionis, aut ſtatus fuerint, (eis tamen exceptis, qui ab Imperiali authoritate ſine medio proceſſerunt,) qui in noſtra civitate, & Diœceſi in antea tabellionatus officium voluerint exercere, præſentibus inhibemus; ne hujuſmodi officium in judicialibus, vel extra judicialibus factis, quoquomodo exerceant clam vel palam, niſi prius ad Officialis noſtri pro tempore exiſtentis ſe præſen-

ſentiam contulerint, cui in plenam, & ſpecialem præſentibus tribuimus poteſtatem: & per eum, cujus authoritate hoc officium exercendi ſibi poteſtatem vendicent, & de aliis, quæ fuerint indaganda, reperti admiſſibiles, & idonei ad hujuſmodi exercitium in eiſdem licentialiter admittantur; quorum nomina poſthac ab ipſo Officiali noſtro volumus regiſtrari. Alioqui in omnes, & ſingulos contrarium facientes, ſex dierum monitione præmiſſa, excommunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis: & nihilominus inſtrumentis per ipſos confectis nullam fidem per præſens noſtrum ſtatutum volumus ac decernimus adhiberi: inhibentes, etiam vobis omnibus, & ſingulis ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis (quam ipſo facto incurrere volumus contrarium facientes) ne aliquis veſtrum quarumcunque commiſſionis literarum prætextu, quenquam in tabellionem creet, niſi prius ipſum in his, quæ de jure tabellio ſcire debet, examinaverit diligenter, & per examinationem ſolertem convenienter idoneum repererit, ad ipſum Officium exercendum, & etiam juramentum præſtiterit, in ipſa creatione præſtari debitum, & conſuetum. Datum & actum de Capituli noſtri conſilio & conſenſu. *Anno Domini* 1338. *in craſtino B. Michaelis Archangeli.*

C. V. *De annis gratiæ ultra triennium non extendendis. Et quod obſervetur Conſtitutio*: *SUSCEPTI REGIMINIS, per JOANNEM Papam XXII. edita.*

WALRAMUS, DEI gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius: Dilectis ſibi Abbatibus, Præpoſitis &c.

Omnium malorum radix cæca (*a*) cupiditas, cæcitatis ſibi nomen proprium (*b*) adoptavit: quæ dum ſuo ardore avendo diffunditur, nec in ſe, nec in aliis videt, quod indiget rectæ (*c*) judicio rationis, ſed ſolum ambit, quo ſuo appetitui, quamvis inſatiabili, ſatisfiat. Ex hac autem ſitienti radice per ſolertem indagationem *in Viſitatione nonnullarum Eccleſiarum, noſtrarum* Civitatis & Diœceſis, tam per Nos, quam noſtros in hac parte Commiſſarios nuper facta, cognovimus proceſſiſſe, quod fructus Beneficiorum vacantium in eisdem ad certos annos de conſuetudine, vel ſtatuto competentes Eccleſiæ vel defuncto, ipſis ſic totaliter applicantur; quod in locum defuncti, eisdem annis durantibus, nullus ſubſtituitur, qui ſerviat Eccleſiæ in Divinis: propter quod ipſæ Eccleſiæ debito Miniſtrorum obſequio, præſertim [uti ſæpius contingit] plurium Beneficiorum vacationibus concurrentibus, non abſque grandi cultûs detrimento Divini, & fundatores locorum ſuis votis & piæ inſtitutionis (*d*) propoſito defraudantur. In tantum etiam a quibusdam Eccleſiis in numero annorum exceditur; quod qui hujusmodi Beneficia Canonice obtinent, & ad quos alias fructus ipſorum de jure pertinere deberent, ſpem abjiciunt hujuſmodi fructus conſequendi: & contra Clericalis ſtatus decentiam, neceſſitate cogente, urgentur ſe negotiis ſæcularibus immiſcere, & in foro (quos potius deceret in Vinea (*e*) Domini) converſari. Quædam etiam Eccleſiæ non contentæ ſuis exceſſibus, in præmiſſis abuſum adjiciunt, quo coincedentibus ejuſdem Beneficii, antequam ipſum obtinens, fructus percipiat ex eodem, pluribus vacationibus, ex ultima vacatione completum ſibi annorum numerum deberi hactenus obſervarunt: licet etiam de primæ vacationis tempore, uno duntaxat die excepto, omnium annorum curricula effluxiſſent: propter quæ (*f*) experimento didicimus, unum & idem Beneficium ſuo miniſterio in talibus Eccleſiis decem & octo annis & amplius deſtitutum. Item nonnullæ Eccleſiæ de facto obſervant, licet nulla ſuper eo præſcripta conſuetudine, vel alia cauſa rationabili ſe tueantur, quod ubi via permutationis aliquis ad eorum transferatur Eccleſiam, ſibi per biennium fructus cedere debeant ſic tranſlati, etiamſi Beneficium, ad quod transfertur, ſubjaceat exſpectantiis antedictis, quod & utique in noſtræ authoritatis, per quam plene & libere unus translatorum in locum transfertur alte-

(*a*) I. Timoth. VI, 10. (*b*) propriis (*c*) recto
(*d*) eleemoſynis (*e*) domo (*f*) quod

alterius, præjudicium, immo Divini cultus detrimentum, & contra permutationis negotium, cum hoc agatur, ut qui transfertur, ibi se valeat utilius exercere, dignoscitur redundare. Insuper ipsas Ecclesias in observatione Constitutionis: Suscepti regiminis, per felic. Record. JOANNEM Papam XXII. editæ, qui præmissis in parte salubriter duxerat providendum, non solum desides, sed contra eandem quamplurimum quibusdam confictis coloribus excessisse invenimus: eo quod asserunt se habere consuetudinem (in dicta Constitutione utique reprobatam) per quam receptos ad Beneficia ipsius Ecclesiæ post juramentum ab eisdem præstitum de suis consuetudinibus observandis (ac si juramento hujusmodi adstringantur) ad non utendum, immo renunciandum ipsi Constitutioni, licet & hoc ipsum non teneat, simplices alliciunt & inducunt: volentibus etiam ea uti, ita difficiles se reddunt, quod a suo conanime indirecte coguntur penitus abstinere. Et his suis abusionibus ut valeant quietius immorari, & sic fructus dictis annis cedentes, suis condivisionibus (quas Capitulares attitulant) usurpare, quos Divites & Christi patrimonio dilatatos, pro luxuriatione victus, sub colore, quod Ecclesiarum utilitatibus reserventur, quæ a proventibus communibus, & illorum, qui plus ab Ecclesia receperunt, deberent potius procurari, suis privatis usibus imbursare, & sic in eis pauperes defraudare: quo aliqui pro Ecclesiastico stipendio & Clericali titulo acquirendis se ipsos exinaniverunt, patriæ suæ sunt exules, & de divitibus facti pauperes quotidie experimur, eorum observantiis adscribunt, & consuetudinibus, licet nulla præscriptione juventur, quod fructus suorum Beneficiorum dicto tempore exspectantes, licet alias sint habiles ad Capitulum & Capitulares tractatus ipsius, nec vocari debeant, nec admitti, ad quæ ratione Canonis, etsi nullam actu Præbendam inibi obtinerent, de jure deberent alias evocari.

NOS igitur ex suscepti cura regiminis, de agro Nobis commisso, dictarum abusionum tribulos, ne suis plantationibus invaleant, & ex tempore licere credatur, quod est ratione prohibitum, extirpare funditus sitientes: vobis districte præcipimus & mandamus, quatenus dictam Constitutionem Suscepti Regiminis, in omni sui (g) forma diligentius observetis, & omni studio caveatis, ne pœnas contentas & expressas in eadem tam formidabiles, incurratis. Prohibemus etiam, ne aliquid per vos, vel alium, clam vel palam, directe vel indirecte, quovis ad hoc quæsito colore, ad renuntiandum ipsius Constitutionis Beneficio, vel non utendum eadem, inducatis, vel induci quomodolibet procuretis: sed volentem ea uti quemlibet libere sine offendiculo permittatis, nec propter hoc eidem graves in aliquo vos reddatis. Alioqui in omnes & singulos contrarium facientes, vel fieri procurantes, sex dierum monitione præmissa, excommunicationis sententiam ferimus in his scriptis.

Item, quia causas rationabiles cessare reperimus, immo (ut profertur) vergere in abusum, quod tot annis (sicut aliquæ Ecclesiæ sibi competere contendunt) Beneficiati beneficiorum suorum fructus debeant exspectare, Nos in hac parte alias Ecclesias ad uniformitatem cum nostra Ecclesia Cathedrali, & nonnullis aliis Ecclesiis, quæ suis antiquis observantiis nituntur, sic ut nec ipsis exspectantibus nimis grave, nec ipsis Ecclesiis, nec defunctis nimium præjudiciale reddatur, reducere volumus: statuentes, ut nulla Ecclesia nostrarum Civitatis & Diœcesis, sibi & defuncto, ultra triennium fructus Beneficiorum ipsius Ecclesiæ vacantium, vel in antea vacaturorum, etiamsi durantibus exspectantiis vacent pluries successive, de cætero vendicent vel usurpent. Sed ulterioribus exspectantiis & biennii (quod tam cessante causa rationabili, quam consuetudine legitime præscripta, de facto solum sibi quædam Ecclesiæ, factis permutationibus vendicarunt) penitus abrogatis, Ecclesiæ, quæ non paucioribus gaudent annis, pro se & defunctis triennio sint contentæ: sic quod ubi defunctus minus non habet biennio, & Ecclesia minus anno, ipse defunctus biennio & Ecclesia gaudeat solo anno. Si vero minus, tunc quilibet suis utatur observantiis: sic tamen, quod triennii curricula in dictis exspectantiis non transcendantur.

(g) sua (h) eodem

dantur. Dicto autem durante triennio, in locum defuncti, ne Ecclesia debito Ministrorum obsequio defraudetur, in casu, ubi obtinens Beneficium, dicta Constitutione SUSCEPTI REGIMINIS non uteretur sua sponte, de fructibus ipsius Beneficii, Minister, ad debitum Ecclesiæ servitium impendendum, idoneus ordinetur. Volumus etiam, quod interim obtinens Beneficium [dummodo alias sit habilis] vocem habeat in Capitulo: & sicut alius vocem habens, admittatur ad Capitulum, & vocetur: eique quotidianæ distributiones, ut aliis, si Divinis adfuerit, tribuantur. Quæ non solum ad Beneficia vacatura, sed & quæ vacarunt antea, quorum tamen exspectantiæ adhuc pendent, ut simul juncti anni præteriti & futuri, sub triennio limitentur: & postquam lapsum fuerit triennium, vel si jam lapsum est triennium, omnino exspectantiæ sint extinctæ, extendi volumus & mandamus: non obstantibus contrariis consuetudinibus, indulgentiis vel statutis nostris, vel Prædecessorum, vel ipsarum Ecclesiarum, quacunque Nostra vel Prædecessorum nostrorum confirmatione vallatis: quas & quæ (quia causæ eorum cessant, & ea vergere in abusum, ut prædicitur, cognovimus) viribus per præsentes penitus vacuamus. Datum Brulæ anno Domini 1338. in crastino B. Michaelis, & publicatum *in Synodo* in crastino B. Remigii.

Quoniam Extravagantis hujus: SUSCEPTI REGIMINIS, a JOANNE Papa XXII. editæ, in præcedente mandato & postea rursum aliquoties celebris mentio fit, eaque hic tam sedulo observari præcipitur; ne ex ignotis procederemus, simul ut studioso ad manum esset, de quo diligenter adeo WALRAMUS agit, visum est, eam hic de verbo ad verbum, quemadmodum in Extravagantibus habetur, subjicere, idque hoc pacto:

Constitutio Extravagans JOANNIS Papæ XXII.

" SUscepti regiminis Nos cura sollicitat, ut quæ in Ecclesiis non absque dispendio ministrorum, & cultus detrimento Divini servari videamus, per appositionem congrui moderaminis melius reformemus. Cum itaque in nonnullis Ecclesiis observetur, & a longis retroactis temporibus fuerit observatum, quod fructus primi vel secundi, aut alterius cujuscunque sequentis anni Beneficiorum vacantium in eisdem, defuncto, vel fabricæ, aut Ecclesiis, vel personis habentibus annalia, de consuetudine, privilegio, vel Statuto applicentur in totum: ita, quod illi, qui hujusmodi Beneficia Canonice obtinent, & ad quos alias de jure fructus ipsi spectare deberent, nihil inde percipiunt: unde illud inconveniens sequitur, quod commode nequeunt ad impendendum servitium debitum residere in Ecclesiis, in quibus Beneficiati existunt. Nos de illo super his remedio providere volentes, per quod hi & illi in fructuum perceptione prædictorum participent, & Ecclesiæ debitis servitiis non fraudentur, præsenti decreto statuimus de fratrum nostrorum consilio, quod illi, qui fructus prædictos sibi hactenus integre vendicabunt ex privilegio, de consuetudine, vel statuto, nihil exinde ultra summam, pro qua unumquodque Beneficiorum ipsorum consuevit in decimæ solutione taxari, prætextu cujusvis privilegii, consuetudinis vel statuti, quovis modo percipient: sed ipsius summæ perceptione duntaxat sint omnino contenti, totali residuo prædicta obtinentibus Beneficia remansuro: nisi forsan illi, qui fructus eosdem soliti fuerint (ut præfertur) cum integritate percipere, per se mallent ipsum habere residuum, & obtinentibus ipsa Beneficia summam dimittere memoratam: quo casu, percipiendi, quod maluerint, illis relinquimus optionem, sic quod intra decem dies, postquam sciverint Beneficia ipsa vacare, ii, quibus annalia ipsa debentur ex privilegio, consuetudine, vel statuto, aut ipsorum annalium collectores, quam partem habere voluerint, an scilicet decimæ taxationem, vel illa dimissa, residuum (nulla subhastatione præmissa) eligere teneantur. Quam electionem, si intra dictos decem dies non fecerint, ut est dictum, extunc ad eum, cujus est Beneficium, hujusmodi optio, vel electio transeat ipso jure. Et hoc in

" Ecclesiis & partibus illis, in quibus " Beneficia majora & alia, quantum ad " solutionem decimæ, sunt taxata, vo- " lumus observari. In illis vero parti- " bus & Ecclesiis, in quibus decima- " rum taxatio non est facta, servetur, " quod fructus & obventiones Beneficii " tunc vacantis, quos in decima solvere " consuevit, per medium dividantur: " quorum medietatem habeat is, cui an- " nalium per alterum de prædictis modis " perceptio est concessa: Reliquam ve- " ro medietatem percipiat ille, cui Be- " neficium est concessum, pro sustenta- " tione sua, & aliis Ecclesiæ oneribus " supportandis: quorum, si alter de præ- " dictis, prædicta medietate voluerit " esse contentus, altero contentari no- " lente, pars volentis ipso jure transeat " ad nolentem: & volens, fructus & " obventiones illius Beneficii percipiet " universos, eidem Beneficio congrue " faciens deserviri, ac ejus supportans " onera consueta. Et si quicquam ali- " quis prædictorum ultra præmissa per- " ceperit, illudque his, ad quos perti- " nebit, intra mensem non restituerit " eum effectu, eo ipso si Episcopus, vel " Superior Prælatus fuerit, a Pontifica- " libus, & ingressu Ecclesiæ noverit se " suspensum: Si autem Capitulum, " Universitas, vel Collegium; Ecclesia- " stico interdicto se noverit (donec præ- " dicta cum integritate restituerit) sub- " jacere. Si vero aliqua singularis per- " sona Ecclesiastica, vel mundana id fe- " cerit, excommunicationis incurrat " sententiam ipso facto: a qua, nisi re- " stitutione præmissa (præterquam in " mortis articulo) minime absolvatur: " non obstantibus quibuscunque privi- " legiis, vel indulgentiis, aut contrariis " consuetudinibus, aut contrariis statu- " tis, juramento, confirmatione Sedis " Apostolicæ, aut alia quæcunque fir- " mitate vallatis. Quæ omnia quoad " hæc, authoritate Apostolica revoca- " mus, cassamus, & irritamus, & nul- " lius deinceps esse volumus firmitatis. " Nulli ergo omnino hominum liceat " hanc paginam nostræ constitutionis, " revocationis, cassationis, & volunta- " tis infringere, vel ei ausu temerario " contraire. Si quis autem hoc atten- " taverit, indignationem Omnipotentis " DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apo- " stolorum ejus, se noverit incursu- " rum.

" Datum Avinione Kalendas No- " vembris, Pontificatus nostri Anno II.

COLONIÆ SYNODUS

ANNO MCCCXXXIX.

C. I. *De exspectatione triennii, ultra quod anni gratiæ se non extendant.*

WALRAMUS, Dei gratia, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, dilectis in CHRISTO omnibus & singulis &c.

Nuper sitientes Divini cultum nominis, nostris temporibus augmentari, & ea, quæ in detrimentum ipsius a nonnullis Ecclesiis nostræ Diœcesis abusive observata fuerunt, tamquam ratione carentia extirpari, super observatione constitutionis, SUSCEPTI REGIMINIS, per felicis recordationis Dominum JOANNEM Papam XXII. editæ, circa quam aliqui ex ipsis, quæsitis ad hoc circunventionibus, dum fructus suorum Beneficiorum expectantes, ei renunciare, vel non uti, opponendo, comminando, vel se eisdem graves reddendo, aut blandiendo induxerunt, quamplurimum excedebant, non permittentes aliquem libere ea uti: nec non restrictione annorum exspectantiarum, competentium Ecclesiæ & defuncto, ut quotiescunque eis durantibus vacet idem Beneficium successive, ipsi triennium non transcendant: quo nihilominus durante, si Beneficiatus sua sponte dicta constitutione non uteretur, Minister substituatur idoneus, qui Ecclesiæ serviat in Divinis: ipse etiam Beneficiatus, si alias sit habilis, vocem in suo habeat Capitulo, & non solum veniens admittatur, sed etiam sicut alius advocetur, eique ut alii quotidianæ distributiones, si Divinis adfuerit, tribuantur: mandatum nostrum, in

in parte videlicet ſuper dictæ Conſtitutionis transgreſſione pœna vallatum, ne ſubditis noſtris, dum eam ſic circumvenire putarunt, laqueus pateret, emiſimus, & in *proxima præterita noſtra Synodo* fecimus ſolenniter publicari. Verum, quia tandem experientia certa didicimus, quod nonnulli dictorum excedentium ſola prohibitione ſua audacia non contenti, immo etiam in ſententias dictæ Conſtitutionis & Noſtras quamplurimum formidabiles, incidere non timentes, dictum mandatum noſtrum ludibrioſis non ſolum verbis contemnunt, ſed & eo & dicta Conſtitutione uti volentibus realiter ſe opponunt: confingunt etiam & aſſerunt, eos per hoc perjurium incurrere, eo quod contrarium dicti mandati noſtri, aſſcribunt ſuis obſervantiis & ſtatutis, quæ ſe obſervaturos tempore ſui introitus more ſolito jurarunt. Quidam etiam eis, quod ante præfatum mandatum, dictæ Conſtitutioni renunciaverint, objiciunt: defectum tamen eorum in Divinis ſupplere negligunt, imo nolunt, & ut ipſum mandatum circumveniant & defraudent, ipſis Divinis intereſſentibus diſtributiones minuunt, quas (*a*) tunc inter ſe poſtea in quantitate diſtribui conſueta alibi partiuntur. NOS igitur conveniens reputantes, ut quos exceſſuum prohibitio, & DEI timor a malo non revocat, ſaltem cohibeat ſeveritas Eccleſiaſticæ diſciplinæ: vobis omnibus & ſingulis diſtricte præcipimus & mandamus, quatenus dictum noſtrum mandatum, quod Nos præſentibus innovamus in omni ſui forma, & ſingulis ſuis Capitulis, non obſtantibus juramentis prædictis & renunciationibus ante ipſum factis, quos propter detrimentum Divino cultui inde veriſimiliter ſubſecuturum decernimus non valere, ſine fraude aliqua firmiter obſervetis. Alioqui contrarium facientes, vel fieri procurantes directe vel indirecte, clam vel palam, quovis ad hoc quæſito colore, ſex dierum monitione præmiſſa, a tempore publicationis præſentis noſtri mandati, excommunicationis ſententiam (quam in his ſcriptis exnunc prout extunc in ipſos ferimus) incurrere volumus ipſo facto. Denunciamus inſuper, & per vos denunciari mandamus excommunicatos eos omnes & ſingulos, qui Conſtitutione: SUSCEPTI REGIMINIS, prædicta, contra prohibitionem dicti mandati noſtri, poſtea ſunt abuſi: volentes ipſos a vobis, de quibus conſtiterit, in judicialibus & extrajudicialibus præſertim in Divinis Officiis, evitari. Datum anno Domini MCCCXXXIX.

C. II. *De Fraternitate S. Petri, & de ejus interpretatione.*

WALRAMUS, Dei gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, dilectis in CHRISTO Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Archi-Diaconis, Decanis &c.

ETSI promotio tam magnifici operis fabricæ Eccleſiæ majoris Colonienſis, præcipue Nobis, qui ſpeciali vinculo illi jungimur, & CHRISTI Fidelibus cunctis debeat in pietatis viſceribus inſiſtere; decet tamen & eſt debitum, ut vigeat diſcretio, ſic quod (*b*) illud non effugiat judicium rationis, ne, dum hujuſmodi fabricam promoviſſe putemur, ſuccreſcat diſpendium, aut alia illicita compenſatio pro favore hujuſmodi inconvenientiis admixta. Dudum ſiquidem nonnulli Prædeceſſores noſtri, & Nos ipſi, ad promovendam felicem conſummationem ſtructuræ dictæ fabricæ multum laudabilem, & non modicum ſumptuoſam, corda gerentes ardentia, indulſimus & conceſſimus, ut utriuſque ſexus homines, qui fraternitatem ejuſdem Eccleſiæ noſtræ receperint, & penſionem annuam promiſſam, & exinde debitam devote perſolverint, ſi authoritate *Statutorum* Eccleſiæ noſtræ *Provincialium aut Synodalium*, vel noſtra ordinaria quacunque, vel Officialis noſtri, vel Archi-Diaconorum noſtrorum, vel Decanorum, aut aliorum quorumcunque noſtræ juriſdictionis Eccleſiæ fuerint interdictæ, ipſoſque fratres ſeu eorum liberos infirmari, vel mori contigerit (dummodo non fuerint uſurarii manifeſti, vel excommunicati, aut interdicti) inungantur: & ſi deceſſerint, corpora defunctorum tradantur Eccleſiaſticæ ſepulturæ: quibus exequiis, & Miſſis fideles Chriſtiani poterunt intereſſe, ſi voluerint, non obſtante hujuſmodi inter-

(*a*) tamen. (*b*) *forte*: illa

interdicto: quod interdictum, seu quæ interdicta, quo ad unctionem, & ad ipsam diem sepulturæ & exequiarum, ducimus relaxandum, non ergo ad alia: interdictis tamen hujusmodi, lapsis diebus exequiarum prædictarum, in suo robore ulterius duraturis. Et postmodum ad ambitiosam, & importunam quorundam instantiam, per quam multocies non concedenda conceduntur, præmissis indulgentiis nostram declarationem subjunximus, videlicet, quod etiam hi, qui ad cursum vitæ suæ pensionem annuam non darent, sed cum potuerint, largiuntur, & asscribi faciunt ad fraternitatem prædictam, quod a die largitionis, & oblationis usque ad annum gaudere debent omnibus & singulis libertatibus, privilegiis, & gratiis fabricæ supradictæ: sic tamen, quod si anno revoluto hoc non facerent, ab hujusmodi libertatis gratia forent exclusi: nihilominus tamen quocunque postmodum tempore asscribi possent, & gaudere libertatibus antedictis. Verum, quia experientia didicimus, quod per declarationem nostram hujusmodi, sibi quidam, contra tamen intentionem nostram, quandam occasionem, quamvis fatuam, assumpserunt, qua ipsi & nonnulli infirmi, qui dum essent sani, de hoc minime curaverunt, pro sola gloria humana, & vivorum solatio, exequiarum post mortem solennia affectantes, se ad dictam fraternitatem, & privilegia ejusdem pro uno denario, vel duobus fecerunt recipi & asscribi. Unde in aliquibus partibus nostræ Diœcesis (ubi magis contra libertatem Cleri invaluit audacia perversorum) raro contingebat, quin tempore generalis interdicti Missarum solennia pro sepulturis hujusmodi secundum prædicta privilegia haberentur: propter quod ibidem (c) dissolveretur pariter & (d) vilesceret nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, & libertas Ecclesiæ destruitur, pro qua dicta interdicta sunt provide adinventa. Læsores enim illius per hoc contra Clerum eo licentius animati, non quærunt satisfacere, nec curant populares, & eorum Domini insurgere contra ipsos: Dehonestatur etiam honor fabricæ, cujus tanta privilegia passim ab omnibus comparari posse pro tam vili pretio publicantur: & si inde dictæ fabricæ, secundum quorundam opinionem, aliquod emolumentum quomodolibet eveniret (quod tamen credere non valemus, cum res minori taxatæ præcio, ut frequentius refutentur, quæ pro justo, vel majori avidius peterentur) non est talis tamen cum tantis inconvenientiis compensatio admittenda. Nos igitur crebris super his Cleri in dictis partibus miserabiliter afflicti lamentationibus excitati, præfatam declarationem nostram, tanquam per importunitatem obtentam, & quæ tracta est contra intentionem nostram notorium in abusum, cum omni suo effectu præsentibus revocamus, & de consilio & *consensu Capituli & Prælatorum nostrorum* declaramus & statuimus, quod hi duntaxat, qui se in Fratres dictæ Fraternitatis faciunt recipi & asscribi, sani vel infirmi, pro annua pensione ad minus unius Somborini bladi mensuræ Coloniensis, aut pro sex solidis Coloniensis pagamenti, singulis annis ad dies vitæ eorum præstandis & solvendis, & de hoc sufficienter secundum consuetudinem & exigentias locorum, ubi talia fiunt, cavetur, ita quod hoc firmum sit, nec de eo possit postea quæstio seu dubitatio suscitari, gaudebunt pro se & suis liberis secundum indulgentias nostras, & Prædecessorum nostrorum prædictorum, quoad dictam inunctionem, & diem Ecclesiasticæ sepulturæ cum Missa pro Defunctis, in forma, qua superius est expressum. Quod sic duximus declarandum: gaudebunt quoad diem, id est, spatium diei, quo præmissa sine fraude possunt commode expediri: & quoad hoc, & non quoad totam diem, interdicta hujusmodi tantummodo relaxamus. Non est tamen intentionis nostræ, quin præter indulgentiam hujusmodi inunctionis, Missæ, & Sepulturæ tempore interdicti, Christo devoti Fraternitatem prædictam pro minori, de quo eis Deus inspiraverit, possent habere, ac Fratres ejusdem Fraternitatis appellari, & participare in Missis, orationibus, jejuniis, vigiliis, castigationibus, & aliis operibus charitatis, quæ ob dictam Fraternitatem, & ut Fratres illius eorum participes sint, fuisse dignoscuntur hactenus instituta. Summo itaque opere caveatis, ne in his, quæ pro tutela libertatis vestræ duximus ordinanda, inveniamini in aliquo trans-

(c) *forte:* dissolvitur

(d) *forte:* vilescit.

transgreſſores, itâ quod de cætero nullum Fratrem dictæ Fraternitatis, in indulgentia Unctionis, Sepulturæ & Miſſæ prædictarum participem habeatis, niſi tantum dederit, & de hoc etiam ſufficienter caverit, de quo tamen vobis, qui Curati illius fueritis, plene conſtat, quantum, & ſicut ſuperius eſt taxatum & ſtatutum. Alias contra vos tanquam transgreſſores interdictorum & prophanatores Divinorum, ad officiorum veſtrorum privationem, & alias pœnas Canonicas, quantum de jure poterimus, arctius procedemus. *Datum, ut ſupra.*

COLONIÆ SYNODUS AUTUMNALIS
ANNO MCCCXLIV.

I. *Moderatio Statuti de tribus annis exſpectandis, ad quadriennium extenſis.*

WALRAMUS, DEI gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius. Dilectis ſibi Præpoſitis, Decanis Eccleſiarum Collegiatarum, nec non Collegiis, Decanis Chriſtianitatum, Plebanis, & eorum vices gerentibus, ac univerſis Clericis noſtrarum Civitatis & Diœceſis, ſalutem in Domino ſempiternam.

Quoniam novis morbis ſupervenientibus, convenit nova antidota præparari, dudum quidem quoddam mandatum edidimus, & ſub anno Domini *Milleſimo trecenteſimo trigeſimo octavo in noſtra Generali Synodo* tunc celebrata fecimus ſolenniter publicari, per quod volentes in annis exſpectantiarum, Eccleſiis noſtrarum Civitatis & Diœceſis, de privilegio, conſuetudine vel ſtatuto competentibus, pro fabrica vel defuncto, moti quibusdam rationibus juri & æquitati (ut videbatur) conſonis, ipſas Eccleſias ad conformitatem reducere cum noſtra Eccleſia Cathedrali, revocatis & annullatis penitus illis exſpectantiis, quas poſt factas permutationes ſibi aliquæ Eccleſiæ vendicabant, annos hujusmodi exſpectantiarum in Eccleſiis illis, quæ plures habebant, duximus ſub triennio limitandos. Verum quia tandem diverſarum Eccleſiarum querelis frequentius excitati didicimus, & etiam experientia facti percepimus, quod nonnullæ Eccleſiæ ex limitatione prædicta in eorum Fabrica & ornamentis Eccleſiæ, ad quorum uſus fructus annorum *exſpectantiarum* prædictarum convertebant, & convertere tenebantur, ſenſerunt notabile detrimentum: Nos igitur cupientes dictam limitationem, & mandatum propter eam (e) factam totaliter moderari, quod non reddatur Eccleſiis in hujusmodi uſibus nimium præjudiciale, nec etiam exſpectantibus nimis grave, de *conſenſu Capituli Eccleſiæ noſtræ* Colonienſis ita duximus ſtatuendum, quod Eccleſiæ noſtrarum Civitatis & Diœceſis, quæ prius ante mandatum noſtrum prædictum, habebant quatuor annos exſpectantiarum aut plures, ſolummodo quatuor annos, ſicuti illos prius habuerunt pro defuncto & fabrica de cætero obtinebunt:

II. *De conjungendis temporibus, & expectantiis in utilitatem Eccleſiæ convertendis.*

Sic tamen, quod ſi expectans, hujuſmodi præbendæ fructus aliquo tempore expectaverit, & poſtea tacite, vel expreſſe ceſſerit vel deceſſerit, primæ & ultimæ expectantiæ conjungantur, & conjunctæ ſimul, numerum dicti quadriennii non tranſcendant. Eccleſiis etiam, quæ poſt permutationes habebant ante dictam limitationem, duorum annorum aut plurium expectantias, reſtituimus ſolummodo duos annos, ſic, quod iſtorum duorum annorum fructus non debebunt Eccleſiarum Canonici inter ſe dividere, ſed in utilitatem Eccleſiarum duntaxat fideliter convertere pro fabrica vel ornatu.

III. *Quod permutans poteſt redimere duos annos pro tribus libris groſſorum monetæ Domini Colonienſis.*

Statuimus tamen, quod ipſi permutantes, ſi voluerint, fructus hujuſmodi

(e) *forte:* factum.

modi duorum annorum in qualibet Ecclesia pro tribus libris grossorum Turonens. monetæ nostræ, aut valore eorundem, aut unius anni pro XXX solidis ejusdem monetæ, quem elegerint redimendum, redimere poterunt: & hujusmodi redemptione facta, statim intrabunt plenam perceptionem, & participationem fructuum Præbendarum suarum, & quotidianarum distributionum, aliarumque obventionum, proventuum, jurium, & reddituum ipsarum Ecclesiarum pro duobus, vel uno anno, secundum quod redemptio processerit, sicuti facerent, si sibi horum annorum expectantia non obstaret. Et prædicta pecunia debet tantummodo converti pro ornatu Ecclesiæ, aut ad usus fabricæ, ut præfertur: per præmissa autem illis Ecclesiis, quæ ante præfatæ nostræ limitationis mandatum, post alicujus Canonici cessum, tacitum, vel expressum, aut decessum expectantiarum quatuor, aut post permutationes duos annos antea legitime & Canonice non habebant, nihil novi censebitur attributum: sed manebunt in suis consuetudinibus, privilegiis & statutis, quoad numerum ac alia, eo vigore & firmitate, sicuti ea ante revocationem hujusmodi habuerunt. Porro, quod ad præfatam nostram moderationem pertinet, dictæ nostræ limitationis mandatum, pœnasque & sententias in ipso latas, & expressas, cum omni suo effectu, præsentibus revocamus, & penitus annullamus. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum una cum sigillo Capituli nostri prædicti, præsentibus est appensum.

Et Nos Capitulum Ecclesiæ Coloniensis, in signum consensus nostri prædicti, & testimonium præmissorum, sigillum nostrum duximus præsentibus appendendum. Datum Anno Domini MCCCXLIV. feria VI. post Festum S. *Andreæ Apostoli.*

COLONIÆ SYNODUS AUTUMNALIS

ANNI MCCCXLVI.

I. *De Clericis, & Religiosis vina seu cerevisiam dividentibus contra vel præter formam, & modos permissos.*

WALRAMUS, Dei gratia, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, universis in hac *præsenti Sacra Synodo* congregatis, salutem in Domino.

Piæ memoriæ HENRICUS olim Prædecessor noster, constitutioni olim per felicis recordationis CLEMENTEM Papam quintum super hoc editæ non inconsulte inhærens, statutum contra Clericos tam sæculares, quam Religiosos, tabernariorum officia exercentes, edidit, ipsum præcipiens sub diversarum pœnarum exaggeratione censuræ Ecclesiasticæ, a suis subditis observari: per quod tamen statutum, quenquam a venditione vinorum, si qua ei a Beneficiis suis, seu aliunde præter negotiacionis causas derivata fuerint, dummodo hoc sine dolo, nec in fraudem hujus statuti fecerit modis hactenus consuetis & decentibus, noluit prohibere. Quod etiam statutum ad personas fœminarum, sive Ecclesiarum sæcularium, seu Monasteriorum duxerat extendendum. Nosque propter hæc, quia super hoc fuerat dubitatum, modos consuetos & decentes, quibus Clerici & Ecclesiasticæ personæ, vina de suis Beneficiis, vel aliunde, *præter negotiacionis causas* derivata, possent licite venditioni exponere, in quodam nostro statuto declaravimus explicite in hunc modum: " Quod scilicet horum vinorum venditiones sine " cauponum vociferatione & clamore, " & quantum in venditoribus est, sine " fraude, absque demoratione hominum bibentium ea vina intra vel ante " domum, ac intra immunitatem, in " quibus vina venduntur, fierent, & " potare volentibus hæc vina, ne eis " ibidem remanendi, & demorandi occasio præbeatur, pocula sive amphoræ, *sicut in tabernis publicis laicalibus* " *fieri consuevit*, non commodarentur, " nec aliqualiter ministrarentur: Eos " quidem Clericos & Ecclesiasticas personas, qui secus venditionem vinorum fece-

" fecerint; in pœnas dicti ſtatuti in ipſos " promulgatas, incidere decernentes." Verum quia percepimus veraciter, quod harum formidine pœnarum, nonnulli Canonici, Clerici, & Monachi, nec non Canonicæ & Monaſteriorum fœminæ intra immunitates his ſtatutis contrarium facere, & diverſis modis fraudem circa ea committere non verentur: Quidam enim ex eis, cum vociferatione cauponum & receptione ad domus ſuas potantium, & accommodatione poculorum ſive amphorarum, & absque omni diſſimulatione, tanquam laici tabernarii, alii autem cum quadam aliquorum ex his modis diſſimulatione, etſi non habeant caupones alta voce vociferantes, diſcurrentes tamen per plateas, & intelligibiliter (*licet ſubmiſſe*) præconizantes, hujusmodi vina eſſe in domibus eorum venalia, conducunt. Sunt etiam quidam ex eis, qui hominibus in his partibus, ubi vina creſcunt, ſuas mutuant pecunias, ſub ſpe vina pro eisdem pecuniis rehabendi, & hæc vina, poſtquam ea habuerint, vendendi: aliique vina emunt hujusmodi, & ſic ſe non intelligere fingentes, quod hæc vina ex negociationis cauſa proveniant, ad ducibulum ea vendunt. Item ſpecialiter aliquorum Monaſteriorum Sanctimoniales aliquæ, contra easdem eorundem ſtatutorum prohibitiones, vendere cereviſiam hactenus præſumpſerunt; ſunt etiam aliqui & aliquæ ex præmiſſis, qui & quæ in ſuis domibus alios laicos aut laicas in his caſibus prohibitis vina vendere admiſerunt. Prælati etiam & Prælatæ perſonarum ſic delinquentium, ad quos & ad quas hoc corrigere & non permittere ſpecialiter pertinet, etſi eas non lateat, nec latere valeat, ſubconniventibus pertranſeunt oculis: nec hoc prohibent, ſed permittunt; immo quod pejus eſt, percepimus ipſos Prælatos & Prælatas aliquos & aliquas, vina & cereviſiam extra modum, per eadem ſtatuta interpretatum, venditioni exponere pro ſe ipſis: & ſic his & aliis modis diverſis, prohibitis, & indecentibus, contra ſtatuta hujusmodi hactenus multipliciter eſt exceſſum. Et ſicut ab aliquibus fide dignis audivimus, quia ſuper his, dum in eorundem ſtatutorum pœnas perſonæ ſic delinquentes incidunt manifeſte, per Officialem noſtrum ab his faciliter abſolvuntur, facilitas hujusmodi veniæ ipſis tribuit materiam delinquendi.

NOS igitur volentes his, quantum poſſumus adhibere remedium opportunum, *in hac Sacra Synodo* monemus omnes & ſingulos Prælatos & Prælatas, ad quos & ad quas perſonarum ſic delinquentium pertinet correctio de conſuetudine ſeu de jure, ut dum per aliquos, ſeu aliquas, ſuos ſubditos & ſubditas circa præmiſſa ſtatuta, & eorum interpretationem, ſicut ſupra poſita ſunt, delinquere intellexerint; eos ſecundum ſuæ Eccleſiæ & Monaſterii hujusmodi, quantum in eis eſt, corrigere conſuetudinem non omittant, & nihilominus Officiali noſtro, quam cito ſciverint, intiment, ſeu faciant intimari. Item omnes & ſingulos & ſingulas perſonas Eccleſiarum & Monaſteriorum noſtræ Civitatis & Diœceſis, maſculos & fœminas cujuscunque dignitatis & ſtatus, ne in præmiſſis, aut aliquo præmiſſorum excedant, ſeu fraudem faciant, monemus per præſentes, monitione termini ſex dierum præmiſſa, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos pro tertio & peremptorio termino ipſis & cuilibet eorum aſſignamus. Alioquin ipſos & ipſas, Prælatos & Prælatas, ac perſonas ſic delinquentes, aut fraudem committentes in præmiſſis aut aliquo eorum, excommunicationis ſententiæ, quam in quemlibet eorum exnunc pro extunc ferimus, ſubdimus in his ſcriptis. Et ne in venditione vini & cereviſiæ, ejusque modis delinquentibus, ſeu fraudem facientibus, impetrandæ abſolutionis ab hac excommunicationis ſententia facilitas, cauſam ſeu occaſionem tribuat libentius delinquendi: volumus, quod de cætero taliter delinquentes ſeu fraudem committentes ab hujusmodi excommunicationis ſententiam nullatenus abſolvantur, niſi ante omnia jurent, ſtare mandatis Eccleſiæ; & idem Officialis, ſeu alius, aut alii quicunque, ſuper hoc a Nobis habentes poteſtatem abſolvendi, ipſis in virtute juramenti præſtiti injungant, quod de cætero talia, qualia commiſerunt, & ſimilia, facere non attentent: & quod quicquid emolumenti, quod ex his venditio-

ditionibus habent, seu habere se sperant, sub virtute hujusmodi juramenti plane & plene absolventi revelent, & tantum, ad quantum hoc emolumentum se extendit, in pœnam hujus peccati commissi, Sigillifero nostro Curiæ, nostro nomine assignent cum effectu, ut in eo, in quo excesserunt, puniantur, & his perfectis demum absolvantur: alias autem absolvendi eosdem, quam per istum modum, ipsi nostro Officiali totalem adimimus potestatem. Verum, quia contentis in his literis fœminæ, propter sui fragilitatem non possunt (sicuti viri) applicare ita de facili intellectum, ut nulla horum ignorantia se valeant excusare universis & singulis Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, præsertim civitatis nostræ Coloniensis, in quorum Parochiis Ecclesiæ Canonicarum Regularium, & Monasteria Sanctimonialium sita sunt, mandamus sub pœna excommunicationis, quam (monitione sex dierum præmissa) in quenlibet eorum huic mandato non obedientium, ferimus in his scriptis, quatenus quilibet ipsorum, hujus nostri mandati de verbo ad verbum copiam recipiat, & Monasteriis, & Ecclesiis præfatis, prout eis subsunt, plene & plane ejus intentionem exponant, ne ejus ignorantiam prætendere valeant ullo modo. Datum anno Domini MCCCXLVI. feria sexta *post Remigii Confessoris.*

COLONIÆ SYNODUS AUTUMNALIS
ANNO MCCCXLVIII.

I. *Contra committentes fraudem in observatione generalis interdicti.*

WALRAMUS, Dei gratia, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, universis Prælatis, Canonicis, Ecclesiarum Rectoribus, Clericis, Capellanis nostræ civitatis & Diœcesis, salutem in Domino.

Quia Nobis a fide dignis veridice est relatum, qualiter nonnulli Presbyteri & Ecclesiarum Rectores naturam (*f*) interdicti, maxime generalis, forsan negligenter ignorantes; alii vero fraudulenter circa ipsius observantiam versantes, ut infra narratur, peccant multipliciter & delinquunt.

Inprimis, quia quidam Presbyteri quibusdam, volentibus intrare Ecclesiam, præsentibus, legunt Missam usque ad Offertorium inclusive: quibus præsentibus tunc, usque ad peractam Communionem exclusis, & demum post Communionem peractam admissis, osculum pacis communicant, & Missæ benedictionem largiuntur. Item aliqui, in aliquibus Ecclesiis unum interstitium de asseribus inter locum Altaris, & totam residuam Ecclesiæ partem, circa Altare dimisso modico spatio, interponunt: & populum ibidem extra hoc interstitium, dum Missas dicunt, esse permittunt, quod totam Missam populus auscultare intelligibiliter poterit & audire. Item quod diebus Dominicis & Festivis aliqui Presbyteri induti sacris Vestibus, coram populo Missæ legunt officium, sine tunc Sacramenti confectione, ostendentes tamen ipsis hostiam antea alio tempore consecratam, dantque pacis osculum, & Missæ benedictionem præsentibus universis.

Item quidam Presbyteri laicos aliunde advenientes passim admittere ad interessendum solenniis non verentur. Item in Festis quatuor principalibus, in quibus jura permittunt campanas pulsari, & januis apertis Divina Officia solenniter celebrari, excommunicatis prorsus exclusis, nonnulli Presbyteri excommunicatis & interdictis corpus Dominicum administrant.

Item Presbyteri, qui præsunt in castris Capellani, Capellarum Rectores, sub quodam fraudis commento recipiunt

(*f*) Natura interdicti est, ut eo communitas aliqua graviter delinquens, vel delinquentibus tacite vel expresse consentiens, puniatur, donec resipuerit, seu delictum suo assensu commissum, vel conniventia tacite approbatum, vindicaverit. Multa extant in sacris Scripturis exempla, sæpe magnas multitudines graviter punitas esse, quæ impiis communicasset, ut inter alia patet in his, qui a tabernaculis Core, Dathan, & Abiron recedere non curarunt, *Numer.* 16. & Apostolus Corinthios, ob communicationem cum incestuoso, graviter arguit. 1. *Corinth.* 5.

unt notabiles perſonas, imo & quandoque Dominas ad ſerviendum ſibi in Miſſis, ut ſub hujusmodi velamento perſonæ hujusmodi Miſſis valeant intereſſe. Cum itaque his, & aliis pluribus obſervationem interdictorum Eccleſiaſticorum, maxime generalium (quarum tamen pœnarum uſus ad conſervationem jurium & libertatum Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum perſonarum, propter, & contra impreſſiones, & violentias potentiæ laicorum, Clericis oppido infeſtorum, ut plurimum in noſtra Diœceſi eſt inventus) perſonæ Eccleſiaſticæ, puta Presbyteri & Eccleſiarum Rectores contra propria laborantes commoda, & quorum magis intereſt, ut hujusmodi interdicta abſque læſione aliqua integre obſerventur, agant plerumque adeo negligenter, imo etiam fraudulenter, quod unde violentiarum & injuriarum, quæ continue Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis graviter irrogantur, repreſſio ſperabatur, quaſi quædam defenſio ſequitur in effectu.

Quocirca vos omnes & ſingulos ſub obteſtatione Divini judicii hortamur, vobis & cuilibet veſtrum in virtute ſanctæ obedientiæ mandantes, quatenus ab omnibus his & ſingulis negligentiis & fraudibus, & ſimilibus penitus abſtinentes, dum incumbit vobis aut alicui veſtrum interdictum obſervandum aliquod, maxime generale, pure & absque omni ſimulatione curetis omnimodo obſervare, Eccleſiis ſcilicet veſtris eo tempore, dum officia celebrari debebunt Divina, circumcirca penitus obſeratis, ac omnibus & ſingulis Clericis, & laicis incolis, ſeu extraneis quibuscunque excluſis, præter eos, quos jus intereſſe permittit: ſic, quod dum Divina voce ſubmiſſa officia in veſtris peraguntur Eccleſiis, ab extra Eccleſiam exiſtentibus audiri nequeant, nec videri. Alioqui monitione novem dierum præmiſſa, contrarium facientes, negligentiam ſcilicet ac fraudem, quominus hujusmodi obſervetur interdictum in ſua debita forma effectualiter, (ſicut debet) quomodolibet committentes, præter alias pœnas a jure ſtatutas, ſciant ſe excommunicationis ſententiam, quam in eorum quemlibet in his ſcriptis ferimus, incurſuros. Per clauſuram autem Eccleſiarum interdictarum, tempore celebrationis Divinorum, in ipſis faciendorum, ſuperius per Nos expreſſam, tollere nequaquam intendimus, quin ſi aliqua Eccleſia capacitatis magnæ, habens forſan Sacriſtiam, ſeu locum ſufficienter capacem, pro Divinis celebrandis officiis aptum & parietem adeo ſpiſſum, a cæteris Eccleſiæ partibus ita notabiliter ſeparatum, quod manifeſte appareret, voces ipſa Divina Officia celebrantium, ab his, qui in Eccleſia, extra tamen hujusmodi Sacriſtiam vel locum forent, nequaquam poſſe auſcultari aliqualiter, ſeu audiri: ut excluſis omnibus & ſingulis de jure excludendis, præſertim ſi Eccleſia talis fuerit, in qua populus ſingulari affectione ad orandum eſt ſolitus convenire; ne Chriſti fideles in tali orandi devotione contingat aliquo modo impediri, in tali Sacriſtia ſeu loco tempore interdicti, absque ejus injuria, poſſint Divina officia licite celebrari. Datum anno Domini MCCCXLVIII. die antepenultima menſis Septembris.

II. *Monentur Conventuales, ut exhibeant privilegium, quod ſe habere prætenderunt, de admittendis laicis ſuis procuratoribus ad Divina tempore interdicti.*

WALRAMUS, DEI gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, Dilectis in Chriſto Prælatis, Canonicis Eccleſiarum, Chriſtianitatum Decanis, Eccleſiarum Curatarum Rectoribus, Capellanis, Clericis noſtræ civitatis & Diœceſis ſalutem in Domino.

Ad Nos pervenit, quod quidam Religioſi, domos clauſtrales in noſtris civitate & Diœceſi, in quibuſdam locis habentes, his temporibus, quibus in illis locis generale interdictum oportuerat obſervari, & hoc interdictum, matrice hujuſmodi loci Eccleſia obſervante, ipſi religioſi de majoribus hujuſmodi loci multos homines, immo longe, & in exceſſivo numero, plures, quam indigeant, laicos conſtituunt, & ſuos nominant Procuratores. Cujus prætextu ipſos, ſic nominatos Procuratores ſuos, ſecum admittunt Divinis intereſſe officiis, aſſerentes ſibi hoc virtute cujuſdam privilegii, eis authoritate Sedis Apoſtolicæ conceſſi,

competere & licere. Verum quia de hoc Nobis nequaquam constat privilegio, nec omnino credimus, quod hujusmodi privilegium sub tali forma (quod adeo esset juri nostro Ordinario, & Ecclesiis, & Ecclesiasticis Personis Nobis subditis, ac earum libertati præjudiciale, maxime prout ipsi eo, etiamsi haberent, uti dicuntur) a Sede Apostolica sit concessum. Ut itaque circa hoc privilegium de veritate plenius informemur, universos, & singulos harum domorum religiosarum, asserentium privilegia hujusmodi se habere, Rectores sive Prælatos, quocunque censeantur nomine, in ipsis nostris civitate, & Diœcesi constitutos requirimus, quatenus per se, seu Procuratores suos ad hoc deputatos, compareant coram dilectis Nobis Decano Ecclesiæ Sanctensis nostræ Diœcesis, & Officiali nostro Coloniensi, quibus quoad hoc committimus vices nostras, in domo ipsius Officialis intra hunc diem, & Festum omnium Sanctorum proxime futurum, quocunque die intra hunc, & hujusmodi Festum constitutum, seu constitutos, quem seu quos simul seu successive decreverint eligendum seu eligendos, ostensuri in prima sui forma privilegium hujusmodi, ut per ipsos nostros hujusmodi Commissarios videatur, & integre legatur, ipsiusque articuli ipsis copia assignetur.

Mandamus etiam vobis Ecclesiarum Parochialium Rectoribus horum locorum nostræ civitatis & Diœcesis, in quibus dicti religiosi domos habuerint conventuales; quatenus inhibeatis omnibus, & singulis vestris Parochianis, ne prætextu nominationis, seu ordinationis hujusmodi procurationis, generalis tempore interdicti, Divinis, etiam in prædictorum religiosorum domibus, interesse præsumant, quousque ipsi nostri Commissarii super privilegio hujusmodi fuerint (ut continetur superius) informati; alioqui monitione novem dierum præmissa, in omnes, & singulos contrarium facientes excommunicationis sententiam ferimus in his scriptis. Volentes, ut ipsos excommunicatos in vestris Ecclesiis publice nuncietis. In his exequendis unus alium, seu alios non expectet, & quod in præmissis feceritis, Nobis per scripturam authenticam rescribatis. Datum anno Domini MCCCXLVIII. die antepenultima mensis Septembris.

III. *Ne Clerici inordinati se immisceant tractatibus Capitularibus, nisi invitati per suos Decanum & Capitulum. Et ne aliquis in sacris existens, alium in sacris non existentem incitet ad interessendum tractatibus hujusmodi pro sua voluntate consequenda.*

WALRAMUS, Dei Gratia, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius. Dilectis in Christo Abbatibus, Præpositis, Decanis, Capitulis ac Personis Capitulorum singularibus Ecclesiarum Collegiatarum ac Monasteriorum Civitatis & Diœcesis Coloniensis, salutem in Domino.

Olim bonæ memoriæ HENRICUS Prædecessor noster, quoddam Statutum edidit sub hac forma:

Licet Canon felicis recordat. CLEMENTIS PAPÆ quinti, extra *De ætate & qualitate ordinandorum*, qui incipit: UT HI, inter cætera statuerit, &c. ut supra.

Verum quia hujus Statuti salubris intentio in aliquibus Capitulis ita in oblivionem, immo in dissimulationem dicitur devenisse, quod etiam non existentes in sacris, passim cum in sacris existentibus, etiamsi a Decano suo, & Capitulo minime sint vocati, immo, ut audivimus, contra sui prohibitionem Decani, existentibus in sacris assidere præsumunt & tractatibus Capitularibus interesse, se in hoc excommunicationis sententiæ damnabiliter involvendo: & quod adhuc amplius est detestandum, ad talia facienda, ab aliquibus in sacris existentibus ipsi in sacris non existentes, aliquando (ut certo didicimus) incitantur: propter quod volentes eorum periculis, quantum possumus, occurrere, præfatum statutum huic nostro insertum mandato, de verbo ad verbum, ut deinceps omnibus, quorum interest, pateat, *in hoc sacro Concilio* ex abundanti volumus recitari, ipso statuto non eo minus in forma statuti in suo robore valituro. Inhibemus nihilominus in sacris existentibus Decanis, cæterisque Prælatis,

tis, ac aliis vocem in Capitulis habentibus, ne tales in Sacris non existentes, interesse suis tractatibus, aut sibi ipsos, non existentes in Sacris, ad intrandum in tractando considere permittant. Alioqui, qui ex Prælatis, & ex sex Senioribus in ingressu ad Canonicatus & Præbendas, contrarium fecerint cum eis tractando, aut ipsos non existentes in sacris, ad intrandum Capitulum, & ad remanendum, & tractandum ibidem actus Capitulares, induxerint, seu animaverint, seu etiam admiserint, nisi tunc demum, cum (secundum idem statutum) per Decanum & Capitulum vocati fuerint, seu concorditer invitati; monitione novem dierum præmissa, in his scriptis excommunicationis sententia innodamus. Datum anno Domini MCCCXLVIII. penultima die Septembris.

Ex impresso Coloniæ in Officina Quenteliana A. 1554.

CAPITULA SEU RUBRICÆ
DECRETORUM SYNODALIUM
AB ANNO MCCCLI. ad MCCCLXII.
SUB WILHELMO (a) DE GENNEPE ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI.

Coloniæ Synodus Verna anni MCCCLI. V. Martii.

MCCCLI. *Disciplina Ecclesiastica D. WILHELMI Archi-Episcopi.*

Coloniæ Synodus Verna A. MCCCLII. XXV. Februar.

MCCCLII. *De Clericis hastiludia exercentibus, & declaratio, quod bonæ memoriæ WALRAMUS hujusmodi Statuta non revocaverit.*

Schatenns Annal. Paderbornæ Tom. II. pag. 327.

Coloniæ Synodus Verna & Autumnalis A. MCCCLIII. XXV. Februarii BONNÆ celebrata.

MCCCLIII. *I. Processus & Mandata contra Clericos & Religiosos, imitatores sectæ FLAGELLATORUM.* A. 1353. in crastino Dominicæ: Jubilate.

II. Ut literæ impetrantium, sive dispensationum non recipiantur sine Episcopali examine. A. 1353. 10. Junii.

III. Contra Clericos inordinate viventes, tam in vestibus, quam in tonsuris & aliis. A. 1353. in Synodo Autumnali in crastino S. Remigii.

IV.

(a) Wilhelmus, Baro de Gennep, ex Præposito Susatensi electus Archi-Episcopus, anno 1349. ab Papa CLEMENTE VI. Avenione consecratur 1. Novembris. Providus, & sapientissimus, & beneficus Præsul. Sedit annos XII. Menses XI. Dies XV. Obiit Coloniæ A. 1362. 17. Kal. Octobr. Anno 1356. interfuit Comitiis Norimbergæ & Metis, dum conderetur AUREA BULLA. Disciplinam Cleri multis saluberrimis Legibus & Conciliis, non tantum annuis sed in anno Vernis & Autumnalibus emendare statuit: puta annis 1351. 1352. 1353. 1354. 1356. 1357. 1359. 1362., quæ in tam diversis Conciliis edita Statuta semel sub uno conspectu ponimus.

IV. Aggravantur pœnæ in eos, qui Clericos occidunt, ſeu letaliter vulnerant. A. 1353. eodem loco.

V. Contra illos, qui officium Tabernariorum exercent injuſte. A. 1353. Sabbato poſt S. Severini Epiſcopi. *Schatenus Annal. Paderb. Tom. II. ad h. a. pag.* 329.

VI. Contra illos, qui ſe non curarunt promoveri debito tempore ad ſacros Ordines, nec curant promoveri. A. 1353. eodem anno & loco.

Coloniæ Synodus Verna A. MCCCLIV.

MCCCLIV. *I. Confirmatio Statutorum Domini HENRICI & WALRAMI de tonſuris, haſtiludiis, & veſtibus Clericalibus.* In craſtino Dominicæ: Invocavit.

II. Contra illos, qui vagantur, & diſcurrunt in Eccleſiis, quando Chorus cantat, vel quando Divina celebrantur. Verna tantum.

III. De commutatione votorum, & vagis reſtitutionibus. Eod. anno & loco.

IV. De eodem cum inhibitione contra Religioſos. A. 1354. in craſtino Palmarum.

Coloniæ Synodus Verna A. MCCCLVI.

MCCCLVI. *I. Ne Religioſi quicunque quæſtum publicum faciant, vel male quæſita incerta, alias, quam ad fabricam Eccleſiæ Colonienſis ordinent.* A. 1356. in craſtino Dominicæ: Invocavit.

II. Contra exercentes Contractus Handgelt. Eodem anno & die.

Coloniæ Synodus A. MCCCLVII. Verna & Autumnalis.

MCCCLVII. *I. Contra Beggardos, & Sueſtriones, & eorum receptatores.* A. 1357. 25. Febr.

II. Contra injectores manuum in Clericos & Eccleſiaſticas perſonas. In eadem Synodo Verna A. 1357. 25. Februarii.

III. Ne aliqui Domini temporales, vel Judices, ſeu Conſules, aliquid attentent in præjudicium Sanctæ Eccleſiæ, in abrogandis piis & laudabilibus conſuetudinibus. In eadem Synodo Vernâ ejusdem anni & diei.

IV. Ne aliquis aſſumatur in Capellanum, vel Vicarium ſine Epiſcopali licentia, & quod Rectores de eleemoſynis retentis fabricæ teneantur ſatisfacere. A. 1357. in craſtino Cinerum.

V. Confirmatio indulgentiarum Fabricæ Colonienſis Eccleſiæ, & de cæteris remiſſionibus, & Quæſtoribus, item de Indulgentiis ſpecialibus Benefactorum Fabricæ. A. 1357. Dominica: Invocavit.

VI. Ubicunque Flagellatores exercent exercitium ſectæ ſuæ, ceſſandum eſt per triduum: abſolutionem exceſſuum eorumdem retinente ſibi Diœceſano. A. 1357. Schatenus Annal. Paderb. Tom. II. p. 339. ad h. a.

VII. De uſurariis manifeſtis & exercentibus contractus dictos: Handgelt. A. 1357. in Synodo Autumnali 30. Septembris.

VIII. Quod homines exiſtentes de loco interdicto, non debeant admitti ad Sacramenta Eccleſiaſtica in locis non interdictis. Ibidem, ut ſupra.

IX. Privilegia Fraternitatis S. Petri, non ſolum magnis donis, ſed modicis etiam, affectu magno datis, poſſe obtineri: & quod durante interdicto ultra annum, homines habentes Fraternitatem S. Petri non debent inungi, nec Eccleſiaſticæ tradi ſepulturæ. In craſtino S. Remigii A. 1357. in Synodo Autumnali.

X. Ne aliquis celebret in altari portatili, aut viatico, ſine licentia Epiſcopali. A. 1357. eodem loco & anno.

XI. Ne Religioſi extra ſua Monaſteria moram trahant, & contra receptatores eorum. Ut ſupra.

XII.

MCCCLVII. *XII. Ne Quæstores cum crucibus, vel calicibus admittantur in Parochiis sine licentia data per Episcopum, aut Capitulum.* Ut supra.

XIII. Contra detentores, & subtractores Legatorum fabricæ Ecclesiæ majoris Coloniensis. Ut supra.

XIV. De pœna eorum, qui Statuta prius publicata non sunt executi. De delatione Corporis Dominici, & sortilegis. Ut supra.

Coloniæ Synodus A. MCCCLX. Autumnalis.

MCCCLX. *De vita, habitu, & honestate Clericorum & Monachorum, & de pœnis excedentibus infligendis.*

Bulla INNOCENTII VI. de A. 1359. III. Kal. Maji, *publicata Coloniæ* A. 1360. I. Octobris in Synodo Autumnali.

Coloniæ Synodus A. MCCCLXII. Autumnalis.

MCCCLXII. *I. Quando Clerici in superpellicio incedere debeant, & de Sacramenti Eucharistiæ ad infirmos delatione.*

II. De Custodibus & Campanariis.

III. Ne Altaristæ, seu Vicarii, Pastori in aliquo derogent.

IV. De absolutione pro cadavere impetrata, seu impetranda.

In Synodo Autumnali Coloniensi A. 1362. 21. Octobris.

COLONIÆ SYNODUS VERNA
ANNO MCCCLI.

WILHELMUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELARIUS, UNIVERSIS PRÆLATIS, ECCLESIARUM RECTORIBUS, ET CLERICIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

QUamvis de universorum statu Clericorum, Nobis subjectorum, prospere dirigendo, cura Nos Pastoralis officii sollicitudine quotidiana fatigat; circa illa tamen, quæ honestatem, mores, & modestiam ipsorum Clericorum, & domus Dei decorem respiciunt, affectionis potioris solicitamur instantia. Cum itaque nonnulli Clerici Nobis subjecti, a via modestiæ devient, Clericalis honestatis vestibus Clericalibus impudenter abjectis, alias laicales ordini, & statui Clericali non congruentes, in contemptum dignitatis Clericalis, in publico deferre non formidant, nec nomine, nec re se venerabili Clericorum cœtui in aliquo conformant, sed fatore malorum operum procurante, in illam vesaniam sunt deducti; quod prophanos ritus laicorum concomitari non erubescunt, & elata præsumptione, & præsumptuosa elatione, habitum & statum Clericalem postergant, & vitam Clericalem non ducunt, ac tonsuram Clericalem decentem portare contemnunt, & recusant, immemores, quod ipsi de Patrimonio Domini nostri Jesu Christi reficiuntur diutine, & sublimantur. Et cum ad ea nostra versatur intentio, etiam ad illa ex paternæ charitatis officio diligentem operam, & operosam diligentiam intendimus adhibere, per quæ Clerici Nobis subjecti, ab imminentibus scandalis, & futuris vilipensionibus valeant præservari. Verum licet hujusmodi errori & excessui nostri Prædecessores per Canonica tam utilia, quam salubria Statuta super hoc edita, occurrerunt, ultra tamen provisiones eas tam Juris Canonici, quam civilis, Statuta quædam promulgarunt, per quæ ipsi ab hujusmodi devio & errore retrahere ipsos, & eis succurrere existimarunt: sed nunc proh dolor evidenter Nobis apparet, quod dolenter referimus, hujus-

modi Clericos in labyrinthum erroris incidiſſe. Quare opus eſt, ut hujuſmodi perniciosis, & periculoſis exceſſibus, & erroribus, per quos ſcandalum in Clero, ac populo, & in Eccleſia Dei continue generatur per opportunæ proviſionis remedium ſalubriter occurratur, præſerim cum error, cui non reſiſtitur, quodammodo approbari videatur. Cumque per operam noſtræ ſolicitudinis, intendimus medelam circa præmiſſa adhibere, per quam cultus Divinus cum debita decentia propagatur, & ſtatus Clericorum jam (proh dolor) lapſus reformetur; qui undique in Collegiatis, Conventualibus, & aliis Eccleſiis noſtrarum civitatis, & Diœceſis Colonien. tum propter abuſum, tum etiam propter torporem negligentiæ Prælatorum eſt deſtitutus. Quos Prælatos & præſertim Decanos, rogamus & exhortamur, obſecramus, & ſub virtute ſanctæ obedientiæ monemus, ut ſuos Concanonicos, & alios eis ſubjectos, viis, modis, & ſub pœnis & mulctis quibuſcunque, quæ de jure, vel conſuetudine Canonicis, & aliis ſuis ſubditis injungere poſſunt, inducant, & effectualiter faciant, & procurent noſtrorum Prædeceſſorum Statuta & noſtra, præſertim infraſcripta, inviolabiliter obſervari, ne ad vindictam ex officii debito contra eoſdem Prælatos inſurgere perurgeamur. Quam vindictam & ultionem noſtram iidem Prælati, ſi negligentes inventi fuerint in præmiſſis, ſibi inferri indubitanter exſpectabunt. Unde ad præcavendum etiam, ne Clerici prædicti, vel aliqui ex eis, occaſionem ſe excuſandi de præmiſſis uſurpent, pro eo, quod frivole allegare poſſent, quod dicta Statuta noſtrorum Prædeceſſorum, maxime piæ memoriæ Dominorum *CONRADI*, *SIFRIDI*, *HENRICI*, & *WALRAMI*, Archi-Epiſcoporum Colonienſium, in eorum notitiam non veniſſent, nec ipſis de eorum promulgatione conſtaret: cum hoc præſumi non debet, nec veriſimiliter præſumendum exiſtit, immo hoc frivolum debet reputari, & majori ob hoc pœna tales ſic ſe excuſantes ſunt plectendi: cum in illis magis plectibilis ſit offenſa, per quos ad excuſandas excuſationes in culpis, delinquendi authoritas uſurpatur. Volumus igitur, & mandamus, & præcipimus, dicta Statuta noſtrorum Anteceſſorum prædictorum, per Nos innovata, & noſtra, quorum tenor inferius deſcribitur, notificari, publicari, & inſinuari Clero noſtrarum civitatis, & Diœceſis *in ſancta Synodo proxime in Eccleſia Colonienſi celebranda*, ipſaque Statuta tenore præſentium literarum, ex Capituli noſtri, & Priorum noſtrorum conſilio & aſſenſu, approbamus, confirmamus, & præcipimus inviolabiliter obſervari, ſublatis tamen pœnis in ſtatutis Dominorum *HENRICI* & *WALRAMI* noſtrorum Prædeceſſorum prædictorum, comprehenſis, præſertim ſuper punctis infraſcriptis: & quicquid ex ejuſmodi pœnis ſubſecutum eſt, vel ob eas, penitus ex certis cauſis Nos moventibus revocamus, & eas volumus haberi pro infectis. Sequitur autem ſeries Statutorum prædictorum, & publicandorum, in hunc modum.

Diſciplina Eccleſiaſtica D. WILHELMI Archi-Epiſcopi.

I. INprimis, ut Canonici noſtrarum civitatis & Diœceſis, aliique Clerici & ſocii, exquiſite comam non nutriant, neque barbam, quodque coronas aſſidue deferant, quæ ſecundum ſui ordinis & ſtatus decentiam appareant detectæ: tonſuras & raſuras in crinibus & barbis habeant decentes, nec aliquis crines ſuos totaliter abradat, ſeu ſuper pectine abſcindat, ſine licentia ſui Decani.

II. Item, ut Canonici, & alii Clerici non ſint manifeſti concubinarii, nec fœminas ſecum in domo retineant, de quibus ſuſpicio incontinentiæ poſſit haberi. Nam tales animadverſione condigna plectendi ſunt, prout in Statutis Dominorum quondam CONRADI & SIFRIDI noſtrorum Prædeceſſorum, plenius continetur.

III. Item, ut Clerici veſtes omnino virides, glaucas, aut rubeas, ſcacatas, virgatas, ſeu complicatas ante pectus, vel aliquos ultra cubitum notabiliter nodos habentes, aut quibus de alio colore manica eſt aſſuta, & veſtes ſupra vel infra rugatas, ſeu a lateribus ſciſſas: ibi & in longum ad oras, & in manicis cum aliqua revolutione furratas, nec non veſtes nimis arctas, vel nimia brevitate notatas, non deferant, nec manicis ultra modum

modum longis & sciſſis, in ſuis veſtibus utantur.

IV. Item non debent uti ſubtus pro prima ſubveſte Wamboſiis variatis ex diverſis coloribus & figuris: etiam ſcacatis & virgatis ex texturis ſericis & aliis, non utantur.

V. Item caligas virides, glaucas vel rubeas non deferant: neque calceos variis modis perforatos, inciſos vel laqueatos.

VI. Item non utantur caputiis longis, quorum ſimilibus Monachi converſi intra ſepta ſui Monaſterii ſolent uti: neque deferant caputia perforata, ſciſſa vel fiſſa, cum magnis panni particulis pendentibus, nec (a) vermiculata filis ſericis, argenteis, vel aureis, de eisdem deſuper variis contextis, ac depictis figuris & gemmis ornata

VII. Item Canonici & Clerici cum Rutingis vel cultellis truſoriis non incedant, præſertim in Choro vel Stationibus, & coram ſuis Prælatis & intra immunitatem.

VIII. Item haſtiludia non exerceant, maxime in locis, ubi ſunt Beneficiati.

IX. Item Canonici ac cæteri Clerici Eccleſiarum Collegiatarum intra vel extra immunitatem ſine religione non compareant coram ſuis vel aliis Prælatis, ſi ſuo in habitu vel religione incedant. Prælatus etiam, niſi ſit de licentia eorundem, ſive ſit eques, ſive pedes.

X. Item non intrent aliquam Eccleſiam Collegiatam Canonicorum ſine religione.

XI. Item veniant ad proceſſiones conſuetas & debitas frequenter, & faciant inclinationes intrando cum proceſſione, & exeundo chorum, DEO, & Prælatis ſuis reverenter, ſicut antiquitus eſt conſuetum, etiam inclinent incipiendo antiphonas, vel cum cantaverint verſum, vel cum thurificaverint, & quando legerint Lectiones, & cum legitur: *Gloria Patri* ad Pſalmos, quando canitur *Gloria in excelſis*, & *Credo in unum Deum*, ſicut ab antiquo eſt conſuetum.

XII. Item Canonici & cæteri Clerici frequentantes Chorum, non utantur in capite caputiis, cappis choralibus, nigris aſſutis, dum Divina peraguntur. Et hoc idem in Capitulo, nec non in Stationibus, quæ fiunt in Eccleſia vel in ambitu, obſervetur.

XIII. Item pileolos ſeu birretos non deferant inconſuetos, ſed textos ſeu ſeminigros.

XIV. Item ad Matutinas poſt *Venite*, & ad Veſperas poſt primum Pſalmum, & ad Completorium poſt primum *Gloria Patri* nemo intret Chorum: & quamdiu legitur Evangelium ad Miſſam, nullus intret vel exeat Chorum.

XV. Item Sacerdos celebraturus Miſſam, non accedat ad Altare ſine Miniſtris, & nullus vel Diaconus, vel Subdiaconus legat ad Miſſam, niſi Sacris ſit indutus ornamentis, prout ejus ordo requirit, nec recedat, niſi officium totaliter ſit expletum. Sacerdote etiam ſtante in altari, Miniſtri non recedant ab altari, nec ſedebunt, ſed Sacerdoti fideliter miniſtrabunt.

XVI. Item Canonici etiam in feſtis novem Lectionum per ſe, vel per alios ſuos Concanonicos, ad Miſſam miniſtrent, & legant in locis debitis, & ad hoc deputatis, maxime in Eccleſiis, in quibus non eſt conſuetum, quotidie per Canonicos miniſtrare.

XVII. Item nullus miniſtrans ad Altare, aut regens Chorum, vel legens lectionem, calopodibus utatur.

XVIII. Item nullus ſedeat in Choro, niſi horis & locis, in quibus eſt conſuetum.

XIX. Item Canonici & Clerici non vagentur in choro, vel in Eccleſia de loco ad locum, nec fabulentur, quamdiu Divina (alios impediendo) inibi peraguntur, ſed morate & diſcrete incedant in Divinis.

XX. Item Canonici & Beneficiati horas Canonicas, & *de Domina noſtra* quolibet die diſcrete, & diſtincte dicant, maxime Beneficiati vel in ſacris Ordinibus conſtituti.

XXI. Item Canonici & cæteri Clerici venientes cum cruce ad ſtationes in choro, maneant ibidem, niſi cauſa rationabilis cogat eos exire, donec cum cruce

(a) vinculata

cruce recedant. Et Magistri Scholarium suos Scholares decenter faciant stare, & manere in choro.

XXII. Item quicunque cantabit versum in choro, incipiet responsorium secundum vocem suam, ut bono modo cantare valeat, ne ibi confusio fiat.

XXIII. Item Canonici sacros recipiant ordines, cum a suis Decanis fuerint moniti; nec aliquis Canonicorum ad Ordines accedat, nisi petita, & obtenta licentia ejus, ad quem hoc pertinet in sua Ecclesia de consuetudine vel de jure.

XXIV. Item Canonici comedant in immunitatibus suis in domibus propriis, vel habeant hospites suos in eadem, quod tamen volumus committere discretioni Decanorum suorum, secundum quod ipsi magis viderint expedire.

XXV. Item Canonici, vel Clerici nocturno tempore per plateas non vadant cum insolentia & clamore.

XXVI. Item non vadant die, vel tempore nocturno in plateis aut locis publicis ad tabernas, vel choreas.

XXVII. Item Canonici, & alii Clerici vina vendere non debent, nisi secundum formam, & modum, & continentiam mandatorum piæ memoriæ *D. WALRAMI* nostri Prædecessoris, quæ volumus in suo robore permanere, una cum pœnis &, sententiis expressis, & in eisdem contentis.

XXVIII. Item nullus Canonicus solus vadat per civitatem sine famulo vel socio.

XXIX. Item unusquisque sciat, quid sibi legere, vel cantare incumbat: frequenter legantur tabulæ in Capitulo, qui legere, vel cantare debeant, & commemorationes defunctorum, & aliqua lectio de regula. Si Decanus est præsens, Decanus: si non, Prior intret Capitulum cum cæteris fratribus, & hebdomadarius Sacerdos dicat vers. *Preciosa.* & deinde finita *Preciosa &c.* ante quencunque tractatum, tractetur de disciplina, intra quam quilibet Canonicus debet esse tacitus, compositus & mansuetus.

XXX. Item, ut Canonicalis disciplinæ, correctionis & reformationis officium libere valeant Decani, & alii Prælati circa suos Canonicos & subditos exercere, decernimus & statuimus, ut executionem eorum nulla consuetudo, vel approbationis Beneficium valeat impedire.

XXXI. Item Canonici incarcerati non debent a carcere absolvi (*b*) præsentibus aliquibus extraneis, quibus non constat de disciplina.

XXXII. Item Canonicus quamdiu fuerit suspensus, non debet comparere coram fratribus sui Capituli, vel Decano, vel ultro eorum conspectui se præsentare.

XXXIII. Item statuimus, quod nemo private legat horas suas in choro, dum Divina ab aliis peraguntur.

XXXIV. Item statuimus, quod Canonici suis Decanis sint in Capitulis obedientes, prout disciplina Capitularis requirit; mandatis ac monitionibus suorum Decanorum humiliter pareant, tam in majoribus quam in minoribus, ut tenentur. Et non intendimus correctioni, & authoritati Decanorum, quas habent de jure, vel consuetudine in Canonicos & alios suos subditos, per Nostra & Prædecessorum nostrorum statuta, in aliquo derogare.

XXXV. Item statuimus, & districte præcipimus, quod Statuta præsertim præsentia ponantur in choro cujuslibet Ecclesiæ, ut Canonici & alii possint ad ea accedere perlegendo.

XXXVI. Item statuimus, quod eadem Statuta præsentia in singulis Capitulis nostrarum civitatis & Diœcesis *post nostram sacram Synodum*, quamprimo hoc commode fieri poterit, publicentur. In quorum omnium testimonium, & roboris firmitatem, Sigillum nostrum una cum Sigillo Capituli nostri præsentibus est appensum. Quod Nos Capitulum pro Nobis, & Prioribus Coloniensibus, in signum consensus nostri præstiti, præsentibus duximus apponendum. Datum anno Domini *Millesimo trecentesimo quinquagesimo primo, quinta die mensis Martii.*

NOTANDUM,

QUod *Gloria in excelsis*, & *Ite missa est*, per totum annum est cantandum, quotiescunque novem lectiones haben-

(*b*) precibus aliquorum extraneorum, quibus &c.

habentur. Excipiuntur Adventus Domini (præter Festa Beatorum Andreæ & Thomæ Apostolorum) & Septuagesima usque ad Festum Paschæ, & præter Festum Conversionis Sancti Pauli, & Purificationis Beatæ Mariæ, si in Septuagesima evenerit, & Festa Beatorum Petri & Matthiæ Apostolorum, & Annuntiationis Dominicæ. In quibus Festis cantatur: *Te Deum laudamus*, *Gloria in excelsis*, *Credo in unum Deum*, & *Ite missa est*. Nota, quod in nocte Nativitatis Domini, ad primam & secundam Missam *Ite missa est* non dicitur, quamvis *Gloria in excelsis*, & *Credo in unum Deum* cantetur, sed *Benedicamus* sine Benedictione. Ad summam vero Missam dicitur *Ite missa est* cum Benedictione. Item a Nativitate Domini usque ad octavam Epiphaniæ, cantatur *Gloria in excelsis*, & *Ite missa est*, excepto Festo Innocentum, ubi *Gloria in excelsis*, *Gloria Patri*, ad Missam, & ad omnes horas *Alleluja*, *Credo*, & *Ite missa est*, non dicitur, sed omnia in octava cantantur. (*c*) Sed si Festum Innocentum in Dominica evenerit, omnia præmissa dicuntur. Item in Cœna Domini, ubi Chrisma conficitur, cantatur *Gloria in excelsis*, *Credo in unum Deum*, & *Ite missa est*, & alias non.

Item in Vigilia Paschæ, quamvis *Gloria in excelsis* cantetur, tamen *Ite missa est*, & benedictio subticetur.

Item a Festo Paschæ ad octavas Pentecostes, omni die dicitur *Ite missa est*: *Gloria in excelsis* vero non nisi in Festis Sanctorum, sicut sunt Georgii Martyris & aliorum. Item in hebdomada Trinitatis cantatur *Gloria in excelsis*, *Credo in unum*, & *Ite missa est*. Item rogatus Missam celebrare, *Gloria in excelsis*, &: *Ite missa est*, de quolibet sancto poteris cantare. De Patrono idem facies, excepto in Adventu Domini, & Quadragesima, & Septuagesima. Item intra Octavas Petri, & Pauli Apostolorum, Assumptionis, & Nativitatis Beatæ Virginis, & Patroni, cantatur *Gloria in excelsis*, & *Ite missa est*, si de eis cantatur. Item nota, quod *Credo in unum*, in omni Missa non est cantandum, nisi in Festis Sanctorum, quorum mentio fit in symbolo, scilicet Nativitatis Domini, octava Nativitatis Domini, a Vigilia Epiphaniæ inclusive, usque ad octavam ipsius, a Festo Ascensionis ipsius, a Festo Pentecostes ad octavam, de sancta Cruce, in omnibus Festis sanctæ Mariæ, in Festis Apostolorum & Evangelistarum, si de eis cantatur: in Dedicatione Ecclesiarum. Quidam vero in Festis beatæ Mariæ Magdalenæ, quia Apostolorum fuit Apostola: tamen non (*d*) cantatur *Credo*. Item in Festo omnium Sanctorum cantatur *Credo in unum*, & omnibus diebus Dominicis per annum: a Nativitate Domini usque ad Vigiliam Epiphaniæ, cantabitur Præfatio: *Quia per incarnati verbi*. Et post octavam Nativitatis Domini addes præfationi Collectam: *Deus, qui salutis*. A Festo Epiphaniæ ad octavas ipsius cantabitur præfatio: *Quia cum unigenitus tuus*, cum sua Collecta, de quocunque sancto celebretur. Ab octava Nativitatis Domini usque ad Purificationem quotiescunque de Sancta Maria celebretur, præfatio erit: *Quia per incarnati verbi*, cum Collecta: *Deus, qui salutis æternæ*, similiter ipso die Purificationis, Annuntiationis, eadem præfatio dicitur. Item ab octavis Epiphaniæ usque ad Cineres, dicetur præfatio quotidiana. Item a Festo Cinerum usque ad Passionem Domini, erit præfatio: *Qui corporali jejunio*; exceptis Dominicis diebus, in quibus præfatio quotidiana dicetur. Item a Dominica Passionis usque ad Parasceven erit præfatio: *Qui salutem humani generis*; & *Gloria Patri*, super introitum Missæ subticetur. A Vigilia Paschæ usque ad Ascensionem Domini præfatio erit: *Te quidem Domine*, qualecunque festum superveniat. Post octavas Paschæ usque ad Ascensionem Domini, addes Collectam: *Deus, qui resurrectionis Dominicæ*. A die Ascensionis Domini usque ad Vigiliam Pentecostes, erit præfatio: *Qui post resurrectionem*. A Vigilia Pentecostes usque ad octavas erit præfatio: *Qui ascendens*. Hebdomada Trinitatis erit præfatio: *Qui cum unigenito Filio tuo*. Et nota, quod ab octava Pentecostes usque ad Nativitatem Domini, dicitur præfatio quotidiana, Dominicis diebus exceptis usque ad Adventum Domini, in quibus cantabitur præfatio Ss. Trinitatis cum sua collecta. Si vero Collecta obmittitur, præfatio

(*c*) *forte*: Etsi

(*d*) *forte*: non passim cantatur

tio quotidiana dicetur, festis tamen exceptis, quæ proprias habent præfationes. In Dedicatione Ecclesiarum Collecta *Trinitatis* cum sua præfatione dicitur. Item nota, quod nulla Dominica per annum, per totam hebdomadam suam servat *Gloria in excelsis: Credo in unum, Ite missa est*, nisi illa Dominica, *Dum medium silentium*, & *In excelso Throno*, & Dominica *Exaudi*. Item nota, quod nulla vigilia cujuscunque Sancti, servat *Gloria in excelsis: Credo in unum: Ite missa est: Alleluja*, nisi evenerit in Dominicam. Item in die omnium Sanctorum præfatio quotidiana dicetur. In Nativitate Domini ad tres Missas dicetur: *Communicantes*, tantum ipso die. In Cœna Domini: *Communicantes*, & *Hanc igitur*, *Qui pridie*. A Vigiliis Paschæ usque ad octavas est servandum: *Communicantes*, & *Hanc igitur*. In Ascensione Domini: *Communicantes*, tantum ipso die. A Vigilia Pentecostes usque ad octavas est servandum; *Communicantes*, & *Hanc igitur*.

SYNODUS COLONIÆ A. MCCCLII. VERNA.

De Clericis hastiludia exercentibus, & declaratio, quod bonæ memoriæ WALRAMUS hujusmodi Statuta non revocaverit.

WILHELMUS, Dei gratia, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, universis *in sancta Synodo* constitutis, salutem in Domino.

Quia (sicut non notorium esse non potest) Prælati, Canonici, Curati, Capellani, & Clerici nostræ civitatis & Diœcesis, in tonsura, in habitu, & in pluribus aliis, puta in hastiludiis, & in vinorum venditione, & in Divinorum Officiorum negligentiis, & in pluribus enormitatibus, & vanitatibus frequenter, & enormiter excedere non verentur: & quanquam per Prædecessores nostros maxime bonæ memoriæ *CONRADUM*, *HENRICUM*, & *WALRAMUM* Archi-Episcopos Colonienses, Statuta, ad reprimendum excessus hujusmodi emanarunt: tamen minime profuerunt, quando nonnulli ex eis hujusmodi enormitatibus se non metuunt immiscere: & cum Statuta hujusmodi in Statutorum Ecclesiæ nostræ corpore contineantur, hic in præsentibus literis ea non duximus inserenda, sed omnes nostros Prælatos, Canonicos, Curatos, Capellanos, Presbyteros, & quoscunque alios, ad eorum tenores duximus remittendos: & quia prædicta Statuta hujusmodi multum sunt pœnalia, immo periculosa illis, qui ipsa ad unguem (licet eis ligarentur) non curarunt hactenus observare; ob id, ut ad nostram devenit notitiam, nonnulli ex nostris subditis præfatis, falsam sibi quandam relevationem circa præmissa fingentes, falso asserunt, & minus veraciter famam sparserunt, quod scilicet bonæ memoriæ *WALRAMUS* Prædecessor noster prædictus hæc Statuta in toto, seu in parte revocaverit, & quod propter hoc ipsi, nec non eis subditi, non ligentur. Cùm itaque hoc simpliciter non credamus, immo non sit verum, sed contrarium veritati, idcirco huic dolo volentes, quantum possumus, obviare, præfata Statuta, non fuisse nec esse per aliquem revocata, immo in omni suo robore, & firmitate remansisse, & adhuc remanere, & remanere debere, præsentibus declaramus: ipsa ex abundanti, nostra auctoritate, sicut Statuta ante fuerant, statuentes, & mandantes in virtute sanctæ obedientiæ omnibus nostris Prælatis, Canonicis, Decanis Christianitatum, Curatis, Capellanis, Presbyteris, & Clericis nostræ civitatis, & Diœcesis, ut prædicta Statuta omnia & singula, ad correctionem morum edita, per præfatos nostros, & quoscunque alios Prædecessores, sicut edita sunt, firma teneant atque rata: Specialiter etiam ex certa nostra scientia dilectis Nobis Decanis Ecclesiarum Collegiatarum majoris, & aliarum Ecclesiarum nostræ civitatis & Diœcesis injungimus & mandamus in virtute sanctæ obedientiæ (cum eis hoc specialius incumbat, tanquam judicibus correctionis, & disciplinæ suorum Canonicorum, & Capellanorum) ut circa observantiam prædictorum Statutorum se ita exhibeant vigilantes, quod ipsi eorum Canonici & Vicarii in talibus de

de cetero non excedant: sciturі pro certo, quod si per alicujus eorum desidiam seu dissimulationem aliquis suorum Canonicorum in contentis in præfatis Statutis, seu eorum aliquo excesserit, manifeste Nos contra Decanum, cujus talis Canonicus subditus fuerit, ad ipsum propter hoc puniendum rigore juris, quo possumus, procedemus: Volentes, quod si aliquis suorum subditorum, ita inventus fuerit contra suum Decanum, propter talia ipsum punire volentem, adeo dyscolus & protervus, quod ipse suus Decanus talem subditum non poterit corrigere commode bono modo, hoc Nobis non differat intimare: & Nos ei circa hoc adhibebimus remedium oportunum. Datum Coloniæ mensis Februarii die 25. Anno Domini MCCCLII.

SYNODUS DIOECES. COLONIÆ A. MCCCLIII. VERNA ET AUTUMNALIS SUB EODEM ARCHI-EP. WILHELMO.

I. *Processus & Mandata contra Clericos, & Religiosos, imitatores Sectæ FLAGELLATORUM.*

WILHELMUS, Dei gratia, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, universis Christianitatum Decanis, & Ecclesiarum, Capellarumque Rectoribus nostræ civitatis & Diœcesis Coloniens. salutem in Domino.

Nuper *in sacra Synodo* in crastino Dominicæ, qua cantatur *Invocavit*, in Ecclesia sancti Cassii dictæ nostræ Diœcesis celebrata, omnes & singulos Clericos & Religiosos, cujuscunque Status, Ordinis, conditionis, aut præeminentiæ existerent, qui de secta Flagellatorum, aut ipsorum imitatores, aut sectatores extiterunt, per nostras certi tenoris literas monuimus palam, publice, & solenniter, quatenus de suis excessibus, per sectæ hujusmodi nefariæ exercitium, & tempore exercitii ipsius in opprobrium totius fidei Christianæ damnabiliter præsumptis, Deo, Nobis, & Ecclesiæ intra unius mensis spatium a die publicationis dictarum literarum nostrarum computandum, condignam præstarent emendam: alioqui ipsos omnes & singulos Clericos & Religiosos prædictos, quos propter hoc (dierum dicti mensis monitione Canonica præmissa) in scriptis excommunicavimus, excommunicatos palam, & publice in Ecclesiis & in Capitulis nostrarum civitatis & Diœcesis mandavimus nunciari. Verum licet dictarum literarum nostrarum executio, & publicatio *in Sacra Synodo* prædicta adeo publice, & solenniter facta fuerit, quod nulli Clerici, aut Religiosi, quos hoc tangit negocium, præmissorum ignorantiam aliquatenus valeant allegare, complures tamen Clerici & Religiosi, qui de secta ipsa, seu ipsius sectæ imitatores extiterunt, spretis nostris mandatis, & monitionibus prædictis, excommunicationis sententiam in dictis literis nostris latam in eosdem, incidere minime formidarunt, in animarum suarum grave periculum, & scandalum plurimorum. Vobis igitur & cuilibet vestrum sub pœna suspensionis ab officio Divinorum districte præcipiendo mandamus, quatenus intra quindenam a tempore receptionis harum nostrarum literarum, Capitula vestra congregetis, ac Clericis vestrorum Decanatuum has literas nostras fideliter intimetis, ipsis vice & authoritate nostra mandantes, quatenus in Ecclesiis suis & Capitulis suis, Clericos & Religiosos quoscunque, qui præmissam excommunicationis sententiam inciderunt, ut præfertur, quorum nomina sciveritis, aut ipsi sciverint, nominatim & in specie, alias vero in genere, excommunicatos palam & publice, & alta & intelligibili voce singulis diebus Dominicis & Festivis coram populo nuncient, & vos ipsos excommunicatos nuncietis, & ab omnibus Christi fidelibus arctius evitandos, vobisque Decanis ac universis Ecclesiarum & Capellarum Rectoribus nostrarum civitatis & Diœcesis, sub pœna suspensionis prædicta, districte præcipiendo mandamus, quatenus nomina Clericorum & Religiosorum quorumcunque, qui sententiam excom-

excommunicationis prædictam inciderunt, quorum nomina sciveritis, intra quindenam a tempore publicationis præsentium ipsis faciendæ, Nobis rescribatis, & vos Decani prædicti rescribere nullatenus omittatis.

Datum sub Sigillo nostro ad causas, anno Domini MCCCLIII. crastino Dominicæ, qua cantatur: *Jubilate*.

II. *Ut literæ impetrantium, sive dispensationum, non recipiantur sine Episcopali examine.*

WILHELMUS, Dei Gratia, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius &c.

Cum nonnulli Clerici peregrini & alienigenæ, nostræ Coloniensis Diœcesis, originis ratione, falso se esse prætendentes, a Sede Apostolica literas *gratiosas*, quarum vigore de Beneficiis Ecclesiasticis sub certa forma mandatur eis provideri: alii tam Clerici, quam laici, ab eadem Sede literas super diversis defectibus, irregularitatibus, & cum quibusdam, ut impedimento legitimo (ut exprimunt) non obstante, matrimonium contrahere valeant subrepticie & obrepticie: alii vero a Sede Apostolica literas falsas de justitia (ut experientia docuit sæpius) ad Nos, & ad certos Prælatos nostræ Diœcesis retroactis temporibus impetrarunt; unde contingit Clericos, & personas literatas nostræ Diœcesis, de Beneficiis Ecclesiasticis non posse debite in eadem provideri, eosque in ea parte cum eorum magno incommodo supplantari: alios quoque in Beneficiis, vigore dispensationum prædictarum subrepticie obtentarum periculose negligi, cæterosque in matrimonio (earundem dispensationum vigore) contracto, cum periculo animarum suarum remanere, & nonnullos per prædictas literas falsas cum onere sumptuum & expensarum indebite prægravari: Nos hujusmodi morbo pestifero in dicta nostra Diœcesi pro tempore præterito plurimum usitato, quantum in Nobis est, remedium cupientes ponere oportunum, vobis & cuilibet vestrum sub pœna latæ sententiæ in his scriptis districte præcipimus & mandamus, quatenus antequam ad executionem literarum hujusmodi Apostolicarum vobis præsentandarum quarumcunque de cætero procedatis, præsentatores earundem ad Nos, seu ad Officialem nostrum pro examinatione earundem, quanta sit eis adhibenda fides, ut dictis occurratur periculis, transmittatis, ad vos cum literis sub sigillo nostro, aut dicti Officialis nostri sigillatis, in signum visionis & examinationis hujusmodi factæ absque moræ dispendio reversuros. Et ne ignorantiam aliquam in præmissis causari valeatis, volumus, ut quilibet vestrum copiam præsentis nostri mandati recipiat, & apud se tenere nullatenus omittat. Datum anno Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio, X. die Junii.

III. *Contra Clericos inordinate viventes tam in vestibus, quam in tonsuris, & aliis.*

WILHELMUS, DEI gratia, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius &c.

Bonæ memoriæ Prædecessores nostri HENRICUS, & post eum WALRAMUS, Archi-Episcopi Colonienses, Statuta quædam contra Clericos non portantes assidue coronas in capite detectas, & secundum ordinem sui status, & decentiam competentes: nec non contra Clericos vestes scacatas, aut omnino virides, aut omnino rubeas, seu glaucas, vel a lateribus, vel ante pectus notabiliter (*e*) fissas, aut nodatas, publice desuper sine causa rationabili portantes: Item contra Clericos barbas portantes, nec non contra eos, qui hastiludiis publice se immiscent, ipsa hastiludia corporaliter exercendo, præsertim in locis, in quibus Beneficia Ecclesiastica obtinent: Item contra portantes tunicas, quibus manicæ alterius coloris sunt assutæ, magnis pœnis vallata edideerunt, ipsisque, ad quos hoc pertinet, mandaverunt, ne illis, qui pœnas hujusmodi inciderunt, quicquam de suis Præbendis, proventibus, fructibus, redditibus, & obventionibus administrarent. Et si aliquid prædicti Clerici receperint, pœnis formidabilibus involverunt, sicut in eorum nostrorum Prædecessorum præ-

(*e*) *forte:* scissas.

præfatis Statutis, maxime ipsius WALRAMI pleniſſime continetur. Nos vero, dum noſtræ Eccleſiæ Colonienſi primum præfecti ſumus, ſperantes ipſos Clericos, de quibus circa præmiſſa ſuſpicio fuerat, ſe prorſus debere ab hujusmodi exceſſibus abſtinere, pœnas Statutorum hujusmodi ad noſtrum beneplacitum duximus ſuſpendendas. Verum, ubi per hanc ſuſpenſionem, quam ex vera clementia pro tempore fecimus, proficere credebamus, invenimus deterius provenire. Sunt enim inter illos nonnulli Clerici, qui (in præmiſſis malum malo addentes non curant, immo verecundantur, ſe Clericos apparere) circa præmiſſa peccare communiter, & publice non deſiſtunt: immo reputant ſe in his corrigi non poſſe merito nec debere: & quanquam prædicta omnino reputari debebunt circa omnes Clericos indecentia, in ipſis tamen Beneficiatis, maxime Canonicis præbendatis, hæc abſurdiſſima reputamus, eo quod hi, quod vivunt, & vivere volunt de patrimonio Jesu Christi, inſignia Clericalia publice portare dedignantur: cujus occaſionem, & cauſam non modicam, Eccleſiarum Collegiatarum Decanis, ad quos correctio ſuorum Canonicorum *de conſuetudine pertinet*, & *de jure*, eo quod tales exceſſus diſſimulant, & eos in talibus corrigere vel ſimilibus omnimode prætermittunt, merito imputamus: quanquam etiam ipſis Decanis in civitate noſtra fuimus locuti ſuper his alias vivæ vocis oraculo ſerioſe. Quocirca volumus & mandamus, præfata Statuta in omni ſui forma poſt quindenam a data præſentium, in ſui robore firmiter obſervari: ſuſpenſionem de his per Nos factam, penitus revocantes: Vobisque, & Decanis Collegiatarum Eccleſiarum noſtræ civitatis & Diœceſis mandamus in virtute ſanctæ obedientiæ, ut ſi indignationem noſtram volueritis evitare, quilibet ex vobis ſuos Canonicos, & Vicarios, & Clericos, maxime in prædictis exceſſibus, ita efficaciter corrigere ſtudeat, quod de cætero de his non ſit amplior correptio (*f*) opportuna, ſcientes pro certo, quod ſi in his aliqui veſtrum fuerint deſides vel remiſſi, contra tales, licet invitos Nos ad debitas pœnas procedere oportebit. Datum anno Domini Milleſimo trecenteſimo quinquageſimo tertio, Feria IV. poſt Michaelis, quæ fuit craſtinum B. Remigii Epiſcopi.

Schaten. Annal. Paderborn. Tom. II. pag. 329. ad h. a.

IV. *Aggravantur pœnæ in eos, qui Clericos occidunt, ſeu letaliter vulnerant.*

WILHELMUS, Dei gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, univerſis Eccleſiarum Prælatis, Prioribus, & Rectoribus noſtræ civitatis, & Diœceſis, & aliis Nobis ſubditis, ſalutem in Domino ſempiternam.

Quanto hominum natura moderno tempore, ut experientia (quod dolenter referimus) edocet, longe prioribus ſolito temporibus malitiis dedita pronior eſt ad malum, tanto plus convenit auſus temporum nefarios, & conatus opportuno pœnarum remedio conſultius reformari. Sane, ſi quis, ſuadente diabolo, Clericum (manus in eum injiciens temere violentas) interfecerit, ſeu vulnus letale intulerit, unde ipſum poſtea contigerit exſpirare, ſalvis aliis pœnis tam a jure, quam per ſtatuta contra hujuſmodi occiſores Clericorum, a noſtris Prædeceſſoribus edita, jam dudum inflictis, quæ præſentibus innovamus, & inviolabiliter præcipimus obſervari, de noſtri Capituli & Prælatorum Colonienſium conſilio & aſſenſu ſtatuimus ſalubriter, & ordinamus, ut hujuſmodi occiſores, ſeu occiſorum & interfectorum filii ſeu hæredes per maſculinam lineam deſcendentes uſque ad tertiam generationem incluſive ſint ipſo facto præſentis noſtri authoritate ſtatuti perpetuo inhabiles ad quæcunque Beneficia ſeu Officia Eccleſiaſtica in noſtra civitate & Diœceſi Colonienſi, ut ſic pœnæ formidine ab hujuſmodi nefariis exceſſibus committendis ſtrictius arceantur. In quorum teſtimonium &c.

V. *Contra illos, qui officium Tabernariorum exercent injuſte.*

WILHELMUS, DEI gratia, ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſco-

(*f*) *forte:* neceſſaria, ab oportet.

ſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, dilectis in CHRISTO Abbatibus, Decanis, & Capitulis Monaſteriorum utriusque ſexus in civitate Colonienſi moram trahentibus, nec non ſingulis eorum, ac Clericis, nec non Monachis & Monialibus, ſalutem in Domino.

Prædeceſſores noſtri bonæ memoriæ HENRICUS & WALRAMUS, conſiderantes Statum Clericorum, & Religioſorum omnimode non decere, quod ſe involvunt & involvere nituntur negociis ſæcularibus, præſertim Tabernariorum officio, quod omnino conditionem ipſorum (*g*) dedecet atque ſtatum, felic. record. CLEMENTIS PAPÆ VI. veſtigiis inhærentes, ſub magnarum vallatione pœnarum tam Clericis ſæcularibus quam Religioſis, ſtatutis ſuper hoc editis, inhibuiſſe hujuſmodi tabernariorum officium dignoſcuntur, ſicut hæc in eorum ſtatutis ſuper hoc editis plenius ſunt expreſſa. Nonnulli tamen Clerici ac Eccleſiaſticæ perſonæ utriuſque ſexus, pœnas hujuſmodi non verentes, tale officium tabernariorum intra civitatem Colonienſem, modis circa hoc prohibitis, vinorum, immo & aliquæ perſonæ Eccleſiaſticæ fœminæ, cereviſiæ venditioni frequenter inſiſtunt, ſtatutis non obſtantibus ſupradictis. Nos itaque attendentes Prædeceſſorum noſtrorum prædictorum intentionem circa præmiſſa fuiſſe laudabilem atque ſanctam, vobis univerſis & ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis præcipimus antedictis, ne vina quæcunque vel cereviſiam præter & extra formas & modos in prædictis ſtatutis expreſſas, vendere præſumatis quoquomodo. Alioqui præter pœnas præfatas, ſcilicet excommunicationis & ſuſpenſionis (quas eo ipſo incidunt venditiones hujuſmodi facientes, ſive ſint Clerici, ſive perſonæ Eccleſiaſticæ, aut Monachi ſeu Moniales, ſeu Canonicæ ſæculares) quemlibet ſcilicet & quamlibet hujuſmodi Clericorum & perſonarum in tantis ſummis, quantas in pecunia ratione hujuſmodi venditionis receperunt per ſe vel per alios nomine pœnæ condemnamus: volentes & mandantes eisdem & cuilibet eorum, ac earum, ut tantas ſummas, quantas ex talibus venditionibus receperint, Sigillifero curiæ noſtræ perſolvant abſque diminutione aliqua totaliter & complete. Alioqui (ſalvis aliis pœnis a Prædeceſſoribus noſtris talibus excedentibus illatis, in quas hos forefactores incidere volumus eo ipſo facto) monitione ſex dierum præmiſſa, in eosdem ſimilem excommunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis. Inhibemus nihilominus Officiali noſtro Colonienſi, ne præfatos delinquentes, ſic venditiones vinorum modo tabernariorum exercentes, aliqualiter abſolvere a talibus excommunicationibus præſumat, niſi ante omnia jurent, ſe ſtare debere mandatis Eccleſiæ, & niſi ea, quæ ex commercio hujusmodi receperint, Sigillifero noſtro integraliter perſolvant: & his peractis, eis & cuilibet eorum in virtute juramenti ſui præſtiti, idem Officialis injungat, quod venditiones ſimiles de cætero nullatenus exerceant. Et ſine hoc ordine, ipſi Officiali noſtro, ne de cætero aliquam perſonam in his delinquentem præſumat abſolvere, præcipimus: immo, ipſos abſolvendi ſine hoc ordine, totalem adimimus poteſtatem. Et ne ignorantiam horum Statutorum cauſari valeatis, vos ad eorum tenores, cum *in Conciliis prædictorum noſtrorum Prædeceſſorum* ſint ſolenniter publicata, duximus remittendos. Volumus etiam & mandamus, quatenus quælibet Eccleſiarum noſtrarum, & Monaſteriorum civitatis noſtræ Colonienſis, habeat præſentis noſtri mandati penes ſe copiam totaliter & complete. Datum anno Domini MCCCLIII. Sabbato poſt S. Severini Epiſcopi.

Statuta Colonienſia impreſſa anno 1554. Schatenus Annal. Paderborn. Tom. II. pag. 329.

VI. *Contra illos, qui ſe non curarunt promoveri debito tempore ad ſacros Ordines, nec curant promoveri.*

WILHELMUS, Dei gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, univerſo Clero noſtræ civitatis & Diœceſis ſalutem in Domino.

Ex injunctæ Nobis debito ſervitutis adſtringimur, ut ad reformandos mores & actus, prout ex alto Nobis permittitur,

(*g*) *forte:* dedecorat.

tur, solerter intendamus, ibique præcipue congruæ reformationis remedia apponere studeamus, ubi majus periculum inspicimus imminere, & scandala frequentius exoriri. Sane quam detestabile existat, quod nonnulli Beneficiati, Beneficiis certum Ordinem habentibus annexum, in Officiis, Dignitatibus, Personatibus, Archidiaconatibus, seu Gradibus Ecclesiasticis fore se asserant constitutos, & pro talibus se etiam reputari & haberi desiderent; insignia tamen clericalia, utpote vestes, habitum & Tonsuram Clericalem deferre, & ad Ordines sacros, quos hujusmodi sua Beneficia, Officia, Dignitates, (b) Status, Archidiaconatus, seu alia quocunque nomine censeantur, requirunt de consuetudine, vel de jure, promoveri non curent, experientia Nos docuit evidenter. Hinc est, quod Nos pio solicitudinis studio ductos, licet in casibus præmissis sit (tam ex constitutionibus, quam ex Statutis Prædecessorum nostrorum editis) aliqualiter jam provisum, provisioni tamen hujusmodi, quatenus ipsæ constitutiones, & Statuta eo fortius & diligentius observentur, præsentis nostri Statuti tenore pœnas condignas adjicere oportet. Præsenti itaque perpetuo valitura constitutione, de nostri *Capituli*, ac *Prælatorum Coloniensium consilio*, & assensu statuimus & ordinamus, quod quicunque Clerici Beneficiati nostræ civitatis & Diœcesis, cessante causa legitima, Tonsuram non deferunt publice Clericalem, ipso facto præsentis nostri authoritate Statuti a perceptione fructuum Beneficiorum suorum, quæ in nostra civitate, & Diœcesi obtinent, aut in futuro obtinebunt, sint suspensi. Cœterum Beneficiati quicunque in Cathedrali, vel Collegiatis Ecclesiis sæcularibus, vel Regularibus nostræ civitatis & Diœcesis prædictarum, qui Dignitates, Personatus, Archidiaconatus, Officia, seu Præbendas, quibus certi Ordines sunt annexi, aut debentur, pacifice obtinent nunc, aut obtinebunt in futurum, si legitimo cessante impedimento; ad hujusmodi Ordines, quos Dignitates, Personatus, Archidiaconatus, Officia, seu Beneficia prædicta requirunt, quovis modo etiam de consuetudine, vel de jure, si Subdiaconalis aut Diaconalis Ordo forsan existat, intra sex menses: si vero Presbyteralis Ordo fuerit, intra annum a tempore pacifice possessionis adeptæ Beneficiorum prædictorum, se promoveri non fecerint, extunc a perceptione fructuum Beneficiorum eorundem, quæ hujusmodi requirunt, sint ipso facto authoritate ejusdem præsentis Statuti nostri suspensi: quos in utilitatem dictorum Beneficiorum hujusmodi, a quorum perceptione fructuum sunt suspensi, decernimus convertendos; quam suspensionem, si postmodum hujusmodi Beneficiati per sex menses contumaciter sustinuerint, statuimus ipsos dictis suis Dignitatibus, Personatibus, Officiis, Archidiaconatibus, aut Beneficiis hujusmodi Ordinem requirentibus, eo ipso extunc fore & esse privatos. In quorum &c.

COLONIÆ SYNODUS DIOECESANA
VERNA ANNO MCCCLIV.

I. *Confirmatio Statutorum D. HENRICI & WALRAMI de Tonsuris, hastiludiis, & Vestibus Clericalibus.*

WILHELMUS, DEI gratia, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, universis in hac Synodo congregatis, salutem in Domino.

Quia in *sacra Synodo in hac Ecclesia, nunc in crastino B. Remigii* proxime prætherito congregata, mentio facta fuit, quod fuit, quod felicis recordationis *HENRICUS*, & *WALRAMUS* Archi-Episcopi Colonienses quædam Statuta ediderant contra Clericos, sine coronis debitis in capitibus, & cum barbis non abrasis, ac etiam vestibus indecentibus incedentes, nec non hastiludia corporaliter exercentes, salubria & juri Divino consonantia, ipsos Clericos, ne de cætero talia faciant, rigorose prohibentia, cum censu-

(b) Personatus,

censuræ Ecclesiasticæ exaggeratione multimoda ediderunt: quæ quidem Statuta tunc Nostra etiam authoritate mandavimus integre observari & teneri. Verum quia Nos post hæc a nostra Capitulo, & a nonnullis Prælatis nostræ civitatis & Diœcesis, quibus visum tunc fuerat, hæc Statuta nimis fore pungentia, & nihilominus captiosa, interpellati fuimus, ut ea mitigare, saltem quantum ad pœnas in eis expressas, aliqualiter dignaremur. Et quanquam in hoc ipsis quodammodo, in quantum salva conscientia poteramus, condescendimus, ipsas pœnas ad nostrum beneplacitum ad aliqua modica tempora suspendentes, sperantesque eos, quos harum pœnarum formido non moverat, charitative saltem amor virtutis ad obediendum statutis hujusmodi aliquantulum commoveret, salvis interim ipsis Statutis in suo robore duraturis. Veruntamen quia procedente tempore experti fuimus, Nos nedum nihil in remissione hujusmodi profecisse, quin imo horum intentionem Statutorum prædictos Clericos nostros, ut in pluribus, amplius, quam antea, contempsisse, eapropter tunc suspensionem hujusmodi pœnarum in hujusmodi Concilio revocavimus, & prædicta statuta cum omnibus suis pœnis, prout sunt edita, observari omnimode præcepimus, sicut hæc in mandato super hoc confecto, & tunc inibi publicato, plenius continentur. Nunc autem, sicut ad nostram devenit notitiam, nonnulli Canonici Ecclesiarum nostrarum civitatis & Diœcesis, confinxerunt (ut dicitur) mendaciter & inter se communiter fabulantur, Nos nedum pœnas hujusmodi, quin imo ipsa statuta, prout sunt edita, revocasse, se forsan in hoc, si in aliquibus eorum pœnas inciderunt, excusare intendentes: propter quod nostram excusationem, & circa hoc nostram intentionem, volentes omnes nostros subditos non latere, & eorum, qui in Nos talia confingunt mendacia, ad diminutionem etiam nostri honoris directe tendentia sententiam propalare: (*) præsentes literas in vestrum omnium deduci volumus notitiam, quod publice profitemur & protestamur, Nos nequaquam hæc statuta unquam ullatenus revocasse. Absit enim, quod horum Prædecessorum nostrorum intentionem tam salubrem, super jure naturali, & Divino fundatam, præsertim sine causa rationabili, quæ in revocando hæc statuta esse non posset, ut apparet subtiliter intuenti, revocaverimus, seu intendamus aliqualiter revocare.

Quocirca omnibus nostris subditis districte mandamus, quatenus hæc statuta ipsa in omni sui forma cum suis pœnis, prout edita sunt, observent, & se sciant ea totaliter observare debere: immo ad cautelam majorem, denuo statuimus, ea esse penitus observanda. Et hæc statuta (ne fingi possit per aliquos de his crassa ignorantia vel supina) volentes certius designari, ad oculum demonstramus, scilicet ipsius quondam HENRICI, quod sic incipit:

IN Nomine Domini, Amen. HENRICUS, Dei gratia, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Licet consulta provisione a Sanctis Patribus, etiam a nostris Prædecessoribus &c. & sic finit: *Expedit enim, ut ipsos pœna similis comitetur, quos facinus par* &c.

Secundum: quod est WALRAMI Prædecessoris nostri, incipit: *Felicis Recordat. HENRICUS Prædecessor noster, de suorum Capituli & Prælatorum consilio in Clericos &c.* item finit: *Tollentes auctoritate præsentis statuti ipsis interdictis talibus & suspensis quicquam de præfatis fructibus.*

Item *Tertium*, quod est ejusdem WALRAMI Prædecessoris nostri, incipit: *Quanquam olim bonæ memoriæ Prædecessor noster CONRADUS de consilio Capituli, & Priorum suorum, &c.* & in fine: *Alioqui ipse Cantor, seu is, ad quem hoc de consuetudine pertinet, toties, quoties hoc &c.*

Item cum bonæ memoriæ SIFRIDUS, olim Coloniensis Archi-Episcopus, Monachorum *nigrorum*, qui nominantur *Ordinis Sancti Benedicti*, & Monialium ejusdem Ordinis, statum in pluribus sentiens declinare, & ob hoc volens eos in debitum statum reponere, Statutum ediderit, quod incipit: *Statuimus, ut nullus Monachus, aut Monialis, claustrum suum exeat, per civitates, villas, vel oppida discurrendo &c.* & finit: *Licet Dominus CONRADUS Prædecessor noster antedictus hoc mandaverit, Nos pœnam adjicimus, & non servantes excommunicamus in his scriptis.*

Quia

(*) per præsentes

Quia evidentia facti, hujus Statuti utilitatem ostendit, decernimus ipsum vobis omnibus publicare; volentes & decernentes, Statutum hujusmodi ac Statuta prædicta omnia, & singula Prædecessorum nostrorum, in quantum sunt hactenus pro Statutis habita, Statutorum habere, & habere debere vigorem, & ea sub pœnis in eis expressis inviolabiliter observanda. Datum in crastino Dominicæ *Invocavit*, anno Domini MCCCLIV.

II. *Contra illos, qui vagantur, & discurrunt in Ecclesiis, quando chorus cantat, vel quando Divina celebrantur.*

WILHELMUS, Dei gratia, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, universis *in hac Sacra Synodo* congregatis, salutem in Domino.

Quia indecens, & honestati Clericali contrarium reputamus, quod in quibusdam Ecclesiis Collegiatis, Nobis subjectis, præsertim in Ecclesia nostra majori, fieri conspicimus, videlicet, quod temporibus illis, quibus in ipsis Ecclesiis Clerici, qui celebrationi Divinorum intersunt, superpelliciis, aut chori pelliciis induuntur, nonnulli Canonici, & alii Clerici Ecclesiarum prædictarum, nulla rationabili causa exposcente, in cappis incedunt, sicque per Ecclesias circumquaque pervagantes, Missa principali, & aliis horis dimissis, & quodammodo spretis, aliquoties Missas peculiares audiunt, aliquoties vanis, & prophanis colloquiis (quæ in Ecclesiis præcipue cessare debent) tempus deducentes, distributiones quotidianas sibi vendicant, ac si Divinis Officiis interessent.

Igitur universis Ecclesiarum Collegiatarum Nobis subjectarum Decanis in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus Canonicos & Clericos Ecclesiarum suarum, ab his & similibus indecentiis, per suspensionem & alias pœnas (prout ad ipsorum spectat officium) debita correctione compescant, ac administratoribus distributionum quotidianarum, sub dictarum interminatione pœnarum inhibeant, vice & authoritate nostra, quibus etiam, & Nos tenore præsentium inhibemus districtius, ne dictis Canonicis & Clericis, diebus, & temporibus inconsuetis in Ecclesiis, dum ibidem Divina celebrantur officia, in cappis, causa rationabili cessante, incedentibus, distributiones quotidianas administrent. Alioqui tam contra Decanos in præmissis negligentes, quam etiam contra administratores prædictos contrarium facientes acrius procedemus. Datum anno Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto, crastino Dominicæ *Invocavit*.

III. *De commutatione votorum, & vagis restitutionibus.*

WILHELMUS, Dei gratia, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius (*i*) &c.

Etsi omnibus & singulis indigentibus personis, & Ecclesiis charitative teneamini secundum vestram possibilitatem opera misericordiæ impertiri, Ecclesiæ tamen Coloniensi sponsæ nostræ, quæ vestra honorabilior Parochialis est Ecclesia, & ad quam omnia charitatis opera, quæ nedum in civitate & Diœcesi, verum etiam in ipsa provincia exercentur, tanquam ad suam majorem Ecclesiam dirigantur, & cui (*k*) specialis amoris nexu & unione spirituali estis obligati, in suis tenemini necessitatibus specialius subvenire: pro cujus etiam exaltatione Nos maritalis copula, qua ei spiritualiter alligamur, ferventius intendere urget, & compellit. Nos itaque Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, ea Beneficia, quibus vos & singulos vestrum, omnesque Christi fideles ad subveniendum ipsius Ecclesiæ fabricæ (quæ quam honorabiliter sit incepta, & in parte ad effectum Dei gratia deducta, non est hic in patria, qui ignoret) invitare possumus, quantum licet permissione Divina, ordinavimus, & intendimus ordinare, ut per hoc ipsa fabrica ad finem deveniat destinatum: & vos vestrarum largitione elee-

(*i*) *forte*: Universis tam Ecclesiastici, quam secularis status Nobis subjectis, in Civitate & Diœcesi nostra Coloniensi constitutis, salutem in Domino.

(*k*) spiritualis

eleemosynarum ab hoc consequamini præmia sempiterna. Hinc est, quod vos omnes & singulos requirimus, monemus & hortamur; vobis in virtute sanctæ obedientiæ mandantes, quatenus, qui ex vobis aliqua vota fecerunt, vel fecerint, & ea ex aliqua causa perficere non poterunt, ita quod ea desiderent ex causa legitima commutari, super hoc nullatenus quenquam, nisi pœnitentiariæ nostræ curam gerentem, & intra Ecclesiam nostram residentem, aut suum Plebanum, si Sacerdos & Residens fuerit, dum tamen ipsum sufficientis discretionis & scientiæ existiment, requirant: & secundum ipsius pœnitentiariæ nostræ curam gerentis, & in Ecclesia nostra residentis, aut sui Plebani (ut dictum est) consilium, horum votorum suscipiant humiliter commutationem: nec non, quod sibi ratione hujusmodi commutationis injunctum fuerit, perficiant reverenter: & intimamus vobis præsentibus, quod aliis nostræ pœnitentiariæ curam gerentibus quibuscunque, vota hujusmodi commutandi totalem adimimus præsentibus potestatem, non obstantibus quibuscunque literis, sub quacunque forma ipsis super hoc concessis: quas quoad hunc articulum præsentibus revocamus: verum ipsi, pœnitentiariæ nostræ curam gerenti, & in Ecclesia nostra Residenti, nec non universis Plebanis nostræ civitatis & Diœcesis, ac eorum Vicariis in virtute sanctæ obedientiæ, & in remissionem suorum peccaminum injungimus, quatenus ipsi suis Parochianis plene, & plane exponant, ita, quod in hoc non sint ignorantes: quod scilicet, si ad eos venirent pro suorum votorum commutationibus, & commodo, talia vota in eleemosynas pecuniarias distribuendas valeant, & ea ratio exigat commutari; ut hujusmodi eleemosynas pecuniarias ad fabricæ præfatæ subsidium largiantur, ipsis omnino authoritate nostra injungant: immo in hoc casu commutationem votorum alio modo fieri nolumus, & fieri prohibemus. Cæterum; quia nonnulli Religiosi & sæculares, Capitula, Collegia seu Conventus, aut singulares personæ asserunt se habere a Sede Apostolica, seu a Pœnitentiario, vel a Nobis, seu a nostris Prædecessoribus, vel quocunque alio potestatem hujusmodi vota commutandi, & illicite acquisita seu extorta, quorum Domini ab his, qui ea illicite acquisierunt, & extorserunt, prorsus ignorantur: quæ quidem illicite acquisita, & extorta, in subsidium prædictæ nostræ fabricæ sicut ex officio nostro possumus, deputavimus assignanda: sibi reservanda, & ad usus alios, quam ad usus prædictæ nostræ fabricæ deputandi sub quocunque velamento, & si forsan ex eis aliqui (quod non credimus) hujusmodi habeant potestatem, alii plures eandem potestatem non habentes, sibi tamen eam fallaciter usurpantes, sub falsis transeunt narrationibus, & deceptionibus, ita quod plures ex communi populo illiterato, ignorantiæ ducti simplicitate, immo verius cæcitate, ad horum simplicem relationem; quanquam literas suæ potestatis non videant, quas si viderent, nequaquam intelligerent; ipsis talia falsa asserentibus fidem adhiberent, & commutationem suorum votorum secundum eorum consilium & assertionem recipiunt, eisque injuste acquisita & extorta, seu ad eorum consilium distribuunt, se ab eis sic posse absolvi, non tam provide, quam fatue reputantes, dum absolvi se existimant, fortioribus vinculis se illaqueant, & ampliori gravantur sarcina peccatorum.

Nos igitur hujusmodi animarum periculo occurrere cupientes, prædictis Capellanis, & eorum Vicariis mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna, quatenus universis & singulis suis Parochianis inhibeant authoritate nostra, quibus etiam præsentibus inhibemus, ne de cætero cuiquam Religioso seu sæculari Capitulo, Collegio, Conventui, seu singulari personæ, cujuscunque dignitatis, præeminentiæ, status, aut conditionis fuerint, de tali fidem adhibeant potestate; nisi prius coram dilectis in Christo Capitulo nostro Coloniensi, quibus in hac parte committimus vices nostras, literas suas, quas sub tali potestate se habere dicunt, seu contendunt, ostendant in prima sui forma: & hujusmodi ostensione litterarum (l) ab ipso Capitulo nostro literas testimoniales reportent, quod scilicet hæ literæ sint veræ, & non adulterinæ, & habentes eas, potestate hujusmodi merito uti valeant, atque possint. Si qui vero ex

(l) *forte:* facta.

ex vobis contrarium fecerint, adeundo ſcilicet aliquem ex ipſis, & eorum conſilium, ſeu mandatum tanquam poteſtatem habentium vota commutandi, & acquiſita, & extorta illicite recipiendi, aut de eis quicquam diſponendi, niſi (ſicut dictum eſt) eos habere teſtimoniales Capituli noſtri literas plene conſtet (quos propter hoc ſex dierum monitione præmiſſa, omnes & ſingulos in his ſcriptis excommunicamus) excommunicatos nominatim, quorum nomina ſciveritis, reliquos vero in genere publice nunciari, & ipſos ad Eccleſiaſtica Sacramenta ullatenus non admitti (volumus), donec a Nobis ſeu ipſo Capitulo meruerint abſolutionis Beneficium obtinere. Volumus etiam, & in virtute ſanctæ obedientiæ, nec non ſub pœna excommunicationis univerſis Plebanis, & eorum vices gerentibus mandamus, quatenus in his literis noſtris contenta, qualibet die Dominica ante quodlibet Feſtum principale præcedente, & aliis diebus Feſtivis, quibus magis tam pro informatione ſubjectorum ſuorum, quam pro utilitate ipſius fabricæ viderint expedire, in Miſſarum ſolenniis, & in prædicationibus, ſive immediate poſt, plene, & plane ac diſtincte proponant, & exponant, ita quod in hoc ſufficienter informentur, ac etiam in confeſſionibus eadem confitentibus exponant, ne ex ipſorum ignorantia, per ea, quæ eis pro ſalute animarum ſuarum non expediunt, ſeducantur. Ita in præmiſſis vos vigilantes & ſolicitos exhibentes, quod ex hoc retributionem conſequamini æternam, noſtramque evadatis indignationem, immo, & vos ſuper eo habeamus merito commendatos. Datum anno Domini MCCCLIV. craſtino Dominicæ *Invocavit*.

IV. *De eodem, cum inhibitione contra Religioſos.*

WILHELMUS, Dei gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, &c.

Præcipimus, quod vota, ſeu quæcunque peregrinationes, ſi debeant commutari vel redimi, quod hæc fiant de conſilio Sacerdotum Parochialium Eccleſiarum, ex cauſis juſtis: & redemptiones eorundem, ſive in pecunia, ſive in rebus aliis fiant: & illicite acquiſita, niſi ſciantur, quibus ex debito ſint reddenda, ad uſus fabricæ Eccleſiæ noſtræ Colonienſis deputamus & concedimus per præſentes. Conceſſiones vero commiſſiones ſuper his recipiendis, a Prædeceſſoribus noſtris factas quibuſcunque Religioſis, & aliis, præſentibus revocamus: inhibentes vobis, & cuilibet veſtrum in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, ne quis alius cujuſcunque conditionis, Status, Dignitatis, aut Ordinis exiſtat, hujuſmodi votorum redemptiones, & commutationes facere, aut in alium uſum convertere præſumat, vel converti præcipiat, quam fabricæ noſtræ prædictæ: Qui autem hujuſmodi redemptiones ac illicita, ad uſum alium converterit vel convertent, converti præceperit, ſeu præceperint, illum vel illos, quem vel quos (ſex dierum monitione præmiſſa) excommunicamus in his ſcriptis. Præcipimus etiam ſub eadem pœna per ſingulos, & univerſos Plebanos, & Rectores Eccleſiarum noſtræ civitatis & Diœceſis Colonienſis, nominatim, quorum nomina ſciri poterunt, & alios in genere, excommunicatum, & excommunicatos ſingulis menſibus, quando requiſiti fuerint, publice nunciari. Si vero Religioſi, vel alii quicunque, ſe dicant habere authoritatem a Sede Apoſtolica recipiendi illicita, faciendi commutationes & redemptiones votorum hujuſmodi, volumus, quod ipſi authoritatem, & privilegia, ſi qua ſuper hoc ſint ipſis conceſſa, Decano & Capitulo noſtro Colonienſi intra quindenam poſt publicationem præſentium literarum, exhibeant & oſtendant. Præcipimus etiam univerſis & ſingulis Plebanis prædictis, ſub pœna prædicta, ut Parochianis ſuis intiment & publicent quatuor diebus Dominicis per circulum anni cujuslibet, vel pluries, prout eorum diſcretioni videbitur expedire. Datum anno Domini MCCCLIV. in craſtino *Palmarum*.

COLO-

COLONIÆ SYNODUS A. MCCCLVI.
VERNA.

I. *Ne Religiosi quicunque quæstum publicum faciant, vel male quæsita incerta, alias quam ad fabricam Ecclesiæ Coloniensis ordinent.*

WILHELMUS, Dei gratia, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius &c.

Etsi de statu cunctarum Ecclesiarum nostræ civitatis & Diœcesis prospere dirigendo, cura Pastoralis Officii Nos solicitet & fatiget, pro exaltatione tamen & promotione majoris Ecclesiæ Coloniensis nostræ Sponsæ, cui Spirituali conjugio copulamur, affectionis solicitamur instantia potioris. Rationi quoque congruum fore reputamus, quod ad hoc nostra jure dirigatur intentio, & diligentem operam, ac operosam diligentiam adhibeamus, per quod ipsa Ecclesia, ejusque solennis fabrica seu structura, non solum ab imminentibus præservetur periculis, sed cooperante Altissimo, continuum recipiat incrementum. Dudum siquidem a nostris bonæ memoriæ Prædecessoribus Colonien. Ecclesiæ Archi-Episcopis, & a Nobis dictæ fabricæ per multa privilegia libertates & indulgentias varias, ex affectione paterna est provisum & indultum, quod pœnitentiarii nostri pro tempore existentes, cujuscunque Ordinis aut conditionis existerent, dictam fabricam verbaliter & realiter promoverent, vagas & incertas restitutiones, male ablata, subtracta, vel inventa bona, & alias illicite acquisita, & obventiones, quæ provenirent ex commutationibus votorum, tradi facerent ad usum prædictæ fabricæ, nec deberent per quempiam alibi assignari; nonnulli tamen religiosi, qui circa hujusmodi officium pœnitentiarii versantur, sicut veridica relatione didicimus, provisiones hujusmodi quadam (a) incurialitatis imagine infringere moliuntur, & malorum operum instigante satore, hujusmodi bona & obventiones suis Monasteriis applicari procurant. Plerique religiosi, non sine multa temeritatis audacia quæstum publicum faciunt, Monasteriis suis & alibi indulgentias populo motu proprio & de facto concedendo, sine exhibitione aliquarum literarum a Sede Apostolica, nostris Prædecessoribus, aut a Nobis obtentarum, ut simplices decipiant, & pecunias subtili & fallaci potius ingenio extorqueant ab eisdem. Nonnulli etiam Fratres de Ordine mendicantium, quibus secundum juris dispositionem, a Nobis petita licentia, & concessa audiendi confessiones eis confiteri volentibus, falcem suam in alienam messem mittentes, super votis dispensant: & suis terminis non contenti, a casibus Episcopalibus, Nobis & nostris Pœnitentiariis reservatis, absolvunt: cum tamen ipsi fratres uberiorem authoritatem non habeant in absolvendo, quam Parochialium Ecclesiarum Rectores: & quod perniciosum est exemplo, multi de ipsis fratribus sine aliqua licentia a Nobis petita, vel obtenta, de confessionibus populi se intromittunt, in præjudicium rectorum prædictorum, pœnas varias & sententias contra tales & præmissorum quorumlibet transgressores a jure prolatas damnabiliter incurrendo. Nos vero abusus hujusmodi, per quos censura vilescit Ecclesiastica, clavium Ecclesiæ authoritas deducitur in contemptum, & fabricæ prædictæ structura damna, & dispendia notorie patitur & jacturas, omnimode aboleri volentes, præsertim cum hujusmodi procedant in gravem Dei offensam, nostræ Pontificalis dignitatis præjudicium, plurimorum scandalum, & deceptionem multiplicem animarum; inhibemus & interdicimus universis & singulis confessoribus & quæstoribus, cujuscunque Ordinis aut Religionis, status aut conditionis existant, ac aliis, ipsisque districte præcipiendo mandamus, quatenus ex nunc in antea a talibus abusionibus & corruptelis prorsus abstineant: amplius hujusmodi pecunias, res & bona, quæ dicuntur vagæ restitutiones, non exigant, extorqueant, vel acquirant & recipiant, & Christi Fidelium vota commutare de cætero non præsumant. Nec confessores Religiosi prædicti (exceptis nostris Pœnitentiariis, potestatem absolvendi & dispensandi in casibus Episcopalibus a Nobis habentibus) absolutionem alicui & dispensatio-

(a) *forte:* incivilitatis

nem

nem amodo impendant, non ostensis per eos primo *Nostris literis desuper nostro Sigillo sigillatis*, & in vestris Ecclesiis super hoc publicatis. Alioqui in ipsos quæstores, & eorum quemlibet, non exemptos, & non privilegiatos, quos Nos sex dierum monitione Canonica præmissa (quorum ipsis & eorum cuilibet duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos pro tertio, & peremptorio termino assignamus) in his scriptis excommunicationis sententias promulgamus. Insuper Religiosos Viros, Priores, Guardianos, Prælatos, & Superiores Fratrum quorumlibet Ordinum mendicantium prædictorum, requirimus sub pœnis infra scriptis, quatenus omnes & singulos suos subditos moneant efficaciter & inducant, ac sub interminatione maledictionis æternæ eisdem inhibeant, ne in sermonibus suis Ecclesiarum Prælatis detrahant, aut retrahant laicos ab Ecclesiarum suarum frequentia vel accessu, seu indulgentias pronuncient indiscretas: & cum confectionibus Testamentorum intererunt, aut in suis confessionibus, & restitutionibus dictorum male ablatorum, Ecclesiis & dictæ fabricæ debitis, non retrahant Testatores, aut ipsos etiam confitentes, nec legata vel debita, aut male acquisita, ablata incerta, sibi aut aliis sui Ordinis Fratribus vel conventibus, in dictæ fabricæ aut aliorum præjudicium, fieri seu erogari procurent: ii vero, qui præmissa, vel aliquid de præmissis, attentare præsumpserint, pœnis illis, quæ secundum eorum regulam, vel statuta, pro gravibus culpis eis consueverunt imponi, subjaceant, & jure subjecti denuncientur, super quibus absque manifesta necessitate cum eis non audeant dispensare. Et si Priores, Guardiani, & Prælati Ordinum prædictorum, de his, quæ occasione præmissorum excessuum ad eos quoque modo provenerint, dictæ fabricæ, Ecclesiis aut personis Ecclesiasticis damnificatis seu læsis, satisfactionem plenariam non exhibuerint intra mensem, postquam per vos super hoc fuerint requisiti, suspensionis sententiam jam dudum contra tales a jure promulgatam, usque ad satisfactionem debitam eo ipso declaramus, & denunciamus incurrisse, & vos extunc ipsos sic suspensos, in vestris Ecclesiis publice nuncietis, & nihilominus universis & singulis vestris Parochianis utriusque sexus hominibus, diebus Dominicis & Festivis latius exponatis, & ipsis vice, & authoritate nostra publice inhibendo interdicatis, quibus & Nos præsentibus interdicimus, ne ipsi de cætero vel eorum aliqui, dictis confessoribus religiosis vel quæstoribus aliis, hujusmodi pecuniarum, rerum, & bonorum subtractorum, inventorum, aut alias illicite acquisitorum summas, quæ vagæ dicuntur restitutiones, in confessionibus, vel extra subtiliter extorquentibus, aliquo modo dent, tradant, vel assignent, in præjudicium fabricæ supradictæ: nec votorum commutationes ab ipsis recipiant: vel pro votorum commutatione ipsis aliquid dent, tradant, vel assignent, vel aliis ad tradendum, dandum, vel assignandum eis aliquid pro hujusmodi vagis restitutionibus, aut votorum commutatione, præstent consilium, auxilium, vel favorem: & ne ad eorum quæstum publicum, aliquas ipsis eleemosynas offerant, vel assignent: nec a religiosis confessoribus, terminariis, & aliis prædictis, nisi a Pœnitentiariis potestatem a Nobis in Episcopalibus casibus absolvendi, & dispensandi duntaxat habentibus, absolutionem, & dispensationem recipiant, nisi prius ostensis vobis & vestrum cuilibet desuper literis nostro Sigillo sigillatis, a Nobis obtentis, & per vestras Ecclesias & Capellas publicatis. Alioqui omnes & singulos utriusque sexus, vestros, & cujuslibet vestrum Parochianos, inhibitioni, & interdicto nostro hujusmodi non parentes, sed contrarium facientes, quos, & Nos, Canonica monitione præmissa novem dierum, quorum ipsis & cuilibet eorum, tres pro primo, tres pro secundo, & reliquos tres pro tertio & peremptorio termino assignamus, in his scriptis in Nomine Domini excommunicamus: & quorum inobedientium nomina sciveritis, excommunicatos nominatim publice nuntietis. Datum anno Domini MCCCLVI. in crastino Dominicæ *Invocavit*.

II. *Con-*

II. *Contra exercentes contractus* Hantgelt.

In Synodali Congregatione facta universis Clericis &c. Præcipiendo mandamus, ut publice & in confessionibus denuncient, contractus, qui dicuntur Hantgelt, fore usurarios, & non posse exerceri sine periculo salutis æternæ: & illos, qui non formidant manifeste exexcere, & tales contractus manifeste exercentes, usurarios esse. Nec admittant tales ad Altaris communionem, nec ad sepulturam Christianam, nec eorum oblationes recipiant: & si quis acceperit, aut Christianæ sepulturæ tradiderit, & quæ acceperit, reddere compellatur: & donec ad nostrum arbitrium satisfecerit, ab officii sui executione maneat suspensus.

Item præcipimus, decretalem Gregorianam, quæ incipit: *Quanquam usurarii*, quam Sifridus interserit inter Statuta sua, sub rubrica: *De usurariis manifestis*, contra excercentes contractus prædictos, publice & diligenter observari, & servandam intimari. Datum &c.

COLONIÆ SYNODUS A. MCCCLVII.

VERNA ET AUTUMNALIS.

I. *Contra Beggardos, & Suestriones, & eorum Receptatores.*

WILHELMUS, Dei gratia, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius. Universis Prælatis, cæterisque Clericis, & Personis Ecclêsiasticis, salutem in Domino sempiternam.

Ad eliminandam pestiferam hominum quorundam (qui Beggardi & Suestriones appellantur) sectam, propter vitam & conversationem eorundem suspectam, ac propter varios, Christianæque Fidei contrarios (quos ii homines profitentur) errores olim bonæ memoriæ Reverendi Patres Henricus & Walramus Prædecessores nostri contra homines præscriptos, ne communione sua contagiosa, cæterorum Christi Fidelium gregem, tamquam oves morbidæ coinquinarent, *in pluribus Synodalibus Conciliis*, authoritate eorundem Prædecessorum nostrorum celebratis, varios fecerunt processus: in quibus inter cætera homines prædictos, & eis communicantes, ipsosque hospitantes, domos & hospitia eis aut alicui, seu aliquibus ex eis locantes, concedentes aliquid vel dantes, seu aliquo humanitatis solatio subvenientes eisdem, monitionibus legitimis præmissis, excommunicarunt, excommunicatosque mandaverunt publice nunciari: aliosque multiplices, formidabilesque processus duxerunt emittendos, prout in literis, & processibus eorundem Prædecessorum nostrorum super his confectis, & in publicam notitiam deductis, plenius continetur. Verum, quia prout ad nostram noviter, non absque displicentia gravi, relatum est audientiam, hujusmodi hominum perniciosa denuo incepit adeo in nostra civitate, & Diœcesi invalescere multitudo, quæ, nisi denuo eis per competentia contraria resistatur, verendum est, quod finaliter sua contagione execranda, totum commaculent ipsum gregem, aliaque pejora prioribus pericula subintrabunt. Vobis igitur Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, & vices nostras gerentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna districte præcipiendo statuimus & mandamus, quatenus contra omnes & singulos hujusmodi sectæ homines Beggardos & Suestriones, secundum eorundem Prædecessorum nostrorum processuum continentiam (quos tenore præsentium in omnibus suis punctis, & clausulis ratificamus, confirmamus, & præsentibus innovamus) procedatis: ipsosque processus contra homines præscriptos, ac ipsos in domibus suis recipientes, aut (*n*) alios communicantes eisdem, seu eis quicquam dantes, nec non eorum fautores, & eis opem, seu operam conferentes, fideliter & frequenter publicetis, ac executioni demandetis debitæ. Vosque omnes & singulos supradictos homines ipsos arctius evitetis.

(*n*) alias

tetis. Intimamus etiam vobis, quod si aliqui ex vobis in executione præmissa inventi fueritis desides vel remissi; contra tales per rigorem justitiæ sine dolo procedemus.

Datum sub Sigillo nostro anno Domini *Millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo.* 25. die mensis *Februarii.*

II. *Contra Injectores manuum in Clericos & Ecclesiasticas personas.*

WILHELMUS, Dei gratia, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, &c.

Multiplicata fide dignorum ad Nos perduxit relatio, quod complures scelerati, qui propter violentas manuum injectiones in Clericos, Ecclesiasticasve personas, dudum fuerunt, & hodie sunt authoritate Canonis, qui sic incipit: *Si quis suadente diabolo*, in favorem totius Clericalis Ordinis edicti, majoris excommunicationis sententia innodati, adeo sunt in suis malitiis, & perversitatibus obstinata quadam elatione indurati, quod sententias hujusmodi (eo quia denunciantur) damnabiliter vilipendunt, absolutionisque Beneficium petere dedignantur, in grave animarum suarum dispendium, grandeque scandalum, ac non mediocre periculum totius Ordinis Clericalis. Quapropter universis Ecclesiarum Rectoribus, & eorum vices gerentibus nostræ civitatis & Diœcesis, sub excommunicationis pœna districte præcipiendo mandamus, quatenus universos & singulos sacrilegos hujusmodi, quorum nomina sciveritis ad præsens, aut in posterum perceperitis, nominatim & specie, alios vero in genere, campanis pulsatis, candelisque accensis & in terram projectis, & pedibus conculcatis, excommunicatos publice & solenniter denuncietis, & ab universis Christi Fidelibus arctius evitandos. Datum anno Domini MCCCLVII. vigesimo quinto die Februarii.

III. *Ne aliqui Domini temporales vel judices, seu consules aliquid attentent in præjudicium sanctæ Ecclesiæ in abrogandis piis & laudabilibus consuetudinibus.*

WILHELMUS, Dei gratia, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius &c.

Præsumptuosa quorundam Dominorum temporalium, Judicum, Scabinorum, Consulum, Juratorum, civitatum Rectorum, aliorumque laicorum, in nonnullis nostræ jurisdictionis terminis, contra Dei Ecclesiam, suam extendens potestatem temeritas, sic excrevit, quod consuetudines ac observantias vetustas ac laudabiles, pia fidelium devotione introductas, non absque scrupulo hæreticæ pravitatis infringere moliantur, inhibendo, seu opem, operam, consilium vel favorem ad hoc præstando, aut alias callidis occultisque machinationibus, seu condictis verbis & factis efficiendo, ne tempore exequiarum, ac in septimo, tricesimo, & anniversariis Parochianorum defunctorum, Ecclesiarum quarundam Parochialium panes, carnes, & casei, seu pisces, vinum vel cerevisia, seu candelæ cum denariis, seu aliæ res quælibet, prout juxta morem & consuetudinem prædictos Ecclesiarum earundem, ab antiquis temporibus obtentum fuit, a Christi fidelibus offerantur. Cumque præmissa in Divinæ Majestatis offensam, (a qua laici præscripti suas merito sibi datas recognoscere deberent potestates) ad Ecclesiarum earundem grandem perniciem cedere dignoscantur; Nos hujusmodi ausibus nefariis occurrere cupientes, districtius inhibemus, ne quis in dictis præscriptis, vel aliis quibuscunque dictas consuetudines infringat, aut violet, infringere, aut violare procuret, nec per se, aut per alios, quibuscunque machinationibus, condictis verbis vel factis, qualitercunque efficiendo impediat, quominus dictæ, aut aliæ quævis oblationes, Ecclesiis, aut Ecclesiasticis personis quibuscunque libere offerantur: nec ad prædicta facienda dent consilium, auxilium, vel favorem publice vel occulte. Insuper mandamus, quod in contrarium attentata revocent, & revocari procurent cum effectu. Alioqui in omnes & singulos in præmissis contrarium facientes, aut in aliquo ipsorum inobedientes, & rebelles, decem dierum monitione præmissa, excommunicationis sententiam, quam etiam ipsos per jus commune incidisse reputamus, ferimus in

in his ſcriptis. A qua, niſi Rectori Eccleſiæ, cujus oblatio (ut prædicitur) impedita fuerit, vel diminuta, de injuriis, damnis, & expenſis, nec non intereſſe prius integre fuerit ſatisfactum, nullatenus abſolvantur. Volentes, quod univerſi & ſinguli Eccleſiarum Rectores, & eorum vices gerentes prædicti, quorum intereſt, præmiſſa ſuis Parochianis ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis publicare non omittant. Datum anno Domini MCCCLVII. 25. die menſis Februarii.

IV. *Ne aliquis aſſumatur in Capellanum, vel Vicarium ſine Epiſcopali licentia, & quod Rectores de eleemoſynis retentis, Fabricæ teneantur ſatisfacere.*

WILHELMUS, DEI gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius. &c.

Ad noſtrum non ſine diſplicentia pervenit auditum, quod nonnulli Rectores ſeu Curati Eccleſiarum Parochialium noſtræ civitatis & Diœceſis Colonienſ. prædictæ, a ſuis etiam Eccleſiis ſtudio literarum, ſeu pro aliis cauſis licitis & honeſtis de noſtra licentia, aut aliorum Prælatorum ſuorum, quibus hoc de jure competit, ſe abſentant: & ut animarum cura in hujuſmodi exerceatur Eccleſiis, & deſerviatur laudabiliter in Divinis, præfati Rectores, ſeu Curati, Eccleſiarum ſuarum regimen per locorum Ordinarios Vicariis temporalibus ad annum, vel ad tempus aliud faciunt committi, qui temporales Vicarii, onere hujuſmodi Eccleſiarum Regiminis aſſumpto, Beneficia, & eleemoſynas, quas ad conſummandam ſtructuram fabricæ Sanctæ noſtræ Eccleſiæ Colonienſis glorioſam, Chriſti fideles ipſorum Curatorum ſubditi, pro ſalute & remedio animarum ſuarum liberabiliter contulerunt, colligunt, ipſaſque eleemoſynas & beneficia collecta, Procuratori fabricæ prædictæ ſtatutis temporibus minime repræſentant, & nonnunquam aliqui eorum, ante redditam rationem beneficiorum, & eleemoſynarum prædictarum, tolluntur e medio: alii vero ad loca remotiora ſe transferunt, & quandoque extra noſtram Diœceſim, ubi per Procuratores fabricæ prædictæ ſuper eleemoſynis perceptis per eoſdem Vicarios & collectis, commode nequeunt conveniri. Ex quibus aliiſque verſutiis & fraudibus per ipſos temporales Vicarios exquiſitis, nobilis ſtructura dictæ fabricæ, quæ (ut cunctis liquet intuentibus) immenſis indiget ſumptibus, grande ſuſtinet diſpendium & jacturam.

Nos igitur, quia almæ noſtræ Colonienſis Eccleſiæ, ejuſque ſtructuræ ſpectabilis diſpendia diſſimulare non poſſumus, quin poſtquam Nobis cognita fuerint, adverſus ea oportunis remediis occurramus, ut opus tam laudabile tamque pium, quod potiſſime cordi noſtro inſidet, maxime noſtro proſperetur in tempore, & felicius ſurgat in altum; omnes & ſingulos Rectores, ſeu Curatos Eccleſiarum Parochialium, & Capellarum noſtræ civitatis & Diœceſis, tam exemptos, quam non exemptos admonemus, & cautos ſibi eſſe volumus, ut in toto tempore ſuæ abſentiæ Vicarios idoneos, fideles & honeſtos, Eccleſiarum & Capellarum ſuarum Regimini præponi faciant, qui beneficia & eleemoſynas prædictas fideliter colligant, & collectas Procuratori prædicto ſine diminutione aliqua tradant & aſſignent debitis temporibus, & conſuetis: quoniam ad hoc ipſi Rectores & Curati, de antiqua & approbata conſuetudine noſtræ Colonienſis Eccleſiæ & Statutis, tenerentur & obligati eſſent, ſi ſuis in Eccleſiis perſonaliter reſiderent: ſcientes, quod damna, ſi qua Fabrica memorata, culpa ſeu dolo dictorum Vicariorum in ſuis beneficiis & eleemoſynis pertulerit, ipſi Rectores & Curati eidem Fabricæ ex integro de jure tenentur refundere, ipſamque in his indemnem penitus conſervare. Datum *craſtino Cinerum*, Anno *ut ſupra.*

V. *Confirmatio Indulgentiarum Fabricæ Colonienſis Eccleſiæ, & de cæteris remiſſionibus & Quæſtoribus, item de indulgentiis ſpecialibus Benefactorum Fabricæ.*

WILHELMUS, Dei Gratia, ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius. &c.

Cum ex debito noſtræ Paſtoralis dignitatis primitivo officio, Matri noſtræ Eccle-

Ecclesiæ Coloniensi merito providere tenemur, quin potius, ut devotio vestra ex meritis ipsi Ecclesiæ impendendis, apud Nos valeat commendari, ne vester labor atque affectus a Nobis vacuus transire videatur, vobis Prælatis & Sacerdotibus, qui in negocio dictæ matris Ecclesiæ fideles inventi fueritis & devoti, quicquid ex negligentia, torpore, seu oblivione in horis Canonicis, aut in Missis contra Deum & Ordinem vestrum omisistis, dummodo contriti fueritis atque confessi; totum de Dei misericordia duximus indulgendum. Et ut ad majoris mercedis cumulum omnes Christi fideles ferventius provocemus, statuimus ratificantes, ut omnes indulgentiæ venerabili Matri nostræ Ecclesiæ Coloniensi concessæ, in nostra Provincia omnibus Christi fidelibus manum largitatis ad sanctum & laudabile opus porrigentibus, ad æternæ salutis augmentum sint valituræ. Nos etiam ad excitandam & in Domino exhortandam fidelium devotionem, hoc de nostro apponimus, quod omnibus Christi fidelibus dictæ Ecclesiæ Benefactoribus, quadraginta dies de pœnitentiis ipsis injunctis ob peccata oblita, vota fracta (si ad ea redierint) offensas patrum & matrum sine manuum injectione violenta, juramenta, quæ mentis impetu, & sine discretione sunt prolata, mendacia ex levitate, seu joco, & pietate dicta; vaniloquia superflua & inutilia, & bona quocunque modo illicite acquisita (si nesciantur hi, quibus reddenda sunt, & in subsidium dictæ fabricæ Coloniensis Ecclesiæ conferantur) misericorditer relaxamus.

Insuper, ut ad majoris mercedis cumulum omnes Christi fideles efficacius & ferventius provocemus, præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, & statuimus, ut singuli Sacerdotes nostræ Diœcesis singulis mensibus duas Missas, unam pro vivis, & aliam pro defunctis celebrent. Diaconi vero & Subdiaconi, nec non & Moniales, singulis annis duo Psalteria perlegant pro Benefactoribus, & Ecclesiæ nostræ Fraternitatem, ipsis exponendam zelo devotionis accensis assumentibus, ut pro tantarum orationum beneficio æternæ vitæ mereantur esse consortes. Item, ut cognoscat discretio vestra, quod Nos prædictam sanctam & laudabilem nostram Ecclesiam Coloniensem summo amore prosequamur, præcipimus & statuimus, & mandamus sub pœna suspensionis Divinorum Officii vestri, ne aliqua negocia cujuscunque sint conditionis, nominis, aut authoritatis, aut petitores, cujuscunque sint conditionis, in vestris Ecclesiis admittatis post exhibitionem præsentium: immo nullatenus ipsos promoveatis seu recipiatis, nisi de mandatis nostris, & consensu ipsos sciveritis transire, nostrisque literis transeant, quæ de præsentibus plenam & specialem faciant mentionem. Hæc omnia & singula statuimus, indulgemus, & tenore præsentium mandamus. Datum Dominica *Invocavit*, anno Domini MCCCLVII.

VI. *Ubicunque Flagellatores exercent exercitium sectæ suæ, cessandum est per triduum, absolutionem excessuum eorundem retinente sibi Diœcesano.*

WILHELMUS, DEI gratia, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, &c.

Ad eliminandam flagitiosam hominum quorundam (qui se FLAGELLATORES appellabant) sectam, tam Apostolica, quam Nostra ordinaria authoritatibus, varios Nos pridem processus meminimus emisisse: quorum districtione, dictæ sectæ Sectatores, ab ejus exercitio in nostra civitate & Diœcesi Coloniensi desistere sunt compulsi. Ad nostrum tamen non absque perturbatione gravi pervenit auditum, quod nonnulli superstitiosi homines & nefandi in hujusmodi detestabilem & damnatum recidivantes errorem, his diebus hujusmodi sectæ exercitium intra nostræ jurisdictionis terminos restaurare præsumptione diabolica præsumpserunt, falso confingentes se a Nobis super hoc licentiam accepisse.

Nos igitur, ne hujusmodi sectæ nefariæ recidiva peste resurgat exercitium, vobis & cuilibet vestrum sub excommunicationis pœna districte præcipiendo mandamus, quatenus in vestris Ecclesiis publice moneatis homines præscriptos pestiferos, quos & Nos tenore præsentium monemus, ut intra septem dies post vestram monitionem, Deo & Nobis de hujusmodi suis perniciosis excessibus con-

dignam præstent emendam. Alioqui ipsos omnes & singulos, qui hoc anno sectæ prædictæ exercitium restaurare præsumpserunt, vel inposterum exercere præsumunt (quos propter hoc his scriptis excommunicamus) excommunicatos nominatim & in specie, quorum nomina sciveritis, vel in posterum scire poteritis: alias vero in genere publice & solenniter, campanis pulsatis, candelis accensis, & in terram projectis & extinctis, intimetis: & in locis quibuscunque, ad quæ hujusmodi sectæ exercitium exequendo pervenerint, quamdiu ibi fuerint, & per sequens triduum, cessetis penitus a Divinis. Hortamur insuper & requirimus universos terrarum Dominos, Potestates & justitiarios sæculares, ut hujusmodi homines a sectæ prædictæ exercitio arcere studeant manus appositione militaris. In quo nedum reipublicæ non modicum consulent, quin etiam obsequium acceptum Divinæ præstabunt Majestati: absolutione omnium præmissorum transgressorum Nobis tantummodo reservata. Datum anno Domini MCCCLVII.

VII. *De usurariis manifestis, & exercentibus contractus dictos* Hantgelt.

WILHELMUS, Dei gratia, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, &c.

Omnibus, quibus ex privilegio competit proponere Verbum Dei, præcipiendo statuimus, & mandavimus, quatenus in sermonibus suis, & in confessionibus occulte Christi Fidelibus, contractus, quos Hantgelt vocant, directe, & manifeste esse usurarios, & absque periculo salutis æternæ exerceri non posse, denunciare & intimare non obmitterent ullo modo. Verum, quia ex multiplici fide dignorum relatione ad nostrum pervenit auditum, quod complures Ecclesiasticæ & sæculares personæ adhuc in diversis nostræ Diœcesis locis, ab hujusmodi contractibus minime abstinere formidantes, ipsos etiam exercere manifeste non verentur; vobis mandamus & injungimus, quatenus hujusmodi contractus manifeste exercentes, usurarios manifestos esse denuncietis: nec ipsos ad communionem Altaris admittatis: nec ipsi, si in hoc peccato decesserint, Christianam accipiant sepulturam: sed nec oblationes eorum quisquam recipiat. Qui autem accepit, aut ipsos Christianæ tradiderit sepulturæ, & quæ accepit, reddere compellatur, & donec ad arbitrium nostrum satisfecerit, ab officii sui executione sit suspensus. Insuper decretalem Gregorianam, quæ incipit: *Quanquam usurarii*, inter Statuta D. SIFRIDI Archi-Episcopi Coloniensis, nostri Prædecessoris, sub rubrica: *De usurariis manifestis*, insertam contra contractus prædictos publice exercentes, observetis, & observandam intimetis. Datum anno Domini MCCCLVII. ultima die Septembris.

VIII. *Quod homines existentes de loco interdicto non debeant admitti ad Sacramenta Ecclesiastica in locis non interdictis.*

WILHELMUS, Dei gratia, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi Episcopus, &c.

Perniciosus quidam, ut intelleximus, in nonnullis nostræ Diœcesis partibus abusus inolevit, quod loco aliquo, Ecclesiastico supposito interdicto, Parochiani loci interdicti, ad vicinas Ecclesias pro Divinis audiendis accedunt, & ibidem indifferenter ad Divina & alia Sacramenta Ecclesiastica a Plebanis admittuntur: quod sicut juri contrarium, ita correctione dignum judicantes, statuimus, ut diebus Dominicis & Festivis Presbyteri, antequam Missam celebrent, interrogent, si aliquis in Ecclesiis sit, qui sit de loco interdicto: quem si invenerit, statim ab Ecclesia abjiciatur. Presbyterum autem aut Plebanum, qui proprium vel alienum Parochianum interdictum, scienter ad aliquod Sacramentum Ecclesiasticum admittit, ab officio Divinorum, trium dierum monitione præmissa suspendimus. Datum &c.

IX. *Pri-*

IX. *Privilegia Fraternitatis S. Petri non solum magnis donis; sed modicis etiam affectu magno datis, posse obtineri, & quod durante interdicto ultra annum, homines habentes Fraternitatem S. Petri, non debent inungi; nec Ecclesiasticæ tradi sepulturæ.*

WILHELMUS, Dei gratia &c. Cum sicut ad Nos id fide dignorum perduxit relatio, ac fama valida publica acclamatione lucidius attestatur, quod nonnulli civitatis & Diœcesis nostræ prædictæ, Nobis subditi, non pauci numero, qui zelo devotionis, qua opus ditissimum fabricæ nostræ Ecclesiæ Coloniensis (cum omni exactissima operariorum diligentia, miranda preciositate, ex fidelium largitione eleemosynarum continua jam dudum inceptum) prosequuntur, pro Fraternitate Beati Petri, oblatis ad id opus debite perficiendum suis eleemosynis, juxta suarum virium facultates, se asscribi, & participes privilegiorum, libertatum & gratiarum ejusdem fieri desideranter affectant. Sed quia ad hujusmodi Fraternitati quendam asscribendum, rerum & bonorum oblatorum quantitatem, quam offerentis pro modo facultatum, mundi cordis affectum æstimant, licet indebite, plus attendi, & per hoc ad hujusmodi fraternitatem (si id, quod possent, non quod vellent, si suppeterent facultates, offerrent) verentur se, quamvis immerito, ullatenus non posse admitti nec asscribi. Eapropter devotioni hujusmodi subditorum nostrorum pio compatientes affectu, ac volentes eosdem (o) tam laudabili proposito, ad salutem animarum suarum salubriter confovere, præsentibus duximus ordinandum, specialiter indulgentes eisdem, quod hi, qui de bonis sibi a Deo collatis, tantum ad structuram fabricæ Ecclesiæ nostræ prædictæ solvendum annuatim se adstrinxerint & contulerint, quantum, compensatis eorum facultatibus, de consilio & judicio Curatorum suorum, commode solvere poterunt & conferre, se dictæ fraternitati facere possint, & faciant adscribi, privilegiis, indulgentiis ac gratiis, & libertatibus, ac immunitatibus quibuscunque, a Nobis & nostris Prædecessoribus dictæ Fraternitatis Fratribus concessis (non obstantibus literis nostris quibuscunque, seu Prædecessorum nostrorum huic indulto nostro forsan derogantibus) libere potituri: exceptis sepultura, & extrema Unctione, eis nullatenus ministrandis in locis illis, quæ per unum annum continue Ecclesiastico fuerunt supposita interdicto. Ita tamen, quod hujusmodi futuri fratres, eleemosynas suas prædictas, inspirante Deo; successu temporis de bono in melius augere studeant, prout (præstante Deo) ipsorum auctæ fuerint, & exereverint facultates, ut exinde procul dubio centuplum in terris recipere valeant, & in cœlis vitam possidere sempiternam. Datum crastino B. Remigii, anno Domini MCCCLVII.

(o) in tam

X. *Ne aliquis celebret in Altari portatili aut viatico sine licentia Episcopali.*

WILHELMUS, DEI gratia, &c. Querela multorum Rectorum Ecclesiarum Parochialium, nostrum pulsavit auditum, se in suarum proventibus Ecclesiarum notabilem deplorantium sustinere jacturam ex eo, quod plerumque Dominis temporalibus, militibus, armigeris, aliisque pluribus in multitudine innumera, ut in Altari portatili coram se Missarum solennia possint facere celebrari, dicimur concessisse. Cum igitur privilegium in alterius præjudicium non sit concedendum, aut si ex post facto, in alterius dispendium vergat, merito sit revocandum: ea propter concessiones quaslibet, quibuscunque personis factas de celebrando, aut de faciendo coram se in Altari portatili celebrari, ultra duos menses a data præsentium durare nolumus; sed ipsas penitus revocamus. Datum anno Domini MCCCLVII. ultima die mensis Septembris.

XI. *Ne Religiosi extra sua Monasteria moram trahant, & contra receptatores eorum.*

WILHELMUS, Dei gratia, &c. Vergit quidem in totius Religionis opprobrium, grave quoque & nimium detestabile scandalum parit in populo, actibusque nefariis aditum præbet, immo in perniciem multorum audi-

divi-

divimus redundare, quod quamplures Religiosi per nostram civitatem & Diœcesim Coloniensem moram (p) trahendo, aliqui etiam ex ipsis, de suorum inconsulta & juri contraria licentia Prælatorum, suorum Monasteriorum loca, extra quæ tamen, sicut piscis extra aquam vita carent, passim & publice, quasi oves aberrantes, discurrendo vagantur, nullasque suorum Monasteriorum utilitates exequentes, negociis in toto sæcularibus ultra alios se nimis irreverenter immiscere non verentur: quod correctionis lima necessaria conspicimus indigere, ipsosque ad Pastores animarum suarum convertere satagentes, universitati vestræ præsentibus intimamus, hos Religiosos, cujuscunque ordinis aut conditionis existant, amodo contra sui ordinis substantiam, & contra id, quod sonat verbum hoc, MONACHUS, quod solitarium significat, in statu prædicto, in mortalique peccato versari, in suarum grave periculum animarum. Eapropter universos & singulos requirimus, vobisque sub pœna excommunicationis districte præcipiendo mandamus, quatenus ab hujusmodi Religiosorum conversatione, familiaritate, hospitii, seu domicilii locatione, seu concessione, seu sub alterius cujuslibet coloris titulo, præstatione penitus abstineatis: vosque Parochialium Ecclesiarum Rectores & eorum vices gerentes, eosdem Religiosos & subditos vestros utriusque sexus, præsentis nostri mandati contemptores, hospitia aut domicilia hujusmodi Religiosis quocunque colore exhibentes, aut conversationes habentes quascunque cum eisdem, quorum nomina sciveritis, nominatim & in specie, alios vero in genere, vice & authoritate nostra moneatis, quos etiam & Nos monemus per præsentes, ut prædicti Religiosi intra quindecim dierum spatium ad Monasteria sua redeant, in ipsis (ut status Monasticus exigit, hujusmodi vagationibus & discursionibus postpositis, ut decet) continuo permansuri: dictique nostri subditi prædicto nostro mandato pareant cum effectu: alioqui ipsos (quos Nos dictorum quindecim dierum monitione Canonica præmissa in his scriptis excommunicamus) excommunicetis, & ab universis Christi fidelibus arctius evitandos (cum plena & fideli hujusmodi mandati executione) palam & publice nuncietis: nisi dicti Religiosi causam rationabilem, quare extra Monasteriorum suorum septa possint sic degere, ipsi vel aliquis eorundem intra dictos dies prætendant: & ipsi subditi nostri, quare hujusmodi mandato nostro minime parere teneantur, coram dilecto Nobis Officiali Curiæ nostræ Coloniensis (cui in præmissis, & ea quoquo modo tangentibus, committimus vices nostras) allegaverint. Diem vero monitionis vestræ, ac nomina monitorum executionis præsentium, Nobis liquide rescribatis vos, qui præsens nostrum mandatum fueritis executi. Datum Coloniæ sub sigillo nostro, anno Domini MCCCLVII. ultima die mensis Septembris.

(p) trahentes

XII. *Ne Quæstores cum crucibus, vel calicibus admittantur in Parochiis, sine licentia data per Episcopum, aut Capitulum.*

WILHELMUS, DEI gratia, &c. Meminimus Nos jam dudum & vicibus multiplicibus sub certarum pœnarum adjectione, decrevisse Christianitatum Decanis, ac Rectoribus investitis, & Sacerdotibus universis Ecclesiarum & Capellarum, in nostra Diœcesi constitutis, ne Quæstores aut Petitores, cujuscumque forent nominis, authoritatis, sive conditionis, in suis Ecclesiis admitterent, promoverent, seu recipere nt, nisi ipsos transire scirent cum Nostris, & Capituli nostri Colonienſ. literis certis & expressis. Sane ex parte vestra Nobis oblata petitio continebat, quod cum nonnullæ hactenus fuerint, & sint personæ prophanæ, & profugæ, quæ diabolicæ persuasionis instinctu sub falso titulo Nunciorum fabricæ Ecclesiæ Coloniensis, & cum literis confictis, in aliquibus Ecclesiis Diœcesis transeundo, beneficia & eleemosynas ad consummandam structuram fabricæ memoratæ petant, colligant, & recipiant, in præjudicium & jacturam ejusdem fabricæ, cui subripiunt ea, quæ ei a Christi fidelibus donantur, quatenus eidem fabricæ, & vobis super his de oportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur non solum præjudicia & jacturas, quibus gloriosa fabrica & structura Ecclesiæ Colonien-

lonienſis memoratæ per prædictos exceſſus impeditur, vitare, ſed etiam excedentium hujuſmodi exceſſus corrigere cupientes, quod cum efficacia perficere nequivimus, cum ipſi exiſtant profugi, niſi perſonaliter capiantur: idcirco authoritate præſentium committimus & diſtricte univerſis & ſingulis Officiariis ubilibet conſtitutis mandamus, & requirimus Officiarios aliorum Dominorum, quatenus delinquentes, cum per vos, vel per nuncios veſtros requiſiti fuerint, authoritate noſtra capiant, etiamſi Clerici fuerint, detineant, & Nobis ipſos repræſentent, pro meritis & modo culpæ pœnam recepturos. Præterea expoſuiſtis Nobis, quod ſint nonnullæ perſonæ utriuſque ſexus, quæ novæ mendicitatis, ſive extorſionis pecuniæ a Chriſti fidelibus ſpeciem adinvenientes, nulla authoritate ſuffultæ, cum crucibus & imaginibus, ſive calicibus, quas portant, ſine verecundia, & cum ſcandalo publice petunt, & recipiunt eleemoſynas in præjudicium non modicum fabricæ memoratæ: quocirca præcipimus & inhibemus ſub pœna excommunicationis Decanis, Plebanis, Rectoribus, & Vicariis Eccleſiarum & Capellarum univerſis noſtræ Diœceſis, ne de cætero tales in ſuis Eccleſiis admittant, niſi Noſtris & Capituli noſtri literis ſint munitæ: immo hujuſmodi perſonas omnes & ſingulas (quas ſex dierum ſpatio pro termino peremptorio & monitione Canonica præmiſſa, niſi deſtiterint a præmiſſis, excommunicamus in his ſcriptis) in Eccleſiis veſtris publice nuncietis excommunicatos. Et ut forſan nonnulli ſpiritualem pœnam formidantes minime, temporalis metu pœnæ a prædictis arceantur; Vobis officiariis noſtris ſub obtentu gratiæ noſtræ, & nihilominus vobis & aliis Officiariis prædictis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ubicunque & quotieſcunque a præſentium exhibitore fueritis requiſiti, prædictis perſonis (ſicut prædicitur) cum crucibus, imaginibus, calicibus, vel monſtrantiis mendicantibus, eaſdem cruces, imagines, calices, ſeu monſtrantias authoritate noſtra auferatis, ipſoſque præſentium exhibitori tradatis, & ut aſſignentur Procuratori fabricæ prædictæ fideliter, mandetis, ut ſic præfatæ perſonæ metu pœnæ, ab hujuſmodi forefactis & exceſſibus diſcant ulterius abſtinere. Datum anno Domini, *ut ſupra.*

XIII. *Contra detentores & ſubtractores Legatorum Fabricæ Eccleſiæ majoris Colonienſis.*

WILHELMUS, DEI gratia, &c. Multifariis excitatos clamoribus Nos oportet occurrere præjudiciis & jacturis, quibus Sancta noſtra Colonienſis Eccleſia, in glorioſa templi ſui fabrica & ſtructura opprimitur, & multipliciter impeditur, præſertim per Plebanos & Rectores Eccleſiarum Civitatis & Diœceſis noſtræ Colonienſis, qui eleemoſynas & legata fabricæ ipſius Eccleſiæ, tempore debito minime reportant & repræſentant: unde omnes & fabricæ Eccleſiæ noſtræ prædictæ, & aliorum negociorum ad ipſam fabricam ſpectantium, eleemoſynarum ſeu legationum, ultra diem reportationis earundem indictæ, ſeu indicendæ, detentores ſeu ſubtractores authoritate a DEO Nobis conceſſa, propter contemptum clavium & ſacrilegium commiſſum, decem dierum monitione Canonica præmiſſa, excommunicationis vinculis in his ſcriptis innodamus: & præmiſſa non ſolum ad futura, ſed & jam pendentia, ſubtracta & detenta, & in reportatione dilata ipſi fabricæ extendi volumus, & ligari detentores & ſubtractores hujuſmodi præfata pœna poſt publicationem mandati hujuſmodi, niſi intra tempus præfatæ monitionis ſatisfaciant de perceptis & ſubtractis.

Expoſitum etiam eſt Nobis, quod nonnullæ perſonæ utriuſque ſexus, quæ novæ mendicitatis, ſive extorſionis pecuniæ a Chriſti fidelibus colorem adinvenientes nulla authoritate ſuffultæ, cum crucibus & imaginibus, calicibus, ac aliis monſtrantiis, quas portant, publice eleemoſynas petunt & recipiunt in præjudicium fabricæ prædictæ. Quocirca præfigimus univerſis Chriſtianitatum Decanis, Plebanis, & Rectoribus, & Vicariis Eccleſiarum, & Capellarum noſtræ Diœceſis, ne de cætero tales, aut alios Quæſtores, aut quæſtus quoſcunque publicos, in ſuis Eccleſiis & Capellis admittant, niſi Noſtris, aut Officialis noſtri, & Proviſoris fabricæ prædictæ literis

ris ſint muniti: immo eos (quos monitione decem dierum præmiſſa, in his ſcriptis excommunicamus) excommunicatos nominatim denuncietis, niſi intra hujuſmodi monitionis terminum a præmiſſis deſiſtant, & Nobis de commiſſis ſatisfaciant competenter. Inhibemus inſuper univerſis & ſingulis Chriſtianitatum Decanis, Eccleſiarum Rectoribus, Plebanis, Vicariis, Capellarum Rectoribus noſtræ Diœceſis, ne conſentiant, ut aliqui ſtipites, ſive trunci pro eleemoſynis colligendis, in eorum Eccleſiis, Capellis, & Parochiis ponantur, ſeu locentur, prout hoc etiam inhibitum eſt in Statutis D. HENRICI Archi-Epiſcopi Colonienſis noſtri Prædeceſſoris ſub pœnis expreſſis in eiſdem. Datum anno Domini ut ſupra MCCCLVII.

XIV. *De pœna eorum, qui Statuta prius publicata non ſunt executi. De delatione Corporis Dominici & ſortilegis.*

WILHELMUS, Dei gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ &c.

Animarum periculis occurrere deſiderabiliter affectantes, tranſactis temporibus diverſa mandata emiſimus ſalubria, quæ & in *diverſis Synodalibus Congregationibus* ſolenniter fecimus publicari: ſed quia propter deſidioſam aut nullatenus factam executionem aliquorum mandatorum prædictorum, per eos, quibus executio prædicta tunc injuncta fuit facienda, modicum exinde fructum adhuc ſenſimus perveniſſe; eapropter aliqua ex mandatis ipſis renovanda cenſuimus, veſtriſque auribus repetitis vicibus inculcanda, illis, quorum hujuſmodi executio mandatorum facienda tunc injuncta fuerat, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio Divinorum (quam in ipſos & eorum quemlibet, ſi non fecerint, quod mandamus, trium dierum Canonica monitione præmiſſa ferimus in his ſcriptis) diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus ipſi, & eorum quilibet, mandatorum dictorum (ſecundum continentias eorundem) executionem fidelem & efficacem facere ſtudeant, ac Sigillifero Curiæ noſtræ, quando & qualiter executionem ipſam fecerint, per literas ſuis ſigillis ſigillatas reſcribant intra menſem: taliter in his ſe gerentes, ne ſubditorum ſuorum exceſſus diſſimulando, ſuos facere videantur, Nosque contra ipſos proinde acrius procedere compellamur.

Mandata vero prædicta, ſic incipiunt: Primum, *Uſurarum voraginem:* Secundum, *In Synodo Sancta*: Tertium, *Vergit quidem:* Quartum, *Pernicioſus quidam, ut intelleximus*: Quintum vero, *Multiplicata fide dignorum.* Inſuper, ne propter injuriam Sacerdotum Divina indignatio gravius ardeſcat, ſub pœna excommunicationis diſtricte præcipiendo mandamus univerſis Sacerdotibus, quatenus cum ipſi Dominici Corporis Sacramentum ad infirmos deferunt, in decenti habitu, ſuperpoſito mundo velamine, ferant & referant manifeſte & honorifice ante pectus cum omni reverentia & timore. Ad hoc, quia execrandas Divinationum, incantationum, & ſortilegiorum ſuperſtitiones in noſtra Civitate & Diœceſi Colonienſi invaluiſſe percepimus, ne ipſorum aſſiduitate noxia Chriſti fideles in idololatriam pertrahantur, univerſos utriuſque ſexus homines hujuſmodi maleficiis ſe de cætero multiplicantes, aut ipſa fieri procurantes, excommunicamus in his ſcriptis, ac per vos Eccleſiarum Rectores, veſtrasque vices gerentes, ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis excommunicatos mandamus publice nunciari. Datum *ut ſupra* A. MCCCLVII.

COLONIÆ SYNODUS AUTUMNALIS ANNO MCCCLX.

WILHELMUS, Archiep. Colon. anno MCCCLX. publicat Edictum Pontificium ad ſe miſſum.

De vita, habitu, & honeſtate Clericorum & Monachorum, & de pœnis excedentibus infligendis. Ex Decreto Papæ Innocentii VI.

WILHELMUS, Dei gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, univerſis Eccleſiarum & Mona-

Monafteriorum Prælatis, & Clericis, Ecclefiafticisque Perfonis noftrarum Civitatis, & Diœcefis Colonienfis, falutem in Domino fempiternam.

Sanctiffimi in CHRISTO Patris & Domini noftri INNOCENTII, Divina Providentia Papæ Sexti, literas accepimus in hæc verba:

INNOCENTIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI FRATRI WILHELMO, ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

" ETfi de cunctorum Chrifti Fidelium, fuper quorum univerfali cura & cuftodia fumus conftituti, delictis & exceffibus doleamus ab intimis, de Prælatorum tamen & Clericorum defectibus tanto nimirum dolemus acerbius, & profundius conturbamur, quanto fentimus graviora inde eifdem fidelibus animarum pericula provenire. Nuper fiquidem ad aures noftras rumor infeftus de partibus Alemaniæ progreffus, fide digna referatione perduxit, quod nonnulli folo vocabulo Clerici & Ecclefiafticæ perfonæ, non folum in minoribus gradibus confiftentes, fed etiam ad faftigium Paftoralis dignitatis evecti, de partibus prælibatis effrænato quodam vivendi modo libitum pro licentia capientes, & per diffolutionis lubricum, & fine ullo rationis Imperio gradientes, neglecta Clericalis honeftatis obfervantia, & gravitate Ecclefiafticæ religionis abjecta, vitam fuam Deo & Ecclefiafticis minifteriis dedicatam, quibufvis fæcularibus actibus contra facrorum Canonum prohibitiones fe immifcent in *ludis*, *baftiludiis*, *torneamentis*, & aliis militaribus & prohibitis eis actibus, nec non in deferendis veftibus fæcularibus, ac aliis quibufdam a jure prohibitis ornamentis, dilapidantes bona pauperum, & Patrimonium Jefu Chrifti, in Dei offenfam, propriæ falutis difpendium, & perniciofum populi talia confpicientis exemplum. Nos igitur attendentes, quod, qui tanquam Dei Miniftri pofiti funt ad abolendas maculas fubditorum, immaculatam & irreprehenfibilem debeant ducere vitam fuam, & quafi lumen accenfum fuper candelabro pofiti, gregem Dominicum fibi commiffum, in viam rectam dirigere verbo pariter, & exemplo: confiderantes itaque, quod fæpe pejora malis addere folent impunitates delictorum, & propterea hujufmodi talium perfonarum exceffibus debitis obviare remediis cupientes, fraternitatem tuam requirimus pariter, & monemus attente, per Apoftolica fcripta tibi nihilominus mandantes, quatenus juxta villicationis tuæ debitum officium, & incumbens tuis humeris onus minifterii Paftoralis, attenta diligentia, & diligenti attentione te follicitum reddas, & vigilem circa Prælatos & Clericos, aliafque perfonas Ecclefiafticas, cujufcunque gradus & dignitatis exiftant, tibi fubjectos, ab hujufmodi exceffibus coercendos: fi quos in præfatam temeritatem, & lafciviam inveneris incidiffe, ut a talibus actibus prorfus abftineant, fæculares hujufmodi ufus morum, gravitati Ecclefiafticæ penitus indecentes, abjiciant, & Divinis obfequiis vocationis fuæ non immemores integritate vitæ & geftibus modeftis intendant, correctionis tuæ limam in pertinaces, & negligentes, prout ad tuum fpectat officium, efficaciter impenfurus: & etiam *Venerabilibus Fratribus noftris Epifcopis Suffraganeis tuis* mandaturus, ut circa fubditos fibi Clericos, & perfonas Ecclefiafticas fimilem curam adhibeant, & ad hujufmodi corripiendos abufus vigilanter advertant. Sic ergo adhibeas debitæ folicitudinis tuæ curam, & tuum minifterium impleas in prædictis, quod apud Nos, cum tolerare negligentiam non poffimus, adhibitæ folertiæ præconium merearis, & contra delinquentes eofdem aliud remedium adhibere non fit opus. Cæterum ut hæc omnia tibi latius & apertius innotefcant, venerabilis Frater nofter Epifcopus PHILIPPUS Cavallicen. Apoftolicæ Sedis Nuncius, per noftras literas: & Dilectus Filius Conradus Præpofitus Ecclefiæ S. Mauricii Moguntinenfis, lator præfentium, per Nos vivæ vocis oraculo plenius infor-

" mati, eidem fraternitati tuæ Noſtræ
" mentis propoſitum plenius explica-
" bunt & ſerioſius, quibus vel eorum
" alteri, dabis in prædictis cum efficacia
" operis plenam fidem: Nihilominus
" præfatis Epiſcopo & Præpoſito, vel
" alteri eorundem, ſuper quibuſdam
" aliis, pro parte noſtra tibi viva voce
" latius referendis, tam plenarie, quam
" efficaciter crediturus. Datum Avi-
" nione, tertio Calendas Maji, Pontifi-
" catus noſtri anno (*a*) ſeptimo.

Volentes itaque prædicta Apoſtolica Nobis directa adimplere mandata, ne de damnabili poſſimus negligentia reprehendi, diſſolutiones, indecentias, & abuſus varios, quibus Clericos & Eccleſiaſticas perſonas Noſtrarum civitatis & Diœceſis Colonienſ. excedere, & ſcandaloſe deformari comperimus, Apoſtolicis jam dictis compulſi præceptis, Paſtoralis emendationis ſarculo evellere cupientes, ſuſpenſiones quarumcunque pœnarum, & cenſurarum Eccleſiaſticarum, in Statutis & mandatis quondam Reverendorum Patrum Dominorum HENRICI & WALRAMI Archi-Epiſcoporum Colonienſium Prædeceſſorum noſtrorum, pro reformatione vitæ, & honeſtatis ſtatus Clericalis editis, pridem promulgatarum, nuperque ad preces dilectorum Nobis Decanorum noſtræ Majoris, & aliarum Eccleſiarum Collegiatarum Colonienſium, aut alias qualitercunque per Nos factas, quia Decanos ipſos in correctione diſſolutionum, abuſionum & exceſſuum prædictorum Nobis pollicita per eoſdem, invenimus notorie negligentes, quantum ad infra ſcriptos abuſus, & indecentias revocamus, caſſamus, & nullius deinceps eſſe volumus firmitatis, ſed Statuta & mandata prædicta, cum pœnis, ſententiis & cenſuris Eccleſiaſticis quibuscunque contentis, & prolatis in eiſdem, quoad diſſolutiones, indecentias, & abuſus eoſdem, cum ſubſcripto moderamine innovamus, ea in ſtatum primævum reſtaurantes. Ne autem Clerici, & perſonæ Eccleſiaſticæ prædictas pœnas hujuſmodi utique formidabiles, incidant quodammode improviſe, monemus univerſos & ſingulos Clericos ſæculares Beneficiatos, & non Beneficiatos, in Sacris tamen Ordinibus conſtitutos duntaxat, & etiam Religioſos, cujuſcunque Ordinis, gradus, aut conditionis exiſtant, ne de cætero veſtes partitas, virgatas, taliatas, ſcacatas, aut quibus manicæ, vel aliæ particulæ alterius coloris ſunt aſſutæ, aut omnino rubeas, aut omnino virides, aut glaucas pro Superiori veſte deſuper cinctas, aut (*b*) botoratas, vel nodatas præter togas vel

(*a*) Innocentius VI. adiit Pontificatum A. 1352. XV. Kal. Januarii.

(*b*) Vocabulum iſtud botorata aliter atque aliter in aliis hujus operis locis ſcribitur, modo enim boterata, modo botenata, aut botonata, aut botoneata. Quid autem vox iſta, ſeu voces ſibi vellent, nondum iis, qui hæc notabant, neque ex doctis, neque ex barbaris dictionariis inter notandum conſtabat.

Si bortoratam, aut bortonatam, ſcriptum legeretur, facile ex voce partim Teutonica, partim Latina conjiceretur, aſſuturas illas, ſive appendices fimbriis veſtium extrinſecus additas, iſto vocabulo innui ac vetari, ut quæ non tam neceſſitatis & utilitatis, quam ornatus & oſtentationis, immo vanitatis potius gratia aſſuantur: ideoque Clericis, quos potiſſimum ſimplicitas deceat, maxime vitandas. Quantus vero & hodie, non olim modo inter vulgares & mediocres, ut taceantur ſuperbi divites, bortonum, ſeu bortonarum (liceat in præſentiarum & hoc maxime in loco vocabulis iſtis, quo facilius intelligamur, uti: Nam boto, ſive botona, navale potius aliquid, quam quod ad veſtimenta ſpectat, innuere aut ſonare videtur) iſtarum luxus & cura ſit, in proclivi eſt vulgo cernere, quum limbi & aſſuturæ iſtæ prætextæ curioſæ, immo ſuperfluæ & inanes, plus aliquando negocii exhibeant, pluſque lucri ſartoribus adferant, quam vel univerſa totius veſtimenti ſutura: idque tum præcipue, ſi additamenta iſta oſtentatoria, ſeu appendices ſuperbæ ex precioſis & variis, maxime raris & artificioſis, non ſimplicibus rebus fiant. Videtur proinde hic eſſe ſenſus, quod ſuffultura pellicia veſtimenti Clericalis non debeat foris exſtare, neque illius loco quicquam extra, quod luxui magis & oſtentationi, quam uſui & neceſſitati inſerviat, aſſui) niſi tantummodo ſuperne circa collum, quodque abinde uſque in pedes, ſuperior aut exterior veſtis Clerici non fiſſa & aperta, verum ſolida geſtari debeat, quemadmodum hodie etiamnum in ſolemnibus choraulium ſummi templi Colonienſis veſtimentis apparet. *Notatio editoris Statut. Colonienſ.* A. 1554.

vel sciſſas, conſuticas in aliqua ſui parte, niſi in ſpatulis, & manicis duntaxat pro ſuperiori veſte, aut caputiola parva ſubtus brachia colligata, vel vinculis, vel nodis alteri veſti affixa, aut etiam caputia, vel alias veſtes ſciſſas per particulas pendentes, vel auri vel argenti, aut texturarum, vel circumferentiarum appoſitione ornatas, vel manicas, aut wamboſia deſuſcata, vel tela linea (*b*) aut ex alia quacunque materia deſuper; vel etiam ſub wamboſiis ſericia, vel ſemiſericia, ſindatica, vel velluta indumenta pro prima veſte ferant: nec togis, quas in fraudem Statutorum, & mandatorum prædictorum deferre conſueverunt, ſub choripelliciis aut cappis, niſi in matutinis duntaxat, induantur. Barbas quoque intra tres ſeptimanas non raſas in Eccleſiis vel eorum Capitulis, calceos etiam per particulas pendentes ſciſſos, vel etiam multipliciter perforatos alicubi non deportent. Sed veſtes Clericales decentes, & honeſtas ad minus uſque ad medium tibiæ, vel ultra ſuram longas, & non nimium ſtrictas, & coronas ad minus ſingulis tribus ſeptimanis raſas, in loco capitis debito apparentes, & aſſidue detectas portent: haſtiludia & torneamenta in locis Beneficiorum ſuorum ſimiliter non exerceant ullo modo. Presbyteri vero, quos propter tanti præeminentiam Ordinis præcipua morum decet honeſtas, veſtes, quas ſibi de cætero novas facient, uſque ad talum vel prope longas, coronas quoque largas, & capillos capitis non in totum raſos, ſed infra decurtatos, & auribus ſaltem in parte patentibus, deferant: manicas vero wamboſiorum intra menſuram unius quartalis & dimidiæ ulnæ Colonienſis longas vel largas non habeant, ſed intra menſuram prædictam, latitudinem & longitudinem ſibi reſtringant earundem. Non tamen prohibere intendimus, quin Clerici ſeculares in itinere conſtituti, vel a locis, in quibus conſiſtunt, ſtatim eadem hora receſſuri, vel equites exituri, veſtes competenter breves, nodatas & deſuper cinctas, ferre poſſint. Monemus inſuper univerſos & ſingulos Monachos & Canonicos Regulares, ac etiam Moniales, cujuſcunque præeminentiæ, Ordinis vel conditionis exiſtant, etiamſi allegent, quod de conſuetudine Monaſteria ſua deſerere & matrimonium contrahere poſſint, ne de cætero habitum ſuæ religionis dimittant, aut veſtibus ſæcularibus induantur, neque veſtes botenatas vel nodatas, aut ſæculares, ſeu calceos infra talum baſſos aut veſtes, vel zonas ſeu cingulos auro, argento, vel gemmis ornatas, in aliquo loco publice deferant, ſed veſtes hujuſmodi ſæculares, & corrigias ornatas (ut præfertur) vendant abſque ulla fictione ſine fraude. Neve Monachi & Canonici Regulares prædicti, in aliquo loco tabbardis utantur, quia tabbardus, ipſorum habitus in jure, vel ipſorum regulis deſcriptus, vel eis permiſſus non exiſtit, ſed per abuſum uſurpatus per eoſdem. Sed Monachi ipſi cucullas largas & uſque ad terram longas, nodatas, ſed infra in totum clauſas, vel flotos aut cappas, aut ſcapularia ferant ſecundum Conſtitutionis Clementis, quæ incipit: *Ne in agro.* continentiam & tenorem. Neve Moniales pepla ſeu ſericeos pannos capitis, qui **Cruſelete** in vulgari idiomate appellantur, aut etiam acus, groſſa habentes capita, aut gemmis ornatas deportent. In omnes & ſingulos utriuſque ſexus homines, quos ſupradictæ monitiones & inhibitiones noſtræ tangunt, & prout ipſos & eorum quenlibet concernunt, etiamſi ſub toga vel cappa hujuſmodi veſtimenta, & alia prohibita prædicta detulerint, monitione triginta dierum præmiſſa, quos a publicatione præſentium currere volumus, excommunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis. Inhibemus inſuper tam Clericis ſecularicis, quam Religioſis, Eccleſiaſticiſque perſonis quibuſcunque ſupradictis, ad quos fructuum & proventuum groſſorum, vel diſtributionum quotidianarum Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum eorundem adminiſtratio, exhibitio, vel quævis diſtributio pertinet, ne talibus excommunicatis quicquam de fructibus, proventibus, obventionibus, quotidianis diſtributionibus, vel præſentiis, vel per ſe, vel per alios quocunque colore quæſito, diſtribuant, vel adminiſtrent quovis modo. Alioqui ipſos Adminiſtratores & Diſtributores pro tempore, dictorum triginta dierum monitione præmiſſa, excommunicamus in his ſcriptis: quos omnes & ſingulos excommunicatos volumus publice nunciari. Abſolutionem vero omnium & ſingulorum, qui hujus-

(*b*) aut alia quæcunque.

hujusmodi sententias incurrerint, Nobis duntaxat reservamus.

Monemus etiam universos & singulos Abbates, Decanos Ecclesiarum Collegiatarum, & Monasteriorum prædictorum, & alios quoscunque Nobis subditos, cujuscunque Ordinis, Status, Sexus, aut Conditionis existant, ad quos, vel ad quas personarum, Ecclesiarum, & Monasteriorum suorum correctiones pertinent, ipsisque sub excommunicationis pœna districte præcipiendo mandamus, quatenus ipsi & eorum quilibet, ultra pœnas præscriptas, etiam per consuetudinarias Ecclesiarum, & locorum suorum pœnas, personas easdem, prout ipsis subsunt, pro præmissis, & aliis quibuscunque indecentiis, dissolutionibus & abusionibus, & præsertim pro Divinorum negligentia officiorum, corrigere non tepescant. Nostræ enim intentionis non existit, correctionibus disciplinaribus Ecclesiarum & Monasteriorum prædictorum, seu jurisdictioni quorumcunque in aliquo derogare: multiplici enim pœna merito percelluntur, qui in præmissis multipliciter excedentes, Divinam offendunt Majestatem, suos Superiores despiciunt, statum Clericalem, in quo sunt, unde & temporalem alimoniam & honores habent præcipuos, inhonorant: sicque in se & in alios, eos suo pernicioso corrumpentes exemplo, peccant scandalose.

Cæterum, quia in nonnullis Collegiatis Ecclesiis supradictis consuetudinem, immo damnabilem abusum invaluisse percepimus, scilicet quod Decani Ecclesiarum earundem, & alii jurisdictionem habentes, Canonicos, & alias personas Ecclesiasticas, Ecclesiarum suarum, Divina Officia & Ministeria non facientes, aut eisdem non interessentes, aut alias excedentes, per censuras & pœnas ipsarum Ecclesiarum & Monasteriorum prædictorum disciplinares consuetudines corrigere non possunt, subtrahendo scilicet eisdem Canonicis aliquid, etiam modicum, vel magnum de fructibus Præbendarum suarum; Hanc igitur malam consuetudinem, immo perniciosam corruptelam sacris inimicam Canonibus, & Divinæ invisam Majestati damnamus & reprobamus, inhibentes universis, & singulis Prælatis, Canonicis & Monachis, & Ecclesiasticis personis prædictis, ne de cætero hujusmodi corruptelam servent, aut secundum eam judicare præsumant. Alioqui sex dierum monitione præmissa, quos a dicta publicatione præsentium currere volumus, contrarium facientes, ab Officio Divinorum suspendimus in his scriptis. Mandamus etiam universis & singulis Abbatibus, nec non Collegiatarum Ecclesiarum, & Conciliorum seu Christianitatum Decanis, & Præpositis Monasteriorum nostrarum civitatis, & Diœcesis prædictarum, sub excommunicationis pœna, quatenus intra octo dies a data præsentium continue subsequentes, præmissorum copiam de verbo ad verbum recipiant, ac ea omnia & singula, quam primum commode possent, personis Monasteriorum, & Ecclesiarum ac Conciliorum suorum publicent convocatis. In quorum omnium & singulorum testimonium, Sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum Coloniæ anno Domini MCCCLX. die prima mensis Octobris.

COLONIÆ SYNODUS AUTUMNALIS

ANNO MCCCLXII.

I. *Quando Clerici in superpellicio incedere debeant, & de Sacramenti Eucharistiæ ad infirmos delatione.*

WILHELMUS, Dei gratia, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, universis & singulis Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, Plebanis, ac in eis Ecclesiis, & intra limites ipsarum Beneficiatis & intitulatis, Civitatis & Diœcesis nostræ Coloniensis, Salutem in Domino.

Ex officii nostri debito frequentibus clamoribus incitati, subditorum nostrorum excessus corrigere, mores indecentes & gestus reformare, negligentiam & desidiam eorum ulterius sine scandalo dissimulare non valentes, cogimur a temerariis ausibus, pœnarum adjectione, eosdem coercere: statuentes de Capituli nostri

noſtri, & *Priorum Colonienſium Eccleſiarum conſilio* & aſſenſu, & ſtrictius inhibentes ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, quam in contrarium facientes, ferimus in his ſcriptis: Ne quis Eccleſiarum Parochialium Plebanus, Rector, aut Curatus, Vicarius, aut locum tenens eorundem, ſeu Altariſta, aut in ipſa Eccleſia quomodolibet intitulatus, Divinis officiis celebrandis, & eo tempore, quo ibi Divina fuerint, nec non in commendationibus peragendis & commemorationis fiendis defunctorum, ac viſitationibus ſepulchrorum eorum cum Pſalmis, Collectis, & Orationibus conſuetis, in adminiſtrandis Sacramentis Euchariſtiæ, Viatici, Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis fidelibus, quos in domibus eorum infirmantes, debebit accedere, ſine ſuperpellicio & religione intereſſe in Eccleſia, aut ipſa ſine religione Sacramenta adminiſtrare præſumat: ita tamen, quod adminiſtrando Sacramentum Euchariſtiæ lumen & nola eum præcedant reverenter, egrediendo Eccleſiam & regrediendo: & intra civitatem, villam, vel oppidum calopodibus (propter pericula vitanda) non utatur: ſitque Presbyter hujuſmodi munitus Euchariſtiis, in quantum poſſibile fuerit, nec vacuus revertatur, ne forte homines idololatrientur, non Creatorem, ſed creaturam adorando. Etſi omnes Euchariſtias forſan propter multitudinem expenderet infirmorum, in redeundo ceſſet lumen, & ſonitus campanellæ. Confeſſiones etiam ſubditorum ſuorum non languentium, nec debilium, ſed valentium accedere ipſam Eccleſiam commode, in ipſa Eccleſia volumus in loco aperto, non ſerato, humiliter & devote audiri, & pœnitentias pro modo culpæ infligi ſalutares.

II. *De Cuſtodibus ſive Campanariis.*

Statuimus etiam, ſub pœna prædicta inhibentes, ne quis Rector, ſeu ejus vices gerens, cuſtodem ſeu campanarium (qui quantum poſſibile ſit, perſona literata exiſtat) niſi indutum ſuperpellicio, ſeu linea veſte decenter (ut moris eſt) ſuperiori, alia veſtimenta tegente, ad miniſtrandum ſeu ſerviendum in Divinis ſibi aliqualiter ſuſtineat vel admittat. Quod ſi talis cuſtos vel campanarius ſe contra voluntatem aut prohibitionem dicti Rectoris, ſeu ejus vices gerentis, hujuſmodi ſervitio & miniſtrationi ingerat animoſe, nec ipſius Rectoris aut Vicarii monitis acquieſcat, niſi intra decem dies continuos, hujuſmodi reſiſtentiam & prohibitionem ſequentes, de hujuſmodi rebellione condignam Nobis, & Rectori, injuriam paſſo, præſtet emendam, ſit præſentis Noſtri ſtatuti authoritate, hujuſmodi ſua cuſtodia ſeu officio campanariæ privatus ipſo facto, & alteri idoneæ perſonæ per eum, ad quem pertinet, libere committatur: ita, quod, ſicut rei qualitas expopoſcerit, Canonica diſtrictio alterutrius, culpam feriat delinquentis.

III. *Ne Altariſtæ, ſeu Vicarii, Paſtori in aliquo derogent.*

Mandamus igitur & diſtricte ſub excommunicationis pœna injungimus omnibus & ſingulis Altariſtis, Capellanis perpetuis, Beneficiatis & intitulatis in Eccleſiis Parochialibus ſupradictis, aut intra limites eorundem, quatenus Plebanis & Rectoribus matricis Eccleſiæ, quoad jura, ipſis tam de jure, quam de conſuetudine debita, intendant reverenter, ſi Noſtram & Canonicam effugere velint debitam ultionem. Inſuper mandata, ordinationes, & præcepta, cum ipſarum additione pœnarum tam per Nos, quam Prædeceſſores noſtros ſub quacunque verborum forma, contra Rectores, Plebanos, & eorum vices gerentes Eccleſiarum Parochialium prædictarum (qui recepta cautione excommunicatos authoritate Noſtra, in mortis articulo, juris permiſſione duxerint abſolvendos, quam intra certum terminum in dictis mandatis expreſſum, Officiali noſtro, aut Sigillifero noſtræ Curiæ Colonienſis ſignificare tenebuntur) edita, præſentibus repetimus & renovamus, ut eorum tranſgreſſores a temerariis eorum auſibus refrænentur.

IV. *De abſolutione pro cadavere impetrata, ſeu impetranda.*

Præterea ſtatuimus & ordinamus, ut ſi aliquis auſu temerario abſolutionem alicujus obtinuerit a Nobis, ſeu Officiali noſtro, a quacunque excommunicationis ſententia, authoritate noſtra, ſeu Statutorum Provincialium ſeu Synodalium, vel quomodocunque lata, falſo & menda-

mendaciter asserens, excommunicatum hujusmodi vitam ducere in humanis, cum jam de medio sit sublatus, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat hujusmodi impetrator, quam in his scriptis ferimus in eundem: dictamque absolutionem sic per fraudem, & dolum ei subreptitie contra formam juris impensam, cum impendi his duntaxat, in quibus, dum vixerint, signa pœnitentiæ apparuerint (ita quod non contemptus religionis, sed necessitatis articulus, & ipsorum angustia, eos absolvi viventes impediunt) debeat: decernimus & pronunciamus, prout est irrita, nullius de jure existere firmitatis. Plebani vero & Rectores, eorumdemque Vicarii, & vices gerentes, qui hujusmodi absolutionibus scientes uti, dictosque excommunicatos nominatim & publice, tam mortuos, quam adhuc viventes, absolvunt de facto, seu eorum corpora, in contemptum clavium propriæ temeritatis audacia, prætextu dictæ absolutionis, Ecclesiasticæ tradere præsumpserint sepulturæ, pœnas contra participantes excommunicatis in crimine damnato in jure expressas, nec non in constitutione felic. record. CLEMENTIS V. *Eos qui.* in Concilio Viennensi salubriter edita, descriptas, non immerito poterunt formidare. Pœnas autem & sententias, per Nos in hujusmodi Statutis nostris latas, post mensem unum, immediate sequentem publicationem eorumdem, *in Synodo Sancta proxima*, per Nos seu nostra auctoritate celebranda, solenniter factam, ipsorum volumus incipere tenere transgressores: mandantes universis & singulis Christianitatum Decanis Foraneis nostræ Diœcesis, ut recepta eorum copia, intra quindecim dies a tempore publicationis eorundem, Plebanis, & Rectoribus, & Presbyteris, in suis Decanatibus, & intra limites ipsorum constitutis, publicent, & insinuent ea ipsis, ne dicta Statuta, per ignorantiam supinam & crassam, se causari possint, aliquatenus ignorasse.

Datum Coloniæ sub Sigillo nostro, & editum anno Nativitatis Domini MCCCLXII. XX. die mensis Octobris.

Impressum Coloniæ A. 1554. *Typo Quentelio.*

CONCILIUM COLONIENSE
AUTUMNALE,
Anno Christi MCCCLXX. Urbani V. Papæ VIII. Caroli IV. Regis XXV.
SUB FRIDERICO III. ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI,

Revocantur & irritantur indulta confessionalia, & aufertur potestas Episcopalis omnibus, præterquam Pœnitentiariis Ecclesiæ Coloniensis ad hoc deputatis, & indicitur Synodus celebranda.

FRIDERICUS, (a) DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, UNIVERSIS ET SINGULIS, AD QUOS PRÆSENTES LITERÆ PERVENERINT, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

QUia pro qualitate temporis, modi disponuntur agendi, ideo evenit, quod illius cursu & mutabilitate mutantur. Hinc est, quod cum Prædecessores nostri

(a) Fridericus, Comes Saræwerdensis, eligitur Archi-Episcopus Coloniæ anno 1370. Obiit A. 1414.

nostri pluribus & diversis personis Ecclesiasticis, tam Religiosis quam sæcularibus, quibusdam ad tempus certum, quibusdam vero sine temporis determinatione non tam motu proprio, quam importuna petentium instantia, considerata tunc temporis qualitate, per suas certi tenoris literas, subditorum Civitatis & Diœcesis nostræ Coloniensis, etiam eorum certo numero tunc expresso, confessiones audiendi, & eos in casibus a jure specialiter reservatis absolvendi, ac pœnitentias salutares injungendi potestatem duxerunt indulsisse. Accidente itaque ex eo, quod nonnulli concessione & indulto hujusmodi, sicut relatibus accepimus fide dignis, non minus provide, quam indiscrete & periculose (quod tamen ad præsens silentio prætermus) in hoc versantes, quamplurimum sunt abusi, id quod ad subditorum prædictorum salutis compendium, circa quod tunc eorum Prædecessorum nostrorum dirigebatur intentio, egisse videbantur, morbum quodammodo letiferum latenter ingerens, scandalum paravit & parat, ac errorem inducit, & Episcopalem (& in hac parte quodammodo detrahendo) parvipendit potestatem; omnes & singulas concessiones & indulta hujusmodi, *salva potestate Pœnitentiariorum in Ecclesia nostra Coloniensi consistente, & creata provide tradita*, nec non literas super hoc sub quacunque forma verborum concessas, etiamsi in eis forsan cautum existat, quod hujusmodi literæ vires obtineant, non obstante revocatione quacunque generali vel speciali, nisi nominatim & expresse in hujusmodi revocatione mentio sit habenda specialis, penitus & in totum revocamus, & ex causis supradictis & aliis Nos moventibus irritamus.

Datum sub sigillo nostro, præsentibus, quas *in Synodo Sancta proxime celebranda* volumus publicari, appenso, anno Nativitatis Domini MCCCLXX. primo Sabbatho post Lamberti.

Revocantur literæ, quibuscunque Eleemosynarum Quæstoribus hucusque concessæ, præterquam pro Ecclesia Majori Coloniensi, & ejus Fabrica.

FRIDERICUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, UNIVERSIS ET SINGULIS ECCLESIARUM PAROCHIALIUM RECTORIBUS, SEU EORUM VICES GERENTIBUS, CIVITATIS ET DIOECESIS COLONIENSIS SALUTEM IN DOMINO.

CUm dudum, sicut accepimus, Prædecessores nostri per suas (*a*) certi tenoris literas diversis quæstoribus eleemosynarum super hoc concessas, per quas universitatem vestram exhortando, vobis dicuntur injunxisse, quatenus quæstoribus hujusmodi, dum ipsi ad vos, vestrasque Ecclesias, pias fidelium eleemosynas & grata charitatis subsidia petituri, declinaverint, gratiose admittere & charitative curaretis: nonnulli quæstorum in hac parte literis obtentis adulterinis; alii vero literis sibi concessis nequiter abutentes, nonnullas etiam abusiones in suis sermonibus ad populum factis publice prædicando, ad quærendas hujusmodi eleemosynas & subtiliter extorquendas confingunt. Quidam vero, qui minus ad id idonei, & modesti, & (*b*) indiscreti existunt, cum literis hujusmodi pro petendis eleemosynis & quærendis destinantur, & multipliciter excesserunt & excedunt, in suarum grave dispendium animarum, saluti populi & devotioni fallaciter illudentes. Quapropter præfatas hujusmodi Prædecessorum literas, quibuscunque eleemosynarum quæstoribus, præterquam his, qui pro Ecclesia nostra Coloniensi & ejus fabrica, ad vos, vel vestrum quemlibet, & Ecclesias vestras declinantes, accesserint, eleemosynas petituri, sub quacunque verborum forma concessas, penitus revocamus & in totum.

Datum sub sigillo nostro, præsentibus, *in Synodali Concilio celebrando* publicandis, appenso, Anno Nativitatis Domini MCCCLXXI. penultima die mensis Septembris.

SE-

(*a*) sui (*b*) discreti.

SEQUUNTUR CAPITULA SYNODI ANNI MCCCLXXI.

CAP. I. *Vult Episcopus exequi literas Apostolicas, in forma Pauperum ad ipsum directas.*

FRIDERICUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHI EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, UNIVERSIS ET SINGULIS, QUORUM INREREST, AUT QUOS PRÆSENS NEGOTIUM TANGIT, SEU TANGERE POTERIT, QUOMODOLIBET IN FUTURUM,

VOlumus esse notum, quod cum dudum Sanctissimus in CHRISTO Pater & Dominus noster, D. GREGORIUS IX. per suas certi tenoris literas sub ea forma, secundum quam Sedes Apostolica pro pauperibus Clericis scribere consuevit, Nobis directas, cum clausula, quod si hujusmodi literas exequi non possemus, nec vellemus, aliæ personæ in eisdem literis expressæ, eas executioni demandarent, mandaverit, quatenus de debita conversatione Clericorum nonnullorum nostrarum civitatis & Diœcesis, juxta formam literarum prædictarum inquisito & reperto, ac pronuntiato ipsos habiles existere, & idoneos ad hujusmodi beneficia, juxta eorundem literarum tenorem obtinenda, eisdem de ipsis beneficiis spectantibus ad collationem Prælatorum seu Capitulorum, Monachorum, Conventuum, vel personarum civitatum nostrarum prædictarum, qui & quæ in eisdem exprimuntur, providere curaremus. Verum, cum nonnulli, prout ad nos fida perduxit relatio, prætendentes nos literas hujusmodi exequi tunc non potuisse nec voluisse ad inquisitionem & pronuntiationem prædictas, alii vero ad ulteriorem earundem executionem processerunt literarum: igitur, ne circa præmissa contra formam dictarum literarum per quemcunque vigore clausulæ supradictæ quicquam, quod viribus non subsistat, ad perniciem etiam & jacturam hujusmodi pauperum Clericorum contingat deinceps attentari: & si quid forsan indebite præsumptum fuerit, per appositionem debiti remedii ipsis Clericis, si petant, in hoc casu opportune valeat subveniri, universitati vestræ ac omnibus & singulis, quorum interest, insinuamus, quod in *præsenti Synodo*, ne quemquam lateant, præmissa mandamus publicari, quod nostræ intentionis est, prout etiam prius quotidie extitit, dictas literas exequi voluisse & velle reverenter, ut tenemur, juxta earundem continentiam & tenorem, super quorum etiam executione & per alias nostras certi tenoris literas, Officiali nostro Coloniensi sub certa forma commisimus vices nostras.

In quorum testimonium, sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum anno Domini MCCCLXXI. penultima die mensis Septembris.

CAP. II.

FRIDERICUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, UNIVERSIS ET SINGULIS TAM SÆCULARIBUS QUAM REGULARIBUS ECCLESIARUM ET MONASTERIORUM ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, PRÆLATIS, PRIORIBUS, DECANIS, COLLEGIIS, CONVENTIBUS, PLEBANIS, EORUMQUE VICES GERENTIBUS, CÆTERISQUE BENEFICIATIS CLERICIS ET RELIGIOSIS, CUJUSCUNQUE STATUS, CONDITIONIS AUT ORDINIS EXISTANT, NOSTRARUM CIVITATIS ET DIŒCESIS COLONIENSIS, NOBIS SUBDITIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

ETsi de cunctorum passim & generaliter Nobis subditorum, super quorum universalem curam & custodiam sumus constituti, delictis, negligentiis, & excessibus doleamus ex intimis; de Prælatorum tamen sæcularium, & Regularium Clericorum, & personarum Ecclesiasticarum utriusque sexus defectibus, tanto nimirum dolemus acerbius, & profundius conturbamur, quanto sentimus graviora ex eisdem animarum pericula provenire, & specialiter personis Monasticis, in quibus sacræ Religionis abjecta devotio, multis actibus illicitis aditum præbens, periculosior invenitur. (*b*) Eapropter nonnullas sacrorum Canonum constitutiones exe-

(*b*) Et propterea.

exequentes, ac Statuta, ordinationes, & Præcepta nostrorum Prædecessorum innovantes, qui hujusmodi talium personarum excessibus satagant debitis obviare remediis, quorum etiam (ut de ipsis cognitio plenior habeatur) effectum ut sequitur, fecimus annotari, sic duximus ordinandum.

C. III. *De Vestibus Clericorum Beneficiatorum.*

Imprimis igitur contra Clericos, qui gravitate Ecclesiasticæ Religionis abjecta, in deferendis vestibus Ordini suo non congruentibus, contra Canonum prohibitiones excedere non verentur, constitutionem felicis Recordationis Domini CLEMENTIS PAPÆ Quinti, *in Concilio Viennensi editam*, qua cavetur inter cætera, quod Clericus quicunque, virgata vel partita veste publice utens, nisi causa subsit rationabilis, si Beneficiatus extiterit, a perceptione fructuum Beneficiorum, quæ obtinet, per sex menses sit ipso facto suspensus. Si vero Beneficiatus non fuerit, in sacris tamen Ordinibus constitutus citra Sacerdotium, per idem tempus sit eo ipso facto inhabilis ad Beneficium Ecclesiasticum obtinendum.

Idem quoque *dicta Constitutio* censuit observandum de Clericis aliis, qui vestem virgatam vel partitam simul, & tonsuram publice deferant (*c*) Clericalem. Dignitatem vero, Personatum seu Beneficium Curatum obtinentes, ac Sacerdotes, nec non & Religiosi, si vestes deferant hujusmodi, præterquam ex causa rationabili, eo ipso a perceptione fructuum Beneficiorum quæ obtinent, per annum continuum sint suspensi: & Sacerdotes non Beneficiati, & Religiosi cæteri, per idem tempus anni reddantur inhabiles ad Beneficium Ecclesiasticum obtinendum: Hanc inquam, constitutionem exequentes, nec non Statuta, ordinationes, mandata, & præcepta bonæ memoriæ Domini WALRAMI, edita circa præmissa, innovantes, quæ incipiunt, *Felicis Record.* HENRICUS &c. statuentes, quo (*d*) cavetur inter cætera, quod suspensus hujusmodi, si durante ipsa suspensionis pœna, aliquid de fructibus sui Beneficii, seu Præbendæ percipiat, & ministrans, si quid ei ratione Præbendæ suæ ministraverit scienter, uterque ipsorum excommunicationis pœnam incurrat ipso facto. Et Capitulum, si in hac parte culpam vel negligentiam, dissimulatione vel ratihabitione commiserit, sit suspensum ipso facto. Et Statutum ejusdem quondam Domini WALRAMI, quod incipit, *Quoniam diversi, &c.* cum ejus mitigatione ibi subsequente innovantes, eas & ea præcipimus inviolabiliter observari: statuentes *de consensu Capituli nostri, & Priorum Coloniensium*, pœnas & sententias supradictas, locum habere debere in futurum, ipsasque sententias ferimus in his scriptis in omnes & singulos Clericos, juxta distinctiones superius annotatas, qui vestem superiorem ante pectus a summo deorsum inferius usque ad oram deferre publice præsumant botonatam, vel ultra spatium, quo quis commode caput suum ipsi vesti inferre poterit, eam induendo. Si quis vero Clericus juxta morem detestabilem, qui modernis temporibus inolevit, vestem superiorem (ipsius manicam unam ante pectus, & aliam post dorsum vertendo) publice deferre sine causa justa, & irreverenter incedere præsumpserit, si sæcularis fuerit Beneficiatus, vel carens Beneficio, vel Religiosus administrationem habens, hujusmodi vestem intra mensem dare pauperibus teneatur. Religiosus vero administrationem habens, intra idem tempus ipsam teneatur suo Superiori assignare, in pios usus convertendam. Alioqui si secus fecerit, dicto mense elapso, se noverit incidisse suspensionis sententiam ab Officio, & Beneficio, quam ferimus in eum in his scriptis.

C. IV. *De Tonsura & Corona Clericorum Beneficiatorum, & ne barbas deferant.*

Præterea Constitutionem felicis *Rec. Domini GREGORII Papæ Noni, & aliam* in Concilio Carthaginensi editam, in quibus sub excommunicationis pœna, prohibetur Clericis, ne nutriant comam & barbam, nisi ex justa causa, exequentes eas inviolabiliter præcipimus observari. Statuta quoque, mandata & præcepta piæ memoriæ Domini HENRICI, quæ incipiunt: *Item præcipimus in virtute* &c. & Domini WALRAMI, quæ incipiunt:

(*c*) minus Clericalem.

(*d*) quibus

piunt: *Felicis Recordationis* &c. nec non Domini WILHELMI, Archi-Epiſcoporum Colonienſium, Prædeceſſorum noſtrorum, quæ incipiunt: *Bonæ memoriæ Prædeceſſores noſtri* &c. edita contra Clericos, qui coronam ſeu tonſuram Eccleſiaſticas debitas, juxta ſtatus & ordinis recepti exigentiam non deferunt, barbas & comas nutriunt, ſine cauſa juſta portando: quibus in effectu cavetur inter cætera, in ordinatione videlicet & ſtatuto dicti Domini HENRICI, quod Clerici beneficiati civitatis & Diœceſis Colonienſis, tonſuram Eccleſiaſticam ſecundum ſui ſtatus & ordinis exigentiam, decenter & patenter, ac publice in capite aſſidue portare negligentes, interdicti ſententiam ab ingreſſu Eccleſiæ (quindecim dierum monitione Canonica præmiſſa) incurrent. In ordinatione vero, ſtatuto & mandato dictorum Dominorum WALRAMI & WILHELMI, prædictorum (qui hujuſmodi pœnæ ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, quam etiam ad Clericos barbas deferentes extenderunt, pœnam ſubſcriptam addiderunt) cavetur, quod Clericus barbam nutriens ſine cauſa juſta, eamque deferens ultra quindenam non abraſam, nec coronam ſeu tonſuram ſtatui & ordini ſuo congruentem portans publice in capite, & propter hoc pœnam ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ inciderit ſupradictam, a fructibus ſuorum beneficiorum ſit eo ipſo ſuſpenſus: & ſi ſic ſuſpenſus exiſtens, quicquam de fructibus hujuſmodi receperit, aut quisquam ei aliquid miniſtraverit, tam recipiens quam miniſtrans, eo ipſo ſe noverit excommunicationis ſententiam incidiſſe. Et Capitulum Eccleſiæ, ſi collegiata fuerit, ſuſpenſionis, ſi in culpa extiterit vel negligentia, vel adminiſtrationem hujuſmodi factam, ratam, & gratam habuerit, & ipſa Eccleſia interdicti ſententias incurrant ipſo facto. Idemque D. WILHELMUS per ſuum poſtmodum ſtatutum, quod incipit: *Ex injunctæ*, tales non deferentes tonſuram Clericalem, ipſo facto ſuſpendit, præſentibus innovantes, ſalvo, quod loco quindenæ prædictæ, quo ad radendam barbam, vel tondendum, ſpatium trium ſeptimanarum ſubrogamus. Eaque ſtatuta, mandata, & præcepta, quæ etiam ad Clericos haſtiludia in locis, in quibus Beneficiati exiſtunt, exercentes, provide extenderunt, & pœnam ſuſpenſionis a perceptione fructuum Beneficiorum ſuorum per ſex menſes, in contrarium facientes intulerunt: nec non ſtatutum ejusdem quondam Domini WILHELMI, quod incipit: *Multimodorum exaggeratione* &c. ſtatuimus, & aliud, quod incipit: *Sanctiſſimi in Chriſto Patris* &c. nec non ejusdem Domini ſtatutum in hoc caſu editum, quod incipit: *Statuimus, ut quilibet Clericus ſive ſæcularis, ſive Religioſus* &c. mandamus & præcipimus (niſi quatenus per noſtram ordinationem eis detractum reperiatur) inviolabiliter obſervari, ipſas ſententias ex abundanti repetentes, quas dicta monitione canonica præmiſſa, in non parentes & rebelles ferimus in his ſcriptis.

C. V. *Ne Religioſi dimittant habitum. De Confeſſoribus ipſorum. Et ne vagentur extra ſua Monaſteria.*

Inſuper felicis record. Domini BONIFACII PAPÆ VIII. Conſtitutionem, per quam diſtrictius inhibetur, ne aliquis Religioſus, quamcunque Religionem tacite vel expreſſe profeſſus, ubicunque locorum habitum ſuæ religionis temere dimittat, hujuſmodi temerarium violatorem excommunicationis ſententia plectens ipſo facto. Nec non Conſtitutionem felicis rec. Domini CLEMENTIS PAPÆ QUINTI, *in Concilio Viennenſi* editam, quæ inter cætera ſacræ Religionis Monachis nigris Ordinis S. Benedicti, omnem in veſtibus inordinatum ſeu exquiſitum ornatum & cultum, nec non in equitaturis & lectiſterniis quemvis notabilem interdicit exceſſum, præcipiens, ut ſuperior veſtis ipſorum habitui proxima, nigri aut bruni coloris, juxta morem apud eos obſervari ſolitum in regione, qua degunt, exiſtat: exequentes, ab hujuſmodi eis interdictis & vetitis abſtinere, ac præceptis & ſtatutis hujuſmodi obedire, ipſis præcipimus firmiter & mandamus. Statuta vero, mandata & præcepta felicis record. Domini HENRICI, quæ incipiunt: *Volumus etiam* &c. quo inhibetur, ne quis Abbas vel Abbatiſſa, cujuſcunque religionis non exemptæ, civitatis & Diœceſis Colonienſis, abſque ſpeciali licentia Archi-Epiſcopi Colonienſis, vel Sedis Apoſtolicæ authoritate, Monachis aut Monialibus ſui Monaſte-

nasterii Confessorem aliunde, quam de suo ordine, prout ipsorum statuit religio, eligendi vel assumendi concedat potestatem. Nec non bonæ memoriæ Domini *WILHELMI Archi-Episcoporum* nostrorum Prædecessorum mandatum, quod incipit: *Vergit quidem* &c. in quo inter cætera, omnes & singulos Monachos extra Monasteria sua non intitulatos, utentes (ut dicunt, licet inconsulte, indebite, & indiscrete, etiam contra juris & ordinis sui dispositionem regularem) licentia suorum Abbatum seu Prælatorum, qui nulla suadente utilitate Monasteriorum suorum, aut necessitate exigente, (a) se conferunt ad aliena negotia exequenda, pro libito vagantes, ad sua Monasteria (monitione canonica præmissa, si secus fecerint, in eos excommunicationis sententiam tulit) redire præcepit. Nec non statutum bonæ memoriæ Domini SIFRIDI Archi-Episcopi Coloniensis, quod incipit: *Statuimus, ut nullus Monachus* &c. quod postmodum piæ recordationis Dominus WILHELMUS Archi-Episcopus Coloniensis Prædecessor noster, in quodam statuto suo, quod incipit: *Item cum bonæ memoriæ SIFRIDUS olim* &c. idem statuens approbavit, sub certa tamen postmodum facta declaratione, quæ incipit: *Cum nos dudum Concilium Synodale in Capitulo Ecclesiæ nostræ* &c. quam quidem declarationem bonæ memoriæ ENGELBERTUS Prædecessor noster etiam est secutus, eam repetendo in sua ordinatione, quæ incipit: *Cum nos dudum* &c. factam, in hac parte innovantes, cum dicta declaratione præcipimus & mandamus, quo ad religiosos Ordinis prædicti, salva Constitutione: *Quoniam, qui abjectis* &c. sed & talis in *Concilio Viennensi* edita. Nec non dictum statutum, quod Dominus SIFRIDUS ad Canonicos Regulares S. Augustini & Præmonstratensium Ordinum, salvis eorundem Ordinum institutis, extendebat, extendimus, in quantum ipsorum Ordinum patitur institutio regularis, cui (ut clarum est) dicti Monachi inserviunt laxiori, præcipimus inviolabiliter observari: pœnasque & sententias, in dicto statuto expressas, repetentes, eas in contradictores & rebelles, Canonica monitione præmissa, ferimus in his scriptis.

C. VI. *Contra Moniales portantes sæcularia vestimenta.*

Subsequenter piæ recordationis D. BONIFACII PAPÆ Octavi, quæ incipit, (b) *Periculoso* &c. & D. CLEMENTIS PAPÆ Quinti *in Concilio Viennensi* editam constitutionem, conservationem & reformationem status, & morum Monialium, cujuscunque Religionis aut Ordinis extiterint, præcipimus observari diligenter: In quibus inter cætera cavetur, ut virtutum Domino, debitum reddant famulatum, nec Monachali postposita modestia, extra sua Monasteria impudenter discurrant: pannis sericis, & variorum foderaturis, (c) & virgatis seu diversorum colorum caputiolis non utantur. Nec non Statutum bonæ memoriæ D. SIFRIDI ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS, quod incipit, *Statuimus ut nullus Monachus aut Monialis* &c. quod postmodum bonæ memoriæ WALRAMUS, in quadam sua ordinatione, quæ incipit, *Quanquam animarum* &c. laudavit & approbavit. Et WILHELMUS in Statuto per eum edito, quod incipit, *Item cum bonæ memoriæ* SIFRIDUS &c. idem statuendo repetiit, pœnam adjiciens excommunicationis in contrarium eorum, quæ in eodem Statuto perstringuntur, facientes, innovamus cum pœnis & sententiis contentis in Statutis supradictis.

C. VII. *De Presbyteris Concubinariis, & Focariis ipsorum.*

Porro Statutum bonæ memoriæ D. CONRADI Prædecessoris nostri, per SIFRIDUM *ejus Successorem* (qui idem statuit contra concubinarios publicos, & notorios, qui concubinis suis in suis domibus cohabitat) innovatum, quod incipit, EX CONCILIO *bonæ memoriæ* &c. in quo inter cætera mandatur sub excommunicationis pœna, quæ in contrarium facientes fertur, & quam sententiam secus faciens incurrit ipso facto, quod Sacerdotes manifesti mulierum cohabitatores, concubinas suas de domibus suis, & Parochiis intra decem dies expellant, eis pro termino peremptorio, & monitione Canonica assignatos: quodque mulieres ipsæ per sententiam excommunicationis in eas ferendam, Parochiam ipsam exire com-

(a) urgente (b) *De voto & voti redemptione* in VI. (c) *id est*: pelliceis suffulturis.

compellantur, innovamus: ſtatuentes, ut hujuſmodi notorii fornicatores ſupradicti, quibus concubinæ ſuæ in domibus eorum cohabitant, ſi tales focarias publicas in domibus ſuis eis cohabitantes tenere præſumpſerint per decem dies, nec eas a ſe abjecerint, & abegerint; & ſi dictæ fornicariæ notoriæ, abinde non receſſerint, tam ipſi focarii cohabitatores notorii, quam fornicariæ, (a) ſententiam excommunicationis incurrant præſentis noſtri ſtatuti authoritate, quam in eos, & eorum quemlibet ferimus in his ſcriptis.

C. VIII. *Ut capto aliquo Clerico ſtatim ceſſetur a Divinis.*

Item licet jam dudum certus modus per noſtros Prædeceſſores traditus, ſit omnibus manifeſtus, quo ſervato nullus Prælatus, Rector, vel alicujus Eccleſiæ intitulatus civitatis & Diœceſis Colonienſis, prætextu dubii aut ignorantiæ ſupinæ, quovis colore quæſito (in grave tamen ſuarum periculum animarum) ab obſervatione ſtatutorum prædictorum noſtrorum Prædeceſſorum, & mandatorum, pœnarum, & ſententiarum latarum in eiſdem, ſe rationabiliter valeat excuſare: tamen ne quis ad declinandum executionem eorundem mandatorum, conſcientia ſcrupuloſa dubitare ſe dicat, ubi æqua ratione dubitandum non eſt, ſtatutum dudum *in provinciali Concilio Colonienſi* ſuper hoc ſalubriter editum, ut de hujuſmodi modo prædicto cognitio certior habeatur, ipſum innovantes duximus annotandum, in hæc verba: "Statuimus, ut "Prælati, Archidiaconi, Præpoſiti, Decani, Rectores Eccleſiarum, ſeu (b) Capellani ac eorum Vicarii, quam cito captivitas Clerici, vel ſpolium, aut aliquod foreſactum, de quibus eſt ſupradictum, ad eorum notitiam, vel fama deferente, vel alio quocunque modo pervenerit, ſtatim ceſſetur (c) a Divinis, ubi hoc juxta præmiſſa fuerit faciendum, & ad obſervationem, & executionem dictarum ſententiarum per ſe vel per alios teneantur. Alioqui non obſtante excuſatione craſſæ ignorantiæ, pœnis & ſententiis ſubjaceant ſupradictis.

C. IX. *Contra Uſurarios, & exercentes contractum, qui nuncupatur* **Handgeld.**

Præterea felicis Record. D. ALEXANDRI PAPÆ *Tertii* Conſtitutionem, *Quia in omnibus* &c. contra Uſurarios *in Concilio generali editam*, quæ prohibet uſurarios manifeſtos ad Altaris communionem admitti, præcipiens oblationes eorum non recipi, & in morte eis denegari Eccleſiaſticam ſepulturam, Clericos contrarium facientes, donec ad arbitrium Epiſcopi ſatisfaciant, ab executione ſui officii vult manere ſuſpenſos. Nec non felicis Record. Domini GREGORII PAPÆ *Decimi Conſtitutionem:* Uſurarum voraginem, quæ *Concilium Lateranenſe* prædictum pœnæ adjectione juvat, ipſum Concilium innovando: & conſtitutionem: *Quanquam uſurarii, in Concilio Lugdunenſi*, editam, quæ ſtatuit, quod manifeſto uſurario (licet ipſe uſuras extortas reſtitui mandaverit, Eccleſiaſtica tamen denegabitur ſepultura, niſi prius ſatisfaciat, vel ſecundum formam illius conſtitutionis idonee caveatur, ſepeliendo eos contra illam conſtitutionem, pœnam *Lateranenſis Concilii* prædictam incurrant, teſtamenta ipſorum aliter facta non valeant: nec eis teſtamentis condendis aliquis debet intereſſe, vel eos abſolvere, vel ad confeſſionem admittere. Nec non piæ Record. Domini CLEMENTIS PAPÆ *Quinti* conſtitutionem, *Ex gravi*, in *Concilio Viennenſi* editam, per quam Officiales communitatum, facientes, dictantes, vel ſcribentes Statuta ſuper uſuris ſolvendis, non repetendis, non reſtituendis, vel judicantes ſecundum illa Statuta, vel non delentes illa ſtatuta, ſi poſſunt, intra tres menſes de libris communitatum, vel illa ſtatuta ſervantes, ſunt excommunicati: & pertinaciter aſſerens, *exercere uſuras*, *non eſſe peccatum*, hæreticus eſt cenſendus. Executioni mandantes eas, præcipimus, & mandamus, inviolabiliter obſervari. Statutum quoque bonæ memoriæ SIFRIDI, quod incipit, *Statuimus, ut uſurarii* &c. & WICHBOLDI Prædeceſſorum noſtrorum, quod incipit, *Excommunicamus, & excommunicatos nuntiamus &c.* & HENRICI, quod incipit, *Item ſtatuimus, ut uſurarii* &c. per quæ quidem ſtatuta & mandata iidem

(a) *alias:* focariæ. (b) Capellarum (c) ceſſent

iidem Prædecessores nostri usurarios manifestos, qui ultra sortem principalem seu debitum principale aliquid receperint, excommunicarunt, & excommunicatos publice mandarunt, vigore hujusmodi statutorum, & mandatorum nuntiari: Nec non etiam statutum, ordinationem & mandatum bonæ memoriæ WILHELMI Prædecessoris nostri, quod incipit, *Omnibus, quibus ex privilegio* &c. in quo contractus detestabiles, qui moderno tempore pullulant communiter & vigent, quos vulgus Handgeld appellat, idem Prædecessor noster usurarios, prout revera sunt, censuit & declaravit, ipsosque contractus tanquam vere usurarios damnavit, & ab eis præcepit, ut illicitis, abstineri contractibus: atque omnes, & singulos hujusmodi contractus Handgeld nuncupatos, manifeste exercentes, publicos: & clam exercentes, occultos seu non manifestos usurarios fore denuntiavit: & ipsos decrevit pœnis, & sententiis contra usurarios latis subjacere: Innovantes, (a) ipsa statuta prædicta sub pœna in eisdem & aliis in jure expressis, statuentes, mandantes, & declarantes eadem, ut supra mandavimus, firmiter observari.

Usurarios autem *manifestos* vocat in hoc casu dictum statutum SIFRIDI, *Statuimus* &c. de crimine hujusmodi per confessionem in judicio factam, aut per sententiam contra tales super hujusmodi crimine latam convictos, quæ in rem transivit judicatam, vel per evidentiam facti, vel rei evidentiam, quæ nulla potest tergiversatione celari.

C. X. *Ne aliquis Sacerdos inebrictur, vel calceos rostratos deferat.*

Præterea cum ex decreto Concilii *Agathensis*, quod incipit, *Ante omnia &c. ebrietas* (quæ omnium vitiorum fomes est, & nutrix) Clericis summe vitanda sit, & Apostolus Sacerdotem damnet (b) *vinolentum*, Sacerdotesque in Templo Domini ministrantes, lege veteri vinum, & siceram bibere prohibiti sunt, ne crapula & ebrietate corda eorum gravarentur: Nos dicto Concilio, quod ebrium Sacerdotem triginta dierum spatio a communione submovet, inhærentes, statuimus & ordinamus, si quis Presbyter Beneficiatus gulæ deserviens, incaute se inebriaverit: vel ebrius existens, in Ecclesia in qua intitulatus existit, Divinum perturbaverit Officium, vel insolentiam commiserit, aut Clericum intitulatum, vel servitorem illius Ecclesiæ in ea vel ejus immunitate verbo vel facto, probris, contumeliis, aut quibusvis aliis injuriis affecerit, per unum mensem continue, præsentis nostri statuti authoritate a perceptione fructuum Beneficiorum suorum sit suspensus ipso facto: intra quem, si aliquid etiam sibi oblatum ex fructibus ipsis percipere præsumpserit, licet paratus id fuerit restituere sine mora, excommunicationis sententiam incurrat eo ipso; (c) quam in ipsum ferimus in his scriptis, ipsumque sic excommunicatum, usque ad satisfactionem condignam publice præcipimus nuntiari. Dignum enim est, ut is, qui Christum annuntiat ut Sacerdos, ab omnium vitiorum incentivo præstare se debeat alienum: & secus agens, censura debita a vitiis arceatur.

Pœnam quoque & sententias per Nos latas in hac constitutione & ordinatione ad Clericos, cujuscunque gradus extiterint, & personas Religiosas, calceos rostratos portantes, seu more militum desuper notabiliter perforatos, duximus ad ipsam constitutionem extendendas.

C. XI. *Quod Matrimonium contrahere volentes, debito modo proclamentur.*

Item Statutum seu mandatum piæ memoriæ Domini HENRICI Prædecessoris nostri, quod incipit, *Item præcipimus Ecclesiarum Prælatis*, &c. in quo præcepit, banna seu proclamationes matrimoniorum inter sponsalia, & matrimonia contracturos fieri debere tribus diebus Dominicis vel Festivis, a se distantibus, & non una die duas simul proclamationes fieri, innovamus & præcipimus, statuentes illud idem, & addentes, quod in hujusmodi proclamationibus faciendis & imminentibus, nomina, & cognomina personarum contrahere volentium & debentium, expresse, & clare, & intelligibiliter ad populum in Ecclesia tempore congruo recitata publicentur, ut si quod impedimentum inter eos extiterit, quo mi-

(a) innovamus (b) I. Timoth. III, 3. (c) ipso facto

minus legitime valeant matrimonialiter copulari, Ecclesia plenius certificari possit de eodem. In contrarium facientes, suspensionis ab Officio & Beneficio sententiam ferimus in his scriptis.

C. XII. *De Cautionibus recipiendis in mortis articulo ab absolvendis.*

Item præcipimus, statuimus, & mandamus sub pœna suspensionis ab officio, quam in contrarium facientes ferimus in his scriptis, quod si quis Rector Parochialis Ecclesiæ nostrarum civitatis, & Diœcesis, aut ejus vices gerens, aut alius Presbyter Nobis subditus, cui Parochianum suum excommunicatum majoris excommunicationis sententia, juxta constitutionem, Parochiano, à felicis Rec. GREGORIO PAPA Nono editam, in mortis articulo incumbit absolvere, prius, quam eum absolvat, idoneam cautionem, id est, fidejussoriam, vel pignoraticiam, si poterit: alioqui juratoriam recipiat de satisfaciendo parti, & excommunicatori, & parendo juri intra mensem, si convaluerit. Alioqui intra mensem post ejus mortem, per suos fide jussores, qui se ad id obligabunt bona fide, aut per traditionem, & venditionem pignorum receptorum, ad quod idem excommunicatus, ejusque hæredes, si & qui præsentes fuerint, consentient expresse, quodque etiam idem Rector seu Presbyter absolvens, intra dictum mensem præmissa omnia, & singula cum nominibus, & cognominibus excommunicati sic absoluti, & fidejussorum ejusdem, nec non qualitatem, valorem, & æstimationem pignorum receptorum (quid super his opus sit facto, sciscitaturus) parti ad cujus instantiam talis processit excommunicationis sententia (si commode ipsius copiam habere poterit) ac Officiali nostro, & Sigillifero Curiæ Coloniensis fideliter quantocitius non differat intimare.

C. XIII. *Quod moniti ab Officiali Coloniensi, nisi intra terminum monitionis satisfecerint, sint excommunicati.*

Item Statuto & præcepto felicis Recordationis D. HENRICI Prædecessoris nostri inhærentes, quod incipit, *Item cum plures*, &c. præcipimus sub excommunicationis pœna, & mandamus, ne quis monitus authoritate nostra, seu Officialis nostri (ut intra certum peremptorium terminum expressum, parti de expensis, vel interesse, vel alias, & Nobis seu Officiali nostro de contemptu, vel alias, ubi ex officio procedi contingit, satisfaciat competenter: alioqui, quod dicto termino lapso, excommunicationis sententiam, in ipsis literis, & scriptis latam incurrat) transacto hujusmodi termino, nullatenus pro absoluto (taliter monitus) a dicta excommunicationis sententia, sed potius pro excommunicato teneatur, nisi literas absolutionis super hoc exhibuerit competentes: etiam si forte interveniente amicabili compositione inter partes, termino hujusmodi monitionis pendente, pars acquiescat adversa: vel ipsas literas excommunicationis subtrahi, surripi, vel etiam (ut frequentius factum didicimus) studiose lacerari contingat.

C. XIV. *Contra injectores manuum in Clericos, vel minas, vel aliàs damna Ecclesiis aut personis Ecclesiarum in quibus Beneficiati sunt, inferentes.*

Item licet statutum, quod incipit: *Item cum magnum sit scandalum*, dudum per felicis Record. Dominum HENRICUM, Prædecessorem nostrum, ejusque Suffraganeos *in Provinciali Concilio Coloniensi* editum contra Clericos, sacrilegium in Clericos committentes, manus mittendo violentas, aliqualiter sit provisum: tamen futuris periculis, quæ in aliis partibus (quod dolenter referimus) in hoc casu novimus accidisse, occurrere cupientes, præcipimus & mandamus omnibus & singulis tam Cathedralis, quam aliarum Ecclesiarum Collegiatarum nostræ civitatis & Diœcesis, sub pœna suspensionis, quam in Capitulum singularium personarum ferimus in his scriptis, si secus fecerint, ut intra quatuor menses a tempore publicationis hujusmodi nostri mandati, juramento quod per novum Canonicum, vel alium, ibidem Ecclesiastico vel laicali officio intitulandum vel intitulatum, tempore receptionis suæ in Canonicum & in fratrem, socium, vel intitulatum, de consuetudine ipsius cujuslibet Ecclesiæ præstari

ſtari conſuevit, inter cætera Capitula in hujuſmodi juramento deſcripta, interſerant & inſcribant, interſeri & inſcribi, & annecti faciant hanc clauſulam, quod ipſe Canonicus, vel talis intitulatus, in nullam perſonam ejusdem Eccleſiæ ſuæ, cujuscunque ordinis vel conditionis exiſtat, in ipſa Eccleſia beneficiatam & intitulatam, aut quæ alias de ejus gremio fuerit, eam capiendo, occidendo, vel aliis injuriis enormibus lethaliter afficiendo, non ſæviet per ſe vel alium, publice vel occulte, animo ſuſpecto & diffinito conſilio ſcienter, nec eidem, nec Eccleſiæ ſuæ in bonis & rebus violenter inferat damna incendiis, & rapinis, debito juſtitiæ & juris executione contentus. Iſtudque Capitulum, inter alia per hujuſmodi Canonicum novum vel intitulatum præſtari facient ſine fraude, ut ſic ſiniſtra in cogitatione voluntas cautius reprimatur, ne in actione poſtmodum periculoſius dominetur. Quod ſi præſtare noluerit vel recuſaverit, ſuſpenſionis ſententiam, quam a perceptione fructuum beneficii (propter quod in ipſa Eccleſia juramentum eſt præſtiturus) ferimus in his ſcriptis, authoritate præſentis noſtræ ordinationis & mandati ſe noverit incidiſſe.

C. XV. *Ut ſervitores Dominorum Eccleſiaſticorum, poſſint deferre veſtes Clericis prohibitas.*

Item cum per nonnulla ſtatuta Prædeceſſorum noſtrorum, & Noſtra, Clerici veſtes panni certi coloris tincti deferre (ſi ſecus fecerint pœnas & ſententias in ea parte latas incurſuri) diſtricte prohibeantur: decernimus & declaramus ex certa cauſa, hujusmodi ſtatuta, mandata, pœnaſque & ſententias Clericos, qui ex largitione vel munificentia noſtra, vel aliorum Principum, ſeu Dominorum Eccleſiaſticorum, quorum familiares vel ſervitores exiſtunt, veſtes hujusmodi coloris prohibiti forſan deferentes, non complecti, & locum in eis non habere.

C. XVI. *Quod quilibet tenetur in anno ſemel confiteri, & Sacramentum Eucbariſtiæ a proprio accipere Sacerdote.*

Item ſtatutum bonæ memoriæ Domini HENRICI Prædeceſſoris noſtri, ſeu præceptum, quod incipit: *Canonum, quorum ſumus executores &c.* in quo mandato præcipit, ut omnis utriusque ſexus fidelis Diœceſis Colonienſis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata [prout in Concilio generali perſtringitur] ſuo proprio Sacerdoti, ſi ea alteri legitime confeſſus non fuerit, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur, & injunctam ſibi pœnitentiam pro viribus ſtudeat adimplere; ſuſcipiens reverenter ad minus in feſto Paſchæ annis ſingulis Euchariſtiæ Sacramentum, niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam cauſam rationabilem, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum, repetendo præſentibus innovamus. Per hoc tamen, quin Prædicatorum, Minorum, & aliorum Ordinum Fratres, & alii, quibus *ex privilegio vigore Conſtitutionis: Dudum &c. in Concilio Vienenſi editæ*, vel alias id competit, confeſſiones ſibi confiteri volentium, libere liciteque audire, ac eisdem pœnitentias imponere ſalutares, nec non eisdem beneficium abſolutionis (niſi in caſibus Epiſcopis ſpecialiter reſervatis) juxta formam conſtitutionis prædictæ impertiri valeat, nullatenus derogando.

C. XVII. *Ne Clerici uxorati vel bigami, in ſpiritualibus cauſis judicent.*

Item ſtatutum ſeu mandatum dicti quondam Domini HENRICI, quod incipit: *Item ut erroribus* &c. mandans, ut nullus Clericus uxoratus vel bigamus, ſub quocunque colore quæſito in cauſis Eccleſiaſticis vel Spiritualibus, judicare aut jurisdictionem exercere præſumat, declarans & decernens, ſi ſecus factum fuerit, irritum (prout eſt) inane, repetendo præſentibus innovamus.

C. XVIII. *De Fructibus Beneficiorum, ex cauſa permutationis aut alias vacantium.*

Item felicis Record. Domini WALRAMI Prædeceſſoris noſtri ſtatuta, mandata, & præcepta per ipſum edita, quorum primum incipit: *Omnium malorum radix &c.* & ſtatutum ejuſdem, quod incipit: *Item quia cauſas &c.* cum ejus modificatione, quæ incipit: *Cum novus morbus &c.* in quibus, ne Eccleſiæ, dum eis vacantibus, fructus Beneficiorum vacantium in eiſdem, ad certos annos

ufui Ecclefiæ vel defuncto debitos ; ad alios ufus indebite, & aliquando plus debito tempore, & ultra tempus debitum convertuntur, non fine gravi cultus Divini detrimento, debito miniftrorum deftitutæ diutius deplorent obfequia, opportuno fubvenitur remedio.

Item ftatutum ejufdem Domini WALRAMI, quod incipit: *Item nonnullæ &c.* per quod contra abufum, quo fe nonnulla Capitula Ecclefiarum defendere conantes, contendunt, ubi via permutationis legitimæ aliquis Beneficiatus in alterius locum transfertur, per biennium debere exfpectare, priufquam fructus Beneficii permutati in eorum Ecclefia percipere valeat, eos fructus fibi ufurpantes, quamvis is in cujus locum talis Beneficiatus transfertur, feu tranflatus eft, fuæ exfpectantiæ tempus pro non modico temporis curfu, tranfacto, juxta confuetudinem Ecclefiæ ipfius jam compleverit, falubriter providetur. Item ftatutum feu mandatum ejufdem quondam Domini WALRAMI, quod incipit: *Infuper ipfas Ecclefias &c.* cum ejus innovatione, quæ incipit: *Nuper fitientes &c.* quod quidem ftatutum callidis machinationibus aliquorum Capitulorum Ecclefiarum Collegiatarum Civitatis & Diœcefis Colonienfis prædictæ, quæ Clericos fimplices, impetrantes Canonicatus & Præbendas in eorum Ecclefiis, dum vacant, allectos inducunt, propter juramentum, quod de obfervandis confuetudinibus Ecclefiæ fuæ præftiterant; ut conftitutione extravagante Domini JOANNIS PAPÆ Vigefimi fecundi: *Sufcepti Regiminis*, & ejus Beneficio non utantur: quinimo quod etiam expreffe renuntient eidem; debitæ provifionis remedium apponit, ipfaque innovatio ftatuti feu mandati, pœnas & fententias adjicit. Item ftatutum ejufdem quondam Domini WALRAMI Archiepifcopi, quod incipit, *Statuimus tamen &c.* quod permittit & facultatem concedit libere permutantibus, fi voluerint fructus Beneficii duorum annorum exfpectantiæ fuæ pro tribus libris grofforum Turonenfium monetæ fuæ, aut valore eorundem, feu fructus Beneficii unius anni exfpectantiæ confuetæ XXX. folidis ejufdem monetæ redimere, convertendis in utilitatem Ecclefiæ, & ornatum, ac fabricæ ufum. Nec non ftatutum feu mandatum præfati Domini WALRAMI quondam Archiepifcopi, quod incipit: *Dudum Prioribus &c.* in quo quidem ftatuto & mandato idem Dominus WALRAMUS in omnes & fingulas perfonas, impedimentum præftantes, vel difficultatem ingerentes, quo minus dicti permutantes, in fingulis Ecclefiis, in quibus hujufmodi factam conftat effe permutationem, fructus Beneficiorum duorum annorum vel unius, ut præfertur, & pro fumma fuperius taxata, redimere poterunt, & ad hujufmodi redemptionem libere admittantur, excommunicationis fententiam tulit, Canonica monitione præmiffa, & in fcriptis: quam excommunicationis fententiam, fi per duodecim dies continuos contumaciter fuftinerent, fi quidem perfonæ ipfæ, Capitulum conftituentes, feu major pars ipfius Capituli fuerint; extunc Ecclefiam ipfam, cujus perfonæ, ut præmittitur, rebelles fuerint, gratia prædicta exfpectantiarum & privilegio, in eifdem fcriptis penitus fpoliavit, & privavit, exnunc innovamus: eaque & contenta in eifdem, fub pœnis & fententiis in eifdem expreffis, quas Canonica monitione præmiffa, exnunc ferimus in contradictores & rebelles in his fcriptis, præcipimus, & mandamus firmiter obfervari. Præfata quoque ftatuta, mandata, & præcepta cum fuis pœnis & fententiis, ibidem & per Nos latas, ad impetrantes, quo ad redemptionem duorum annorum, vel unius pro fumma trium librarum Turonenfium grofforum, vel XXX. folidorum Turonenfium grofforum monetæ noftræ faciendam, & ad quæcunque Monafteria fæcularia & Regularia, in quibus Canonicatus & Præbendæ fæculares, & pro perfonis & Clericis fæcularibus fundati funt, & confiftere dignofcuntur, extendimus per præfentes.

C. XIX. *Contra illos, qui in Confiftorio Ecclefiaftico deliquerint contra Officialem, Advocatos, vel Procuratores.*

Item ftatutum feu mandatum bonæ memoriæ Domini HENRICI Prædecefforis noftri, quod incipit: *Item omnes illos* &c. per quod quidem mandatum feu ftatutum fertur excommunicationis fententia in omnes & fingulos, qui

in

in Consistorio nostro Coloniensi, dum Officialis noster ibi vel alibi, aut ubi quis alius Officialis jurisdictionem habens, præsederit pro justitia reddenda, in Advocatum, Notarium, aut Procuratorem, aut Officiarium Curiæ nostræ vel ipsius, manus temere injecerint violentas, & in quoscunque qui ad id dederint consilium, auxilium vel favorem: & si tales excommunicati, animo pertinaci & contumaciter per triduum sustinuerint excommunicationis hujusmodi sententiam, minime satisfaciendo, nec emendam præstando condignam, ad denuntiationem nostri Officialis, vel alterius Officialis prædictorum, in Parochia, ubi & in qua tales delinquentes Parochiani extiterint, cessari præcipitur a Divinis: innovamus, & in eos, qui taliter excesserint, sententias excommunicationis, Canonica monitione præmissa, ferimus in his scriptis, volentes in eorum Parochiis, modo & forma supradictis, cessari a Divinis, quousque præstiterint emendam condignam.

C. XX. *Quod omnes habeant Copiam Statutorum Coloniensium.*

Cæterum omnia & singula statuta Prædecessorum, usu & moribus utentium recepta & usitata, quæ Canonum constitutionibus, ac Sanctorum Patrum, & Regularibus non obviant institutis, innovamus, & ea firmiter & inviolabiliter statuendo observari mandamus: præcipimusque nihilominus sub excommunicationis pœna omnibus & singulis Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, seu eorum vices *in hac Synodo* gerentibus, ut omnium & singulorum statutorum Coloniensis Ecclesiæ & Prædecessorum nostrorum, quæ nunc expresse cum insertione & recitatione effectus & vigore eorum innovamus, recitari facientes, si ea non habuerint: nec non eorum statutorum & mandatorum per Nos editorum, & quæ nunc fecimus, & mandamus publicari, copiam solicite recipiant & procurent intra duos menses a tempore publicationis eorundem, vel quanto citius (intra tamen dictum tempus) habere potuerint. Capitula vero & Conventus Sæcularium & Regularium Ecclesiarum & Monasteriorum, eadem statuta innovata (si non habuerint) & mandata Prædecessorum nostrorum, atque Nostra, fideliter transcripta, intra tres menses a publicationis tempore prædicto studeant obtinere, in armariis Ecclesiarum suarum sub fida custodia cautius observanda, ne quis ignorantiam eorum postmodum supine forsan allegando, se ab eorum observatione debita valeat excusare. Datum sub sigillo nostro, præsentibus appenso, Anno Domini MCCCLXXI. crastino B. Remigii Confessoris.

Quod Curati intra mensem resideant in Beneficiis suis curatis, & indicitur Synodus proxima.

FRIDERICUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, UNIVERSIS ET SINGULIS, TAM SÆCULARIBUS, QUAM REGULARIBUS, ECCLESIARUM ET MONASTERIORUM ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, PRÆLATIS, PRIORIBUS, DECANIS, COLLEGIIS, CONVENTIBUS, PLEBANIS, EORUMQUE VICES GERENTIBUS, CÆTERISQUE BENEFICIATIS, ET CLERICIS, ET RELIGIOSIS, CUJUSCUNQUE STATUS, CONDITIONIS AUT ORDINIS EXISTANT, CIVITATIS ET DIŒCESIS COLONIENSIS, NOBIS SUBDITIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

AD audientiam nostram fida relatione pervenit, quod nonnulli Ecclesiarum Collegiatarum & Monasteriorum utriusque sexus Prælati, nec non Ecclesiarum Parochialium Rectores, nostrarum civitatis & Diœcesis Coloniensis, ipsas Ecclesias & Monasteria deserentes, in aliis locis resident, contra sacrorum Canonum Sanctiones: propter quod curæ animarum & disciplinæ Ecclesiasticæ ipsis commissæ, multipliciter detrahitur, ac eorum subditi, & Ecclesiæ, & Monasteria, in spiritualibus & temporalibus damnabiliter defraudantur. Nos igitur huic morbo tam detestabili, quam pernicioso medelam adhibere cupientes, omnibus & singulis Ecclesiarum & Monasteriorum Prælatis utriusque sexus, curam animarum habentibus, per quos in ipsis Ecclesiis & Monasteriis Ecclesia-

ftica difciplina gubernatur, ac Ecclefiarum Parochialium Rectoribus, noftrarum civitatis & Diœcefis prædictarum, diftricte præcipiendo mandamus, quatenus intra unius menfis fpatium, a data præfentium computandum, ad fuas Ecclefias & Monafteria, in quibus Prælati & Rectores exiftunt, revertantur, & de cætero perfonaliter continue refideant in eifdem, onera feu officia ipfis vigore Prælaturarum fuarum, feu Regiminis incumbentia, authore Domino, feliciter gubernando. Quod fi quis eorum fecus fecerit, dicto menfe elapfo, Canonica monitione præmiffa, ipfum excommunicationis fententiam (quam pro nunc, prout extunc ferimus in his fcriptis) incurrere volumus ipfo facto, alias pœnas nihilominus eidem, prout ipfius contumacia feu protervitas exegerit, inflicturi: abfolutionem autem omnium & fingulorum, qui dictam excommunicationis fententiam incurrerint, Nobis fpecialiter refervantes. Et ne aliquis prædictorum aliquam ignorantiam protendere valeat in præmiffis, volumus *in proxima inftanti Synodo noftra Coloniæ celebranda*, publicari. Datum Lechnich fub Sigillo noftro præfentibus in teftimonium appenfo, anno *ut fupra*.

SYNODUS COLONIENSIS

Anno Chrifti MCCCLXXII. Gregorii XI. Papæ II. Caroli IV. Regis XXVI.

SUB FRIDERICO III. ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI.

Tenor Privilegiorum Cleri Colonienfis.

FRIDERICUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, DILECTIS VOBIS IN CHRISTO PRIORIBUS, PRÆLATIS, AC UNIVERSO CLERO CIVITATIS ET DIOECESIS NOSTRARUM COLONIENSIS, SALUTEM IN EO, QUI EST OMNIUM VERA SALUS.

JUftis petentium defideriis, dignum eft Nos promptum facilemque præbere auditum: & vota petentium, quæ a rationis tramite non difcordant, affectu profequente complere. Eapropter petitiones veftras Nobis nuper oblatas, benigno profequentes affectu, gratiofe vobis omnibus, & fingulis omnem indignationem, fi quam contra vos, vel aliquem veftrum, communiter vel divifim, unquam concepimus, ex puro corde omnino remittimus, & medullitus indulgemus, vobifque omnia privilegia, omnefque immunitates, libertates & gratias, a Prædefforibus noftris vobis conceffas, & Ecclefiarum confuetudines licitas & honeftas, confirmamus, & præfentis paginæ fcripto innovamus. Vobifque nihilominus infrafcriptas libertates & privilegia, ad amicitiæ mutuæ & [illegible]ventionis reciprocæ compaginem indiffolubili glutino connectendam, liberaliter concedentes:

C. I. *Inprimis*, quod omnes & finguli Officiarii noftri, qui nunc funt, & qui inpofterum per Nos creabuntur, inter alia in juramento ipforum contenta, coram Nobis & noftris, nomine Cleri, Civitatis & Diœcefis noftrarum Colonienfis, juramentum hujufmodi recipientibus, jurabunt fpecialiter & expreffe, quod perfonas, res, & bona Ecclefiaftica, tempore adminiftrationis fuæ, pro poffe fuo defendent, nullafque tallias & exactiones ab eis recipient, collectasve imponent, nec libertates eorum impedient, vel

Fridericus, Archi-Epifcopus Colonienfis, h. a. Diœcefin fuam ingreffus, pacem in urbe inter Magiftratum & Cives conciliavit, eosque adduxit, ut SConfultum adverfus Cleri libertatem editum refcinderent. Subinde ad Clerum formandum poftridie Remigii celebrem Diœcefis Synodum evocavit, in qua tum vetera Epifcoporum Decreta renovata, tum multis novis additis Cleri & populi difciplinam in melius compofuit. *Schatenus Annal. Paderborn. T. II. pag.* 382. *ad annum* 1371.

vel perturbabunt. Et si contrarium (quod absit) per eos, eorumve subditos, vel familiares actum fuerit, intra unius mensis spatium, requisiti ex parte ipsorum, qui passi sunt injuriam, de præmissis condignam præstent emendam: extunc denuntiatione Nobis facta, ipsos a suis Officiis, & administrationibus deponimus: & nihilominus contra eos, ne quovis modo transeant impuniti, per statuta Ecclesiæ nostræ Coloniensis secundum ipsorum seriem procedatur.

C. II. *Item* volumus, & præsentibus indulgemus, quod bona Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum communiter vel divisim, quæ negotiationis causa minime deducuntur, per loca, ubi ex parte nostra telonium recipitur seu vectigal, transeuntia, sine protractione per telonarios nostros transire, expedite & libere permittantur: ita tamen, quod ipsis telonariis fides fiat per literas Capitulorum Coloniensium, quorum bona deducuntur, sub sigillis ipsorum, inserto in eisdem literis, quot carratæ vini, vel quantitates bonorum aliorum, ex parte ipsorum & nomine deducantur, & nihilominus per juramentum deducentis bona hujusmodi, comprobentur dictarum personarum ea bona esse, nullis aliis vinis seu bonis intermixtis, quorum nomine deferuntur. Dicti etiam telonarii nostri, qui nunc sunt, & qui inposterum per Nos creabuntur, jurabunt in Capitulo Coloniensi, vel super juramento alibi præstito, de præmissis observandis dabunt literas apertas, depositionis, & præfatas statutorum pœnas subituri, si contrarium fecerint, ut in articulo proximo est expressum.

C. III. *De Testamentis Clericorum.*

Adjungentes præmissis, quod quilibet Prælatus, & Clericus nostrarum civitatis & Diœcesis Coloniensis prædictarum, coram duobus vel tribus testibus fide dignis, suum testamentum, seu ultimam suam voluntatem de bonis suis quibuscunque libere valeat ordinare: habeantque testamenta, & voluntates hujusmodi & ipsorum executiones, absque cujusquam impedimento vel obstaculo, roboris plenitudinem efficacem.

C. IV. *De Visitatione.*

Et ut Clerus civitatis nostræ Coloniensis, peculiari munificentiæ nostræ gaudeat prærogativa, ipsis, si Nos eos visitare contigerit, ab hinc ad sexennium, procurationes remittimus per præsentes.

Prælati & Clerici, qui, quibus sub Judicibus conveniendi.

Insuper ut statui Prælatorum, & Cleri nostrarum civitatis & Diœcesis Coloniensis prædictarum, per Nos uberius (quod summe appetimus) consulatur, jugique memoria perennetur idem status; præsentibus declaramus, Prælatos & Priores civitatis & Diœcesis Coloniensis prædictarum, authoritate ordinaria non posse aliter conveniri, nisi coram Nobismetipsis, & secundum eorum consuetudinem hactenus observatam: quodque Canonici Ecclesiarum Collegiatarum civitatis Coloniensis, ab Officiali nostro & aliis Ordinariis Judicibus, ad Decanos suos, pro quibuslibet causis conventi, remitti debeant hoc petentes: nec alias authoritate ordinaria judicari valeant, nisi in defectu justitiæ per Decanos & Capitula expedite reddendæ, secundum eorum consuetudinem hactenus observatam.

C. V. Quia, proh dolor, novis machinationibus laici Clericis de die in diem amplius sunt infesti; contra novos morbos nova medicamenta cogimur præparare. Idcirco ad eximendum Clerum nostrum in præmissis, & liberandum eundem, statuta Prædecessorum nostrorum volumus recenseri, corrigi, & emendari addendo & subtrahendo, & etiam acuendo pœnas in eis contentas, prout Cleri utilitas hoc suadebit, Officialem nostrum, qui pro tempore fuerit, executioni dictorum statutorum efficaciter, & fideliter deputaturi; nec per Nos, nec per dictum Officialem, vel quemcunque alium, hujusmodi executionem revocaturi, vel etiam relaxaturi simpliciter, vel ad tempus, nisi læso secundum eorumdem statutorum tenorem fuerit satisfactum.

C. VI. *Insuper* etiam vobis omnibus & singulis bona fide permittimus per præsentes, quod vos singulos & universos, tam in personis, quam rebus redditibusq;, proventibus & obventionibus ve-

ſtris quibuſcunque, omnibus modis, quibus poterimus, defenſabimus, & tuebimur, & conſervare ſtudebimus effective. Et quod contra læſores & injuriatores veſtros, ac libertatum & immunitatum veſtrarum turbatores, cujuſcunque ſtatus aut præeminentiæ exiſtant, & præſertim contra eos, qui de bonis veſtris, quæ per loca quæcunque negotiationis cauſa minime deferuntur, telonia, pedagia, ſeu vectigal extorquent, duriori qua poterimus acrimonia, brachiique noſtri ſæcularis potentia procedemus, dum ſuper his per aliquem veſtrum in præmiſſis læſum, fuerimus requiſiti.

C. VII. Et quia ex conquæſtionibus veſtris nuper accepimus, quod Eccleſiæ, Monaſteria & perſonæ Eccleſiaſticæ noſtræ jurisdictionis, in ſuis curtibus per Dominos temporales, ac interdum per noſtros Officiarios, in vecturis & aliis oneribus quam plurimum prægravantur: igitur ſinceritatibus veſtris præſentibus bona fide promittimus, quod ſuper his perpenſo conſilio vias & modos excogitabimus, ut Vos Eccleſiæque veſtræ, & Monaſteria prædicta hujuſmodi oneribus indebite, & exceſſive non graventur.

C. VIII. Etiam vobis omnibus & ſingulis benigna proviſione proſpiciemus, quod Clerici & perſonæ Eccleſiaſticæ quæcunque, dum (ut interdum evenit) relaxationes interdictorum Eccleſiaſticorum, in Eccleſias ſuas vel loca authoritate Noſtra, aut ſtatutorum Eccleſiæ noſtræ latorum, impetrare coguntur, per Sigilliferum Curiæ noſtræ pro tempore exiſtentem, indebite non aggraventur exactionibus importunis.

Cæterum vobis omnibus & ſingulis prædictis, bona fide præſentibus, promittimus, quod vobis omnes immunitates, libertates, privilegia, & gratias vobis per Nos conceſſas & conceſſa, effectualiter & firmiter obſervabimus, & per noſtros Officiarios quoſcunque inviolabiliter mandabimus & faciemus obſervari.

C. IX. *De Decimis.*

Promittimus inſuper, quod quandocunque a Collegiis & Clericis, noſtræ jurisdictioni ſubjectis, Decimam ſeu Decimas recipere nos continget, quod pro ipſis Collegiis, ipſorumque Dignitatibus & Officiis, ac Eccleſiis Parochialibus & Capellis, ipſis unitis & annexis, ulteriorem ſolutionem Decimarum non exigemus, aut exigi faciemus, niſi prout ipſa Collegia hactenus Decimas ſolvere conſueverunt.

Præmiſſis etiam ad benevolentiæ veſtræ exuberantiam pleniorem, gratioſe duximus annectendum, quod nec Nos, nec Officiarii noſtri in comitatu de Hylkenrode, vel aliis territoriis Nobis ſubjectis, a Nobis deputati, vel etiam deputandi, de bonis ſeu terris Eccleſiarum, Decimas Nobis nunc ſolventium, exactiones ſeu tallias extorquebimus, ſeu extorquebunt.

C. X. *De pœnis in Hylkenrode.*

Et nihilominus Coloni Eccleſiarum & Monaſteriorum in comitatu Hylkenrode, pro pœna, quæ vulgariter dicitur Wedde, ſeptem ſolidos & ſex denarios tantum ſolvent; nec ad aliam pœnam judiciariam, quæ Wedde dicitur, ratione poſſeſſionum, terrarum, ſeu bonorum Eccleſiarum & Monaſteriorum prædictorum tenebuntur, niſi pœna ſanguinis ſint plectendi, vel pœnam quæ Howedde dicitur, incurrerint, quas luent, ſicut in aliis territoriis obſervatur.

Item ſi contingeret Nos decimas intra ſex annos a Sede Apoſtolica impetrare, Nos illas defalcabimus de decimis, Nobis nuper per vos conceſſis.

Item ſi contingeret vos vel Eccleſias veſtras bonis veſtris ſpoliari, Nos decimas Nobis per vos conceſſas moderabimur ſic, ut ipſarum ſolutio vobis non exiſtat nimium oneroſa.

C. XI. *De Decimis Papæ.*

Si vero Dominus noſter Summus Pontifex Decimas ſibi dari vellet, Nos ad evadendum, ſeu ad mitigandum ipſarum ſolutionem, vobis conſilio & auxilio aſſiſtemus, in quantum abſque Sedis Apoſtolicæ injuria poſſumus & offenſa. In quorum omnium robur & teſtimonium, Sigillum noſtrum majus præſentibus duximus apponendum. Datum Coloniæ anno Domini Milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, die vigeſima ſexta menſis Auguſti.

CON-

CONCILIUM MONASTERIENSE
SUB FLORENTIO EPISCOPO,
Anno Christi MCCCLXX. Gregorii XI. Papæ I. Caroli IV. Regis XXIV. xxv. Martii.

Statuta Synodalia Reverendi in Christo Patris & Domini, Domini FLORENTII, Episcopi MONASTERIENSIS, feliciter incipiunt: PRIMUM: quod omnes utriusque sexus semel in anno confiteantur integre omnia sua peccata proprio Parochiali, & ab eodem capiant Eucharistiæ Sacramentum, & quod Fratres mendicantes non habent ampliorem potestatem in audiendis Confessionibus, quam Curati.

FLORENTIUS, DEI gratia, Monasteriensis Episcopus. Dudum piæ memoriæ Dominus EVERHARDUS Monasteriensis Ecclesiæ Episcopus, Prædecessor noster, Statutum Synodale Diœcesanum *in Synodo sua Generali* Diœcesana fecit, & statuit: quod omnes Sacerdotes Parochialium Ecclesiarum frequenter & diligenter admoneant suos subditos utriusque sexus homines: "ut postquam " ad annos discretionis pervenerint, om" nia peccata sua integre, & ad minus " semel in anno confiteantur proprio " Saçerdoti Parochiali, & injunctam eis " pœnitentiam studeant adimplere, su" scipiendo reverenter in Pascha ad mi" nus Eucharistiæ Sacramentum, nisi " de consensu proprii Sacerdotis ob ali" quam rationabilem causam duxerint " abstinendum, alioquin viventes, ab " ingressu Ecclesiæ arceantur, & mori" entes, Christiana careant sepultura." Quod quidem Statutum de Concilio & consensu Capituli nostri Monasteriensis approbamus, & confirmamus, ac renovamus, ac volumus inviolabiliter observari, vobis, & cuilibet vestrum districte præcipiendo injungimus, quatenus frequenter & publice de ambone infra Missarum solemnia, & extra, prout magis congruit, singulis diebus Dominicis & Festivis vestris subditis publice & materna lingua exponatis, seu ad eorum notitiam deducatis hujusmodi Statutum Synodale. Mandantes eosdem vestris subditis, & admonentes eisdem, quibus & Nos præsentibus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis mandamus, & monemus eosdem, ut contenta in hujusmodi statuto in omni sui forma observent: alioquin contrarium facientes, & nostris hujusmodi mandatis non obedientes, in quantum rigorosius de jure poterimus, procedemus: quia in sacris Canonibus est scriptum, quod si quis venerit *contra Decretum Episcopi*, ab Ecclesia abjiciatur. Cæterum declaramus & decernimus, quod si quis opinaretur, seu asserere conaretur, quod Fratres Minores, & Prædicatores, aut Augustinenses latiorem, ampliorem, & majorem auctoritatem habeant absolvendi ipsos confitentes, quam Ecclesiarum Parochialium Rectores, & Curati: & dictorum Ordinum Fratres haberent in mille casibus auctoritatem a peccatis absolvendi, in quibus Ecclesiarum Rectores absolvere non possent, nec deberent, quod hujusmodi opinio & assertio est *erronea*, & *contra sacros Canones*, & *contra Statuta*, & *Decretum Papæ*, prout expresse habetur in C. *Dudum:* quod alias incipit: *Super Cathedram de Sepultura*, & in C. *Per hujus autem concessionem*, ubi cavetur: Minores, Prædicatores, & Augustinenses ampliorem non habent potestatem in confessionibus, quam Curatis, & Parochialibus Sacerdotibus est concessa, nisi forsan eis Ecclesiarum Prælati, id est, Diœcesani uberiorem in hac parte gratiam specialiter ducerent faciendam. Vobis autem Plebanis, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, & Curatis præcipue districte præcipiendo mandamus sub pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, quam in vos, & quemlibet vestrum, trium

trium dierum tamen monitione pro termino peremptorio præmissa, ferimus in his scriptis, si non feceritis, quod mandamus, ut copiam præmissorum infra sex dies a data præsentium continue currentes, ab Officiali nostro recipiatis, ac præmissa Parochianis vestris infra decem dies a data præsentium continue subsequentes, in Ecclesiis vestris publicetis, ne aliquam occasionem ignorantiæ super his præsumant, & prætendant, & quidquid in præmissis feceritis, ac nomina rebellium, seu monitorium, Nobis fideliter rescribatis, quorum absolutionem Nobis, seu Officiali nostro specialiter reservamus, in quorum omnium testimonium sigillum nostrum, una cum sigillo Capituli nostri ad causas in signum sui consensus apposito, præsentibus est appensum. Et Nos Capitulum Ecclesiæ Monasteriensis recognoscimus, sigillum nostrum in signum consensus, una cum sigillo Reverendi in Christo Patris, ac Domini D. nostri FLORENTII, episcopi Monasteriensis, prædicti appendisse.

Datum anno Domini Millesimo CCC. LXX. *in crastino Annuntiationis Beatæ MARIÆ Virginis.*

Impressum Monasterii Westphaliæ in 4to anno 1486. *Recusum a Lunig. Continuat. II. Spicilegii Ecclesiastici pag.* 806.

Statutum aliud Domini FLORENTII de peregrinis euntibus in via sine licentia, & de locis interdictis & consimilibus.

FLORENTIUS Dei gratia, Monasteriensis Ecclesiæ Episcopus. Perniciosus quidem, intelleximus, in nonnullis nostræ Diœcesis partibus abusus invaluit, quod loco aliquo ecclesiastico supposito interdicto, Parochiales loci interdicti ad vicinas Ecclesias, seu capellas contiguas pro Divinis audiendis officiis accedant, & ibidem indifferenter admittuntur, sacros Canones contemnendo; quod sicut juri contrarium, ita correctione dignum judicamus. Mandamus sub pœna excommunicationis firmiter observari præcipimus, ut diebus Dominicis & Festivis, & aliis, cum opus fuerit, Presbyteri quicunque antequam Missam celebrent, populum interrogent, si aliquis in Ecclesia seu Capella sit, qui de loco interdicto existat? quem, seu quos invenerint, statim ab Ecclesia ejicient.

Statutum: quod cessante Matrice Ecclesia cessabunt omnes aliæ a Divinis.

CUm vero in jure cautum extitit, quod non decet membra a capite discedere, sed juxta scripturæ testimonium omnia membra caput sequuntur; Mandamus, & sub pœna prædicta præcipimus observari, cum nostra sponsa Monasteriensis Ecclesia a Divinis cessat officiis seu interdicta teneatur, ne censura incurratur Ecclesiastica, in cœteris locis sacratis a Divinis cessari dictæ nostræ Monasteriensis civitatis, & in continentiis Beneficiis nolumus apertis celebrari januis. Cæterum ad Nos fide dignorum perduxit relatio, famaque valida ac publica acclamante lucidius attestatur, nonnullos utriusque sexus homines Nobis subditos mole debitorum paupertatis proh dolor variarum excommunicationum sententiis laqueatos, atque oneratos frequenter itinera peregrinationis in diversis mundi partibus & locis facere, hactenus licentia Venerabilium Dominorum Parochialium Ecclesiarum Rectorum minime petita, & obtenta præsumpserunt. Cum autem iter peregrinationis non solum Clericis, Episcopi licentia non obtenta, sed etiam sit a jure prohibitum: mandamus, & præcipimus sub pœna superius expressa, ne deinceps subditi nostri itinera peregrinationis facere præsumant, nisi confessi petita & obtenta ab eorum Plebano licentia: quam licentiam excommunicatis & interdictis penitus denegamus concedendam. Presbyterum autem proprium, aut alienum Parochianum publice excommunicatum, vel interdictum, scienter ad aliquod Ecclesiasticum Sacramentum, vel Divinum Officium admittentem, seu contrarium facientem, ab Officio Divinorum, trium dierum monitione præmissa suspendimus: laicos vero inhibitioni & interdictioni minime parentes, sed contrarium facientes, quos Nos Canonica monitione sex dierum præ-

præmissa (quorum duos pro primo, & duos pro secundo, & reliquos duos dies pro tertio & peremptorio ipsis, & eorum cuilibet assignamus in his scriptis) in nomine Domini excommunicamus, excommunicatos publice nuncietis: Sacerdotes vero attendant diligenter, contrarium facientes, & nomina illorum ad Nos, vel Officialem nostrum referant sub pœna superius expressa, ut debite puniantur, ne ab ipsis Sacerdotibus notam negligentiæ requiramus; mandamus etiam universis & singulis Abbatibus, nec non Collegiatarum Ecclesiarum, & Curatarum Decanis, Præpositis, Plebanis nostrarum civitatis & Diœcesis Monasteriensis, populum sub se habentibus, sub pœna excommunicationis, quam infra octo dies a datâ præsentium continue sequentes, currere volumus, præmissorum copiam de verbo ad verbum sub sigillo Officialis tergotenus appresso, & omnia & singula subditis eorum frequenter publicent, & insinuent, ne præmissa per ignorantiam supinam atque crassam se excusare aliqualiter possint ignorasse.

Datum in Castro Wolbecke nostro sub sigillo. Anno Domini M.CCC. septuagesimo primo, decima quinta die mensis Martii.

Impressum Monasterii Westphalorum anno 1486. *Recusum a Lunig. Continuat. II. Spicilegii Ecclesiastici pag.* 807.

Epistola I. URBANI Papæ VI. ad Archi-Episcopum Coloniensem, ejusque Suffraganeos, denuntians CLEMENTEM ANTI-PAPAM, *ejusque Electores Cardinales a se excommunicatos, esse vitandos.*

URBANUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILIBUS FRATRIBUS ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI, EJUSQUE SUFFRAGANEIS, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

NUper cum vinea Domini Sabaoth S. videlicet R. E. ventrem doleret, & amaricatis visceribus gravia emittere suspiria cogeretur ex eo, quia filios uteri sui, quos enutriverat, & de infimis ad culmina dignitatum extulerat, videlicet iniquitatis & perditionis alumnos, *Robertum olim Basilicæ duodecim Apostolorum vulgariter dictum Gebennensem*, *Joannem olim tituli Sancti Marcelli, vulgariter dictum Ambianensem*, *Geraldum olim tituli Sancti Clementis vulgariter dictum majoris Monasterii*, *Presbyteros*, & *Petrum* (*a*) *olim Sancti Eustachii Diaconum*, Cardinales conspiciebat matris ubera spernere, & a rectitudinis tramite deviare, & non solum leges & monita materna despicere, sed eorum matris uterum, quantum in eis erat, viperinis morsibus (*b*) amatibus (*c*) laniare, & quod ipsi inconsutilem Domini tunicam scindere satagentes, scandalorum & scismatum seminaria præparabant, ac famæ suæ præligi, & honoris proprii persecutores effecti, non tantum se ipsos nexibus peccatorum involvere, sed in reprobum sensum ducti alios

(*a*) Petrus de Luna electus a schismaticis Cardinalibus anno 1394. sub nomine Benedicti XI. vel XII. vel XIII. sedit Paniscolæ in Catalonia annis fere XXX. contra veros Papas ad annum 1424.

(*b*) Avenione cœpit schisma sub nomine Clementis VII. contra Urbanum VI. Obiit hic Antipapa anno 1394. Robertus antea dictus, Filius Comitis Gebennensis.

(*c*) *forte*: amarissimis.

alios secum ad præcipitium trahere conabantur. Nos qui Divina disponente clementia prædictæ vineæ sollicitudinem & curam gerebamus, prout gerimus, adversus hujusmodi prætergredientes veritatis & fidei rectæ semitam, & prævaricationem addentes, ut eandem vineam demoliri in virtute Altissimi de Fratrum nostrorum consilio decrevimus exsurgendum, & contra ipsos & nonnullos alios adhærentes ac faventes inferius nominatos per infrascriptum modum mediante justitia duximus procedendum. Siquidem cum prædicti nequam viri, nescientes in semitis justitiæ dirigere gressus suos, & timorem Dei præ oculis non habentes, contra conspirationes, colligationes & machinationes diversas facere, & in Ecclesia Dei schisma & divisionem ponere, & *civitatem nostram Anagninensem*, & *Castrum sancti Angeli de urbe*, & nonnulla alia castra, terras & loca Nobis & dictæ Ecclesiæ subjecta occupare, & occupari facere, & illarum occupationibus auxilium, consilium, & favorem præbere præsumpsissent, & præsumerent, & insuper, ut dictam civitatem & alias terras Provinciæ nostræ Campaniæ facilius occupare, & occupata detinere, & alios ad consentiendum eorum iniquis voluntatibus & operibus violenter attrahere possent, magnam multitudinem gentium armigerarum, qui *Britones* & *Vascones* nuncupantur, ad dictas civitatem & Provinciam venire fecissent, & exinde quamplurima homicidia, sacrilegia, rapinæ, depopulationes, & alia mala ac damna & scelera fuissent subsecuta. Nos qui salutem zelabamur illorum, sperantes illos ad cor reversuros, & viam justitiæ repetituros, eos per Venerabilem Fratrem *Petrum Episcopum Portuensem*, & Dilectos Filios nostros *Simonem &c.* tales Cardinales, plu ries per diversos alios probos Prælatos, ac magnæ authoritatis viros, ac etiam per literas nostras iteratis vicibus, ut ad viam veritatis & justitiæ redire, & ab hujusmodi erroribus resipiscere vellent, duximus exhortandos, ac requirendos. Sed præfati nequam viri in sua pertinacia & superbia obstinati, post monitiones & exhortationes hujusmodi contra Nos, antea in urbe per ipsos & alios, ad quos spectabat, in Papam electos, ac debitis & consuetis solennitatibus observatis inthronizatos, & publice coronatos (quibuscum tanquam cum Papa, & Summo Pontifice, in Missarum solemniis, & consistoriis publicis ac privatis, consulendo & ordinando de Statu Romanæ Ecclesiæ ac Reipublicæ, recipiendo a Nobis Ecclesiastica Sacramenta, ac dignitates, ac Beneficia Ecclesiastica pro se & aliis a Nobis impetrando, per plures menses tractaverunt) diversos libellos diffamatorios fecerunt, & ad diversos Prælatos, & Principes mundi transmiserunt, & tandem in profundum descendentes malorum, & cupientes sanctæ Matris Ecclesiæ scindere unitatem *in Civitate Fundanensi* cum quibusdam aliis, quos cum machinationibus & diabolicis suggestionibus ad eorum impium propositum attraxerunt: congregati in domo iniquitatis filii Honorati Gaitani olim Comes (*d*) civitatis Fundorum, cum ipsius Honorati auxilio & favore præfatum Robertum temere eligendo *ANTI-PAPAM* fecerunt, ipsumque ausu sacrilego Papam nominare præsumebant, & præsumunt, ipseque Robertus se Papam nominare ausu temerario non pavescebat, nec pavescit. Præterea cum etiam iniquitatis alumnus *Petrus olim Archi Episcopus Arelatensis* & Camerarius noster dudum diabolico spiritu instigatus de urbe prædicta, ubi Nobiscum erat, sine licentia quasi furtive recessisset, & de Camera nostra quam plurima jocalia, & alias res & bona magni valoris & pretiosa, ad Nos, & ad Romanam Ecclesiam pertinentia secum asportasset, ad dictam civitatem Anagniensem se conferens, cum præfatis sceleratis viris *Roberto*, *Joanne*, *Geraldo*, *&* *Petro* olim Cardinalibus, diversas colligationes, & contra Nos conspirationes ordinare, & facere, ac ad conducendum dictas gentes armigeras ad dictam civitatem Anagn-nsem consilium, auxilium, & favorem præbere, & tam ipse, quam perditionis Filii *Jacobus* olim Patriarcha Constantinopolitanus, *Nicolaus*, tales & tales Episcopi, ac etiam iniquitatis Filii *Honoratus* Gaitanensis olim Comes Fundorum, *Antonius* olim Comes (*e*) Cisertanensis, *Franciscus de Vico* olim Præfectus urbis, *Joannes de Malestreck*, & tales

(*d*) *lege*: Comitis

(*e*) *forte*: Casertanensis.

tales ac tales in reprobum sensum dati, præfato Roberto *ANTI PAPÆ* adhærere & favere, & eorum linguis transeuntibus super terram, os in cœlum ponere præsumentes, non fuissent veriti, (*d*) verentur publice asserere, & per alios asserere & prædicare, Nos non esse Papam & Romanum Pontificem, & eorum falsis & confictis mendaciis quam plurima & enormia mala de Nobis dicere, & se ab unitate Romanæ Ecclesiæ separare, schisma & divisionem, quantum in eis erat, in Dei Ecclesia ponere.

Nos nequeuntes absque gravi offensa Christi, & remorsu conscientiæ tot & tantos excessus & scelera amplius tolerare, adversus præfatos sceleratos viros in virtute Altissimi de dictorum fratrum consilio, ut præmittitur, duximus exurgendum, & contra ipsos super præmissis procedendum, ac eis ad hoc legitime citatis, & aliis debitis solemnitatibus observatis, per nostram *diffinitivam sententiam* decrevimus ac declaravimus præfatos *Robertum*, *Joannem*, *Geraldum*, & *Petrum* olim Cardinales, nec non *Jacobum* olim Patriarchum, *Petrum* &c. tales ac tales laicos fuisse, & (*e*) etiam *SCHISMATICOS & APOSTATAS*, & contra Nos conspiratores, & blasphemos, & tanquam hæreticos puniendos, & reos criminis læsæ Majestatis, ipsosque propter præmissa fore excommunicatos, & anathematizatos, ac in pœnas & sententias contentas in processibus felicis recordationis JOANNIS XXII. & CLEMENTIS VI. summorum Pontificium Prædecessorum nostrorum contra occupatores & invasores, & turbatores terrarum Ecclesiæ Romanæ factis: ac declaravimus, dictum *Robertum*, *Joannem*, *Gerardum* & *Petrum* olim Cardinales fuisse, & esse depositos, & ipsos deposuimus a Cardinalitatibus, commodo & honore. (*Et infra*) absolutione eorum, præterquam in mortis articulo, Romano Pontifici reservata. Et insuper decrevimus, quod quicunque aliquem prædictorum scienter præsumerent Ecclesiasticæ sepulturæ tradere, excommunicationi subjaceant, a qua absolvi non possunt, nisi prius propriis manibus extumularent, & procul ejicerent ab Ecclesiastica sepultura corpora eorundem. *Et infra.* Qui vero contra præmissa, aut aliquid præmissorum facerent, seu qui præfatum Robertum, qui se Clementem Papam nominat, scienter Papam nominarent, tenerent, crederent, seu prædicarent, aut ab eo quascunque gratias, indulgentias, privilegia, aut quævis beneficia peterent, per se, aut per alium; si personæ singulares, excommunicationis, si vero Communitas, seu Universitas fuerit, aut foret, interdicti sententias incurrent eo dicto. A qua quidem excommunicationis sententia aliquis absolvi & interdicti hujusmodi ab alio, quam a Romano Pontifice relaxari non possent. Decrevimus quoque fore absolutos a debito fidelitatis homagii seu ligii, & alterius cujuscunque obsequii omnes & singulos, qui eisdem damnatis, superius nominatis, juramento, obligatione, promissione, vel quacunque firmitate vallato antea fuissent astricti: alias etiam pœnas eisdem damnatis infligimus, & a jure inflictas decrevimus in suo rubore duraturas. (*Et infra*) Datum Romæ apud Sanctam MARIAM trans Tyberim. VIII. Idus Novembris, Pontificatus nostri anni primo.

Binius Concilior. Tom. III. Parte II. pag. 823. 824.

(*d*) *forte:* nec verentur.

(*e*) *forte:* & esse

Decretum ALBERTI III. Episcopi

Herbipolensis, latum in Synodo anni MCCCLXXIII.

ALBERTUS, Dei gratia, Episcopus *Herbipolensis.* Tenore præsentium pateat universis, quod infrascripta, coram recolendæ memoriæ, Domino OTTONE, Episcopo Herbipolensi, Prædecessore nostro olim diffinita, & a Nobis *in Synodo nostra* nuper confirmata, (altercationibus inter Plebanos, seu Curatos, ac Religiosos, præsertim quatuor Ordinum Fratrum Mendicantium, Sacerdo-

cerdotes, hactenus habitis in hac parte, deinceps cessare debentibus) per nostras civitatem, & Diœcesim Herbipol. tenenda sunt in modum, qui sequitur:

I. Secundum Catholicam, & Canonicam veritatem, omnes utriusque sexus Parochiani, tenentur, saltem semel in anno, peccata sua Plebano suo fideliter confiteri, & etiam ab eo, ad minus in Pascha, suscipere Eucharistiæ Sacramentum, nisi ipse Parochianus, de sui Plebani licentia vel consilio duxerit ab eo ad tempus abstinendum; alioquin ipse Parochianus & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura: Illi vero, qui prædictis Fratribus confitentur, non magis tenentur eadem peccata iterum confiteri, quam si illa alias confessi fuissent proprio eorum Sacerdoti, seu Plebano.

II. Item prædicti Presbyteri Religiosi Ordinum Mendicantium, non omnes quidem licentiam habent audiendi libere confessiones, & absolutionis beneficium impendendi, sed dumtaxat, qui a Superioribus suis electi, ad tam salubre officium exercendum, per patentes literas nostras fuerint nominatim deputati; quas quidem litteras *de Cancellaria nostra*, juxta formulam, quæ sequitur, ipsi Fratres gratis, & absque solutione pecuniæ aliqua, habent recipere.

III. " ALBERTUS &c. Venerabilibus Divinorum Rectoribus N.N. præsentibus requisiti, salutem, & sinceram in Domino caritatem. Religiosos & devotos Fratres N.N. Conventus & Monasterii Ordinis N. Nobis per eorum superiores ad confessiones oppidanorum ibidem, & particulariter ipsius Conventus, audiendas, rite præsentatos; quos ad hoc admittimus, protestatione tamen hac adjecta: ut ipsi, & non alii de fratribus eorum aliquam audiendi confessionem, ut præmittitur, habeant authoritatem, per præsentes vobis transmittimus, exhortantes vos, quantum eosdem sic admissos publice in Ecclesiis prænuntiari faciatis: casibus tamen, *de more*, *&* *consuetudine*, Nobis reservatis &c.

Attamen Parochiani, dictis Fratribus confessi, tenentur nihilominus semel in anno etiam suis Plebanis, aut, de ipsorum licentia, aliis Presbyteris confiteri.

Datum *Herbipoli*, anno Domini M. CCC. LXXIII. Die XX. mensis Octobris.

Ex codice MS. FF. Minorum Conventualium Herbipoli descripsit Cl. Schannat. b. m.

CONCILIUM COLONIENSE

Anno Christi MCCCLXXV. Gregorii XI. Papæ V. Caroli IV. Regis XXVIII.

SUB FRIDERICO III. ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI.

Ut omnes Curati, Prælati, vel Pastores, resideant personaliter in suis Beneficiis curatis, & indicitur Synodus proxima.

FRIDERICUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, UNIVERSIS ET SINGULIS TAM SÆCULARIBUS, QUAM REGULARIBUS, ECCLESIARUM ET MONASTERIORUM ABBATIBUS, PRÆLATIS, PRIORIBUS, DECANIS, COLLEGIIS, CONVENTIBUS, PLEBANIS, EORUMQUE VICES GERENTIBUS, CÆTERISQUE BENEFICIATIS, CLERICIS ET RELIGIOSIS NOSTRARUM CIVITATIS ET DIOECESIS COLONIENSIS, NOBIS SUBDITIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

PAstoralis officii debitum exequentes, Ecclesiarum & Monasteriorum utilitatibus, eorumque (præsertim Officii Divini, Ecclesiasticæque disciplinæ neglectæ) defectibus volentes, quantum in Nobis erat, salubriter providere,

re, nuper constitutionem fecimus, per quam inter cætera singulis Ecclesiarum Collegiatarum, & Monasteriorum nostrarum civitatis & Diœcesis prædictarum Prælatis utriusque sexus, curam animarum habentibus, per quos in ipsis Ecclesiis & Monasteriis Ecclesiastica disciplina gubernatur, vel ad quos ipsius disciplinæ correctio noscitur pertinere, suas Ecclesias & Monasteria, in quibus Prælati existunt, in aliis locis residendo deserentes, mandavimus, ut intra unius mensis spatium a data hujusmodi nostræ constitutionis seu mandati, tunc emissi, computandum, (a) ad suas Ecclesias & Monasteria, in quibus Prælati existerent, redirent, de cætero personaliter continue residendo in eisdem. Verum ut accepimus, nonnulli prætendentes, hujusmodi constitutionem per Nos revocatam seu suspensam, ipsas Ecclesias & Monasteria in locis aliis residendo deserunt & dimittunt. Propter quod honoribus, statui, disciplinæ, & utilitatibus Ecclesiarum ipsis commissis plerumque detrahitur, eorumque subditi, Ecclesiæ & Monasteria, in spiritualibus & temporalibus multipliciter defraudantur: Nos volentes huic morbo tam detestabili & pernicioso, quantum in Nobis est, debitum adhibere remedium, constitutionem & mandatum prædicta vel facta, ut præmittitur, in hac parte innovantes, omnibus & singulis Ecclesiarum & Monasteriorum Prælatis utriusque sexus, curam animarum habentibus, seu per quos in ipsis Ecclesiis & Monasteriis disciplina Ecclesiastica gubernatur, seu consueverit gubernari, nostrarum civitatis & Diœcesis prædictarum, sub pœnis infra scriptis districte præcipiendo mandamus & injungimus, quatenus intra unius mensis spatium, a tempore publicationis præsentium computandum, ad suas Ecclesias & Monasteria, in quibus Prælati existunt, revertantur, & de cætero personaliter & continue resideant in eisdem, officia, curas & disciplinas, & onera ipsis vigore suarum Prælaturarum incumbentia, Authore Domino feliciter gubernando: alioqui omnes & singulos contra facientes, seu in præmissis, vel aliquo præmissorum negligentes, culpabiles, & rebelles, dicto mense elapso (quem ipsis & eorum cuilibet pro termino peremptorio monitione canonica præfigimus & assignamus) excommunicationis sententiam, quam pro nunc prout extunc, & extunc prout exnunc, ferimus in his scriptis, incurrere volumus ipso facto: alias nihilominus pœnas ipsis & eorum cuilibet, prout eorum contumacia seu protervitas exegerit, inflicturi, absolutionem omnium & singulorum, qui præfatas excommunicationum sententias vel eorum aliquam inciderint, Nobis vel Commissario nostro super hoc deputando, specialiter reservantes. Et ne prædictorum aliquis aliquam possit saltem debitam prætendere ignorantiam in præmissis, volumus præmissa *in proxima nostra instanti Synodo* Coloniæ celebranda publicari. Datum Poppelsdorff Anno Domini 1375. die prima mensis Martii.

Statuta Coloniensia impressa A. 1554.
Lunig. Spicilegii Ecclesiastici Fortsetzung 1. Theil *pag.* 551.

CAP. I. *Ut fructus Beneficiorum vacantium spectantes ad Fabricam, aut pecunia pro Statutis edita, non dividatur inter Canonicos. Et ne Census annui aut usufructuales redditus vendantur sine authoritate Episcopi.*

FRIDERICUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ &c. UNIVERSIS ET SINGULIS TAM SÆCULARIBUS, QUAM REGULARIBUS ECCLESIARUM ET MONASTERIORUM ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, PRÆLATIS, PRIORIBUS, DECANIS, COLLEGIIS, CONVENTIBUS, ECCLESIARUM PAROCHIALIUM RECTORIBUS, CÆTERISQUE BENEFICIATIS, CLERICIS, ET RELIGIOSIS, CUJUSCUNQUE STATUS, ORDINIS, VEL CONDITIONIS EXISTANT, NOSTRARUM CIVITATIS ET DIOECESIS COLONIENSIS, NOBIS SUBDITIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

SUscepti Pastoralis Officii Nos cura solicitat & inducit, ut quibusdam abusionibus detestandis, a sola cupiditate, virtutum noverca, contra jus seu con-

(a) computandi

consuetudines Ecclesiarum & Monasteriorum antiquas, non absque cultus detrimento Divini, in ipsis Ecclesiis & Monasteriis introductis, novis (a) & inventis remediis succurramus. Sane experientia facti didicimus, & comperimus Relatione fide digna, nonnullos Ecclesiarum & Monasteriorum nostrarum civitatis & Diœcesis Coloniensis Prælatos, personas Ecclesiasticas & Ministros, vitio avaritiæ sic intentos, ut fructus primi, secundi, vel alterius cujuscunque sequentis anni Beneficiorum vacantium in eisdem, Ecclesiarum seu Monasteriorum hujusmodi, fabricæ, & usibus aliis de consuetudine, privilegio vel statuto, solitis applicari, nec non ea, quæ per novas seu noviter receptas vel admissas personas in eisdem, ad Ecclesiarum vel Monasteriorum ornamenta consueverunt, & debent de jure erogari & converti, suis student privatim usibus imbursare, licet imminentibus ruinis, vel ædificiis inibi reformandis, imbursata prædicta exponere recusaverint, renuerint, vel non potuerint, inopia eorum exigente. Unde hujusmodi Ecclesias & Monasteria in suis videmus ædificiis & structuris plerumque deficere, sicque in aliquibus vix locus salvus remanet, pro Divinis ibidem officiis celebrandis.

Aliud etiam detestatione dignissimum, eadem Nobis relatio patefecit, Prælatos, Personas, & Ministros, seu Capitula & Conventus in Ecclesiarum & Monasteriorum detrimentum, ac supervenientium Ministrorum fraudem, usurpare consuetudinem, quinimo potius corruptelam, per quam interdum occasione debitorum, vel damnorum etiam levium incumbentium, interdum etiam causa rationabili (prout jura volunt) nulla subsistente, certos de fructibus & redditibus Ecclesiarum, & Monasteriorum, & Beneficiorum vendunt, & distrahunt redditus & pensiones, sive census annuos, aliquando perpetuos, aliquando usufructuales, seu ad vitam, Superioris authoritate vel licentia minime requisita. Unde tamen illud sequetur (prout in aliquibus sequi vidimus) inconveniens, quod temporalibus, sine quibus spiritualia non diu possunt subsistere, ab Ecclesiis & Monasteriis improvide sic distractis, Beneficiati ob hoc in Ecclesiis & Monasteriis residere, & eorum onera supportare commode non valentes, Divino plerumque neglecto officio, contra Clericalis status decentiam, negotiis urgentur sæcularibus immisceri. Nos igitur volentes, quantum in Nobis est, hujusmodi abusionum morbis, ne nimis invalescant, debiti appositione remedii subvenire, vobis universis & singulis sub pœnis infra scriptis, districte præcipiendo mandamus, quatenus fructus primi, secundi, vel alterius cujuscunque anni sequentis, Beneficiorum vacantium quorumcunque, ab antiquo Ecclesiarum & Monasteriorum fabricæ solitis applicari, nec non ea, quæ per novas seu noviter receptas personas vel admissas, ut prædicitur, Ecclesiis & Monasteriis erogantur, & hactenus erogari & solvi quovis modo seu colore quæsito consueverunt, non vobis, seu alicui vestrum imbursetis, nec ad alios privatos vestros usus quomodolibet applicetis, sed ipsarum Ecclesiarum & Monasteriorum fabricis & ornamentis, in & ad usus eorundem exponendis, prout ex antiquo introductum extitit, jure permittente, fideliter conservetis. Item, quia in hujusmodi redditaum, pensionum, sive censuum perpetuorum, vel ad vitam, venditionibus supradictis causas rationabiles plerumque cessare, immo (ut præfertur) eas vergere reperimus in abusum; statuendo prohibemus, ne Capitula, Conventus, vel personæ Ecclesiarum vel Monasteriorum Civitatis & Diœcesis Coloniensis, in aliquo de & super Ecclesiis & Monasteriis ipsis, seu Ecclesiarum & Monasteriorum prædictorum fructibus, redditibus, sive bonis, pecunia etiam inde recepta, redditus, pensiones, sive census annuos perpetuos, sive usufructuales, divendant, nisi Nostra vel Commissarii nostri super hoc authoritas & licentia sit obtenta. Alioqui in omnes & singulos contrarium facientes, vel fieri procurantes, quindecim dierum monitione præmissa, si singulares personæ fuerint, suspensionis: in Ecclesiam vero vel Monasterium, in qua vel per cujus personas contraventum fuerit, interdicti sententias ferimus in his scriptis. Non obstantibus consuetudinibus, indulgentiis, vel statutis nostris, Prædecessorum nostrorum confirmatione valla-

(a) etiam

vallatis, contrariis quibuscunque: quas & quæ (ut prædicitur) vergere novimus in abusum, per præsentes viribus vacuamus. Datum *Bonnæ*, Nostro sub sigillo præsentibus appenso. Anno Domini 1375. mensis Martii, die undecima.

Ex typo Coloniensium Statutorum A. 1554. *Descripsit Lunig Spicilegii Ecclesiastici* Fortsetzung 1. Theils *pag.* 552.

CAP. II. *De impedientibus Jurisdictionem. De violatoribus Immunitatum. Et de excommunicatis per annum & amplius, non tumulandis.*

FRIDERICUS, &c. UNIVERSIS ET SINGULIS CHRISTIANITATUM DECANIS, ET ECCLESIARUM PAROCHIALIUM RECTORIBUS, SEU EORUM VICES GERENTIBUS, PER CIVITATEM ET DIOECESIN COLONIENSEM NOSTRAS CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO.

QUanquam sacris Canonibus, & nonnullorum Prædecessorum nostrorum ordinationibus, certarum additione pœnarum sit constitutum, ne quis literarum Apostolicarum impetratores, vel alios ad judices & forum Ecclesiasticum recurrentes super causis, quæstionibus, seu negotiis, quæ ad idem forum de jure, vel antiqua consuetudine pertinere noscuntur, quominus coram Judicibus Ecclesiasticis ordinariis, vel delegatis, & per eosdem vel literas Apostolicas de causis, quæ ad cognitionem pertinent eorundem, justitiam consequantur, impediat, vel super illis ad judicium sæculare recurrere, vel in foro sæculari litigare, seu alias a lite, causa, seu questione desistere per se vel alium compellat, seu compelli faciat vel procuret modis & coloribus quibuscunque; tamen plurium fide dignorum relatio frequens & assidua, nostrum pertulit ad auditum, nonnullos intra nostrarum civitatis & Diœcesis Coloniensis, seu nostræ jurisdictionis spiritualis limites consistentes, etiam castrorum, oppidorum, territoriorum seu districtuum, villarum & locorum nostræ temporali jurisdictioni subditorum, Officiarios, Sculteтos, Consules, Scabinos, Advocatos, Judices, Juratos, Commissarios, Inhabitatores, Incolas, nuncios, & præcones, jurisdictioni temporali præsidentes, seu eam quomodolibet exercentes, tanquam jurisdictionis, libertatis, privilegii, & honoris Ecclesiastici æmulos, in tanti erroris devenisse malitiam, quod literas Apostolicas & ordinarias, etiam super litibus, causis, questionibus & negociis ad forum, cognitionem & Judices Ecclesiasticos, *de jure aut antiqua consuetudine* pertinentibus, impetrari, & impetratas exequi, & eis uti prohibent, vetant & impediunt: ipsarumque impetratores, executores, nuncios seu latores, seu alias ad forum, Judices vel Judicium Ecclesiasticos, de & super causis prædictis quomodolibet recurrentes, ad judicium sæculare transire, seu a litibus, causis, questionibus, & negotiis prædictis desistere, ac ipsis literis prædictis (quas, quod deterius est, quandoque partibus auferunt, & laniant, seu auferri & laniari mandant) renunciare, præceptis, pœnis, comminationibus & mandatis variis & diversis compellunt & inducunt, ac alias faciunt & procurant, dando ad hoc consilium, auxilium, vel favorem, quominus Sedis Apostolicæ atque nostri Judices Ecclesiastici querulantibus ministrare, ipsique querulantes libere possint coram eis justitiam obtinere, in Sedis Apostolicæ & nostræ ordinariæ jurisdictionis Ecclesiasticæ vilipendium & contemptum. Unde & ex debito nostri Pastoralis officii incitati, huic errori, totque nefandis ausibus, quos dissimulare diutius non valemus, congruis volentes remediis obviare, *Sacrorum Canonum & Prædecessorum nostrorum Statutis*, universos & singulos supradictos hortamur in Domino & requirimus, & monemus, ipsis & eorum cuilibet sub pœnis infrascriptis inhibentes & injungentes, ut de cætero a prohibitione, compulsione, comminatione, & impedimentis & mandatis prædictis abstineant, nec quisquam cujuscunque gradus, status, vel conditionis extiterit, Apostolicam aut nostram jurisdictionem Ordinariam Ecclesiasticam, in literarum & mandatorum quorumcunque impetrationibus, executionibus, cognitionibus, decisionibus & modis aliis, quibus ipsa jurisdictio

ctio exercetur, per se vel per alium prohibeant, impediant, usurpent, vel retardent, seu prohiberi, impediri, usurpari, vel retardari faciant, vel procurent quovis modo, dando ad hoc auxilium, consilium, vel favorem. Si quis vero prædictorum, cujuscunque etiam status aut conditionis extiterit, contra præmissa venire, vel quicquam attentare præsumpserit, excommunicationis sententiam authoritate Canonis, & etiam nostra (quam quindecim dierum monitione Canonica præmissa, exnunc prout extunc ferimus in his scriptis) se noverit incurrisse ipso facto: a qua, nisi tam judici (cujus cognitio vel jurisdictio impedita vel usurpata fuerit) quam parti in prosecutione sui juris turbatæ, de injuriis, damnis, expensis & interesse, per eum vel eos integre fuerit satisfactum, nullatenus absolvatur. Et nihilominus, etiamsi in mortis articulo fuerint absoluti, nisi debita & plenaria his, quibus ea (ut præmittitur) facienda fuerit, satisfactio præstita extiterit, Ecclesiastica carere volumus sepultura: mandantes insuper vobis Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, ac vices vestras gerentibus universis, sub excommunicationis pœna, quam in vos & quemlibet vestrum, quindecim dierum monitione Canonica præmissa, ferimus in his scriptis, si non feceritis, quod mandamus, quatenus in Ecclesiis vestris, ut ad (a) omnem possint devenire notitiam, nec quisquam ignorantiam prætendere valeat de eisdem, fideliter publicetis: ac omnes & singulos, si quos sciveritis in specie: reliquos vero in genere, quos jurisdictionem Ecclesiasticam (ut prædicitur) impedivisse vel perturbasse constiterit, singulis diebus Dominicis & Festivis, in Ecclesiis vestris, dum major ibidem fuerit populi multitudo, excommunicatos publice nuncietis.

Item, quia plerique (ut accepimus) Ecclesiarum, Cœmiteriorum, Immunitatum, & Dotum violatores, ipsarumque & personarum, rerum, & bonorum Ecclesiasticorum invasores, incendiarii, & raptores, nec non illi, qui per annum & amplius excommunicationis sententia innodati, ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ, pro absolutionis beneficio impetrando, redire negligunt, & contemnere diversas per Prædecessores nostros Archi-Episcopos Colonienses contra tales emissas sententias & mandata, instigante diabolo, non verentur: & quasi in malitiis obstinati, data ad hoc opera, Divina student officia multoties perturbare: unde volentes, ut ipsorum crescente contumacia, etiam crescere debeat & pœna, statuimus, ut omnes & singuli malefactores & rebelles hujusmodi, Ecclesiarum, Cœmiteriorum, Immunitatum & Dotum violatores, nec non ipsarum personarum, rerum, & bonorum Ecclesiasticorum invasores, incendiarii, & raptores, ac illi, qui per annum & amplius excommunicati, ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ, pro absolutionis obtinendo beneficio contumaciter redire negligunt vel contemnunt, Ecclesiastica (etiamsi in mortis articulo fuerint absoluti) careant sepultura: nec in Ecclesiis, cœmiteriis, vel aliis locis sacris per aliquem possint sepeliri, nisi prius a Nobis, vel Officiali nostro super hoc licentia sit obtenta: cæteris Nostris & Prædecessorum nostrorum ordinationibus & statutis, circa præmissa, quibus in nullo derogare volumus, in suo robore firmiter duraturis. Datum *Bonnæ* nostro sub sigillo, anno Domini 1375. mensis Martii, die undecima.

Ex impressis Statutis Coloniæ A. 1554.
Descripsit Lunig Spicilegii Ecclesiastici Fortsetzung 1. Theils *pag.* 558.

(a) ut ad omnium

CAP. III. *Contra Usurarios, Lombardos, ac* Handgelt *capientes.*

FRIDERICUS, DEI GRATIA, &c. UNIVERSIS ET SINGULIS CHRISTIANITATUM DECANIS, ET ECCLESIARUM PAROCHIALIUM RECTORIBUS, SEU EORUM VICES GERENTIBUS, PER CIVITATEM ET DIŒCESIN NOSTRAS COLONIENSEM CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO.

QUamvis usurarum voraginem, quæ animas devorat, & degentium facultatem exhaurit, utriusque tam veteris, quam novi testamenti pagina detestetur, sitque

ſitque jure communi, ac cæteris (a) noſtrorum Prædeceſſorum Archi-Epiſcoporum *Provincialibus & Synodalibus Ordinationibus & Statutis* ſalubriter editis, & dudum etiam publicatis prohibitum manifeſte, ne quis Chriſti fidelium Nobis, aut noſtræ jurisdictioni ſpirituali ſubjectorum, deteſtandis uſurarum lucris ſtudeat inhiare; hujuſmodi tamen uſurarum modus ita invaluit, & in communem uſum, immo verius abuſum & errorem, prodiit & proceſſit, ut nonnulli utriusque ſexus homines, cupiditatis & ambitionis deteſtandæ vitiis excæcati, aliis negotiis prætermiſſis, ſibi quaſi licere, pecunias ſuas ſub uſuris exponere, & ipſas exercere nituntur, & quotidie exercent in animarum ſuarum periculum, populi ſcandalum, & Fidei Catholicæ confuſionem & contemptum. Et quia fama publica & experientia facti didicimus, hujuſmodi uſurarum morbum peſtiferum in noſtris civitate & Diœceſi Colonienſi, etiam ad ſubditorum noſtrorum., tam religioſorum, quam ſæcularium, depauperationem permaximam, per quoſdam uſurarios manifeſtos, qui vulgariter *Lombardi* appellantur, menſas paratas ad pecuniam pro uſuris cuilibet mutuandam publice tenentes, ac alios utriuſque ſexus homines per emptionem & alios contractus illicitos, & vulgariter Hantgelt appellatos, exercentes ſeu recipientes, plurimum frequentari: Nos igitur ex ſuſcepti cura regiminis, ſubditorum noſtrorum providere ſaluti, & de agro Nobis commiſſo, hujuſmodi abuſionum & errorum tribulos, ne nimis invaleſcant, & ex tempore licere credatur, quod eſt jure prohibitum, extirpare funditus cupientes, præfatorum Prædeceſſorum noſtrorum Archi-Epiſcoporum Colonienſium ſtatuta, contra eoſdem uſurarios edita, ut prædicitur, innovantes, vobis univerſis & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus, & eorum vices gerentibus ſupradictis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna (quam in vos & quemlibet veſtrum quindecim dierum monitione Canonica præmiſſa, ferimus in his ſcriptis, ſi non feceritis, quod mandamus) diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus dictos uſurarios omnes & ſingulos, quorum nomina ſciveritis in ſpecie, aut quos lator præſentium vobis duxerit nominandos, reliquos vero in genere moneatis, ut infra ſeptem dies, poſt veſtram monitionem immediate ſequentes, ab uſuris & contractibus (b) ceſſent penitus & deſiſtant, Deoque, Nobis, & Eccleſiæ de præmiſſis exceſſibus ſatisfaciant cum effectu. Alioqui ipſos omnes & ſingulos, quos Nos ex tunc, propter hoc in his ſcriptis excommunicamus, ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis, dum Miſſarum ſolennia peraguntur, authoritate ſtatutorum per bonæ memoriæ Dominos SIFRIDUM & WILHELMUM noſtros Prædeceſſores editorum, campanis pulſatis, candelis accenſis & extinctis, ac in terram projectis, nec non pedibus conculcatis excommunicatos publice nuntietis, nec ad communionem Altaris ipſos, aut aliquem eorum admittatis, aut oblationes eorum recipiatis: nec ipſos, ſi in hoc peccato deceſſerint, ſepeliatis, donec DEO (c) & Eccleſiæ ſatisfaciant de præmiſſis, aliudque a Nobis receperitis in mandatis. Moneatis inſuper omnes & ſingulos utriuſque ſexus homines, eoſdem uſurarios manifeſtos & alios ſupradictos ſcientes, cognoſcentes & occultantes, vel qui ipſis in aliquibus pecuniarum ſummis vel rebus aliis tenentur, aut ſunt obligati, ut intra dictæ monitionis terminum, eoſdem uſurarios Nobis prodant, indicent & revelent, nec dictis uſurariis eorumque conſortibus & familiaribus, de hujuſmodi debitis, ipſis aut aliquibus eorum ſatisfaciant, aut bona ſeu res, ad ipſos ſpectantes & pertinentes, ſi qua, aut ſi quas penes ſe habent & tenent, ipſis reddant vel reſtituant: ſed (d) ipſas aut ipſa, penes ſe in ſequeſtro & arreſto, nomine noſtro retineant & obſervent, quouſque de hujuſmodi exceſſibus publicis & manifeſtis, Deo, Nobis, & Eccleſiæ emendam præſtiterint ſatisfacientem & condignam. Alioqui ipſos omnes & ſingulos contrarium facientes, quos Nos extunc, propter hoc in his ſcriptis excommunicamus, excommunicatos in Eccleſiis veſtris una cum dictis *Lombardis* manifeſtis, eorumque conſortibus & familia-

(a) certis (b) illicitis Hantgelt ceſſent (c) Nobis & Eccleſiæ
(d) *forte*: ſeu

miliaribus, publice intra Miſſarum ſolennia nuntietis, intimantes eiſdem & aliis quibuſcunque, quorum intereſt, aut intereſſe poterit, quod Nos ad executionem dictæ excommunicationis pœnæ, ac etiam interdicti Eccleſiaſtici poſitionem, & alias, prout (*e*) in quantum gravius poterimus, & juris ordo exegerit, procedemus.

Inſuper vigore ſtatuti quondam Domini SIFRIDI prædicti, omnibus & ſingulis Juriſperitis, Advocatis, & aliis quibuſcunque, tenore præſentium inhibemus, ne quis dictis uſurariis, eorumque conſortibus, & familiaribus, in executionibus hujuſmodi noſtri mandati, nominandis, in hujuſmodi cauſis & negotiis, aut eorum appendiciis, patrocinium aut conſilium aliquod præſtet publice vel occulte, niſi antea coram Nobis juramentum præſtet, quod quam cito ſciverit vel ſcire poterit cauſam eſſe uſurariam, cauſam ipſam non fovebit ulterius, nec patrocinium, nec conſilium aliquod clam vel aperte impertiatur uſurario vel uſurariis ſupradictis. Alioqui ipſos juriſperitos, Advocatos, & alios etiam quoslibet contrarium facientes, trium dierum monitione Canonica præmiſſa, excommunicamus in his ſcriptis, quos etiam excommunicatos volumus publice nuntiari. Et quid in præmiſſis feceritis, Nobis literis veſtris præſentibus transfigendis liquide reſcribatis. Datum Bonnæ Anno Domini MCCCLXXV. menſis Martii die 12.

Ex impreſſis Statutis Coloniæ A. 1554. *Deſcripſit Lunig Spicilegii Eccleſiaſtici* Fortſetzung 1. Theils *pag.* 554.

(*e*) prout &

CONCILIUM AUGUSTANUM

ANNO CHRISTI MCCCLXXVII.

SUB BURCARDO, AUGUSTANO EPISCOPO.

BURCARDUS anno 1377. Auguſtæ Synodum celebravit.

Corbiniani Khamm Hierarchia Auguſtana pag. 270.

Burchardus ab Ellerbach, electus a Collegio ſummæ eccleſiæ Epiſcopus, ordine XLIX. rexit Eccleſiam annis 31. Obiit anno 1404. 9. Martii.

BRANDENBURGENSIS SYNODUS

ANNO CHRISTI MCCCLXXX. VII. MARTII.

SUB THEODORICO DE SCHULENBURG EPISC.

Statuta in hac Synodo edita fuerunt XXVIII. quorum Epitomen *in Potsdamii quinta eſſentia N.* 37. legere poteris; in *Bibliotheca Brandenburgica D. Küſters* eadem extant *pag. III.*

Theodoricus von der Schulenburg, Epiſcopus Brandenburgenſis, ab A. 1351. Ordine XXXVI. Obiit anno 1393. VI. Kal. Maji.



CON-

CONCILIUM OLOMUCENSE

Anno Chriſti MCCCLXXX. Urbani VI. Papæ III. Wenceslai Reg. II. Feria II. poſt feſt. Ss. Trinitatis.

Epiſtola Synodica ſcripta e Synodo Diœceſana, confirmatoria Statuti editi a JOANNE Prædeceſſore in Eccleſia Olomucenſi.

JOANNES, (a) DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS OLOMUCENSIS, HONORABILIBUS ET DISCRETIS VIRIS, PRÆPOSITIS, DECANIS, ARCHI-DIACONIS, PRESBYTERIS, ECCLESIARUM RECTORIBUS, ALTARISTIS ET VICARIIS PER ECCLESIAM, CIVITATEM ET DIOECESIM NOSTRAS CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO, QUI EST OMNIUM VERA SALUS.

HOnorabiles, devoti, dilecti &c. Acceſſimus (b) voce veridica, & experientia didicimus cottidiana, quod ſtatutum felicis memoriæ Domini JOANNIS *Olomucenſis Epiſcopi*, noſtri Prædeceſſoris, quod incipit: *Licet Canon Provincialis ſtatuti* &c. Qui (c) defenſionem Eccleſiaſticæ libertatis adverſus captivatores Clericorum, & ſpoliatores bonorum Eccleſiaſticorum, cum magna maturitate factum, & multis retroactis temporibus tentum & ſervatum: modo (quod cum cordis amaritudine referimus) non ſervatur, nec debite exequitur ſecundum ſui monitum & tenorem; pro eo vobis omnibus & ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis pœna, quam vos, & quilibet veſtrum incurrere volumus, ſi in præmiſſis fueritis negligentes, trium tamen dierum monitione prævia, diſtricte præſentibus injungimus & mandamus: quatinus ipſum ſtatutum ſic alias inviolabiliter obſervatum, quotiens, & quando perſonam Eccleſiaſticam captivari, & bona Eccleſiarum invadi contigerit, non exſpectato Superiorum mandato, ſecundum continentiam ſtatuti antedicti rigide ſervetis & obſervari faciatis, ceſſando a ſolemniis (d) Divinorum, donec menti & verbis ejuſdem ſtatuti ſatisfactum fuerit cum effectu, nullam negligentiam in præmiſſis commiſſuri, ſi de obedientia potius commendari volueritis, quam de inobedientia reprehendi.

Datum *Chremſir*, *in Synodo* per Nos celebrata Anno Domin. MCCCLXXX: Feria II. poſt Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis.

Sumptum ex codice MS. Bibliothecæ Metropolitanæ Moguntinæ, diligenter collatum cum ſuo genuino textu in Archivo Archi-Epiſcopali Pragenſi, ſub fide mea jurata aſſervato, per omnia concordare teſtor. Pragæ die 7. *Octobris A.* 1752.

Wenceslaus Procopius Duchowsky mpp.
(L.S.) *Regiæ Capellæ OO. SS. in caſtro Pragenſi Beneficiatus, Notarius Apoſtolicus, & Curiæ Archi-Epiſcopalis Archivarius juratus.*

CON-

(a) Joannes de novo foro, Epiſcopus Lithomiſslenſis, ac Caroli IV. Auguſti Cancellarius, ad Eccleſiam Olomucenſem poſtulatus Epiſcopus XXV. ipſius curam non invitus ſuſcepit. Hic Monaſterium Eremitarum S. Auguſtini in Lithomiſsl a fundamentis erexit, ac liberaliter dotavit; Eccleſiam Olomucenſem, per familiares JODOCI Marchionis ignis conſumptam injuria, reſtituit. Moritur anno Chriſti MCCCLXXX, in Lithomiſsl humatus in Monaſterio a ſe fundato.

Catalogus Epiſcoporum Olomucenſium poſt hiſtoriam Bohemiæ Dubravii Epiſcopi Olomucenſis, anno 1575. *Baſileæ impreſſam.*

(b) Accepimus (c) in, *pro*: qui (d) ſolempniis

CONCILIUM SALISBURGENSE

Anno Chrifti MCCCLXXX. Urbani VI. Papæ III. Wenceslai Regis II.

PILIGRINUS II. Archi-Epifcopus Salisburgenfis XXXV. anno 1380. circa Feftum S. Jacobi celebravit Concilium Provinciale, vocatis & præfentibus fuis Suffraganeis, & aliis pro tunc vocandis.

Ex Chronico Salisburgenfi tantum indicat Hanfizius Tomo II. Germaniæ Sacræ pag. 460.

CONCILIUM PRAGENSE

Anno Chrifti MCCCLXXXI. Urbani VI. Papæ IV. Wenceslai Regis III.

Statuta JOHANNIS, Archi-Epifcopi Pragenfis, Legati Apoftolici, in CONCILIO PROVINCIALI edita.

JOHANNES, DEI GRATIA, SANCTÆ PRAGENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, UNIVERSIS PRÆLATIS, CAPITULIS, ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, ET CONVENTIBUS QUORUMCUNQUE ORDINUM, PLEBANIS, ECCLESIARUM RECTORIBUS, ET CÆTERIS CHRISTI-FIDELIBUS TAM RELIGIOSIS, QUAM SÆCULARIBUS PER RATISPONENSEM, BAMBERGENSEM, ET MISNENSEM, DIOECESES, LEGATIONIS JURE, NOBIS SUBDITAS, CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM, ET INFRASCRIPTORUM SALUBRIUM MANDATORUM AC JUGI STUDIO ET EXACTA DILIGENTIA FREQUENTIAM SALUTAREM.

GLoriofus Deus, & in fuis donis femper magnificus, qui fua largiflua bonitate cæleftia & terreftria difponens, per fuorum incrementa donorum fanctam Pragenfem Ecclefiam, cujus regimini ipfo donante, quamvis immeriti, præfidemus, per fingulos gradus prænunciat, dum ipfam per interceffores & merita beatiffimorum Patronorum Boëmiæ de virtute ambulat in virtutem, & de nobili prærogativa Archiepifcopalis Ecclefiafticæ Prælaturæ jam dudum fub felicis recordationis Domino *Urbano* PP. V. gradum confcendit altioris præeminentiis dignitatis. Sane olim recolendæ memoriæ *Arneftus*, primus Archiepifcopus Pragenfis, Prædeceffor nofter, in fua provincia extirpatis vitiis, volens plantare virtutes quædam *Statuta Provincialia* ad modum & inftar decretalium per articulos edidit, & rubricatas, in quibus reformatione morum in fubditis de honeftate Clericorum & vita ac ftatu ipforum, ac etiam de judiciis & contractibus fuccincte, juridice & pulcherrime funt ftatuta, & nedum fimplices & Juris Canonici & civilis

vilis notitiam non habentes, verum etiam provecti possent in statutis hujusmodi absque alia revolutione librorum multa tanquam in ortulo colligere salutifera documenta. Nos itaque in partem sollicitudinis, superna dispositione vocati, ex injuncto Pastoralis Officii fructum in Domo Domini facere cupientes, attendentes præsertim, quod ratione legationis in omnes Ecclesiarum sæcularium & Regularium Rectores, Clericos, & Prælatos, sine personarum & Ordinum differentia & delectu, utpote Apostolicæ Sedis Vicariatus jurisdictione, paucorum & brevium statutorum, ac cum libello, qui de tribus punctis Christianæ Religionis communiter appellatur (observantiam) ad prædictas Ratisponensem, Bambergensem, & Misnensem Diœceses præsentibus duximus extendendam, volentes & in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandantes, ut Domini Episcopi dictarum Diœcesium & Abbates copiam eorundem infra duorum mensium spatium, & infra alios sequentes tres menses omnes & singuli alii Prælati, Decani Collegiatarum, seu Priores principales Conventualium & Regularium Ecclesiarum & Monasteriorum de Cancellaria nostra recipiant, & habere cum effectu procurent, alioquin contra eos ad pœnas Canonicas, Deo Nobis propitio, procedemus. Volentes nihilominus ut in habendo, legendo, & reverendo statuta prædicta modus talis per omnia teneatur, sicut in prohemio præfati Prædecessoris nostri clarius continetur, præfatique Domini Episcopi Archidiaconos rurales suarum Diœcesium, qui forte propter viarum pericula ad hoc sanctum Concilium vocati, non sunt adhibendi, memorata statuta in omnibus suis punctis & articulis infrascriptis juxta ipsorum arbitrium observantiam cogere studeant. Nos enim intendimus ea, quæ præmisimus, auctore Domino ad executionem debitam perducere & debito effectui mancipare. Prohemium ergo statutorum de quibus supra fit mentio, sequitur & est tale: *In Nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti amen. Arnestus Dei & Apostolicæ Sedis gratia &c. Rex magnificus, qui facit mirabilia solus &c.*

I. Licet sub rubrica *de Festivitatibus celebrandis* inter alia statutum esse noscatur, quod festum gloriosissimi Ducis & Martyris Wenceslai debeat celebrari, prout nedum in Pragensi, Olomucensi, & Luthomirensi Diœcesibus, verum etiam in Regno Daciæ miraculose, ut pia fidelium tenet credulitas, a Christi fidelibus celebratur, quia tamen pœna non est in non celebrantes specialis expressa, possent fortasse Clerus & populus Ratisponensis, Bambergensis, & Misnensis Diœcesium in celebratione hujusmodi esse desides & remissi: idcirco, hoc sacro Provinciali & legationis nostræ Concilio approbante, statuimus & ordinamus, ut dies Passionis tantum sanctissimi Martyris supradicti, qui suo glorioso triumpho Martirii hanc Patriam & alias regiones vicinas multis honoribus sublevat & extollit; qui quidem dies in vigilia diei Angelorum, quæ Festum S. Michaelis dicitur, observari consuevit ab omnibus Christi fidelibus dictarum Diœcesium, annis singulis perpetuis temporibus sub officio duplici & cum omnimoda abstinentia a ferialibus operibus solemniter celebretur, & ejus officium, nocturnum atque diurnum cum historia sub nota in Cancellaria nostra recipiatur cum effectu; & quia plus timeri solet quod specialiter præcipitur, quam quod generaliter imperatur, omnibus Prælatis, Plebanis, & Curatis, ac aliis Plebium curam gerentibus, quibus datum est proponere Verbum Dei, in virtute sanctæ obedienriæ præcipimus & mandamus, quatenus singulis annis aliquo die Dominico vel Festivo, diem S. Wenceslai prædicti per sex vel plures dies præcedentibus, hoc ipsum per se, vel alium, vel alios plebibus suis insinuent & injungant;

II. Item ad Rubricam de *Hæreticis & Schismaticis*, duximus adjungendum: dolenter enim referimus quod in Diœcesibus supradictis, prout certa relatione percepimus, insunt hæreses multum pestiferæ, & signanter secta Sarraboytarum & illorum rusticorum Waldensium damnatorum, & quia Domini Episcopi, ad quos directe pertinet suas Diœceses purgare malis hominibus, in hujusmodi negotio sanctæ fidei sunt negligentes plurimum atque tardi, parcentes fortassis expensis, & inquisitionem hæreticæ pravitatis non habentes; Nos de Fratrum nostrorum consilio hoc sacro approbante Concilio duximus

mus ſtatuendum, ut prædicti Domini Epiſcopi contra tales peſtiferos per ſe, vel Inquiſitores inſtituendos ab eis diligenter invigilent & attendant, ad quod ipſos per viſcera Miſericordiæ Dei & per ſponſionem Sanguinis Jeſu Chriſti præſentibus excitamus & invitamus; & nihilominus ipſos in virtute juramenti, quod in ſacra Epiſcopali ſolemnitate præſtiterunt, commonemus, & ad cor reducimus: ut ſi in dicto ſancto negotio reſiſtentiam aliquam, quod abſit, fortaſſis habuerint; ad Nos confidentes refugiant, ut Nos, videlicet per auxilium & brachium Magnifici, Sereniſſimi, & invictiſſimi Principis Domini Wenceslai Romanorum & Bohemiæ Regis inclyti, Divina in omnibus gratia præcedente, oportuna remedia adhibere in Domino valeamus: alioquin ipſorum Dominorum Epiſcoporum negligentiam, Deo Nobis auctore, ſupplebimus, & inquiſitionem in dictis Diœceſibus per Nos ipſos curabimus deputare.

III. Item Manifeſtum eſt, proh dolor! & experientia publica notorium habetur ubique, quod nonnulli fautores *Roberti Antipapæ Gebennenſis*, quidam latenter, alii publice prædicant & etiam dogmatizant, Sanctiſſimo Domino noſtro Urbano Papæ VI., quem conſtat eſſe Succeſſorem Beati Petri & Vicarium Jeſu Chriſti, mordaciter detrahentes, quorum Gebennenſis, & ſui ſequaces iniqui, litteras & Epiſtolas ambitione pleniſſimas præferunt, portant & ſpargunt: Nos cum præfato Domino noſtro, ut membra capiti, & ut Filius Patri, realiter compati cupientes, ſtatuimus & amodo mandamus, ut omnes Epiſcopi legationis jure Nobis ſubjecti, dictos ſchiſmaticos & fautores, literarum portatores, & dantes eis conſilium, auxilium, vel favorem, quos ſcienter, vel de hoc infamatos eſſe repererint, capiant & captivari procurent: ipſorumque captivationem infra XIV. dies Nobis vel noſtris in Spiritualibus Vicariis ſtudeant intimare, & in præmiſſis taliter ſe habeant, ut a Deo mercedem perpetuam & a Domino noſtro Summo Pontifice, ac Nobis ejus Vicario, gratam viciſſitudinem valeant obtinere. Abbates vero, Præpoſiti, & Decani, & alii Eccleſiarum Prælati, ſi quos tales cognoverint, ipſos ſuis Epiſcopis infra VIII. dies poſtquam ſciverint, denuntiare ſtudeant, & eorum nomina, conditiones, & loca, verbo vel ſcripto deſignare.

IV. Præterea intelleximus, & nimis graviter portamus, quod in aliquibus Diœceſibus conſuetudo talis prorepſit, quod locorum Ordinarii, ad quos Beneficiorum erectio pertinet de conſuetudine, vel de jure, Beneficia ipſa, quæ de novo fundarunt, de cenſibus illicitis, uſurariis, & uſuras omnino ſapientibus erigunt atque creant: Nam ut præfertur, pecunias ſuper certis poſſeſſionibus vel penſionibus mutuant fundatores ſub conditionibus reemendi. De quibus penſionibus taliter & omnino inceſtis & pravis Beneficia petunt erigi & creari. Nos huic malo, & pernicioſo obviare volentes exemplo, attendentes præſertim, quod hujuſmodi erectiones de talibus redditibus vergunt in interitum animarum, & propter viciſſitudinem eorundem nulla ſunt ſtabilitate ſubnixa; ſtatuimus, ut nullus Chriſti Fidelium de talibus redditibus Beneficia fundare valeat vel dotare; ordinariis etiam in virtute ſanctæ obedientiæ & præſtiti juramenti diſtricte præcipiendo mandamus, ut nullus eorum talia Beneficia præſumat facere erigi vel creare, ſed fundatores ipſorum ab hujuſmodi facto ſub obteſtatione Divini Judicii ſtudeant divertere. Nos enim, ſi ſecus factum fuerit, decernimus irritum & inane, volentes, ut prædicti redditus taliter deputati illis, quorum quo ad... exiſtunt, dominium, fructibus computatis in ſortem reddant, & ſine difficultate qualibet aſſignentur.

V. Item fertur & experientia probatur, quod in dictis Diœceſibus Monachi quorumcumque ordinum paſſim & indifferenter ad Parochiales Eccleſias præſentantur, & per Ordinarios inſtituuntur in eis, propter quod magna pericula occurrunt animarum, & juribus Epiſcopalibus & Archidiaconalibus plurimum derogatur. Cum ergo illud ſit juri communi contrarium, & ab omnibus moribus alienum; ſtatuimus, ut nullus Epiſcopus, vel alius, ad quem inſtitutio vel deſtitutio noſtra pertinet, quempiam Religioſum ad Eccleſiam Parochialem, per ſæcularem Clericum regi ſolitam, confirmare, vel inſtituere præſumat, niſi fortaſſis eſſet Canonicus Regularis, aut Sancti Benedicti Ordinis, cum quo poſſet Epiſcopus diſpen-

penſare, vel ſi Parochia ipſa per Religioſum tanto tempore gubernata fuiſſet, de cujus contrario memoria hominum nullatenus haberetur.

VI. Item fama referente dicimus quod Monachi & Religioſi, qui velle aut nolle non habent, aut propter profeſſionem omnino abdicaverunt grangias, curias, & poſſeſſiones temporales, ſeu caſtra amicorum, nec etiam aliorum gubernatione reguntur, ſe temporalibus & ſæcularibus immiſcent negotiis in ſcandalum plurimorum. Nos huic periculoſo morbo celeriter occurrere cupientes omnes Epiſcopos, Abbates, & alios ipſorum Prælatos obſecramus in Domino, ipſis nihilominus in remiſſionem peccatorum injungimus, & in virtute obedientiæ præcipimus & mandamus, ipſorum officium excitantes, ut tales Monachos infra duorum menſium ſpatium a notitia præſentium ad Monaſterium ſtudeant revocare, & pro exceſſu præterito pœnitentiam injungere ſalutarem.

VII. Item. Sub titulo *de Officio Ordinarii* talia adjicimus: præſenti cum ſuſpirio & amaritudine cordis dolenter referimus, quod Parochialium Eccleſiarum Rectores, qui Diœceſis Paſtores communi vocabulo nuncupantur, & eorum Superiores, quibus viſitationis, correctionis, & prædicatiodis officium competit de conſuetudine, vel de more; in tantum ſunt de neglectu culpabiles, quod fortaſſis, ut veriſimiliter formidamus, de ipſorum manibus ſubditorum ſanguis & animæ requirentur. Nam pro vero dicimus, & hoc ipſum quoque experientia ſenſuali comperimus, quod eorum ſubditi uſuras, divinationes, ſortilegia, interpretationes & alia ſuperſtitioſa pariter & nefanda impune & libere exercere præſumunt: Clerici etiam in ſacris conſtituti, & Eccleſiarum Parochialium regimini præſidentes concubinas publice tenent in domibus, & alias in tonſura & in habitu taliter inhoneſte ſe gerunt, quo fiant in ſcandalum plurimorum. Nos talibus animarum periculis, quantum eſt Nobis ex alto conceſſum, obviare volentes, ſtatuimus, & Apoſtolica & Provinciali auctoritate mandamus, quatenus hi, qui de jure vel de conſuetudine viſitare tenentur ſuos ſubditos, infra tres menſes a data præſentium incipiant viſitare, viſitationem ipſam ea correctione & reformatione ſalubri ſtudeant ſine intermiſſione qualibet conſummare. Provideant inſuper, ut populus laicalis oratione Dominica & Symbolo ſit ſufficienter inſtructus, & quod Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrentur. Præſertim contra uſurarios per denuntiationes ac cenſuras Ecaleſiaſticas viriliter & intrepide procedere non obmittant, alioquin ſi præfati, quibus competit viſitatio, per ſe vel alios non inceperint, ut præmittitur, viſitare, ipſos & eorum quemlibet dicto tempore elapſo, quod eis pro monitione Canonica duximus ſtatuendum. . . . .

Ut autem nullus ignorantiam præmiſſorum poſſit prætendere quovis modo, volumus & mandamus, ut omnes Epiſcopi, Abbates, Præpoſiti, Decani, & alii Prælati Diœceſium prædictarum copiam cartæ præſentis infra tres dies in Cancellaria noſtra recipiant cum effectu.

Datum *Pragæ*, Anno Domini MCCCLXXXI. die penultima menſis Aprilis.

Ex Codice MS. Bibliothecæ Metropolitanæ Moguntinæ deſcripſit Cl. Schannatus b. m.

CAMERACENSE CONCILIUM

ANNO CHRISTI MCCCLXXXIII.

In cauſa Schiſmatis Romani inter Urbanum VI. & Clementem VII. Anti-Papam, Avenione a Gallis electum A. 1378. Defunctum 1394.

Superius cum de Concilio Medinæ Caſtrenſis *agerem, indiculum documentorum quorundam in Colbertino Codice deſcriptorum* ex Baluzio *dedi: hæc inter monumenta extare notavi ſermonem factum pro ſedando Schiſmate, per Guidonem Cardinalem Picta-*

Pictavensem in Synodo Cameracensi *anno Domini MCCCLXXXIII. die prima Octobris Pontificatus Clementis VII. anno secundo. Habes hic Concilium Collectoribus hucusque ignotum: cujus tamen solum nomen superest, neque enim tractatus ille Guidonis Pictavensis, de hoc argumento, quod legitur* in Anecdotis Martene To. II. pag. 1193. *idem esse potest cum oratione hac pro Concilio habita, cum Benedicti Pontificis meminerit, qui Pontifex non nisi anno MCCCXCIV. cœpit. Integræ tamen orationis hujus defectum utcumque supplent fragmenta ejus quædam apud* Baluzium in notis: ad vitas Paparum Avenionensium *Tom. I. pag.* 1106. *occurrentia, en unum : Hactenus Cl.* Mansi.

Ad primam oppositionem seu objectionem de literis respondeo &c. quod B. illas literas petiit ab omnibus nobis. *Responsum fuit ei:* quod nunquam de more sacrum Collegium notificat per suas literas electionem Romani Pontificis Principibus, vel aliis, & sic se habet veritas. *Et paulo post:* Ipse tamen hoc non obstante cum omni instantia eas habere voluit ; ad quem finem potes bene cogitare ! *Et infra:* Imo etiam cum secundum stilum Curiæ, quando Collegium scribit, literæ sigillantur solum sigillis trium Prior. trium Ordin. cum tunc actu duo Priores essent Italici, videlicet Dominus Florentinus, & de Ursinis, suspicans, quod propter nationem, de qua etiam erant, ipsorum testimonia reputarentur suspecta, petiit, quod alii duo loco illorum sigillarent. Sed resistentibus Dominis Italicis, non potuit hoc obtinere, licet contristatus fuerit contra unum de Dominis. Satis propter evitandum omnem suspicionem & scandalum, quod posset inde suscitari, literas Domini concesserunt.

Nonne etiam illi Adversarii Dei & Ecclesiæ falsissima miracula confinxerunt ad simplicem populum magis seducendum? Nonne dixerunt publice, quod Dominus noster Papa CLEMENS VII. statim, quando ab intruso recessit, habuit signum tahau impressum in facie, & hoc multis Regibus & Principibus per suas literas conscripserunt, de cujus contrario per aspectum sui vultus evidenter apparet? Nonne publicaverunt publice, quod in prima Missa, quam celebravit, Corpus Christi aufugit ab Altari? cujus contrarium per duo millia testium, ut ex testimoniis, qui in electione & coronatione ipsius præsentes fuerunt, manifestissime probaretur.

Mansi Tom. III. Supplementi Concilior. pag. 666.

PRAGENSIS SYNODUS

ANNO CHRISTI MCCCLXXXIV. IN FESTO S. LUCÆ.

PRædicavit in hac Archi Episcopali Synodo *Sermonem de emendatione morum Cleri & populi Matthæus de Cracovia.*

Hæc tantum Petzius Tom. I. Thes. noviss.

Matthæus *de Cracovia* cur dicatur, nescitur: creditus fuit de ea urbe, propterea Polonus, sed Clariss. *Bernardus Petzius* Ord. S. Bened. *Tom. I. Thesauri novissimi Anecdotorum in Præfatione pag.* 14. asserit eundem non Polonum, sed Germanum natione, genere Pomeranum fuisse, de quo eodem alios codices MSS. vidit *Petzius.*



SYNO-

SYNODUS DIŒCESANA WORMATIENSIS
AB ECCHARDO A DERS EPISCOPO, CELEBRATA Anno Christi MCCCLXXXIV. Urbani VI. Papæ VI. Wenceslai Regis V.

Hujus Synodi, cujus Acta interciderunt, mentionem facit Charta sequens:

ECKARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, EPISCOPUS WORMATIENSIS.

PRæsentium tenore profitemur, quod cum nuper, videlicet: Anno MCCCLXXXIV. in Feria secunda ante Festum Ascensionis Domini citari mandavimus, Dilectos Nobis in Christo *Joannem Horwe*, Decanum, cæterosque omnes & singulos Canonicos Ecclesiæ nostræ Collegiatæ S. Petri Vallis-Wimpinensis, ut coram Nobis comparere deberent Wormatiæ, objectioni per Nos eis datæ, quod ad *Synodum nostram* Feria IV. post Dominicam, qua cantatur in Ecclesia Dei: *Quasi modo geniti*. Wormatiæ celebratam, venire obmiserunt, responsuri.

Comparentibus igitur in termino præassignato coram Nobis, *Alberto de Auverbach* Præposito, *Johanne* Thesaurario, & *Joanne de Nyperg*, Canonico dictæ Ecclesiæ Wimpinensis, ipsius Ecclesiæ, & Concanonicorum suorum nomine, pro excusatione absentiæ Synodi allegantibus: quod tempore ab antiquo, de cujus initio memoria hominum non existat, apud Prædecessores nostros etiam sit observatum, quod pro Ecclesia Wimpinensi, & omnibus personis ejusdem, Prælatis, Canonicis, Beneficiatis, & Officiatis, una persona ipsius Ecclesiæ, nomine aliorum omnium, & pro ipsis, in Synodis Episcopalibus semper transmissa sit, & consuevit interesse; & quod in Synodo nostra præscripta *Johannes* dictus de *Veningen*, Presbyter prebendatus Ecclesiæ ejusdem Wimpinensis, religione indutus, juxta morem antiquum interfuerit nomine Decani, Thesaurarii, & Canonicorum ipsius Ecclesiæ; Audita igitur allegatione illa, & defensione, cum etiam fide dignorum testimonio simus sufficienter informati, allegationem & defensionem præscriptas, Nobis propositas, continere veritatem; Nos, volentes dictam Ecclesiam nostram Wimpinensem, Prælatos ipsius Ecclesiæ, Canonicos, Beneficiatos, cæterasque personas ejusdem, in juribus suis, & consuetudinibus laudabilibus, paterno more, semper pie conservare, & ne nunc, vel in futuro, a Nobis, vel Successoribus nostris Episcopis Wormatiensibus, quovis modo in his aggraventur, sollicite providere, consuetudinem de persona unica de ipsa Ecclesia Wimpinensi, nomine aliarum omnium personarum ejusdem, ad Sanctam Synodum Episcopalem, consuetis temporibus, transmittendam, ex certa scientia approbamus, & præsentibus sigilli nostri appensione roboratis, in testimonium perpetuum confirmamus.

Datum anno Dom. MCCCLXXXIV. Feria IV. ante Festum Dominicæ Ascensionis.

Ex Archiv. Eccles. Colleg. Wimpinens.

CONCILIUM WORMATIENSE
ANNO CHRISTI MCCCLXXXIV. SUB ECCHARDO A DERS, EPISCOPO.

CUm civitas & populus Episcopi & Cleri immunitates aperta vi impugnarent: Episcopus & Clerus Wenceslaum Imp. imploravit contra violatores Clericalis Immunitatis: Imperator scripsit & ad varios Nobiles & Cives Wormatienses, ut ab his injuriis in Clerum desisterent sub pœna Banni Imperia-

lis ex Norimberga & Moguntia, quas literas Imperiales refert *Cl. Schannatus in codice Probationum Historiæ Wormatiensis N. CCXIX. CCXX.*

Deinde ipse Episcopus Wormatiensis cum universo Clero fœdus defensivum init contra civium Wormatiensium ausus temerarios: & ob hunc finem Synodum celebrat anno MCCCLXXXIV. XXII. Novembris.

Relatum a Schannato in codice Probationum Historiæ Wormatiensis N. CCXXI. pag. 193.

CONCILIUM SALTZBURGENSE

Anno Christi MCCCLXXXVI. Urbani VI. Papæ VIII. Wenceslai Regis VIII.

In causa disciplinæ Ecclesiasticæ tempore PILGRINI Archi-Episcopi celebratum.

TITULI CAPITULORUM.

Hæc sunt instituta Domini PILGRINI, Archi-Episcopi Saltzburgensis, Apostolicæ Sedis Legati, publicata in Provinciali Concilio Saltzburgensi, anno M.CCC.LXXXVI.

PRÆFATIO.

AD LAUDEM & HONOREM, ac GLORIAM NOMINIS DEI, ac SALUTEM DOMINICI GREGIS NOBIS COMMISSI:

NOS PILGRINUS, DEI gratia, Archi-Episcopus Saltzburgensis Ecclesiæ, Apostolicæ Sedis Legatus, *Joannes* Gurzensis, *Fridericus* Chiemensis, & *Joannes* Secoviensis, Ecclesiarum Episcopi, una cum aliis Venerabilibus Patribus, ac Procuratoribus suis, ac Coepiscoporum nostrorum, & quorundam aliorum Prælatorum præsentium, nobiscum *in hoc Sacro Provinciali Concilio* residentibus, ad correctionem excessuum, & reformationem morum, diligenti ac matura deliberatione præhabita, infrascriptas Constitutiones edidimus salubres & utiles, jure fundatas, æquitati consonas, & per quas subditorum servatur honestas:

ſtas: quas per locorum Ordinarios, Prælatos, Archi-Diaconos, & alios Eccleſiarum Rectores, per totam noſtram Provinciam publicari, & ſub pœnis in eis contentis præcipimus inviolabiliter obſervari.

CAPITULA.

I. *De modo dicendi Horas Canonicas.*

QUia ut accepimus, Clerici diverſi diverſimode in Horis Canonicis, & diverſis officiis diverſum pſallendi tenent modum, contra Canonica inſtituta: Volentes igitur huic morbo remedium apponere opportunum, diſtricte præcipimus, ut ab omnibus & ſingulis Clericis ſæcularibus in pſallendo idem modus & ordo in Divinis Officiis, & Horis Canonicis obſervetur: ita quod unusquiſque in hoc ſuæ Cathedrali Eccleſiæ, ſive fuerit Regularis, ſive ſæcularis, rationabiliter ſe conformet. Si quis hujus conſtitutionis tranſgreſſor exſtiterit, per loci Ordinarium, vel Archidiaconum, Canonica monitione præmiſſa, ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpendatur. Religioſos vero in ſuis rationabilibus obſervantiis volumus remanere.

II. *De Abſolutionibus impendendis.*

Sanctione præſenti, ſub interminatione maledictionis æternæ diſtricte prohibemus, ne aliqua majori excommunicatione nodatos, aut ſuſpenſos, vel in homicidio, furto, ſacrilegio, falſo teſtimonio, perjurio, inceſtu, inſtrumentorum & litterarum falſitate, & aliis caſibus Sedi Apoſtolicæ, vel Nobis ſpecialiter, vel noſtris Suffraganeis, aut aliis competentibus judicibus reſervatis, quacunque præſumant abſolvere, vel vota commutare. Quod ſi quis fecerit, ab officio ſuſpendatur, donec pro ſuperiorum arbitrio ſatisfaciat competenter.

III. *De abutentibus indulgentiis, a ſuperioribus ſuper abſolutionibus conceſſis.*

Cum interdum tam a Sede Apoſtolica, quam ex ſpeciali indulto, pleriſque gratioſe concedatur, ut in caſibus ſuperioribus reſervatis cum ſibi ſubditis diſpenſare, ac eos abſolvere, ac eis pro modo culpæ pœnitentiam injungere valeant competentem;

Verum quia nonnulli indulto hujuſmodi abutentes, pœnitentias hujuſmodi in pecuniarum proprium, & burſalem quæſtum vertunt: Nos igitur attendentes, quod privilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate: decernimus hujuſmodi indulgentias a Nobis conceſſas, vel in poſterum concedendas, poſt hujuſmodi abuſum eſſe nullas, vacuas, & inanes: declarantes etiam abſolutiones, quas tales abutentes impenderint, ſimiliter fore nullas. Abutentes quoque eo ipſo ſuſpendimus a Divinis, donec pro qualitate culpæ abſolutionis Beneficium a ſuis ſuperioribus meruerint obtinere.

IV. *De modo abſolutionis impendendæ in caſibus dubitalibus.*

Volumus, & omnibus Eccleſiarum Rectoribus diſtricte præcipimus, ut in caſibus dubitalibus, præcipue periculum, vel ſalutem animarum concernentibus, ad ſuperiorem recurrant confidenter; vel ſaltem peritiores, vel ſapientiores ſtudeant ſuper his diligenter requirere; quod ſi non fecerint, & eorum incuria vel negligentia, periculum aliquod emerſerit, gravi ſubjaceant ultioni.

V. *De habitu Clericorum.*

Quoniam per decentiam habitus extrinſeci oportet Clericos intrinſecam morum honeſtatem oſtendere, diſtricte prohibemus, ne aliqui Clerici ſine capucio capitis, bireto, capello, vel pileo cooperto, in Eccleſia, ſeu alias in publico præſumant incedere, cum hoc honeſtatem non deceat Clericalem. Quod ſi quis contra fecerit, per ſuperiorem acriter puniatur.

VI. *De eodem, & differentia habitus majorum ab inferioribus.*

Canonica teſtatur auctoritas, quod ex majore decore & majoritate ornatuum apparere debeat majoritas dignitatum. Hinc eſt, quod firmiter inhibemus, ne Clerici in publico utantur vario, (a) vel illud

(a) Vide Gloſſarium du Cangii, verbo: *vares.*

illud deferre præſumant, niſi in dignitatibus fuerint, vel Canonici Eccleſiarum Cathedralium, vel in gradu magiſterii ſcientiæ litterarum fuerint conſtituti. Adjicientes quoque, ne ipſi Clerici, maxime non Beneficiati, cincturis corrigiis, aut peris auri vel argenti ornatum habentibus utantur, aut etiam veſte, vel alio habitu indecenti.

VII. *De munda conſervatione rerum & vaſorum Divino cultui deputatorum.*

In pleriſque Eccleſiis mappæ, pallæ Altaris, Corporalia, & alia veſtimenra, ac vaſa Divino cultui deputata, tam inculta, tam immunda relinquuntur, ut interdum quibuſdam ſint horrori, contra ſtatutum Concilii generalis. Et licet alias ſuper his tam a viris, quam a Legatis Sedis Apoſtolicæ, quam etiam a noſtris Prædeceſſoribus ſatis utiliter ſit proviſum: Nos vero repetitis eorum conſtitutionibus, volentes expreſſius providere; univerſis cuſtodibus, ſacriſtis, Eccleſiarum Rectoribus, præcipimus, quatenus omnia veſtimenta, ornamenta & vaſa ſupradicta, per ipſos munda & nitida & præcipue Eccleſiaſtica Sacramenta, ſub clauſura & fida cuſtodia conſerventur. Si quis vero in tranſgreſſione hujuſmodi ſtatuti culpabilis fuerit, uſque ad condignam ſatisfactionem ab officio ſuſpendatur.

VIII. *Ne mendicantes admittantur ſine Diœceſanorum licentia & teſtimonio litterarum.*

Quia Religioſos, præcipue fratres mendicantes, decet puritatem omnimodam in ſuis actibus obſervare: tamen ſæpe divagandi & diſſolutionis materiam mutuantur, ſcandalum aliorum & tanquam pſeudo Prophetæ fabuloſis prædicationibus audientium animos plerumque ſeducunt: & quamquam invitis ipſarum Eccleſiarum Rectoribus ipſi fratres, niſi per eoſdem Rectores vocati, vel invitati ad hoc fuerint, de jure non audeant, nec debeant prædicare: volumus tamen, quod nequaquam dicti Rectores ipſos invitent, vel admittant, niſi de proponendo Verbum Dei a ſuis Superioribus licentiam habeant, & de illa ſæpe dictis Rectoribus faciant plenam fidem. In civitatibus vero & Diœceſi, in quibus ipſorum fratrum loca conſiſtunt, ac in locis viciais, nullatenus ad dictum officium prædicandi, vel ad confeſſiones admittantur, niſi (*b*) locis Diœceſanis Canonice præſentati fuerint prius & admiſſi.

IX. *De Immunitate Clericorum, & eorum rerum, ab impoſitionibus ſæcularium Dominorum.*

Dum Eccleſiæ & Eccleſiaſticæ perſonæ, ac res ipſorum, non ſolum jure civili, quin imo & Canonico, & Divino, ſæcularibus perſonarum talliis, collectis, & exactionibus ſint immunes, nonnulli tamen Eccleſiaſticæ libertatis & immunitatis æmuli, hujuſmodi libertatem offendere moliuntur. Nos igitur ipſorum auſus, quantum poſſumus reprimere cupientes, ſtatutum Domini JOANNIS Epiſcopi Tuſculani, Apoſtolicæ Sedis Legati, qui invaſores, & occupatores, & detentores Eccleſiaſticorum bonorum, vel dantes in his auxilium, conſilium, vel favorem, ſi poſtquam per Eccleſiarum Prælatos, vel Rectores requiſiti fuerint, infra menſem non deſtiterint, vel de damnis datis non ſatisfecerint, extunc ſubjicit Eccleſiaſtico interdicto; ad hujuſmodi exactores, collectores, & talliatores, declaramus extendi, ut extendimus ſanctionem præſentem: omnibus Eccleſiarum Prælatis & Rectoribus, ſub excommunicationis pœna, diſtricte præcipientes, quatenus hujuſmodi ſtatuta inviolabiliter obſervent, ac nihilominus ſingulis annis ter in ſuis Eccleſiis fideli populo ſtudeant publicare.

X. *Contra vilipendentes ſententias excommunicationis.*

Multi in profundum malorum venientes, adeo Eccleſiæ claves, & Eccleſiaſticæ cenſuræ ſententias vilipendendo contemnunt, quod tam incorrigibiles plerique talium facti, in ſuæ damnationis periculum, in hujuſmodi ſententiis moriuntur. Quare ſtatutum Domini FRIDERICI Prædeceſſoris noſtri, quod per omnes civitates & Diœceſes mandat, tales ſententias publicari per Eccleſiarum Prælatos, & obſervari præcipimus, ut ſic malignorum perverſitatibus obvietur.

(*b*) *forte:* locorum

XI.

XI. *De publicatione Constitutionis Bonifacii VIII. contra recipientes pedagia a Clericis.*

Constitutiones felicis recordationis Bonifacii VIII. editas contra eos, qui ab Ecclesiis & Ecclesiasticis personis, pro earum rebus propriis, quas non negociandi causa deferunt, vel deferri faciunt, vel transmittunt, suo vel alieno nomine, pedagia, vel quidagia exigunt, vel extorquent, eosque, qui in his culpabiles fuerint, si personæ sint singulares, excommunicationis, si vero collegium, civitatem, vel castrum, vel locum alterius concernit, interdicti sententiæ subjacere: per locorum Ordinarios, Prælatos, & Archi-Diaconos, ac Parochialium Ecclesiarum Rectores præcipimus solemniter publicari: quemadmodum etiam *in Viennensi Concilio* est provide constitutum.

XII. *De occupatoribus Beneficiorum, & eorum bonorum.*

Omnibus volumus esse notum, quod tam Episcopi, quam alii Ecclesiarum Prælati, & quæcunque aliæ Ecclesiasticæ personæ, qui bona vacantium dignitatum & Ecclesiarum quarumcunque sibi subjectarum, seu ad collationem, vel ad præsentationem eorundem pertinentium, occupant, rapiunt, aut usurpant, vel in suos usus convertunt; ipsi Episcopi ab ingressu ecclesiæ; inferiores vero, ab officio & beneficio de jure sint suspensi, donec de occupatis satisfaciant cum effectu: laici vero, si Judices fuerint, aut ecclesiarum Patroni, bona hujusmodi rapientes vel usurpantes, juxta statutum felicis recordationis Domini FRIDERICI, Prædecessoris nostri, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant: in locis vero, ad quæ eadem bona delata fuerint, postquam hoc Rectoribus ecclesiarum innotuerit, juxta ejusdem statuti tenorem tamdiu cessetur a Divinis, donec de ablatis congrue fuerit satisfactum.

XIII. *De usurariis & eorum pœnis.*

Apud multos ita crimen usurarum invaluit, quod nonnulli nullis negociationibus vel laboribus student intendere: putantes sibi hoc licere, quod Prælati, vel alii ecclesiarum Rectores, in animarum suarum periculum negligunt id corrigere, ac per hoc in majoris damnationis laqueum se immergunt. Nos igitur recolendæ memoriæ Domini JOANNIS Tusculani Episcopi, Legati Sedis Apostolicæ, ac aliorum Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, qui crimen hujusmodi fuerint specialiter detestati: decernimus eosdem usurarios, postquam per suos Rectores trina monitione nominatim moniti fuerint, & infra mensem ipsi ab eadem pravitate non destiterint, eo ipso excommunicationis sententiæ subjacere. Quapropter singulis ecclesiarum Prælatis, ac Rectoribus districte præcipimus, ut omnes manifestos usurarios moneant, & inducant, quatenus ab hujusmodi pravitate infra unius mensis spatium curent studiose desistere, ac de perceptis satisfacere cum effectu. Quod si non fecerint, extunc excommunicati publice nuncientur. Certificentur nihilominus, quod si in hoc crimine sine satisfactione Canonica cautioni (c) de satisfaciendo decesserint, Christiana careant sepultura. Ipsi quoque Rectores, & scienter sepelientes eosdem, simili de jure excommunicationis sententia sint ligati. Declaramus insuper manifestos usurarios esse, de quibus est publica vox & fama, & certa sunt indicia, & argumenta, quod pecunias mutuant ad usuras, easque recipiunt, vel fructus rei pignoratæ ex pacto, vel alias sibi usurpant, vel imbursant, nec computant in sortem pecuniæ pignoratæ.

XIV. *Ne Clerici conveniantur coram sæcularibus Judicibus.*

Sæpe contingit, quod nedum laici, sed Ecclesiarum Prælati, & alii Clerici (quod dolentes referimus) alius alium ad sæcularia trahant judicia, contra Canonicas & legitimas sanctiones: ex quo non modicum ecclesiasticæ libertati detrahitur, ac ecclesiæ plerumque in suis juribus & libertatibus grandia dispendia patiuntur. Nos volentes his malis, quantum possumus, obviare: decernimus, quod, si Prælatus, vel quivis alius Clericus, alium Prælatum vel Clericum, vel etiam laicus quamcunque aliam ecclesiasticam personam, coram sæculari judi-

(c) *forte:* vel cautione

judice trahere, vel convenire, aut tractus seu conventus sponte & judicialiter præsumpserit respondere: tam trahentes, quam tracti, ultra pœnas contra tales a jure prolatas, eo ipso se noverint, excommunicationis sententiæ subjacere.

XV. *Ne ignoti Presbyteri admittantur ad Divina.*

Firmiter inhibemus, nè Presbyteri peregrini vel ignoti ad Missarum solemnia celebranda in publico admittantur, nisi per literas testimoniales, vel Canonice de ipsorum ordinatione Ecclesiarum Prælatis & Rectoribus fiat fides.

XVI. *De Notariis publicis.*

Placuit nostro *Sancto Concilio*, ut nullus se Notarium publicum asserens, in officio tabellionatus aliquatenus admittatur, nec credatur ejus instrumento, nisi coram loci Ordinario, vel ejus Officiali de suo officio faciat plenam fidem, cum sæpe ex Notariis incognitis & imperitis grandia pericula soleant provenire.

XVII. *Ut Episcopi, Prælati, & Rectores habeant* (d) *Quæstiones singillatim.*

Dudum fuit in nostra Provincia constitutum, ut Episcopi suffraganei omnes provinciales Constitutiones habeant singillatim, easque suis subditis, sicut juris est, studeant publicare. Verum, quia hujusmodi statutum, fructum modicum hucusque produxit: Nos igitur illud ampliare, & pœnæ adjectione vallare volentes, ne ipsarum ignorantiam ipsi vel subditi prætendere valeant, vel quoslibet allegare; statuimus, & districte præcipiendo mandamus, quatenus omnes & singuli Ecclesiarum Prælati, Archi-Diaconi, ac Parochi, Ecclesiarum Rectores, tam Legatorum Sedis Apostolicæ, quam Nostras, & Prædecessorum nostrorum Constitutiones scriptas habeant, quas non habentibus de nostra Cancellaria præcipimus exhiberi, sub petentium tamen sumptibus & expensis. Quod si ipsi Prælati, & Archi-Diaconi infra sex mensium spatium a data præsentium, rationabili causa cessante, ipsas per se, vel alios non receperint, seu habuerint: ipsos, & quemlibet ipsorum, qui in hoc negligens vel remissus fuerit, eo ipso ab ingressu Ecclesiæ suspendimus, donec a suo Superiore absolutionis beneficium meruerit obtinere.

Acta sunt hæc *Saltzburgi* in nostro Archi-Episcopali Palatio, anno Domini MCCCLXXXVI. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini, Domini URBANI, Divina Providentia Papæ VI. anno VIII. Mense Januario.

Harduinus Tom. VIII. Concil. pag. 1900. *post editionem Regiam & Labbeanam.*

(*d*) *forte:* Constitutiones.

CONCILIUM MOGUNTINUM

SUB CONRADO II. ARCHI-EPISCOPO MOGUNTINO,

ANNO CHRISTI MCCCLXXXVII. URBANI VI. PAPÆ IX. WENCESLAI REGIS IX.

Contra Waldenses invalescentes Moguntiæ.

ANNO MCCCLXXXVII. invaluit sub Conrado de Winspurg, Archi-Episcopo Moguntino, Waldensium secta, Lutheranæ haud dissimilis, adeo ut 36. cives Moguntini, ea hæresi infames, Bingium sint abducti, & ibidem combusti.

Latomus Catalog. Archiepisc. Moguntin.
Menckenius Tom. III. Scriptorum Germaniæ pag. 542.
Serarius rerum Moguntin. Lib. V. pag. 867.

CON-

CONCILIUM COLONIENSE

Anno Christi MCCCXC. Bonifacii IX. Papæ II. Wenceslai Regis XII.

Quomodo Clerici Beneficiati Horis Canonicis & Tractatibus Capitularibus interesse debeant.

FRIDERICUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, ET APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, UNIVERSIS ET SINGULIS ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, ARCHI-DIACONIS, DECANIS, ET CAPITULIS, PAROCHIALIUM ECCLESIARUM, CAPELLARUM, ET ALTARIUM RECTORIBUS, PER CIVITATEM ET DIŒCESIN COLONIENSEM CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO.

CRebra veridicorum relatione, & oculata fide cognovimus, quod quanquam Statuta bonæ memoriæ Dominorum, SIFRIDI, HENRICI, WALRAMI, & WILHELMI, Prædecessorum nostrorum Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscoporum, *pro vita, honestate, statu & honore Clericorum* & Ecclesiasticarum personarum provide facta & ordinata, innovaverimus, ac sub certis & gravibus pœnis, & sententiis firmiter observari mandaverimus, prout in literis nostris desuper confectis plenius continetur: dolentes tamen, & amaricati referimus, quod nonnulli Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælati, dictarum civitatis & Diœcesis, ad quos Clericorum, & Beneficiatorum sibi subjectorum correctio spectat & disciplina, in reformatione Status Ecclesiastici, Canonicorum, & Beneficiatorum correctionibus & disciplinis, sunt quamplurimum desides & negligentes, ita quod per eorum desidiam & negligentiam, cultus Divinus deperit & diminuitur: Beneficium, quod datur propter officium, servitio debito defraudatur: atque ubi quadraginta vel circiter Beneficiati sunt residentes, vix quinque aut sex, ad Matutinas, & ad alias Horas veniunt decantandas. Cæteri vero circa commessationes, ebrietates, superfluas (*a*) & nocturnas atque illicitas vagationes, ut de aliis taceamus, noctem vertentes in diem, fere totum noctis tempus expendunt: reliquum somno relinquentes, non ad concentum avium, sed vix hora tertiarum excitantur. Et cum campanas præsentiarum aut distributionum pulsari audiunt, non quæ Dei sunt, sed propria sua quærentes, & ad Ecclesias tanquam acephali currentes, receptis, licet omnino non deservitis, præsentiis, seu quotidianis distributionibus, statim ab inde discurrunt, & Divinis interesse contemnunt: & quod deterius est, sunt & nonnulli, qui nec Horas Canonicas, nec de Domina nostra legunt. In aliquibus etiam Ecclesiis, proh dolor, hic modus inolevit, ut decantatis Tertiis, Responsorio & Versu in Vigiliis, statim Decanus & Canonici de Choro recedentes ad domos Capitulares, pro suis & Ecclesiarum suorum tractatibus, factis Capitularibus, collocutionibus, collationibus, factis & negotiis expediendis, progredientes recedunt, vix tribus aut quatuor Vicariis in Choro, pro vigiliis complendis, Missa defunctorum & commendatione peragendis, relictis. Et in hujusmodi tractatibus & factis Capitularibus Ecclesiarum seu Monasteriorum suorum peragendis, nedum publicis, verum etiam disciplinaribus & occultis, adeo sunt incompositi, tumultuosi & violenti, quod voluntatem suam & libitum rationi aliorum præferre conantes, commodum proprium, & suorum extorquere nituntur per importunos clamores & disturbia, ac interruptiones vocum assidentium aliorum. Et, quod deterius est, per opprobria, insultationes & contumelias, minas, insidias, persecutiones & invasiones, ac alias injurias & violentias enormes, tam in locis Capitularibus, Ecclesiis & Immunitatibus, quam extra, perpetrant & perperam committunt, quod

(*a*) superfluitates

quod ex his Ecclesiæ ipsæ & Monasteria, disciplina Ecclesiastica, status, honor, & bona, seu prædia Ecclesiarum & Monasteriorum, misere & damnabiliter pereunt & negliguntur : Canonici & personæ Capitulares, rationabilia & justa proponentes, opprimuntur, vocibusque suis Capitularibus, & libertate loquendi sibi debita spoliantur, in Omnipotentis Dei offensam, Divini cultus diminutionem, Ecclesiarum & Monasteriorum desolationem, & exinanitionem, fraternæ pacis, & concordiæ dispendium, laicorum ridiculum, scandalum populorum, personarum Ecclesiasticarum confusionem, detrimentumque non modicum & gravamen. In quibusdam etiam Ecclesiis, ubi duodecim, & sexdecim Missæ, aut plures, seu pauciores celebrari deberent, heu vix duæ, aut una celebrantur. Laici quoque Beneficia seu Præbendas non eo modo, quo instituta existunt, deserviunt. Sunt denique & nonnulli Clerici sæculares & Religiosi, ac in sacris Ordinibus constituti in civitate & Diœcesi Coloniensi Beneficiati, statuta supradicta minime curantes, imo potius contemnendo vilipendentes, qui vestes virides & rubeas, calceos rostratos, cincturas desuper tabbardos cum cultellis trusoriis in publico & intra septa Ecclesiarum, Monasteriorum, ac in ipsis Ecclesiis, Monasteriis, & Choris, dum Divina celebrantur, deferunt, & sine tonsura cum capillis decurtatis, vel saltem absque debita tonsura incedunt: & cum tali viatico habitu choreas & publica spectacula visitant, ac visitare & frequentare non formidant, omnem per hoc ordinem, statum & honestatem Clericales denigrando confundentes, propter quæ Divinis cultus diminuitur, odia provocantur, dissensiones pullulant, Christi Fidelium devotio deperit, & quamplurima animarum pericula generantur : & proh dolor delinquentium hujusmodi tantum invaluit temeritas & audacia, quod jam inter Clericum taliter incedentem, & laicum, differentia haberi vix poterit, seu discerni. Unde Nos talia detestabilia atque nefaria deinceps sustinere, seu diutius dissimulare non valentes, vos omnes & singulos supradictos, & vestrum quemlibet præsentibus, qui fueritis requisiti, seu fuerit requisitus: ita tamen, quod unus vestrum alium non expectet, nec alter vestrum pro altero se excuset, requirimus & monemus, vobisque in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna excommunicationis, quam ferimus in his scriptis, trium tamen dierum monitione Canonica præmissa, districte præcipiendo mandamus, quatenus accedentes, quo propter hoc fuerit accedendum, & accedere fueritis requisiti : moneatis omnes & singulos Ecclesiarum quarumcunque, & Monasteriorum civitatis & Diœcesis prædictarum Prælatos, ad quos correctio & Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum status, & reformatio dignoscuntur pertinere, quos & Nos tenore præsentium requirimus & monemus, eisque & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus ipsi solum Deum præ oculis habentes, subditos suos in his, quæ ad disciplinam, Divinum cultum, vitam Canonicam & honestam spectant, taliter corrigant, reforment & emendent, ut Divinus cultus augeatur, fructus Beneficiorum debite deserviantur, Horæ Canonicæ tam nocturnæ, quam diurnæ, tractim, distincte & devote decantentur : Missæ juxta exigentiam Beneficiorum celebrentur, ac alia debita & onera, per laicos etiam adimplenda, rite peragantur. Alioqui contra ipsos & ipsorum quemlibet procedemus, & negligentes in præmissis, juxta modum excessuum Canonice puniemus, prout Nobis videbitur, justitia mediante.

Insuper sub pœna excommunicationis, quam ferimus in his scriptis, sex tamen dierum Canonica monitione præmissa; districte præcipimus & mandamus omnibus & singulis Præpositis, Decanis, Canonicis & Capitulis civitatis & Diœcesis Coloniensis, quod de cætero in antea nullatenus accedant aut vadant ad quoscunque tractatus, collationes aut collocutiones pro quibuscunque etiam factis & negotiis, nisi vigiliis, Missa defunctorum & commendatione penitus peractis & completis : & quod nemini quotidianas distributiones, sive præsentias faciant dari aut distribui, neque dent vel distribuant, nisi illis, qui in choro fuerint, quando tertium Responsorium & tertius versus in vigiliis, Evangelium in Missa Defunctorum & Psalmus : *Memento Domine David*, in commendatione de-

decantantur aut leguntur : & qui in altero istorum trium non fuerit , careat portione , & parte distributionum, aut præsentiarum , ipsum illa vice contingente. Et quod hoc jurare faciant Camerarios, aut præsentiarum distributores, durantibus suis officiis inviolabiliter observaturos. Inhibemus etiam, districtius præcipiendo omnibus & singulis Canonicis , & cuilibet eorum , sub pœna excommunicationis supradicta ; ut in tractatibus & factis Capitularibus, ac aliis collocutionibus, & collationibus quibuscunque, inter se communiter, vel divisim habendis, taliter sint compositi, & morati, quod ex hoc Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum scandala & vituperia, damna, dispendia, & gravamina non exurgant : & ne per clamores importunos & disturbia , aut interruptiones vocum aliorum , & præsertim per opprobria, insultationes, & contumelias, ipsi, vel aliquis eorum, contra alium vel alios quomodolibet insurgat, vel insurgant : & quod nec ipsi, vel aliquis eorum per se, vel alium, seu alios, ullo unquam loco vel tempore, per minas quascunque verbo, vel facto quomodolibet illatas, vel inferendas , aut per insidias, persecutiones, vel invasiones violentas , aut alias injurias enormes quascunque contra alias personas Ecclesiasticas , aut aliquam earum quomodolibet sæviant , vel insurgant, sæviat, vel insurgat publice, vel occulte ; sed justitia, & juris executione contenti , causas & quæstiones inter se motas, vel movendas, via justitiæ prosequantur. Alioqui omnes & singulos, in præmissis culpabiles & rebelles, prædicta Canonica monitione præmissa , sententia excommunicationis , quam ferimus in his scriptis ; innodamus : gravius nihilominus processuri , prout Nobis videbitur, justitia mediante. Damus insuper dilecto Nobis Officiali curiæ nostræ præmissa declarandi , processus aggravandi, & suspendendi , a sententiis absolvendi, & cætera in præmissis faciendi , prout ei videbitur expedire, tenore præsentium plenam, & & liberam potestatem. Datum Gudesberch nostro sub Sigillo præsentibus appenso , Anno Domini 1390. die 16. mensis Septembris.

Ex typo Coloniensium Statutorum A. 1554.

CONCILIUM ULTRAJECTENSE
Anno Christi MCCCXCII. Bonifacii IX. Papæ IV. Wenceslai Regis XIV.

In quo cognita causa Monachi cujusdam sacrilegi.

IN DEI NOMINE. AMEN.

FLORENTIUS de Wewelichoven , Dei & Apostolicæ Sedis gratia , Episcopus Trajectensis, nec non eadem gratia Fratres ARNOLDUS Episcopus Capitoliadensis, WENEMARUS, Episcopus Symboliensis , HUBERTUS , Episcopus Yppusensis, BERTOLDUS, Episcopus Lindieniensis , ANDREAS, Episcopus Miyssconiensis, & JACOBUS, Sareptensis, conjudices in negotio infrascripto. Præsidente rationis Imperio in animo judicantis sedet in examine veritatis pro tribunali justitia , & quasi Rex in solio judicii rectitudo , *de cujus ore procedit gladius bis acutus*. Cujus etiam aspectu terribili propriæ voluntatis dissipatur arbitrium , noxius appetitus absque personarum delectu sub juris regula limitatur. Hæc enim fuit æterni prudentia judicis , de cujus vultu recta judicia pendent , ut judices constituerentur in orbe, qui justitiam diligant , filios hominum judicent , & pro modo culpæ feriant delinquentes. Sane cunctis inauditam sæculis scelerum immanitatem tuam, qui caput es scandali & petra offensionis , non sine grandi cordis mœstitia attendentes, & tuam infaustissimam temeritatis audaciam , quæ nimirum cœlum perturbat, & terram tremere facit, crebris, suspiriosisque angustiis recensentes, cogimur , ut contra te ad debitæ ,

quam meruisti animadversionis vindictam, exigente justitia, procedamus. Christi igitur nomine invocato pro tribunali, & solum Deum præ oculis habentes, communicato Nobis virorum prudentium, & jurisperitorum consilio plurimorum, quia Nobis per tuam confessionem, & alias evidenter, & legitime constat, 1. quod tu literas Apostolicas falsasti, 2. & titulum Pontificalis apicis temerarie, & fallaciter usurpare, & tibi ascribere, 3. & perquam plurimis hominibus ordines minores & majores conferre, 4. Chrismata conficere, 5. Ecclesias, Capellas, & altaria consecrare & reconciliare, 6. in frontibus confirmare, cæteraque Pontifici duntaxat incumbentia exercere, sub falso, & per te conficto Episcopali titulo, *in Treverensi, Moguntinensi, Argentina, & Trajectensi* Diœcesibus, aliisque locis, per decem annorum curricula, & ultra, quumque Episcopus non esses, nec sis de facto, in tuæ & multarum grave periculum animarum, totius Catholicæ, & universalis Ecclesiæ contemptum frontose, & damnabiliter præsumpsisti. Licet etiam per diutina satis tempora Nos FLORENTIUS, Trajectensis antedictus, tibi spatium pœnitendi in carceris nostri custodia reservato, dudum piæ clementiæ motu duxerimus indulgendum: quatenus etiam Altissimum, quem tam graviter tuis nefandis reatibus offendisti, placare studeres, & ipsius misericordiam devotis, crebrisque precibus lacrymosis assequi posses; tu tamen nesciens ad cor reverti, & pœnitentiæ agere dignos fructus; quamvis diutius exspectatos, indurato corde, & obstricto animo tempora pœnitudinis tibi per Nos misericorditer, ut antefertur, indulta, quod dolenter referimus, usque in tempus præsens in tuæ salutis dispendium parvipendere nullatenus horruisti. Idcirco Nos FLORENTIUS, Coepiscopi superius nominati, propter, & ad actum præsentem convocati specialiter, & præsentialiter congregati, secundum ea, quæ vidimus, audivimus, & cognovimus, cognoscimus, atque scimus, te ad eundem legitime citatum, ab omnibus Ecclesiasticis Ordinibus, & officio Sacerdotali, tanquam literarum Apostolicarum falsarium, Sacramentorum Ecclesiasticorum abusorem, & hostem, animarum fidelium vastatatorem, ac sacrorum Canonum transgressorem perpepuo, 1. degradamus, deponimus, & privamus, 2. teque actualiter degradandum, & demum degradatum Curiæ sæculari relinquendum, & legitime citra mortis periculum puniendum fore, in his scriptis finaliter condemnamus.

Post prædictam sententiam in eum præsentem latam, seorsim ducebatur degradandus, & vestimentis Sacerdotalibus induebatur, & ferendo calice cum vino, & patena cum hostia in manibus suis, ac si debuisset Missam solemniter celebrare, reducebatur coram Episcopo Trajectensi, qui detrahendo sibi insignia Sacerdotalia, videlicet calicem cum patena ac casulam & stolam, utebatur his verbis: *In remotione planetæ auferimus tibi vestimentum, & insignia Sacerdotalia, teque honore Sacerdotali privamus.* Quo facto Episcopus in continenti, in signum deletionis Sacerdotalis, cum vitro exunxit leviter citra sanguinis effusionem loca manuum, quæ fuerant inuncta, ducens tractum cum illo vitro a pollice dextro per indicem sinistrum. Deinde fecit secundum tractum a pollice sinistro per indicem dextrum sicut moris, quum Episcopus aliquem in Sacerdotem inungit. De hac rasione seu tonsione manuum notatur *in tertia parte specul. tit. de accu.* §. secundo loco: *verb. Degradandum.* Talis tamen rasio in decreto degradationis de pœnis *lib. VI.* non præcipitur, nec etiam prohibetur, sed duntaxat sit mentio de rasione, vel tonsione capitis *ut not. ib. Jo. Andr. super verbo: Radatur, in novella.*

Quo completo, iterato secessit ad partem, & induebatur habitu Diaconali, scilicet dalmatica, & stola pendente super humerum ejus sinistrum, ut moris est Diaconum vestiri, & sic ferendo codice Evangeliorum in manibus suis repræsentabatur coram Episcopo prædicto, qui hæc sibi contrahendo dixit: *In remotione planetæ auferimus tibi vestimenta, & insignia Diaconalia, teque honore Diaconali privamus.*

Post huc abiit iterato seorsum, & induebatur tunica Subdiaconali, & manipulo in sinistro ejus brachio apposito, & ferendo in manibus suis codicem epistolarum, reducebatur coram Episcopo, & tunc etiam sibi addebatur calix vacuus cum

cum patena in manu, quia illum in collatione Ordinis Subdiaconalis de manu Ordinatoris accepit. Quo facto Episcopus sibi hæc detrahendo præmisit hæc verba: *In remotione planetæ auferimus tibi vestimentum, & insignia Subdiaconalia, teque honore Subdiaconatus privamus.* Privatus supradictis insignibus, ut prius, secessit ad partem, cingulum deponendo, & albam exuendo: & indutus superpellicio Clericali, ferendo in manibus suis candelabrum cereo extincto, & ampullam, coram Episcopo fuit repræsentatus, & Episcopus ei abstulit candelabrum cum cereo & ampullam, & immediate post hoc exuit eum superpelliceo, quo induerat eum Ordinator in collatione primæ tonsuræ, & pronuntiavit in hæc verba: *Auctoritate Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac Nostra, tibi auferimus habitum Clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus, ac exuimus te omni ordine & privilegio Clericali.* Deinde Episcopus incepit cum forcipe tondere parumper capillos capitis sui. Et postea barbitonsor illud cum novacula perfecit: ita quod in eo nullum remanserit vestigium tonsuræ, vel Clericatus.

Postremo his peractis inducebatur habitu laicali, & relinquebatur Judici sæculari, ut in suum forum eum reciperet, cum protestatione, quod pœnam sanguinis ei non infligeret, quia hoc Episcopo petere non licet, ut patet *ex Cap. Ne Cleric. vel Mon. C. Sententiam*, & *De crim. fals. C. Ad audientiam.* Ideo supplicabant Domino Trajectensi, & ejus Sculteto, illi sex Episcopi prædicti, aliique Prælati ibidem præsentes, quod citra mortis periculum dignarentur circa eum sententiam moderari juxta Decretum: *Novimus. de verb. sign.*

Monachus quidam scelestus Episcopum se, nulla licet consecratione initiatum gerebat, idque muneris sibi Apostolicarum literarum, quas ipse fabricaverat, authoritate delatum jactabat. Fraude hac usus Sacerdotes plures, aliosque minores Clericos sacris Ordinibus consecraverat, donec tandem FLORENTIUS, Episcopus Ultrajectensis, cujus se Suffraganeum dicebat, rem subodoratus, ad Romanum Pontificem detulit, eoque mandante reum detrusit in carcerem; tum septem adhibitis Episcopis judicium solemne instituit. Judicium istud *Synodum* appellat *Raynaldus in continuatione Baronii* ad annum 1391. quare locum hic suum meretur; totamque ejus historiam hanc exhibeo ex vetusto MS. codice Ultrajectino vulgatam a *Matthæo in Analectis Tom. III. pag.* 281. *nov. edit.*

Anno Domini CIↃ.CCC.XCII. ultima die Septembris, quidam Jacobus, Ordinis Fratrum Minorum Presbyter, de Ducatu Juliacensi oriundus, fuit in civitate Trajectensi super quoddam solarium in medio Noede de lignis erectum verbaliter & actualiter per modum infrascriptum degradatus pro eo, quod ipse sibi usurpando per quasdam literas confictas Apostolicas, quas falsavit, titulum & nomen Episcopi Lavacensis, in Diœcesi in Suffraganeum Episcopi Trajectensis assumptus aliquamdiu, & antea per decem annos in Trevirensi, Maguntinensi, & Argentina Diœcesibus Ordines minores & majores, cæteraque Episcopalia celebrare & exercere præsumpsit. Post degradationem vero fuit relictus tanquam laicus Sculteto & Scabinis Trajectensibus ibi præsentibus, & eum in suum serio recipientibus. Et per eorum sententiam in eodem loco, præsidente Domino FLORENTIO episcopo Trajectensi, fuit idem Jacobus addictus ignis cremationi in cacabo, prope dictum solarium inferius parato. Tandem tamen per gratiam fuit ereptus de cacabo, & capite in eodem loco truncatus.

Constitutis igitur Domino FLORENTIO prædicto, aliisque sex Episcopis subscriptis, & singulis eorum indutis Pontificalibus, ac sedentibus in solario supradicto, Magister Arnoldus Po vice, ac de mandato eorum in dictum Jacobum talem sententiam promulgavit.

Mansi Tom. III. Supplementi Conciliorum pag. 674.



SYNODUS PRAGENSIS

Anno Christi MCCCXCII. Bonifacii IX. Papæ IV. Wenceslai Regis XIV.

JOANNIS, Archi-Episcopi Pragensis, variæ Synodales CONSTITUTIONES.

JOANNES, DEI GRATIA, SANCTÆ PRAGENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, UNIVERSIS ET SINGULIS PRÆLATIS, PRÆSIDENTIBUS CLERICIS SÆCULARIBUS ET RELIGIOSIS, CURATIS ET NON CURATIS, AUT EORUM LOCA TENENTIBUS, NOBIS ORDINARIO ET LEGATIONIS JURE SUBJECTIS, SALUTEM IN DOMINO.

INter cunctas sollicitudines nostras, quibus Nos Pastorale officium & debitum injunctæ servitutis astringit, illa debet esse præcipua, ut Gregis Dominici Nobis superna dispositione commissi animarum cura non negligatur, & ne illum lupus rapax, antiquus humani generis inimicus, invadat, ejusque sanguis de nostris (quod absit) Propheta dicente, manibus requiratur. Sane, cum secundum Canonicas Sanctiones, ultimo deputandis supplicio negari, si petant, non debeat Pœnitentiæ aut Eucharistiæ Sacramentum, abusum damnabiliter in quibusdam locis Provinciæ & Diœcesis nostræ contra hoc introductum, hac *Synodali Constitutione* abolere omnino volentes, omnes & singulos Barones, Nobiles, Justiciarios, Bailivos, Capitaneos, Burgimagistros, Magistros civium, Judices, & Juratos, ac alios Dominos temporalem jurisdictionem obtinentes, Nobis ordinario & legationis jure subjectos requirimus, monemus & hortamur, & per viscera misericordiæ Domini nostri JESU CHRISTI obsecramus in Domino, ut ab hujusmodi desistant abusu; mandantes, & injungentes in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, præfatis Prælatis, & Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, & Plebanis, quatenus præfatos Dominos Barones, Nobiles, Justiciarios, Bailivos, Capitaneos, Burgimagistros, Magistros civium, Judices & Juratos, nec non alios Dominos quoscumque præsidentes eis, & temporalem jurisdictionem obtinentes, & in eorundem Parochiis consistentes, toties, quoties opus fuerit, moneant & requirant, quos & Nos præsentis nostri statuti requirimus & monemus auctoritate, ut ipsi præfatum usum damnabilem aboleri facientes, omnes & singulos ultimo supplicio deputandos, ante hujusmodi supplicium, si petant, aut affectaverint ex devotione, permittant recipere & sumere Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum, seu viaticum cum effectu, quibusvis impedimentis, seu fucatis occasionibus procul motis. Quod si præfatorum Prælatorum præsidentium, seu Plebanorum monitionibus & requisitionibus, ac præsenti nostræ *Synodali* Constitutioni acquiescere non curaverint; damus, & tenore præsentium plenam concedimus facultatem præfatis Plebanis & Præsidentibus, in præfatos Barones, Nobiles, Justiciarios, ac alios Dominos omnes & singulos supradictos, temporalem jurisdictionem obtinentes, non parentes hujusmodi nostræ salubri constitutioni, sententias Ecclesiasticæ censuræ, toties, quoties opus fuerit, proferendi, & monitione Canonica præmissa promulgandi, nec non ad denunciationem eorundem procedendi, si necesse & visum fuerit expedire. Ratas etiam atque gratas habebimus sententias, quas præfati Prælati, Plebani, & præsidentes in tales Nobiles rite tulerint, & faciemus, auctore Domino, firmiter observari.

Præterea, in tantum, peccatis exigentibus, corda quorundam Presbyterorum Simoniaca servitus depravat, quod nec Baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, aut

aut extremæ Unctionis Sacramenta, nec benedictionem nubentium, aut exequias seu sepulturam mortuorum, sive alia quæcumque spiritualia, suis nolint subditis ministrare, nisi pro hujusmodi spiritualibus, seu administratione ipsorum, eis solvatur, vel promittatur pretium ex pacto, pro suæ turpitudinis excusatione, imo verius accusatione, diuturnam consuetudinem prætendentes: & quamvis hæc per statuta Provincialia, dudum per Prædecessores nostros edita, sunt expresse prohibita & vetita; Nos attendentes, quod ea, quæ super iis repetuntur, melius memoriæ commendantur: ne tam perniciosam venalitatem videamur nostris temporibus approbare, præfatum statutum, in libello statutorum Provincialium expressum, per nostrum præsens statutum duximus repetendum, mandantes: quatenus singula prædicta Sacramenta, & res sacræ, non obstante quacumque consuetudine, sine exactione cujuscumque temporalis emolumenti libere conferantur, & quicunque de cætero præmissorum, vel alicujus ex præmissis venditor deprehensus fuerit, si est Rector Ecclesiæ, perpetuo ipsa privetur; si vero Vicarius, seu Socius fuerit, ad nostros carceres, ut pœnitentiam agat, detrudatur. Insuper Archi Diaconi locorum, seu Decani rurales, si pro sacris liquoribus, Crismate, vel Oleo, per se, vel alios aliquid præsumpserint extorquere, suis beneficiis perpetuo spolientur; & quia desidia & oblivio mater ignorantiæ existunt & confusionis, ideo districte præcipimus & mandamus omnibus Archi-Diaconis, & Decanis civitatis & Diœcesis nostræ Pragensis, quatenus libellum statutorum hujusmodi, & aliorum per Prædecessores nostros, & Nos editorum, tam *Provincialium*, quam *Synodalium*, habeant, & in suis convocationibus integre legant & publicent sub pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ &c.

Datum *Pragæ*, anno Dom. MCCCLXXXXII. die XVII. mensis Junii.

Ex codice MS. Bibliothecæ Metropolitanæ Pragensis describebat Cl. Schannatus b. m.

CONCILIUM MONASTERIENSE

Anno Christi MCCCXCIII. Bonifacii IX. Papæ V. Wenceslai Regis XV.

Statutum Reverendi in Christo Patris ac Domini, Dni OTTONIS (a) *Episcopi Monasteriensis, feliciter incipit:*

I. Confirmat Statuta Antecessorum Gerhardi & Everhardi.
II. Lubberto excommunicato communicantes suspendit.
III. Jurisdictionem Archi-Diaconorum suspendit.
IV. Spolia mortuorum vetat.
V. A Coloniensi nulla rescripta recipienda.
VI. Decanus Monasteriensis non habet jurisdictionem, nisi in suos Canonicos.

OTTO, DEI GRATIA, MONASTERIENSIS EPISCOPUS, UNIVERSIS ET SINGULIS ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, PRÆLATIS, CANONICIS, ECCLESIARUM ET CAPELLARUM RECTORIBUS, CAPELLANIS, VICARIIS, ET ALIIS CLERICIS QUIBUSCUNQUE NOSTRÆ CIVITATIS ET DIOECESEOS SALUTEM, ET COGNOSCERE VERITATEM.

NOS habita deliberatione cum *fidelibus nostris Canonicis Ecclesiæ Monasteriensis non excommunicatis*, apud quos jus Capituli decernimus residere, ac Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes:

(a) Otto III. Comes de Hoya floruit ab anno 1392. ad 1424. 3. Octobr.

I. Omnia & fingula (*) per felicis recordationis Monafterienfes quondam Dominos *Gerhardum* (b), & *Everhardum* (c), Prædeceffores noftros funt ftatuta, & ordinata, & mandata, fecundum formam & tenorem eorundem per præfentem noftram conftitutionem confirmamus, ratificamus, & approbamus, & inviolabiliter præcipimus obfervari.

II. Item, cum *Lubbertus de Langhen* jam dudum Apoftolica, & Noftra auctoritatibus fit excommunicatus, & quidam Canonici Monafterienfes Archi-Diaconi dicto Lubberto communicent, & in fua malitia & pertinacia affiftant, & eundem præfumptuofe foveant, in eisdem fententiis excommunicationis ex hoc innodati;

III. Nos eorundem Archi-Diaconorum præfumptionem punire volentes, jurisdictionem, quam habere dignofcuntur, ratione dictorum Archi-Diaconatuum fufpendimus per præfentes: unde vobis univerfis præcipimus & fingulis fub pœna excommunicationis latæ fententiæ, ne quis deinceps fe intromittat nomine eorundem, aut eifdem tanquam Archi-Diaconis obediat vel intendat.

IV. Item, cum quædam confuetudo peffima, quæ potius dicenda eft corruptela, in civitate & Diœcefi Monafterienfi invaluerit, quod Archi-Diaconi civitatis & Diœcefis Monafterienfis, veftes, equum, fi habuerit aliquis, aut certam fummam pecuniæ, & res alias, nomine exuviarum ab executoribus, five hæredibus Rectorum, five Vicariorum Ecclefiarum Monafterienfis civitatis & Diœcefeos defunctorum recipere non verentur: minus attendentes, quod indecens eft, quod quidquid a bonis decedentium recipere volunt, ultra id, quod facri Canones ftatuerunt: unde nos eandem confuetudinem tanquam juri contrariam amovemus, & reprobamus, præcipientes fub pœna excommunicationis latæ fententiæ, ne quis deinceps de bonis Clericorum decedentium, feu eorum hæredibus, feu executoribus teftamenti Ecclefiæ dictæ confuetudinis extorqueat, vel recipiat quoquomodo.

V. Item ftatuimus, & ordinamus, & fub pœna excommunicationis latæ fententiæ mandamus, ut nulla perfona Ecclefiaftica noftræ civitatis & Diœcefeos, mandata, monitiones, vel fententias Domini Colonienfis Archi-Epifcopi, vel ejus Officialis recipiat, vel exequatur, cum ad id fecundum ftatuta INNOCENTII Papæ Quarti non teneatur.

VI. Item pronunciamus, & decernimus, quod Decanus Monafterienfis, qui pro tempore fuerit, & Capitulum Monafterienfe conjunctim vel divifim in vos, vel in aliquem veftrum jurifdictionem, vel mandata non habere, nec eorum præceptis vel fententiis vos, vel aliquem de vobis obligari, vel innodari. Si vero aliquid in hoc per ipfos conjunctim vel divifim in vos, vel in quemlibet veftrum attemptari contigerit, illud attemptatum ex nunc irritamus, & nullum nuntiamus, quod & vos, ubi neceffe fuerit, publicetis; Salvo, quod Decanus Monafterienfis, qui pro tempore fuerit, quemadmodum alii noftri Decani, poftquam in jus confirmationis Canonicæ funt adepti, jurisdictionem in fuos Canonicos, quod Noftra, & Prædecefforum noftrorum auctoritate recipere confuerunt.

Ex libro Monafterii Weftphalorum impreffo A. 1486.

(*) *fupple:* quæ
(*b*) Gerhardus Comes de Marca.
(*c*) Everhardus de Deeft.



CON-

CONCILIUM MONASTERIENSE

EODEM ANNO.

Reverendi in Chriſto Patris, & Domini, Domini OTTONIS de HOYA, Epiſcopi Monaſterienſis, Statuta Diœceſana feliciter incipiunt:

OTTO, DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, MONASTERIENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS, UNIVERSIS ET SINGULIS PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, ARCHI-DIACONIS, ECCLESIARUMQUE PAROCHIALIUM ET COLLEGIATARUM RECTORIBUS, AC ALIIS QUIBUSCUNQUE PERSONIS ECCLESIASTICIS, PER CIVITATEM ET DIOECESIM MONASTERIENSEM CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

CUm ad id Paſtoralis cura Nos inducat, ut regimini Paſtorali ſuis temporibus juxta neceſſitatem noſtram ſubvenire teneamur, cum vero ſtatus diverſorum Presbyterorum, & Clericorum aliorum Beneficiatorum, & non Beneficiatorum, in noſtris civitate & Diœceſi Monaſterienſi prædictis, commorantium taliter ſe habeat, ut merito inde ſuſpicio habeatur: alii tonſura debita Clericali, nec veſtibus decentibus, & prout eorum ſtatus requirit, non utentes, imo, quod deterius eſt, tabernis, hiſtrionibus, ludis ſe immiſcentes, in præmiſſis Privilegia Clericalia renuntiantes: alii autem temporibus *Synodorum Generalium* in habitu laicali, religione ſpreta comparent, non exhibentes Statuta Provincialia aut Diœceſana, ex quibus poſſent edoceri, quoquomodo & qualiter ſe & ſubditos ſuos regere poſſent, & deberent: alii vero, qui Rectores Eccleſiarum, & Capellarum Curatarum, & non Curatarum exiſtunt, nonnullos tam Religioſos, quam ſæculares Presbyteros aliarum Diœceſium, & maxime ignaros, ad Evangeliſandum Verbum Dei, & Divina, ſeu Miſſarum ſolemnia in Eccleſiis, & Capellis celebrantes ſine noſtra, aut Vicarii noſtri in Spiritualibus licentia admiſerunt, & continue ſic admittere minime curant: alii vero Capellas rurales, in eorum Parochiis conſtructas, & Deo dicatas, & ſacratas, per eorum ſubditos, licentia noſtra ad hoc minime obtenta, devaſtari, deſtrui, & annihilari permiſerunt, & adhuc permittere non formidant: alii vero, qui Rectores Parochialium Eccleſiarum, & Collegiatarum, & Capellarum Curatarum exiſtunt, coram excommunicatis celebrare non abhorrent, eosque cauſa avaritiæ, ſeu amicitiæ, & ob alias cauſas, dictos Curatos ad hoc moventes, ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis excommunicatos, prout tenentur, excommunicare recuſarunt, & recuſant. Nos vero ex Paſtorali Officio in præmiſſis omnibus, prout juſte tenemur, obviare volentes, vobis omnibus perſonis Eccleſiaſticis prædictis ſub excommunicationis inobedientiæ, & irregularitatis pœnis, quas in vos, & in quemlibet veſtrum ferimus, niſi feceritis, quæ mandamus, diſtricte præcipimus, & mandamus, ne veſtrum aliquis tabernis, ludis, hiſtrionibuſque ſe immiſceat, ſed unuſquiſque veſtrum tonſuram debitam Clericalem, & veſtes decentes, prout Statuta Provincialia, Synodalia, & Diœceſana edicunt, deferentes incedant: vobis vero Parochialium Eccleſiarum, Capellarum curatarum Rectoribus, qui ad regendum gregem Dominicum eſtis inſtituti, ut eundem gregem, voſquemetipſos multoties ex humana fragilitate errantes, eo ſalubrius regere, & ab errore ad viam veritatis reducere poſſitis, præcipimus, & mandamus ſub pœnis antedictis, quotiens uniuſcujuſque veſtrum Provincialia, Synodalia, & Diœceſana ſibi procuret ſtatuta, ſemper Synodalium tempore nunc in antea Generalium, Monaſterii celebrandarum, ſe coram Nobis, aut in Spiritualibus Vicario noſtro, cum eiſdem ſtatutis per eundem Vicarium ſignandum præſentaturus, vobis vero Eccleſiarum Collegiatarum, Parochia-

chialium, ac Capellarum Rectoribus prædictis, ac quorumcunque locorum, ac Monasteriorum Prælatis, Superioribus, præcipimus, & mandamus sub pœnis supradictis, ne de cætero aliquem Religiosum, nisi vobis per Nos, aut Vicarium nostrum in Spiritualibus præsentatus fuerit, Seu Presbyterum sæcularem, nisi per Nos, aut eundem Vicarium examinatus fuerit, & admissus, in vestras Ecclesias ad aliquos actus Sacerdotales exercendos, recipiatis, & admittatis. Cæterum autem vobis omnibus prædictis, qui Ecclesias, seu Capellas rurales, ut præmittitur, destrui permisistis, præcipimus, & mandamus; quatenus moneatis omnes & singulos, quorum nomina sciveritis, in specie, reliquos vero in genere, earundem Ecclesiarum, seu Capellarum destructores, nisi hoc de Nostra, aut piæ memoriæ *Domini Heydenrici*, Ecclesiæ Monasteriensis Episcopi, Prædecessoris nostri, seu ejusdem, sive nostri in Spiritualibus Vicarii licentia factum fuerit speciali; ut infra septem dies post vestram monitionem, quam Dominica die Passionis Domini proxime futura, post executionem præsentium per vos fieri volumus, ut valorem earum Ecclesiarum, & Capellarum, vobis, & Provisoribus Ecclesiarum vestrarum conjunctim, ad structuras Parochialium, Collegiatarum Ecclesiarum vestrarum convertendum donent, & assignent: alioquin propter hoc eosdem, dictis septem diebus elapsis, in his scriptis excommunicamus, excommunicatos publice eosdem nuntietis, nomina, & cognomina monitorum Nobis per vestras authenticas literas liquide rescribentes sub pœnis supradictis: inhibentes nihilominus omnibus & singulis vestris subditis communiter, vel divisim, quibus, & Nos sub excommunicationis, & viginti marcarum denariorum Monasteriensium per quemlibet contrarium facientem, Nobis solvendarum pœnis, præsentibus inhibemus, ne quis Capellas, seu Ecclesias rurales, noviter Deo dicatas, destruere, seu annihilare præsumat, nisi hoc de Nostra, aut in Spiritualibus Vicarii nostri licentia fecerit speciali: contrarium in præmissis facientes, excommunicationis sententiam, pœnamque pecuniariam volumus incidisse: & nihilominus, ne vestrorum Curatorum, Rectorum, & Prælatorum Ecclesiarum prædictarum aliqui per Parochiam aliquam possint prætendere ignorantiam, & valeant: ut etiam boni, ne in malum cadant, abhorreant, mali etiam de malo in bonum reducantur; Vobis præcipimus, & mandamus, quatenus per vos, aut vestros Capellanos de cœtero semel in mense ex registro inibi excommunicatis conscripto, aut conscribendo per vos excommunicari mandavimus, aut Officialis curiæ nostræ mandavit, vel forsan mandabimus, seu mandabit excommunicatos, eosdem excommunicetis, seu excommunicari faciatis, mandantes vobis, & cuilibet vestrum districte præcipiendo sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quatenus quivis vestrum præsentis nostri mandati copiam a Notario Cameræ Curiæ nostræ, & Sigillo Curiæ ejusdem munitam recipiat, antequam de civitate Monasteriensi recedat.

Datum sub Sigillo Curiæ nostræ prædictæ, quo utimur in præmissis, Anno Domini Millesimo ccc. nonagesimo tertio, feria tertia post Dominicam *Oculi*..

Lunig Continuatio II. Spicilegii Ecclesiastici pag. 808. 809.

Aliud OTTONIS *Episcopi Statutum.*

ANNO CHRISTI MCCCXCVIII.

OTTO, DEI GRATIA, EPISCOPUS MONASTERIENSIS, UNIVERSIS ET SINGULIS ECCLESIARUM PAROCHIALIUM, CAPELLARUM, ALTARIUM, DIVINORUMQUE RECTORIBUS, PER CIVITATEM ET DIOECESIM MONASTERIENSEM UBILIBET CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO.

INter alia statuta per felicis recordationis LUDOWICUM Prædecessorem nostrum edita, statutum de laicis, se de bonis, & rebus Ecclesiasticis intromittentibus, duximus innovandum, & præsentibus innovamus, cujus tenor sic inci-

incipit, & eſt talis : " Frequens itaque " & aſſidua Nos querela circumſtrepit, " quod quidam laici auſu ſacrilego non " ſolum de rebus, & perſonis Eccle- " ſiaſticis, & maxime Eccleſiarum Pa- " rochialium, ſe ingerunt, verum etiam " de reliquiarum oblationibus, clavibus, " & Eccleſiarum ornamentis, & lega- " tis ſe intromittunt contra Eccleſiaſti- " cam libertatem. Nos vero attendentes, " quod cum laicis de rebus, & perſonis " Eccleſiaſticis diſponendi, & judicandi, " vel de vita eorum aliquid inveſtigandi, " nulla attributa ſit facultas, ſed ipſo- " rum judicio, quidquid illud eſt, reſer- " vandum; provide duximus ſtatuendum, ut laici de cœtero ſe de talibus non intromittant abſque conſilio, & conſenſu Rectorum Parochialium Eccleſiarum, volentes, quod duo viri honeſti & idonei in ſingulis Eccleſiis Parochialibus Rectori Eccleſiæ adjungantur, qui ſingulas claves cum Plebano, oblationes univerſas ad luminaria, vel ad fabricam pertinentes, in una arca concludant, & de communi conſenſu aſſumtis, cum hoc opus fuerit, de Parochiis aliquibus providis & honeſtis, facturi, prout plus expedire viderint utilitatibus, & neceſſitatibus Eccleſiarum. Inſuper prohibemus ſub inſinuatione maledictonis æternæ, ne laici de cætero in Eccleſiis, cemiteriis, aut plateis truncos, aut imagines ratione queſtus ponant, vel deferant cum tabulis circumeuntes, queſtum congregantes, abſque conſilio, conſenſu, & voluntate, & ordinatione Rectorum Parochialium Eccleſiarum: & taliter conqueſta in uſus, & utilitates Eccleſiarum convertantur, de quibus omnibus tam receptis, quam expoſitis, Rectores Eccleſiarum cum Magiſtris fabricarum ſingulis annis in *Synodo quadrageſimali coram Archidiaconis ſuis* teneantur reddere rationem, de qua computatione Archidiaconi nil emolumenti ſibi poterunt vendicare. Qui vero contrafecerint, ſi perſonæ fuerint ſæculares, excommunicationis, ſi vero Collegium, vel univerſitas civitatis, vel caſtri, vel loci alterius, cujuſcunque ipſa civitas, caſtrum, vel locus, interdicti ſententias ipſo facto incurrant, monitione Canonica præmiſſa, nec ab excommunicatione hujuſmodi abſolutionem, vel interdicto relaxationem obtineant, donec de tranſgreſſione ſatisfecerint competenter. Executione facta reddite litteras ſigillatas, locum executionis, atque diem liquide reſcribentes. Datum ſub Sigillo Curiæ noſtræ Monaſterienſis majori. Anno Domini Milleſimo CCC. nonageſimo octavo, feria ſexta poſt Dominicam *Oculi.*

Impreſſum Monaſterii Weſtphalorum anno 1486. *in* 4*to.*

Recuſum a Lunig. Continuat. II. Spicil. Eccleſiaſt. pag. 809.

Aliud Statutum ejusdem Domini OTTONIS.

ANNO CHRISTI MCCCCXIII.

OTTO, DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, MONASTERIENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS, UNIVERSIS ET SINGULIS ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, TAM CONVENTUALIUM QUAM COLLEGIATARUM ECCLESIARUM DECANIS, ARCHI-DIACONIS, THESAURARIIS, SCHOLASTICIS, CANTORIBUS, CANONICIS, PAROCHIALIUM ECCLESIARUM, CAPELLARUM, ET ALTARIUM RECTORIBUS, CÆTERISQUE PRESBYTERIS CURATIS ET NON CURATIS, AC CLERICIS ALIIS PER CIVITATEM ET DIŒCESIM NOSTRAM MONASTERIENSEM CONSTITUTIS, ET EORUM CUILIBET SALUTEM, ET SINCERAM IN DOMINO CHARITATEM, ET MANDATIS NOSTRIS INFRA SCRIPTIS FIRMITER OBEDIRE.

CUm Domum Domini decet ſanctitudo, Miniſtroſque pudicos, humiles, pacificos, & modeſtos Rex pacificus pia miſeratione diſpoſuit, nonnulli tamen in miniſterium Domini aſſumpti, quos virtutis amor a vitiis non retraxit, impunitatem exceſſus ſperantes ſua effrænata pertinatia, ſui ipſius honoris ac totius ſtatus Clericalis prodigi, diverſis abuſibus, & actibus abuſivis, imo prohibitis inverecunde ſe implicant, & immiſcent, ac miniſterium ſibi traditum Deo, & Eccleſiæ non curant impendere, ad hoc ſe non teneri, temere aſſerentes, vel ſaltem impendunt minus plenarie, ac peccatum adjicientes peccato, de præmiſſis, cum male fecerint, gloriantur. Ideoque, ne culpabiles in præmiſ-

ſis ex diſſimulatione, vel permiſſione, ſaltem tacitum videamur præbere conſenſum, & ob hoc argui, ſeu de negligentia reprehendi valeamus; ad compeſcendos ſeu abolendos abuſus, & indecentia quæcunque, monemus omnes & ſingulos Clericos ſupradictos, vobiſque, & veſtrum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus infra triginta dies a data præſentium computando, quorum decem pro primo, decem pro ſecundo, & reliquos decem dies pro tertio, & peremptorio termino, ac monitione Canonica præfigimus, & aſſignamus, quaſcunque focarias, ſeu concubinas, ſi quas habetis, a vobis, & domibus veſtris ita remote repellatis, quod veriſimiliter nihil ſiniſtri poſſit ſuſpicari de eiſdem, nec eaſdem reſumatis, ſed continenter vivere ſtudeatis, & caſte ab omni libidinis vitio: quatenus in conſpectu Omnipotentis Dei puro corde, & mundo corpore valeatis miniſtrare, & familiam honeſtam vobiſcum in domibus veſtris teneatis. Et ſubditi, qui per eorum Prælatos comprehenſi fuerint in incontinentiæ vitio, prout magis & minus peccaverint, ab eorum Ordinariis, & Prælatis infra prædictum terminum triginta dierum debite puniantur: alioquin Nos præfatorum Prælatorum negligentiam ſupplentes in præmiſſis, tales puniemus ſecundum Canonicas ſanctiones pœna decenti, ut inde abſtineant a peccato. Et qui ea de cauſa per Nos, vel Prælatos ſuſpenſus, Divina Officia celebrare præſumpſerit, Beneficio Eccleſiaſtico ſpolietur, & pro duplici culpa perpetuo deponatur. Item a crapula, & ebrietate omnes Clerici ſupradicti ſe diligenter abſtineant, ut vinum ſibi temperent, nec ad bibendum quiſpiam incitetur, cum ebrietas inducat mentis exilium, & libidinis provocet incendium. Inſuper tabernas, ludos taxillorum, & alios illicitos actus non viſitetis, neque frequentetis uſuras, & negotiationes per vos, vel alios non exerceatis: conſpirationes contra vos invicem, & maxime contra Prælatos, & Majores veſtros non faciatis: tonſuras, & veſtes deferatis Clericales ultra genua protendentes, quas ſi non habetis, infra triginta dierum ſpatium vobis procuretis cum effectu: Beneficia vero Eccleſiaſtica habentes, prout eorum Beneficia exigunt, & requirunt, in quatuor proximis temporibus, & deinceps aliis temporibus a jure ſtatutis, ad ſacros Ordines ſe promoveri faciant, & procurent. Cæterum mandamus vobis Eccleſiarum Parochialium, Capellarum, & Altarium Rectoribus, ut ſuper conjugii Sacramento non permittatis ſubditos veſtros amicabilem compoſitionem, ſive transactionem inire ſub pœnis infra ſcriptis, & veſtris ſubditis, & Parochialibus ſub excommunicationis pœna inhibeatis; ne fidem ſibi mutuo dent clandeſtine, & in occulto ſuper matrimonio contrahendo, vel etiam clam contrahant matrimonium, ſed publice coram Presbytero, & pluribus aliis adſtantibus hoc faciant.

De Clandeſtinis Nuptiis.

Item omnes & ſingulos, qui clandeſtinis nuptiis interfuerint, in his ſcriptis excommunicamus, niſi infra menſem a tempore contractus hujuſmodi matrimonii Officiali, aut Sigillifero Curiæ noſtræ Monaſterienſis hoc revelaverint cum effectu: quod ſi non fecerint, ipſos ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis excommunicatos publice nuntietis, & teneatis, donec & quouſque Beneficium abſolutionis litteratorie a dicto noſtro Officiali meruerint obtinere. Monemus inſuper Proviſores, Structores Eccleſiarum, & Capellarum prædictarum, quos per vos, & quemlibet veſtrum ſub pœnis antedictis moneri præcipimus, & mandamus; quatenus infra menſem a data præſentium immediate ſequentem Eccleſias, Capellas, & cœmiteria violatas, & violata, Altariaque dicata, nondum adhuc conſecrata, neque confirmata, reconciliari, conſecrari, & confirmari procurent realiter, & cum effectu. Requirimus etiam omnes & ſingulos Teſtamentarios, & Executores Teſtamentorum, Beneficiatorum defunctorum, & quarumcunque perſonarum Eccleſiaſticarum civitatis & Diœceſis prædictarum, quatenus Sigillifero Curiæ noſtræ Monaſterienſis prædicto de bonis teſtatorum inventis infra menſem, & de diſpoſitione eorundem bonorum inventorum infra annum poſt obitum teſtatorum immediate ſequentem certificent, & informent, ut tenentur; alioquin contra eoſdem, prout de jure poterimus, cenſura Eccleſiaſtica me-

mediante procedemus: & manufideles, ſive Executores Teſtamentorum, ſive ultimarum voluntatum illorum, qui ultra annum deceſſerunt, & dicto Sigillifero noſtro de bonis teſtatorum per eoſdem inventis, nondum adhuc computum reddiderunt, licet per Nos, & noſtra mandata ad hoc ſæpius fuerint requiſiti, in his ſcriptis excommunicamus, excommunicatos ſingulis diebus Dominicis & Feſtis publice nuntietis, & teneatis. Inſuper requirimus, & in Domino exhortamur omnes & ſingulos Dominos Abbates, Priores, Præpoſitos, Decanos, & Archidiaconos, ac alios quoſcunque de jure, vel conſuetudine juriſdictionem in ſubditos habentes conjunctim vel diviſim, quatenus infra unum menſem a data præſentium proximum, & immediate ſequentem, exceſſus culpabiles ſuorum ſubditorum corrigant, & Beneficiatos quoſcunque, qui ſe a Beneficiis hucuſque abſentarunt, & abſentant, ad perſonalem reſidentiam cogant, & inducant: ſic quod nullus Beneficiatorum in Diœceſi noſtra Monaſterienſi a perſonali reſidentia ſui Beneficii ſine legitima cauſa, & abſque ſpeciali licentia ſui Prælati ſe abſentare præſumat: alioquin negligentiam ipſorum Prælatorum authoritate noſtra ſupplere volentes, contra ipſos delinquentes, & perſonaliter non reſidentes, prout juris fuerit, procedemus. Inhibemus etiam univerſis & ſingulis Eccleſiarum Parochialium, Capellarum, & Altarium Rectoribus, ne aliquos Monachos, cujuſcuque ſtatus, vel ordinis fuerint, ac Presbyteros extraneos, ignotos, in ſuis Eccleſiis, & Capellis admittant ad Divina; niſi penitus per Nos, vel Commiſſarium noſtrum fuerint approbati, & admiſſi, & de eorum admiſſione per patentes literas, ſigillo dictæ Curiæ noſtræ Monaſterienſis ſigillatas legitime conſtiterit. Inſuper mandamus vobis Rectoribus Eccleſiarum prædictis, ac Clericis, & Campanariis earundem, ut infra Miſſam, & alia Divina Officia religione, ut decet, ſitis, & ſint induti, & in caſibus, in quibus pœnitentes ad Superiores remitti debeant, ſtudeatis diligenter informare, agentesque pœnitentiam ſolemnem in die Jovis Sancto ad Eccleſiam noſtram Monaſterienſem reconciliatos, transmittatis. Cœterum proceſſus & mandata quoſcunque, & quæcunque, tam Noſtra, quam Prædeceſſorum noſtrorum auctoritatibus, de conſenſu Capituli noſtri Monaſterienſis emiſſos, & emiſſa, & plures *in Sancta Synodo Generali in dicta noſtra Eccleſia Monaſterienſi celebrata* in præſentia Prælatorum, ac aliorum Clericorum civitatis & Diœceſis Monaſterienſis tunc ibidem congregatorum, executos, & executa, una cum ſtatutis tam Provincialibus, quam Synodalibus, in omni eorum forma præſentibus innovamus; ipſosque, & ipſa vobis univerſis & ſingulis ſupradictis intimamus, inſinuamus, & notificamus, ac eos, & ea cum & ſub pœnis & cenſuris in eiſdem contentis, & expreſſis, firmiter & inviolabiliter obſervare præcipimus, & mandamus. Inſuper vobis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archi-Diaconis, Eccleſiarumque Parochialium, Capellarum, & Altarium Rectoribus noſtrarum civitatis & Diœceſis prædictarum, & veſtrum cuilibet ſub pœnis infra ſcriptis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus copias tam Provincialium felicis recordationis Dominorum CONRADI, ENGELBERTI, SIFRIDI, WIGBOLDI, HENRICI, WALRAMI, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcoporum, quam Synodalium videlicet LUDOWICI & FLORENTII, Monaſterienſis Eccleſiæ Epiſcoporum, Statutorum vobis in debita forma infra hinc & feſtum Sancti Michaelis Archangeli proxime venturum procuretis, ut vos ſecundum formam & tenorem eorundem debite regere, & gubernare valeatis, ac copiam eorundem ſtatutorum in proxima ſancta Synodo tunc proxima & immediate ſequente, Sigillifero Curiæ noſtræ prædictæ noſtro nomine per vos, & quemlibet veſtrum realiter, & cum effectu ſub eiſdem pœnis exhibere, præcipimus & mandamus. Omnia & ſingula, & quodlibet præmiſſorum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam ferimus in his ſcriptis, & centum florenorum Rhenenſium ſine nova declaratione noſtra, inviolabiliter obſervari, præcipimus, & mandamus. Inſuper mandamus vobis Archi-Diaconis, & aliis Prælatis, ac Rectoribus Eccleſiarum ſupradictis, ut copiam recipiatis ex præmiſſis, ut ea veſtris ſubditis, ne aliquam ignorantiam præmiſſorum prætendere valeant, poſſitis intimare, abſentes vero, qui

qui ad hanc ſanctam Synodum abſque Noſtra, ſive dicti noſtri Sigilliferi petita, & obtenta licentia ſpeciali non venerint, vel qui ſine religione dictam ſanctam Synodum intraverint, præſentibus judicamus contumaces, & ſuper hujuſmodi contumacia, prout juris fuerit, procedemus. Per hoc præſens noſtrum mandatum Eccleſiam noſtram Monaſterienſem, & Beneficiatos in eadem, propter gloriam & honorem ejuſdem nolumus in præmiſſis, ſeu in aliquo præmiſſorum coarctari, vel ligari. In quorum teſtimonium ſigillum Officialatus Curiæ noſtræ Monaſterienſis majus, quo utimur, ad præmiſſa præſentibus eſt appenſum. Datum anno Domini M.CCCC.XIII. ſabbato poſt Dominicam *Oculi.*

Impreſſum Monaſt. Weſtphal. anno 1486. *Recuſum a Lunig. Continuat. II. Spicil. Eccleſiaſt. pag.* 809.

Statuta Provincialia Colonienſia, ac Synodalia, ſeu Diœceſana Monaſterienſia fideliſſime a Johanne Limburgio, Aquenſi, Monaſterii Weſtphaliæ electiſſimo caractere impreſſa. Anno noſtræ ſalutis M. CCCC. LXXXVI. pridie Idus Octobris finem feliciter ſumpſerunt.

Tinxerat hæc formis ſculptores arte Joannes
Limburgus ſuperans, nec Polyclete negas.
Hoc ſibi Pellei juvenis tribuiſſet Apelles
Pictor, & ex auro, qui dedit ora ducis.

CONCILIUM COLONIENSE

Anno Chriſti MCCCC. Bonifacii IX. Papæ XI. Ruperti Imp. I.

Poſt Viſitationem Generalem Domini FRIDERICI.

FRIDERICUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, UNIVERSO CLERO, CÆTERISQUE ECCLESIASTICIS PERSONIS NOSTRARUM CIVITATIS ET DIŒCESIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

QUoniam *in Viſitatione Generali* per Nos *perſonaliter* in noſtra, & in nonnullis aliis Civitatis & Diœceſis noſtræ Sæcularibus & Regularibus Eccleſiis, per certos noſtros in hac parte *Commiſſarios* nuper facta, comperimus, in ipſis Eccleſiis & earum perſonis plurima, Deo utique & Nobis ingrata, ac Reformatione & correctione digna; ad quæ reformanda & corrigenda, licet multis arduis Eccleſiæ noſtræ prægravemur negotiis, ſolerti cura intendimus, & ea tam Prædeceſſorum noſtrorum innovatione, quam novorum ſtatutorum editione, nec non aliis viis & modis, quibus de jure poſſumus, reformare & corrigere, ſicut noſtro incumbit officio, deſiderabiliter affectamus.

C. I. *Innovatio Statutorum Archi-Epiſcoporum Colonienſium.*

Inprimis igitur omnia & ſingula Prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta & mandata, præſertim ea, quæ pro Divini cultus augmento & reformatione morum, actuumque Clericorum, & Eccleſiaſticarum perſonarum hactenus ſalubriter emanarunt, quæque etiam dudum Nos innovaſſe meminimus, denuo ex abundanti tenore præſentium innovamus, univerſis & ſingulis Prælatis noſtræ Cathedralis, aliarumque Eccleſiarum Collegiatarum, Regularium & Sæcularium civitatis & Diœceſis noſtrarum, in virtute ſanctæ obedientiæ, diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus ipſi ſtatuta & mandata hujuſmodi, atque Noſtra, cum eorum moderationibus & declarationibus, quorum copiam dictarum Eccleſiarum Capitula, & Conventus vigore mandati ſuper hoc a Nobis pridem emiſſi, *& in Sancta Synodo* publicati, habere tenentur, diligenter per ſe ipſos obſervent, & a ſuis ſubditis faciant inviolabiliter obſervari, ipſorumque

que ſtatutorum ac mandatorum temerarios transgreſſores, prout ad eos, & eorum quemlibet pertinet, taliter corrigere & punire non differant, quod metu pœnæ curent ea diligentius obſervare, eorumque pœna ſit cæteris in exemplum. Illos vero, qui excommunicationis, aut ſuſpenſionis, vel interdicti ſententias in dictis ſtatutis & mandatis prolatas, incurrerint, volumus & mandamus a perceptione fructuum Beneficiorum ſuorum tam diu remanere & teneri ſuſpenſos, ac in Divinis vitari Officiis, donec a Nobis, vel Officiali Curiæ noſtræ Colonienſis fuerint abſoluti, & de abſolutione hujuſmodi Capitulis vel Prælatis ſuis, per Noſtras, vel ipſius Officialis noſtri literas, fecerint plenam fidem.

C. II. *De Diaconis Eccleſiæ majoris Colonienſis.*

Item, quia in Eccleſia noſtra Colonienſi, *ſicut in Viſitatione prædicta invenimus*, dudum fuit & adhuc eſt evidens Diaconorum defectus, præſertim ex eo, quod Canonici, qui de conſuetudine ipſius Eccleſiæ deberent eſſe Diaconi, & eidem in Diaconatus ordine ſervire, quamvis per Decanum ejuſdem Eccleſiæ ſæpius moniti diſtulerunt, & differunt, etiam abſque cauſa rationabili, ad hujuſmodi ordinem ſe facere promoveri, propter quod Eccleſia ipſa in Miſſarum celebrationibus ac Capitularis diſciplinæ debitis obſervationibus, aliaſque ſpiritualibus & temporalibus gravia ſuſtinuit & ſuſtinet detrimenta; Nos volentes ſuper hoc de oportuno providere remedio, requirimus & monemus ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio, univerſos & ſingulos Canonicos Eccleſiæ noſtræ prædictæ, qui juxta præfatam conſuetudinem deberent ad dictum Ordinem eſſe promoti, & non ſunt, ut intra quatuor menſes poſt publicationem præſentium continue & immediate ſequentes, ad eundem ordinem, ceſſante impedimento legitimo, ſe faciant promoveri. Alioqui monitioni noſtræ hujusmodi non parentes, a perceptione omnium fructuum, reddituum, & proventuum Præbendarum, quæ in dicta Eccleſia obtinent, ſint ipſo facto ſuſpenſi. Inhibentes diſtricte, & ſub excommunicationis pœna, quam in his ſcriptis ferimus, univerſis & ſingulis, ad quos fructuum, reddituum, proventuum hujuſmodi miniſtratio, ſeu quævis diſtributio pertinet, ne talibus ſic ſuſpenſis quicquam de hujuſmodi fructibus, redditibus, & proventibus, aut etiam quotidianis diſtributionibus, per ſe, vel per alium, ſeu alios, quovis colore quæſito, diſtribuant, vel miniſtrent. Si qui vero Canonici legitimam habuerint excuſationem, propter quam a ſuſceptione memorati ordinis velint & debeant merito ſupportari, illam coram Nobis, aut Officiali Curiæ noſtræ Colonienſis intra prædictos quatuor menſes proponere, & probare debebunt. Et ne diutius præfata Eccleſia noſtra Diaconorum patiatur defectum, volumus & ordinamus, quod ſi dicti Canonici ſic (ut præfertur) moniti, non fuerint intra quatuor menſes præfatos ad ordinem antedictum promoti, quod extunc quatuor inferiores Canonici proximiores in gradu, ad hoc habiles & idonei, ſeu tot, quod ad minus quinque vel ſex Diaconi ad miniſtrandum, ac ſerviendum in memorato ordine ſufficientes & idonei, ſint in ipſa Eccleſia continue reſidentes, poſſint & valeant ad præfatum ordinem aſcendere, & ad illum ſe facere promoveri, ac in eodem libere & licite miniſtrare: quibus etiam ſub pœna ſuſpenſionis antedicta præcipimus & mandamus, ut ad ordinem ipſum, cum ad hoc per dictæ Eccleſiæ Decanum fuerint moniti, & requiſiti, procedere non recuſent. Ut autem ad hoc facilius inclinentur, ſtatuimus & ordinamus, quod tales poſt eorum promotionem, nec non alii idonei, ſi qui inferioris gradus ejuſdem Eccleſiæ Canonici, jam ad ordinem illum exiſtunt promoti, gaudeant & potiantur in Capitulo, & extra, omnibus honoribus, emolumentis, & prærogativis, quibus ipſius Eccleſiæ Canonici Diaconi gaudere hactenus conſueverant, & ſolent. Ordinationem quoque præſcriptam deinceps perpetuo, quando, & quoties in ipſa Eccleſia opus fuerit, volumus obſervari. Non obſtantibus quibuſcunque ejuſdem Eccleſiæ contrariis conſuetudinibus, ordinationibus, & ſtatutis, quibus in hac parte ob urgentem ipſius Eccleſiæ neceſſitatem, & evidentem utilitatem, duximus derogandum.

C. III. *Contra inobedientes in receptione Ordinum quarumcunque Ecclesiarum Civitatis & Diœcesis Coloniensis.*

Item cum non solum Ecclesiæ nostræ Majori, verum etiam universis civitatis & Diœcesis nostræ Ecclesiis, ne in ipsis Ministrorum defectus existat, teneamur ex officii nostri debito providere: idcirco felicis Rec. Domini WILHELMI, Prædecessoris nostri, inhærentes statuto, quod incipit: *Ex injunctæ Nobis* &c. quibusdam tamen additis & mutatis, innovando statuimus & ordinamus, quod Beneficiati quicunque in nostra Coloniensi, vel aliis Collegiatis Ecclesiis civitatis & Diœcesis prædictarum, qui Dignitates, Personatus, Officia, seu Præbendas, vel alia Beneficia Ecclesiastica, quibus certi ordines sunt annexi, aut debentur, pacifice nunc obtinent, aut obtinebunt in futurum, si legitimo cessante impedimento, ad hujusmodi ordines, quos Dignitates, Personatus, Beneficia, seu Officia requirunt, quovis modo etiam de consuetudine, vel de jure, si Subdiaconalis, vel Diaconalis ordo forsan existit, intra sex menses: si vero Presbyteralis ordo fuerit, intra annum a tempore pacificæ possessionis adeptæ Beneficiorum prædictorum, se promoveri non fecerint, extunc a perceptione fructuum Beneficiorum eorundem, quæ hujusmodi requirunt, sint ipso facto auctoritate præsentis nostri statuti suspensi; quos deductis oneribus eisdem Beneficiis incumbentibus, in usus Fabricæ, seu ornamentorum Ecclesiarum, in quibus Beneficia ipsa consistunt, decernimus convertendos. Quam suspensionem, si postmodum hujusmodi Beneficiati per sex menses contumaciter sustinuerint, volumus & mandamus, ipsos dictis suis Beneficiis, hujusmodi ordines requirentibus, extunc per suos Superiores, ad quos hoc pertinet, omnino privari, & illa aliis idoneis conferri personis, qui velint & possint ad hujusmodi ordines intra tempus prædictum Canonice promoveri, pœnis aliis, quæ contra tales promoveri ad ordines recusantes, statuuntur in jure, nihilominus in suo robore duraturis.

C. IV. *Contra negligentes Missam, aut Evangelium vel Epistolam cantare.*

Item Statutum *bonæ mem.* WALRAMI Prædecessoris nostri, quod incipit, *Quanquam olim bonæ memoriæ &c.* editum contra Canonicos negligentes cantare Missam, aut Evangelium, vel Epistolam, cum ipsis ex ordine hæc cantanda incumbunt, præsentibus specialiter innovantes, præcipimus & mandamus statutum hujusmodi in omni sui forma firmiter observari: adjicientes eidem, quod negligentia seu defectus Canonici non cantantis per se, vel alium Missam, aut Evangelium, vel Epistolam, cum hæc sibi incumbunt, possit per quemcunque alium ipsius Ecclesiæ Cononicum, ad hoc idoneum, negligente Canonico etiam irrequisito, suppleri. Cui sic alterius in præmissis supplenti defectum, volumus, & sub pœna excommunicationis (quam ferimus in his scriptis) præcipimus & mandamus, statim finita Missa, per distributorem præsentiarum seu quotidianarum distributionum pro tempore ejusdem Ecclesiæ, de hujusmodi præsentiis seu distributionibus ipsi negligenti tum competentibus, seu inposterum competituris, quatuor grossos Turonenses antiquos, seu eorum in alio pagamento valorem, sine contradictione qualibet solvi & ministrari, quos ipse distributor eidem negligenti postmodum defalcare poterit & debebit.

C. V. *Ut Prælati Ecclesiarum, compellant Clericos suos ad celebrationem Divinorum.*

Item, quia propter reprehensibilem Prælatorum negligentiam & desidiam, ut *in Visitatione prædicta* comperimus, Horæ Canonicæ, & alia Divina Officia, tam in nostra majori, quam in aliis Collegiatis Ecclesiis nostræ civitatis & Diœcesis, sæpe negligenter & indevote, ac plerumque a paucis psalluntur, & celebrantur personis; districte injungimus, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus dictarum Ecclesiarum Prælatis, quatenus ipsi, prout ad eos & eorum quemlibet pertinet, Canonicos, Vicarios, & Altaristas, cæterosque dictarum Ecclesiarum Beneficiatos, eis subjectos, sine licentia, & rationabili causa absentes, & non residentes,

dentes, ad residendum moneant,& requirant.

Præsentes vero, ad interessendum frequenter, debitisque temporibus, horis, & Officiis memoratis, nec non ipsos Vicarios,& Altaristas ad celebrandum assidue Missas in suis Altaribus, ut tenentur, studiose inducant: contra rebelles,& contumaces in præmissis, vel aliquo præmissorum, seu alias quomodolibet delinquentes, debitam exerceant disciplinam, si DEI offensam, & Nostram vitare voluerint ultionem.

Verum, quia nonnulli prædictarum Ecclesiarum Canonici, & alii Beneficiati, propter eorum absentiam a perceptione fructuum Præbendarum, & Beneficiorum suorum, per suos Prælatos, & Superiores rite suspensi, suspensionem hujusmodi (ut accepimus) quandoque pluribus annis contumaciter sustinent: quidam etiam suspensione ipsa durante, nihilominus fructus suarum Præbendarum, & Beneficiorum hujusmodi, interdum de facto ausu temerario percipere non verentur: propter quæ, Præbendæ, & Beneficia hujusmodi, plerumque debitis servitiis indebite defraudantur.

Nos itaque attendentes, quod crescente contumacia, crescere debet & pœna: statuimus & ordinamus, quod quicunque præfatarum Ecclesiarum Beneficiatus, deinceps hujusmodi suspensionem per annum integrum pertinaci animo sustinuerit, seu qui durante suspensione ipsa, quicquam de Beneficii sui fructibus, a quorum perceptione est suspensus, propria temeritate perceperit, excommunicationis sententiam, quam ferimus in his scriptis, ipso facto incurrat.

C. VI. *Ut Beneficiati, non absentent se a Beneficiis suis sine licentia suorum Prælatorum: & tunc faciant deservi-ri Beneficiis suis per Vicarium.*

Præterea statuimus, quod quicunque Canonicus aut Vicarius, vel alias in aliqua prædictarum Ecclesiarum Beneficiatus seu intitulatus, voluerit ex licita, & rationabili causa abesse, tenetur a suo Prælato, seu ab illo, vel illis, cui seu quibus de jure, vel consuetudine hoc competit, licentiam petere & obtinere: qua petita & obtenta, debet per aliam personam idoneam, Beneficio suo, a quo se absentat, durante ejus absentia, facere deserviri: quod si non fecerit, volumus & præcipimus, ut per Decanum, & Capitulum Ecclesiæ, in qua Beneficium hujusmodi est constitutum, minister substituatur idoneus, qui eidem Beneficio,& Ecclesiæ interim deserviat, in Divinis, cui de fructibus, & redditibus ejusdem Beneficii, mandamus per ipsos Decanum num & Capitulum congrue provideri.

Quicunque vero sine licentia a suo Beneficio se absentare præsumpserit, etiamsi per alium idoneum hujusmndi Beneficio deserviat, nihilominus a perceptione fructuum ipsius Beneficii, per illum ad quem id pertinet, suspendatur. Salvis tamen in his rationabilibus cujuslibet Ecclesiæ observantiis, consuetudinibus, & statutis, quibus per hanc constitutionem non intendimus derogare, aut eis præjudicium aliquod generari.

C. VII. *Ne quotidianæ distributiones Præsentiarum, fiant in absentes.*

Item ut Canonici, & alii prædictarum Ecclesiarum Beneficiati seu Clerici, horis Canonicis, Missarum celebrationibus, aliisque Divinorum Officiis, dum in ipsis peraguntur Ecclesiis, curent frequentius interesse: statuimus, ut distributiones quotidianæ, in quibuscunque rebus constiterint, quæ pro defunctorum memoriis, vel alia quavis de causa in dictis Ecclesiis, Canonicis, & aliis Beneficiatis earum dari consueverant & solent, non dentur nisi illis, qui hujusmodi officiis & memoriis, tempore quo celebrantur & fiunt, in choris earundem Ecclesiarum *præsentialiter* intersunt, licet in ipsis Ecclesiis præsentes existant. Qui vero aliter de distributionibus ipsis quicquam receperint (illis tamen, quos infirmitas, seu justa & rationabilis corporis, ac evidens Ecclesiæ utilitas excusaret, nonnullis etiam Ecclesiarum Prælatis, quibus de antiqua ipsarum Ecclesiarum consuetudine,& observantia, distributiones hujusmodi etiam in absentia sunt solitæ ministrari, exceptis) rerum sic receptarum dominium non acquirant, nec faciant eas suas, imo ad omnium restitutionem, quæ contra hujusmodi nostrum statutum receperint, teneantur. Mandantes,

dantes,& districte præcipientes universis administratoribus pro tempore dictarum distributionum, ut statutum hujusmodi fideliter tenere & observare procurent. Alioqui contrarium facientes, ipso facto excommunicationis sententia innodamus. Præmissis insuper addendo statuimus, & sub pœna prædicta mandamus, ut præfatæ distributiones, quatenus facultates,& vires bonorum, ac reddituum ad eas faciendas assignatorum patiuntur, dentur horis, temporibus & modis, & ad hoc per illos, qui eas de suis, vel aliorum bonis ordinarunt, rationabiliter constitutis: & prout horæ, tempora & modi hujusmodi, in libris memoriarum cujuslibet Ecclesiæ, annotati & conscripti existunt: reprobantes penitus & omnino detestabilem abusum, qui in quibusdam Ecclesiis inolevit, in quibus illi, qui in commendatione animarum, dum legitur Psalmus *Miserere*, præsentes existunt, licet ante & post se absentaverint, distributiones, quæ pro defunctorum memoriis largiuntur, integraliter percipiunt, ac si totali Animarum Officio, videlicet Vigiliis, Missæ, & Commendationi, *præsentialiter* interfuissent. Præsentias vero quis uno die habere non potest in duabus Ecclesiis civitatis Coloniensis, nisi sit Prælatus in una ex ipsis.

Item, ut his, qui in duabus, vel pluribus Ecclesiis nostrarum civitatis & Diœcesis Canonici, vel alias Beneficiati existunt, vagationis & dissolutionis subtrahatur occasio: statuimus & ordinamus, quod nemo deinceps una die in diversis Ecclesiis, in quibus Beneficia detinet, quotidianas distributiones percipiat, nisi in aliqua prædictarum Ecclesiarum sit Prælatus, seu alias ei hoc competat ex privilegio, vel jure alio speciali: ne, dum ad plures uno tempore festinat Ecclesias, nulli earum debitum famulatum impendat.

C. VIII. *De annis gratiæ, defuncto ac Ecclesiæ debitis, redimendis.*

Item cupientes Divinum cultum nostris augeri temporibus, qui, propter defunctorum Canonicorum Præbendas, quarum fructus de consuetudine, (ut accepimus) in singulis fere Collegiatis Ecclesiis nostræ civitatis & Diœcesis, ad certos annos ipsis Ecclesiis, & defunctis de facto totaliter applicantur, in multis Ecclesiis est non modicum diminutus, constitutionem, *Suscepti regiminis*, per fel. Rec. JOANNEM Papam XXII. super hoc editam, volumus & mandamus in omni sua forma diligentius observari. Præterea concedimus & indulgemus his, qui Præbendas Sacerdotales, in dictis Ecclesiis jam obtinent, vel in posterum obtinebunt, salva moderatione prædictæ Constitutionis, *Suscepti regiminis*, quod ipsi, si voluerint, omnium & singulorum annorum expectantiarum, in qualibet Ecclesia videlicet, quemlibet annum, quem elegerint redimendum, possint & valeant pro 30 libris grossorum Turonensis monetæ quondam Domini WALRAMI, Prædecessoris nostri, aut eorum valore redimere, sicuti idem Prædecessor noster in quadam constitutione sua super hoc edita, his, qui via permutationis Præbendas in dictis Ecclesiis assequuntur, noscitur indulsisse. Præterea statutum ejusdem Prædecessoris nostri, quod fructus annorum expectantiarum, aut pecuniam, quæ a Canonicis via permutationis intrantibus, & fructus hujusmodi redimentibus datur, inter singulares Canonicos dividi prohibet, sed in communem utilitatem, videlicet ad fabricam, vel ornatum ipsarum Ecclesiarum duntaxat converti; volentes inviolabiliter observari, ipsum propter multorum abusum duximus pœnæ adjectione innovandum: statuentes, ut transgressores dicti statuti, excommunicationis sententiam ipso facto incurrant: a qua absolvi non valeant, donec ea, quæ de memoratis fructibus seu pecuniis in eorum privatam utilitatem conversa fuerint, plene & integraliter restituant, & de transgressione hujusmodi satisfecerint competenter.

C. IX. *Si expectans moritur, antequam fructus percipiat, Successor ejus tempora sua continuat, nec denuo tempus incboat.*

Item quia WALRAMUS Prædecessor noster præfatus, ne Præbendas Ecclesiarum, in quibus vacantibus Præbendis, fructus earum per certos annos defuncto, & Ecclesiis de consuetudine applicantur, nimis diu suis servitoribus, & ministris carere contingat, aliisque legitimis rationibus motus, duxit provide statuendum, ut nulla Ecclesia civitatis & Diœcesis Colonien-

lonienſis, ſibi & defunčto ultra quadriennium fructus Præbendarum ipſius Eccleſiæ vacantium, etiamſi durantibus annis expectantiarum vacent pluries ſucceſſive, vendicet, vel uſurpet: ſœpe dubitatur a multis, ſi aliquis Canonicus poſt completum dictorum annorum numerum, ad perceptionem fructuum Præbendæ ſuæ ſic admiſſus decedat, vel Præbendam ſuam ſimpliciter, vel permutatione, vel alia quavis ex cauſa reſignet ſeu dimittat, utrum dictum ſtatutum etiam locum habeat in hoc caſu? Nos dubitationem hujuſmodi in caſu præmiſſo locum habere declaramus, ipſumque ſimilitudine rationis inducti, ad eundem caſum extendimus & prorogamus, mandantes, & ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio diſtricte præcipientes, ut ſucceſſor in tali Præbenda, ſine ulteriori expectatione ad perceptionem fructuum ipſius Præbendæ, qualibet difficultate ſemota, benevole admittatur, non obſtante contraria conſuetudine, ſi qua forſan ab aliquibus prætendatur Eccleſiis, vel perſonis de facto ſervata, quam, utpote abuſionem, & corruptelam, penitus abolemus.

C. X. *Ut Miniſtri maneant apud Presbyterum circa Altare.*

Item, quia nonnulli Diaconi, & Subdiaconi in noſtra Majori, aliiſque Collegiatis Eccleſiis noſtræ civitatis & Diæceſis, Sacerdotibus ad Altare pro tempore miniſtrantes, plerumque (ut intelleximus) tempore celebrationis Miſſarum, dum circa Altaris miniſterium deberent eſſe ſoliciti, & cum debita veneratione intenti, circumcirca ipſum Altare hinc inde irreverenter vagantes, prophanis, ac vanis nedum virorum, ſed etiam mulierum colloquiis intendere non formidant in Divinæ Majeſtatis offenſam, & adſtantium ſcandalum populorum: quidam vero hujuſmodi miniſtrantium, & nonnulli alii earundem Eccleſiarum tam Canonici, quam Vicarii, Chorum pro tempore in dictis Eccleſiis regentes, & lectiones legentes, nonnunquam calopodiis contra ſtatuta bonæ memoriæ WILHELMI, Prædeceſſoris noſtri, ſuper hoc edita, indecenter utuntur: quidam etiam contra memorati Prædeceſſoris noſtri ſtatuta, ſæpius legunt private Horas ſuas in Choro, dum Divina inibi officia ab aliis ſolenniter peraguntur: ſunt inſuper nonnulli, qui raro ad Chorum conveniunt: ſunt & alii, qui Chorum ipſum abſque rationabili cauſa, ante finem Divini officii frequenter exeunt: & ſunt nonnulli, qui tempore Divinorum, dum ſpiritualibus canticis & orationibus deberent humiliter & devote inſiſtere, in Eccleſia de loco ad locum vagantur, ac vanis & ſuperfluis laicorum & aliorum colloquiis, & confabulationibus intendunt, prout hæc, & plura alia indecentia comperimus *ex Viſitatione antedicta*: Nos igitur ſuper his providere cupientes, ipſarum Eccleſiarum Decanis, ad quos hujuſmodi exceſſuum ſpectat correctio, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte injungimus, quatenus tales ſic corrigant, quod metu pœnæ a præmiſſis, & aliis conſimilibus exceſſibus, & indecentiis prorſus abſtineant, & alii eorum exemplo perterriti, ſimilia facere, pertimeſcant.

Intimamus etiam eiſdem Decanis, quod ſi ipſi circa correctionem hujuſmodi exceſſuum, ſeu indecentiarum, negligentes & remiſſos ſe exhibuerint, Nos contra eos, propter hoc ad pœnas debitas procedemus, & nihilominus eorum negligentias, prout Nobis ex officii noſtri debito incumbit, ſupplere curabimus remediis opportunis.

C. XI. *De Stationibus, qualiter ſint obſervandæ, & de præſentiis dandis eiſdem.*

Item, ut Stationes ſolitæ & conſuetæ in civitate noſtra Colonienſi, & extra, honorifice & decenter teneantur & fiant, ſtatuimus & ordinamus, quod diſtributiones quotidianæ, quæ Canonicis, & aliis Beneficiatis, hujuſmodi ſtationibus intereſſentibus dari ſolent, nullis de cætero dentur, niſi illis, qui *proceſſionaliter* ad locum, ſeu Eccleſiam, ubi ſtatio ſervatur, vadunt, ac Chorum ipſius Eccleſiæ intrant, ibique uſque ad finem Divini Officii perſeverant, & peracto officio, cum cruce ad Eccleſiam ſuam revertuntur: exceptis illis, quos ad revertendum cauſa rationabilis excuſaret. Et ut hujuſmodi ordinatio noſtra ſuum melius ſortiatur effectum, inhibemus ſub pœna excommunicationis, diſtributoribus pro tempore dictarum diſtri-

diſtributionum, quod diſtributiones hujuſmodi, niſi poſt ſtationem completam & reditum proceſſionis, nulli cujuſcunque etiam ſtatus, dignitatis, vel conditionis extiterit, tribuant ſeu miniſtrent, nec in hoc fraudem aliquam committere quovis modo audeant, vel præſumant.

C. XII. *De Baculo Sancti Petri.*

Item, cum Baculum B. PETRI de Eccleſia noſtra Colonienſi ad aliquam ſtationem cum Cruce proceſſionaliter (ut moris eſt) portari continget, ipſum in Eccleſiam cum Cruce & proceſſione ſolenniter & devote (ut decet) reportari præcipimus & mandamus, non obſtante contraria obſervantia, quam velut inhoneſtam, & contra reverentiam Beato PETRO Patrono noſtro debitam, merito deteſtantes, obſervari de cætero diſtrictius inhibemus.

C. XIII. *De Chorali Pelliceo.*

Item ſtatutum CONRADI, bonæ memoriæ Prædeceſſoris noſtri, ut videlicet in civitate noſtra Colonienſi Canonici in magnis feſtivitatibus, & ſolennibus ſtationibus ſine chorali pelliceo in Eccleſiis, vel earum Choris non incedant: quod quorundam temeritas male ſervat: volentes hujuſmodi ſtatutum, quod honeſtati congruit, pœnæ adminiculo juvare, transgreſſores ipſius in amiſſione quotidianarum diſtributionum, quas illa die in Eccleſiis, in quibus Beneficiati exiſtunt, habituri forent, mulctari volumus, & puniri.

C. XIV. *De propina vigore literarum Apoſtolicarum, vel Ordinis receptionis.*

Item ſtatuimus, cum quis vigore Apoſtolicæ, aut alterius gratiæ, ſeu admiſſionis, vel receptionis ſuæ ad quodcunque Beneficium, in aliqua dictarum Eccleſiarum conſiſtens, Decano, & Capitulo, ſeu Canonicis ipſius Eccleſiæ, in qua hujuſmodi literas publicari, ſeu admiſſionem, & receptionem fieri contingit, ſemel dederit *propinam* ab antiquo eis dari ſolitam & conſuetam: ſi idem poſtmodum hujuſmodi Beneficium, tanquam ſibi non debitum dimiſerit, ſeu ab eo finaliter evictum fuerit, & vigore ejusdem gratiæ aliud Beneficium in eadem Eccleſia fuerit aſſecutus, vel ut aſſequatur inſiſtat; propter hoc ad *aliam propinam* denuo ſolvendam, ſeu dandam nullatenus teneatur: ſub excommunicationis pœna diſtricte inhibentes, ne aliqui prætextu alicujus etiam conſuetudinis, hactenus obſervatæ, quam minus æquam & rationi contrariam reputamus, propinam hujuſmodi plus quam ſemel in caſu præmiſſo, a quoquam directe, vel indirecte præſumant exigere, ſeu extorquere. Contrarium facientes, ad reſtitutionem ſic exactorum teneri volumus, & efficaciter obligari, nulla eis in hoc eorum, quibus reſtitutio facienda fuerit, remiſſione, liberalitate, ſeu gratia valitura.

Ultra antiquam conſuetudinem, non eſt augmentanda propina a Vicariis, Altariſtis, ſeu Choriſociis.

Præterea *ex Viſitatione* antedicta intelleximus, quod Decanus, & Capitulum Eccleſiæ noſtræ Majoris, ſuis propriis commodis inhiantes, nuper paucis annis elapſis, quandam ordinationem ſua authoritate fecerunt de facto, per quam, antiquam propinam a Vicariis, Altariſtis, & Choriſociis ipſius Eccleſiæ, cum de novo in ipſa Eccleſia recipiuntur, dari ſolitam, augmentare temere præſumpſerunt, in ipſorum Vicariorum, Altariſtarum, & Choriſociorum præjudicium non modicum & gravamen: Nos ordinationem hujuſmodi, utpote illicitam, cum ſacris ſit inimica Canonibus, merito reprobantes, eam quatenus de facto proceſſit, caſſamus, tollimus, & irritamus, eiſdem Decano & Capitulo ſub excommunicationis pœna firmiter inhibentes, ne de cætero memoratam propinam novam, ab aliquo exigere, vel recipere, quocunque colore quæſito, præſumant, ſed *antiqua propina* contenti exiſtant. Alioqui tam exigentes & recipientes, quam etiam hujusmodi novam propinam ſolventes, eo ipſo excommunicationis ſententiam ſe noverint incurſuros. Præfatam autem inhibitionem & ejus pœnam, in quibuscunque etiam Collegiatis Eccleſiis noſtrarum Civitatis & Diœceſis, earumque perſonis, ſimili morbo infectis, locum habere volumus, & ad easdem extendi.

C.XV.

C. XV. *Panes, qui dantur loco distributionum quotidianarum, non debent dari aliis, quam his, qui intersunt Divinis.*

Item cum ea, quæ ad certum usum, largitione fidelium sunt destinata, ad illum debeant, & non alium usum converti, inhibemus sub excommunicationis pœna, quam in omnes & singulos contrarium quomodolibet facientes, seu fieri procurantes, ferimus in his scriptis, ne quotidianæ distributiones in Ecclesia nostra Coloniensi in simellis (quæ *panes cœnales* communiter nuncupantur) consistentes, & Canonicis, ac Vicariis, seu Altaristis, & Chorisociis ipsius Ecclesiæ, Divinis Officiis ac Defunctorum memoriis, dum in ipsa Ecclesia peraguntur, interessentibus, dari, ac ministrari consueverunt, & debent, ad quorum usus distributiones hujusmodi (ut ex dicta Visitatione cognovimus) specialiter & duntaxat sunt deputatæ, personis aliis (sicut a nonnullis annis proxime præteritis citra, eas in dictorum Canonicorum, Vicariorum, & Chorisociorum præjudicium comperimus indebite ministratas) de cætero ullatenus ministrentur.

C. XVI. *De Cista Vicariorum.*

Item, quia propter frequentes mutationes Vicariorum, & Altaristarum in nostra Cathedrali, vel aliis Collegiatis Ecclesiis nostrarum civitatis & Diœcesis complures literæ, ut *ex præfata Visitatione* percepimus, super fundationibus, ac bonis, ac juribus Vicariarum, & Altarium dictarum Ecclesiarum confectæ, damnabiliter sunt deperditæ & neglectæ: Nos earundem Vicariarum, & Altarium indemnitatibus in futurum (quantum possumus) præcavere volentes, præcipimus & mandamus, ut intra sex menses, post publicationem præsentium continue sequentes, in qualibet prædictarum Ecclesiarum, per Capitulum earundem, procuretur expensis Rectorum Vicariarum, & Altarium prædictorum, una bona & conveniens cista, quæ duas habeat seras, & duas claves diversas, quarum unam senior Canonicus Presbyter, juxta sui introitus ordinem, & aliam senior Vicarius, seu Altarista cujuslibet Ecclesiæ, residentes, fideliter custodiant & conservent. Et cum unum illorum abesse contigerit, alteri Seniori post eum, clavem suam usque ad ejus reditum custodiendam committat. Ad quam quidem cistam quilibet Vicarius, seu Altarista uniuscujusque Ecclesiæ, universas literas ad suam Vicariam, seu Altare spectantes, simul in aliquo parvo scrinio inclusas reponere teneatur, copiis ipsarum literarum apud se retentis, ita quod quandocunque aliquis hujusmodi Vicariorum, seu Altaristarum, literis suis originalibus in judicio vel extra indiguerit, ad dictam cistam valeat habere recursum. Quicunque vero Vicarius, seu Altarista, sine causa legitima, contra præmissa, vel eorum aliquod se opposuerit, volumus illum tam diu a perceptione fructuum suæ Vicariæ, seu Altaris manere suspensum, donec ea, quatenus ipsum concernunt, effectualiter curaverit adimplere.

C. XVII. *De absentia quindecim dierum in anno quatuor Clericorum majoris Ecclesiæ Coloniensis.*

Item licet bonæ memoriæ ADOLPHUS, Ecclesiæ nostræ Canonicus, dum vixit, dudum in testamento suo per eum rite condito, de consensu Decani pro tempore, & Capituli ipsius Ecclesiæ, ad Divini cultus augmentum, instituit, & ordinavit *quatuor Clericos*, qui Horis nocturnis & diurnis Chorum dictæ Ecclesiæ frequentare, & Divinis Officiis inibi quotidie temporibus debitis interesse deberent; quibus ob hoc, idem ADOLPHUS de bonis suis certos redditus deputavit, prout hæc & alia in dicto testamento, *in libro privilegiorum ejusdem Ecclesiæ conscripto*, dicuntur plenius contineri: tamen, sicut Nobis *ex præfata Visitatione* innotuit, nonnulli ex dictis Clericis aliorum servitiis insistentes, & quidam eorum aliis implicati negotiis, a dicta Ecclesia se absentant, & ad prædictum chorum raro conveniunt, quamvis cum integritate percipiant redditus antedictos, propter quæ Ecclesia ipsa debito Ministrorum servitio, & præfati ADOLPHI pia ordinatio indebite defraudatur. Nos volentes super hoc paterna solicitudine providere, firmiter inhibemus, ne aliquis dictorum Clericorum, deinceps cujuscunque personæ Ecclesiasticæ vel Sæcularis obsequio, per quod

quod a frequentatione dicti Chori possit aliquatenus impediri, se deputet, vel adstringat, nec a dicta Ecclesia sine expresso consensu Decani & Capituli ipsius Ecclesiæ, ex causa legitima, nec ultra 15. dies in anno se absentet. Si quis vero contrarium fecerit, per dictos Decanum & Capitulum suo privetur stipendio, & in ejus locum alter idoneus per eosdem Decanum & Capitulum intra mensem postea substituatur. Alioqui dicto mense elapso, nos ipsorum negligentiam supplere curabimus, ut tenemur.

C. XVIII. *Reparatio in temporalibus Ecclesiæ Coloniensis.*

Item circa bona temporalia ad mensam Capituli Ecclesiæ nostræ Coloniensis spectantia, sine quibus spiritualia diu subsistere nequeunt, in quorum dispositione, gubernatione, & administratione, plurimos defectus, negligentias, & abusiones, eidem Ecclesiæ, & personis ipsius damnosos, & præjudiciales comperimus, ut sequitur, providendum.

C. XIX. *Separatio inter Præpositum & Capitulum Majoris Ecclesiæ Coloniensis.*

Imprimis statuimus, & ordinamus ac volumus, quod separatio bonorum temporalium, dudum sub anno Domini MCCCLXXIV. die octava mensis Januarii anni ejusdem, inter THEODORICUM *de Marcka*, tunc Præpositum, ex una, Decanum & Capitulum Ecclesiæ nostræ Coloniensis supradictæ parte ex altera, per Nos, & de consensu & authoritate nostris facta & ordinata, nec non per fel. Record. Dominum GREGORIUM *Papam XI.* approbata & confirmata, tam per Præpositum, quam per Decanum, & Capitulum pro tempore ejusdem Ecclesiæ, in omnibus, & per omnia juxta sui tenorem & formam, perpetuo, & inviolabiliter observetur: volentes, prout idem Dominus GREGORIUS voluit, quod bona, possessiones & jura, de quibus in separatione ipsa mentio habetur, & jus percipiendi ea, inter singulares Canonicos ipsius Ecclesiæ non dividantur, sed perpetuo in communi remaneant, & ad usus Præbendarum, & suppletionem earundem, per communem Officiarium, per prædictum Capitulum deputandum, gubernanda, & administranda: decernentes irritum & inane, quemadmodum dictus Dominus GREGORIUS etiam decrevit, si secus a quoquam quicquam attentatum jam sit, vel inposterum attentetur. Quod etiam sub pœna excommunicationis, quam in his scriptis ferimus in contrarium facientes, districtissime prohibemus.

C. XX. *Revocatio separationis Bonorum Majoris Ecclesiæ Coloniensis.*

Consequenter quia quorundam Canonicorum Ecclesiæ nostræ præfatæ Coloniensis, avaritiæ cæcitas, animos occupavit & occupat, ut quæ per vias directarum divisionum bonorum præfatorum, jure & dicta separatione prohibente, interdicta noverint, per vias commissionis, & locationis, & aliis exquisitis modis & viis, fraudem juri & dictæ separationi committentes, sibi usurpare temere præsumpserunt, & præsumunt: unde ex verbis, & mente dictæ separationis pronunciamus, decernimus, & præsentium tenore declaramus, pronuntiationes, commissiones, seu divisiones quorumcunque bonorum prædictorum, aut quocunque alio nomine vocentur, quandocunque post datam dictæ separationis factas, & maxime illas de Anno Domini MCCCXCVII. *de mense Septembri, die decima octava* ejusdem, & alias postmodum sub Anno Domini MCCCXCVIII. *de mense Decembri ejusdem anni* factas, fuisse, & esse de ipso jure nullas, irritas & inanes, ac contra tenorem, mentem, & formam dictæ separationis ac Ecclesiam, contra juris dispositionem, & utilitatem ipsius Ecclesiæ, & Capituli ejusdem, attentatas & præsumptas, aliasque fuisse, & esse nullius roboris, vel firmitatis, ipsas pronuntiationes, commissiones seu divisiones, etiam quibuscunque nominibus censeantur, de facto, prout de facto tantum processerunt, in omnibus suis punctis & clausulis, & per omnia, quantum ad prædicta bona, revocamus. Monemus insuper omnes, & singulos Canonicos ejusdem Ecclesiæ, cujuscunque status, gradus, vel conditionis existant, in dictis pronuntiationibus nominatos & expressos, & singulariter quemlibet eorundem conjunctim, & divisim,

visim, qui occasione dictarum pronuntiationum, seu alterius earundem, curtes, bona, & possessiones, decimas, redditus, seu jura quæcunque, vel qualiacunque de & ex prædictis bonis habent, tenent, vel possident, sub pœna excommunicationis, quam ferimus in his scriptis, quatenus hujusmodi bona, possessiones, curtes, decimas, domus, redditus, seu jura, prout ipsi, & quilibet ipsorum tenent, omnia & singula, intra quindecim dies post publicationem hujusmodi immediate sequentes, quorum dierum quinque pro primo, quinque pro secundo, & reliquos quinque pro tertio termino, & monitione Canonica assignamus & cuilibet eorum, conjunctim, & divisim, in manibus Capituli ejusdem Ecclesiæ, verbo & facto absque fraude libere dimittant, & extra manus suas ponant: ulterius occasione, vel causa dictarum pronuntiationum se non intromittant de eisdem: nec fructus de cætero, redditus, vel proventus recipiant ex eisdem, sed libere ipsa omnia,& singula ad Capitulum supradictum cum suis pertinentiis, fructibus, redditibus, & proventibus, & in communi habenda, ac per communem *Officiarium* ipsius Ecclesiæ deputatum vel deputandum, regenda, & gubernanda reverti permittant, & quantum in eis est, reverti & redire faciant, & sine fraude, & dolo procurent. Dispositionem autem, & declarationem de levatis, & perceptis indebite per eosdem Canonicos hucusque de & ex bonis antedictis, nostræ reservamus declarationi, ipsosque Canonicos ad Nos venire,& remitti volumus & præcipimus, intra alios quindecim dies, extunc immediate sequentes, super hoc nostram voluntatem audituros, sub pœna suspensionis ab Officio, quam in ipsos,& quemlibet ipsorum (si non fecerint) in his scriptis, dicta monitione Canonica præmissa, ferimus.

Inhibemus etiam authoritate supradicta, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quam in singulares personas, & suspensionis in Capitulum ferimus in scriptis & promulgamus, si forte contra inhibitionem nostram hujusmodi quicquam fecerint vel fecerit, attentaverint seu attentaverit quovis modo, quovis etiam quæsito colore, quatenus de cætero a talibus, vel consimilibus divisionibus, pronuntiationibus, commissionibus, aut quovis alio nomine vocari possint, præfatorum, vel consimilium bonorum, possessionum, curtium, decimarum, reddit, & jurium, abstineant. Sed omnia & singula, in communi, & ad communes usus perpetuo per communem Officiarium gubernanda, regenda, & administranda remanere permittant. Dispositionem,& ordinationem bonorum immobilium, ad quotidianas distributiones seu præsentias in Ecclesia nostra antedicta spectantium, in jam dictis pronuntiationibus inter nonnullos Canonicos divisorum, ut *in visitatione nostra* hujusmodi comperimus, Nobis imposterum reservamus.

C. XXI. *Ecclesia Coloniensis major ultra annum non committat Officia hic subscripta.*

Similiter ex eisdem, & aliis rationabilibus causis Nos moventibus, pronuntiationes sive commissiones Officiorum quatuor villarum seu locorum, videlicet in *Erpel*, in *Woringen*, in *Gluvuel*, & in *Freisheim*, ad Ecclesiam, & Capitulum nostrum Coloniense spectantium, & pertinentium, quibuscunque, & per quascunque personas, sive in perpetuum,sive ad tempus longum vel breve, ultra unum annum factæ fuerint, præsentium tenore tanquam nullas, & invalidas de jure, & contra tenorem, & mentem separationis antedictæ præsumptas & attentatas, quatenus de facto processerint, cassamus, irritamus, & penitus revocamus: mandantes omnibus, & singulis, & cuilibet eorum singulariter, qui de dictis officiis, vel aliquo eorundem hactenus se intromiserint, & de præsenti intromittunt, quos etiam tenore præsentium monemus, & districte requirimus, quatenus intra quindecim dies post publicationem præsentium immediate sequentes, dicta officia & quodlibet ipsorum, ipsasque villas libere & expedite dimittant, & se de cætero occasione dictarum pronuntiationum seu commissionum, nullatenus intromittant, permittentes ipsa, & quodlibet eorundem ad ordinationem & dispositionem ipsius Capituli libere reverti. Alioqui ipsos omnes, & singulos contrarium facientes, & quemlibet ipsorum, dicta monitione, quindecim dierum præfixione, pro Canonica monitione præmissa, in

his ſcriptis excommunicamus, & excommunicatos publice præcipimus evitari. Prætera ſtatuimus & ordinamus, quod dicta officia villarum, de cætero ſingulis annis, & ad unum annum tantum, & duntaxat, ſicut cætera officia annalia ipſius Eccleſiæ, perſonis fide dignis, & idoneis uni vel pluribus, ſive ſint perſonæ hujuſmodi de gremio Eccleſiæ, ſive extranei, per Capitulum committantur, ita quod omnis utilitas & emolumentum, obventio ſeu proventus, ex ipſis officiis provenientia, competenti ſalario Officiariorum ſalvo, in uſus cedant Capituli antedicti, qui Officiarii pro tempore, teneantur, ſicut cæteri officia annalia habentes, de hujuſmodi proventibus, & obventionibus ſingulis annis debitum facere computum & rationem: decernentes irritum & inane, ſi ſecus a quoquam fuerit attentatum. Et nihilominus in contrarium facientes, tam comittentes quam recipientes, præſentis conſtitutionis authoritate ab Officio, & Beneficio, & ab ingreſſu Eccleſiæ ſint ſuſpenſi: quam ſuſpenſionem ſi per quindecim dies continuos, quos pro Canonica monitione eiſdem, & eorum cuilibet aſſignamus, ſuſtinuerint, extunc prout exnunc ſententia excommunicationis authoritate prædicta ſint, & quilibet eorum ſit innodatus, quouſqe officia hujuſmodi libere dimittant: quos etiam extunc, tanquam excommunicatos, mandamus publice evitari.

C. XXII. *Alienationes ſeu locationes rerum Eccleſiaſticarum, qua forma ſervanda faciendæ.*

Præterea ſtatuimus, volumus, & tenore præſentium ordinamus, quod quando deinceps ob neceſſitatem, utilitatem, commoditatem, ſeu aliam rationabilem, & legitimam cauſam, Eccleſiæ & Capituli prædictorum, poſſeſſionum, obedientiarum, curtium, decimarum, grangiarum, domorum, bonorum, reddituum ſeu jurium, vel rerum quarumcunque immobilium, unius ſeu plurium (quocunque nomine cenſeantur) & ad ipſam Eccleſiam nunc, vel in antea, & in futurum ſpectantium, venditio, locatio, conductio ad firmam, vel in emphytheuſin, datio, vel commiſſio in perpetuum, vel ad certum tempus pro annua penſione conceſſio, vel alias alienatio imminet facienda, hujuſmodi venditio, conceſſio, commiſſio, datio, vel locatio ſeu alienatio, quocunque nomine cenſeri poſſit, ultra formam juris, & alias de conſuetudine ſervari debitam, & conſuetam, minime fiat, & peragatur, antequam de conſenſu omnium Capitularium, totiuſque, vel majoris partis Capituli ejuſdem, matura deliberatione, & tractatibus, & termini certi præfixione, ac debita licitatione præmiſſis ac alias legitimis. Et detur ſeu concedatur ipſa res ſic alienanda, vel committenda, plus de penſione, ſeu precio cum ſufficienti cautione offerenti, ſive hujuſmodi offerens, de gremio ipſius Capituli ſit, vel aliunde ſuperveniens. Eo tamen ſalvo, quod cæteris paribus, videlicet in oblatione pretii ſeu penſionis, Capitularis non Capitulari, & Senior Capitularis in Præbenda, Juniori præferatur: & alias, vel alio modo contractus hujuſmodi, quocunque nomine cenſeatur, factus ſeu celebratus, ſit ipſo jure nullus & invalidus, conſuetudine, vel obſervantia contraria quacunque non obſtante: & ultra hoc, citra vel contra præfatos modum & formam, aliter ſeu alio modo alienationes concedentes, ſeu committentes, ac etiam recipientes, ipſo facto ſententiæ excommunicationis ſubjaceant, quam in his ſcriptis in eoſdem, & quemlibet eorum ferimus & promulgamus.

C. XXIII. *Penſionem ſive cenſum Eccleſiæ debitum non ſolvens, quomodo ad ſolutionem cogendus.*

Item quia in dicta viſitatione manifeſte comperimus, nonnullos ex Canonicis Eccleſiæ noſtræ antedictæ, qui ratione bonorum, poſſeſſionum, curtium, decimarum, domorum, & obedientiarum, quas ſub annuis penſionibus inde ſolvendis a dicto Capitulo ad firmam, ſeu quovis titulo receperunt, & per retroacta tempora non modica tenuerunt, & de præſenti tenent, in ſolutione penſionum ſuarum hactenus nimium fuerant, ac de præſenti exiſtunt remiſſi & negligentes, pœnas non leves, ſed utique valde formidabiles, in quodam ſtatuto Capitulari, ſuper ſolutionibus hujuſmodi penſionum dudum edito, comprehenſas parvipendentes, propter quæ ſine dubio, prout quotidiana teſtatur experientia, Eccleſia noſtra Colonienſis ſupradicta in Divino cultu, quo cæteris civitatis & Diœ-

Diœcesis nostrarum Ecclesiis, tanquam caput præfulgere merito deberet & consuevit, detestabiliter est diminuta, & miserabiliter destituta: & in bonis temporalibus etiam eapropter intolerabilibus damnis & dispendiis afflicta, & ut verisimiliter timendum est, in futurum, nisi celerius provideatur, passura est graviora: quibus quidem salubriter occurrere intendentes, præfatum statutum Capitulare, dudum videlicet sub anno 1333. feria quarta post Dominicam, qua cantatur in Ecclesia Dei pro Officio Missæ: *Oculi mei* &c. per Capitulum Coloniense authoritate, voluntate & consensu bonæ memoriæ Domini HENRICI Archi-Episcopi Coloniensis Prædecessoris nostri super præfatis solutionibus pensionum, reddituum, & affictuum, Capitulo antedicto ratione possessionum, curtium, decimarum, jurium, & aliorum bonorum tunc debitorum, & in futurum debendorum, provide & matura deliberatione prævia factum, & ordinatum, ac etiam per singulares Canonicos ejusdem Ecclesiæ Capitulariter juramentis per eos corporaliter præstitis firmatum, in omnibus suis punctis & clausulis, & per omnia præsentibus innovamus: mandantes, & præcipientes eisdem Canonicis, & personis, in & sub dicto statuto comprehensis, quod ipsi tam præsentes, quam futuri, cujuscunque status, gradus, seu conditionis existant, pensiones ab eis debitas sine dilatione qualibet solvant Capitulo antedicto, & plenarie curent satisfacere de eisdem, juxta modos & formas in statuto ipso plenius traditas & expressas. Alioqui contrarium facientes, vel in hoc negligentes, ultra pœnas in statuto ipso positas, ab officio & beneficio, & ab ingressu Ecclesiæ sint suspensi, quos & eorum quemlibet præsentis Constitutionis nostræ tenore suspendimus, & sic suspensi tam diu maneant, quousque realiter solvendo, de pensione hujusmodi debite extiterit satisfactum.

C. XXIV. *Officiarii Ecclesiastici in exigendis Ecclesiæ debitis, aut monendis debitoribus negligentes, quomodo castigandi.*

Præterea Officiarii quicunque dictæ Ecclesiæ nostræ pro tempore, quibus juxta tenorem dicti statuti incumbit, nomina negligentium in solutionibus pensionum talium, in Capitulo in scriptis præsentare, & præsentari facere, dolo, fraude, prece, amore, & dilatione quibuscunque seclusis, studeant & curent cum effectu, terminis & temporibus sibi in ipso statuto præfixis & limitatis. Alioqui Officiarii ipsi, videlicet quilibet, quantum ipsum contingit, in hoc negligentes vel remissi, videlicet qui nomina non solventium in scriptis (ut dictum est) non curaverint præsentare, sint & quilibet eorum sit præsentis Constitutionis nostræ authoritate consimiliter ab Officio & Beneficio, & ab ingressu Ecclesiæ suspensi, quousque præsentationem supradictam in scriptis, & in Capitulo duxerint faciendam. Quam suspensionem supradicti Canonici Ecclesiæ nostræ, in solutione pensionum negligentes, ut dictum est, aut ipsi Officiarii, aut aliquis eorundem, si sustinuerint per quindecim dies continuos animo indurato, quos quindecim dies tam dictis Canonicis, quam Officiariis quibuslibet supradictis, & cuilibet eorundem pro Canonica monitione præmissa assignamus; extunc sententiam excommunicationis, quam ferimus etiam in his scriptis, ipso facto incurrant: quos ex tunc, prout ex nunc, tanquam publice excommunicatos, districte præcipimus evitari: Inhibentes etiam sub pœna suspensionis consimili Præsentiariis in ipsa Ecclesia pro tempore, & aliis Officiariis, seu Administratoribus Præbendarum, seu portionum quarumcunque, quatenus hujusmodi suspensione, seu excommunicatione durante, sic suspenso seu suspensis pro tempore suspensionis hujusmodi nihil penitus & omnino distribuant, vel administrent.

C. XXV. *Meringarum* (a) *solutio quam stricte semper facienda.*

Præterea statuimus, & ordinamus, quod Canonici hujusmodi, seu alii quicunque, quibus ratione bonorum, possessionum, decimarum, curtium seu jurium, vel quacunque de causa incumbit, vel in futurum incumbet, Meringas in pane, vel in vino, seu pecuniis, seu aliis rebus quibuslibet, dare vel distribuere, seu administrare, quod illas *Meringas* sine dilatione, remissione, negligentia quacunque seu intermissione singulis temporibus solvant, distri-

(a) Meringa, *significat* augmentationem salarii.

ſtribuant & adminiſtrent, prout conſuetum ab antiquo & ordinatum, excuſatione qualibet, ſuper diſtributione hujuſmodi non facienda, ſemota. Et ſi forte prætenderetur vel diceretur, quod redditus, fructus ſeu proventus, jam tunc, videlicet ſolutionis ſeu diſtributionis tempore, percepti vel percipiendi, ad hujuſmodi integralem diſtributionem non ſufficerent, quo caſu volumus, & ordinamus, quod hi, qui his, cui vel quibus diſtributio hujuſmodi incumbit facienda, in proximo die Capitulari, poſtquam propter hujuſmodi defectum ipſas meringas cum integritate ſupradicta adminiſtrare ceſſaverint, in Capitulo ipſo, quod ad hoc ſpecialiter fieri procurabit, plenam relationem inibi faciet de defectu ſupradicto, & de diligentia ſua, contra non ſolventes fructus ſeu redditus, ad hujuſmodi meringarum adminiſtrationem ſpectantes, per ipſum ſufficienter facta doceat: alias de ſuo proprio tantundem in uſus ſupradictos (a Capitulo tempore rationis ſeu computationis per ipſum faciendæ, vice verſa recepturus) mutuet ſeu accommodet, quod diſtributio prædicta integre, & ſine diminutione (ut ſupradictum eſt) fiat. Alioqui in præmiſſis aut aliquo præmiſſorum negligens, vel remiſſus, ultra pœnas in ſtatuto Capitulari, ſupra proxime dicto expreſſas, ab Officio, & Beneficio, & ab ingreſſu Eccleſiæ ſit præſentis conſtitutionis vigore ſuſpenſus, quouſque defectus hujuſmodi integraliter, & plenarie ſuppleat, & reſtauret: qua ſuſpenſione durante, nihil penitus de fructibus Præbendæ, ſeu quotidianis diſtributionibus ei adminiſtretur, ſub pœna ſuſpenſionis conſimilis, quam in Adminiſtratores Præbendarum, & Præſentiarios, qui contra fecerint, ferimus in his ſcriptis.

C. XXVI. *Officiorum quorumcunque cauſa rationem facere debentes, qua pœna ad computum præſtandum urgendi.*

Præterea in virtute ſanctæ obedientiæ, ſub excommunicationis pœna diſtricte præcipientes mandamus omnibus, & ſingulis Canonicis, cæteriſque Beneficiatis in noſtra Majore, & aliis Collegiatis noſtrarum civitatis & Diœceſis Eccleſiis, & eorum cuilibet, cujuſcunque ſtatus, dignitatis ſeu conditionis exiſtant, qui in ratione & computatione faciendis, ratione officiorum ſibi hactenus a Capitulo ſuo commiſſorum, ac qui in Penſionum, affictuum, ſeu reddituum, ſeu pecuniarum ſummis, dicto Capitulo, ſive ratione poſſeſſionum, curtium, decimarum, domorum, obedientiarum, meringarum, bonorum, reddituum, jurium, ſive officiorum, aut alias quacunque juſta cauſa debitorum, ſeu debitarum ſolutione, hactenus fuerint, & adhuc exiſtunt negligentes & remiſſi, in toto vel in parte, quatenus intra quinquaginta dies continuos a die publicationis præſentium numerandos, hujuſmodi computum, & rationem faciant, & reliqua Capitulo ipſi reſtituant, ac de hujuſmodi penſionibus, affictibus, redditibus, & pecuniarum ſummis, dicto noſtro Capitulo plenarie ſatisfaciant cum effectu: alioqui dictis quinquaginta diebus elapſis (quos pro monitione Canonica, & competenti termino ipſis, & eorum cuilibet aſſignamus) ipſos, & eorum quemlibet, quos etiam in his ſcriptis excommunicamus, tanquam excommunicatos, publice tenore præſentium denunciamus ab omnibus arctius evitandos.

Item ſtatuimus & ordinamus, quod Canonici officiarii quicunque, officia annalia, ſeu perpetua, in Eccleſia vel extra, ad ipſam Eccleſiam tamen ſpectantia, actu vel in futurum habentes, ratione quorum ad computum, & ad rationem ſunt vel fuerunt adſtricti faciendum, Capitulo ſæpedicto illum computum, ſeu rationem ipſi facere teneantur & faciant, & quilibet eorum in fine officii ſui, vel intra quindecim dies proxime tunc ſequentes: perpetua vero habentes, ſingulis annis ante feſtum Beati Petri ad Vincula, in Capitulo memorato, & ipſo in hoc ſpecialiter & legitime indicto: Alioqui Canonicus in hoc negligens, vel remiſſus, ad officium habendum pro ſequenti anno ſit penitus inhabilis, & omnino incapax, & ad aliquod officium intra dictum annum aſſumi, & id ei committi diſtricte prohibemus. Et ultra hoc ipſe idem inhabilis, & incapax remaneat, quouſque negligentiam ſuam purgaverit cum effectu, computum debite faciendo. Et nihilominus pro illo anno, quo ſic negligens fuerit, ſalario ſibi ratione officii ſui hujusmodi competenti careat omnino, & ſolvi ei prohibemus: quod

quod salarium, si jam ante computum hujusmodi faciendum forte percepit, restituere teneatur, & restituat intra mensem Capitulo antedicto. Alioqui non computantes, committentes, tenentes, & recipientes, & non restituentes, ut præmissum est, conjunctim & divisim, ab Officio & Beneficio, & ingressu Ecclesiæ, præsentis Constitutionis nostræ authoritate sint suspensi.

C. XXVII. *Præsentiæ in defunctorum memoriis obvenientes, præsentibus tantum dandæ.*

Item statuimus & ordinamus, quod ea, quæ pro memoriis defunctorum inter præsentes Canonicos, Vicarios, & Choriscocios distribuenda certis diebus, & horis anni, a viginti annis citra sunt specialiter deputata, sive in pecunia numerata, sive in aliis speciebus quibuscunque consistant, integraliter sine qualibet diminutione eisdem diebus & horis dentur, & distribuantur tantum præsentibus supradictis.

C. XXVIII. *Vota seu Suffragia in Capitulis quomodo scrutanda & audienda.*

Item statuimus, quod de cætero in tractatibus capitularibus & negotiis per Capitulum expediendis; negotio proposito, tractatu secuto; omnibus & singulis Canonicis præsentibus & residentibus, Capitulum legitime ad hoc indicatur: omnia singulorum Canonicorum Capitularium per Decanum, vel alium ad quem de consuetudine votorum spectat scrutinium, vota diligenter scrutentur: & quilibet de modestia audiatur: & singulorum votis auditis, super negotio expediendo concludatur, & prævaleat, quod majori & saniori parti Capituli visum fuerit, & placuerit, consuetudinibus & observantiis quibuscunque contrariis, quæ dicendæ sunt corruptelæ, non obstantibus: exceptis gratiosis, videlicet ubi agitur de gratia alicui, seu aliquibus facienda, in quibus contradictio rationabilis unius Canonici Capitularis præsentis, possit illud impedire. Alioqui actus ipse Capitularis, ipso jure sit invalidus, nullius valoris vel momenti.

C. XXIX. *Officia singula singulis personis, non uni plura, committenda.*

Item cum singula Officia singulis personis sint committenda, prout sacrorum Canonum tenet authoritas, statuimus, volumus, & ordinamus, quod singula Officia annalia Ecclesiæ nostræ Coloniensis, consueta Canonicis ipsius Ecclesiæ committi, singulis personis, non uni plura, committantur. Et si secus fiat, ipso jure commissio non valeat, & tam committentes, quam recipientes Officia talia plura, ab ingressu Ecclesiæ, & ab Officio, & Beneficio sint suspensi, quousque ipsa Officia dimittant libere, & resignent. Et nihilominus sic plura recipiens, pro illo anno ad Officia dictæ Ecclesiæ sit inhabilis, & ei Officium committi, districte prohibemus.

C. XXX. *Officia annalia quomodo committenda.*

Item circa Officia hujusmodi annalia, a Capitulo sæpe dicto singulis annis committenda, volumus, statuimus, & ordinamus, modum & formam infra scriptos observari: sic videlicet, quod singulis annis, die ad hujusmodi Officia committendum præfixa, de & ex gremio totius Capituli, & omnium Canonicorum Capitularium, tunc in loco Capitulari comparentium, eligantur tres Canonici Capitulares ipsius Ecclesiæ, qui tres sic electi, ex tunc statim in Capitulo publicati, intra mensem proxime tunc sequentem, distribuere, & committere habeant & possint Officia annalia supradicta, singula singulis ex Canonicis, non uni plura, ut supra scriptum est, secundum Deum & justitiam, prout ipsis pro utilitate Ecclesiæ & Capituli visum fuerit expedire: semotis & exclusis omni dolo, & fraude, gratia, odio, invidia, vel favore. Et hæc præmissa dicti sic electi, post publicationem eorundem, statim in præsentia Capituli tactis Sacrosanctis, jurent ad Sancta Dei Evangelia, se juxta posse & nosse facturos. Et si forte dicti tres omnes, in hujusmodi distributionibus & commissionibus faciendis concordare non possent, ex tunc prævaleat & subsistat, ac prævalere & subsistere censemus, quod a duobus eorundem tantum ordinatum fuerit in & circa commissiones Officio-rum

rum hujusmodi & firmatum, tertii contradictione aut dissensu non obstante. Alias vel alio modo & forma distributiones, & commissiones Officiorum hujusmodi fieri, sub pœna excommunicationis, quam in his scriptis ferimus in contrarium facientes, tam committentes, quam recipientes, districtissime prohibemus. Et nihilominus commissiones & distributiones aliter factæ, ipso jure non valeant, contraria consuetudine & observantia, quibus in hac parte tanquam irrationabilibus & corruptelis derogandum duximus, non obstantibus quibuscunque. &c.

C. XXXI. *De Cellarariis Ecclesiæ Majoris Coloniensis.*

Præterea ordinationem quandam Capituli Ecclesiæ nostræ de Cellarariis ipsius Ecclesiæ, & eorum Salariis, dudum factam, tanquam justam, æquam & rationabilem, approbamus, confirmamus, & ratificamus: ipsamque denuo authoritate nostra præsentium tenore statuimus & innovamus, volentes, mandantes, & præcipientes, eam tam inviolabiliter observari sub pœna excommunicationis, quam in contrafacientes, & eam non servantes quovis modo, ferimus in his scriptis, quibusque hujusmodi officium committi prohibemus sub simili excommunicationis pœna, quam etiam in committentes ferimus in his scriptis, donec hujusmodi recepta, & detenta injuste, plenarie restituant.

C. XXXII. *De Subcellarario Cellarariis a Capitulo substituendo.*

Statuimus, pronuntiamus, & ordinamus, quod quicunque Cellararii Ecclesiæ Coloniensis, deinceps per Nos aut nostrum Capitulum admissi, vel admittendi, cum infrascriptis punctis, & conditionibus stabunt contenti, & contra ipsa puncta non venient aliquo ingenio, vel colore. Sicque Capitulum ipsum deinceps in perpetuo eliget, & eligere debebit unum Subcellararium idoneum, qui Cellararius distribuet Dominis Canonicis corpus Præbendæ: nec non Cellararius pro tempore, salarium eorum pro rata: nec etiam dicti Cellararii sic admissi, vel admittendi, se de fructibus aut redditibus aliquibus ipsius Cellarariæ intromittent, aut ipsum nostrum Subcellararium, pro tempore per Capitulum sic assumptum, in recipiendo aut exponendo dictæ Cellarariæ redditus, aut in quibuscunque aliis ad eam pertinentibus, impedient quovis modo.
" Data, acta, & ordinata sunt hæc in
" loco Capitulari nostræ majoris Eccle-
" siæ, die Capitulari ad hoc (ut moris
est) præfixa, & per sonum campanæ
" nostræ Capitularis, capitulariter cele-
" brata. *Anno Domini* M.CCC.LXXVI. *ipso die Beati Barnabæ Apostoli.*

C. XXXIII. *Continuatio post literas separationis.*

Illos vero, qui post dictam ordinationem Capitularem, plus de salario hujusmodi hactenus receperint, ad Nos remitti, & venire volumus, & præcipimus intra quindecim dies post publicationem præsentium immediate sequentes, sub pœna suspensionis officii sui, nostram super hoc voluntatem audituros.

C. XXXIV. *De Domibus Canonicalibus vendendis.*

Præterea Capitulo nostro supradicto, & singularibus personis ejusdem, sub suspensionis, & interdicti pœnis districte inhibemus, ne vendant, committant, vel locent, vel alio quovis quæsito colore assignent uni Canonico, vel alteri cuiquam in Ecclesia Coloniensi Beneficiato, plures domos Canonicales pro usibus suis & suorum: & domum pro tempore habens Capitularem sive hæreditariam, a dicta Ecclesia tamen dependentem, si aliam habere procuraverit, vel assecutus fuerit ex successione hæreditaria, ex concessione, venditione, vel assignatione Capitulari, vel alias quomodolibet, ille domum suam priorem, si hæreditaria foret, intra annum continuum, a die acquisitionis secundæ computandum, in Capitulo Canonico Ecclesiæ ejusdem vendere, vel alias jus suum, quod ipse habet, dimittere libere teneatur, dummodo emptorem pro competenti pretio habuerit. In quo pretio, si concordare nequiverint, illud Capitulum, vel major pars ejus, super suis conscientiis taxabunt: ad quam taxationem intra quindecim

decim dies tunc immediate ſequentes, idem Capitulum, vel major pars, ſub pœna ſuſpenſionis, quam in his ſcriptis ferimus, faciendam teneantur; quod ſi non, ipſo facto poſt dictum annum, & quindecim dies pœnam ſuſpenſionis ab Officio & Beneficio, quam in his ſcriptis in ſic contra facientes promulgamus, inevitabiliter incurrant.

C. XXXV. *Ne Laici habitent in domibus Canonicalibus vel Beneficiatorum.*

Præterea ſub pœna excommunicationis, quam etiam in his ſcriptis ferimus in quemlibet contrarium facientem, diſtricte prohibemus, ne de cætero quisquam domos Capitulares ſive hæreditarias, ab aliqua Eccleſiarum dependentes, quas Canonici, ſeu Beneficiati ipſius Eccleſiæ inhabitare conſueverunt, laicalibus ſeu extraneis perſonis quibuslibet concedere, dare, vel locare, committere, ſeu vendere ad inhabitandum, aut in eis nuptias, aut choreas publicas, vel alia ſæcularia negotia exercendum, vel alios quoslibet uſus, præſumant. Et ſi forte actu aliquæ domorum hujusmodi, locatæ, commiſſæ, vel conceſſæ ſint, locationes, commiſſiones, & conceſſiones hujuſmodi illi, ad quos pertinent hujuſmodi domus, intra duos menſes poſt publicationem præſentium immediate ſequentes, quos ipſis & eorum cuilibet pro monitione Canonica aſſignamus, ſtudeant ſub pœna excommunicationis antedicta cum effectu revocare. Quas etiam & Nos noſtro ex officio præſentium authoritate revocamus. Item volumus & ordinamus, & diſtricte præcipiendo in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna (quam in his ſcriptis in quemlibet contravenientem ferimus) mandamus, quod ſtatutum & ordinatio olim per felicis record. HENRICUM, Archi-epiſcopum Colonienſem, Prædeceſſorem noſtrum, ac Decanum, & Capitulum Eccleſiæ Colonienſis ſub anno Domini MCCCXIII. in vigilia Beati Laurentii, de & ſuper cuſtodia & conſervatione Clavium Majoris Sigilli Capituli Eccleſiæ noſtræ ejusdem facta & edita, quæ etiam tenore præſentium Nos innovamus in omnibus ſuis punctis & clauſulis, prout edita & facta exiſtunt per Decanum & Capitulum noſtrum antedictum, obſervetur. Actum & pronuntiatum anno Domini MCCCC. die XVI. Menſis Decembris, quæ fuit Feria V.

Ex Typo Statutorum Quenteliano anni 1554.



SUPPLEMENTUM
CONCILIORUM GERMANIÆ.

Addenda ad pag. 590. Tom. II. Concilior.

CANONES DUO CONCILII ALTHEIMENSIS,

Diversi a mea Editione,

Ex Chartario Farfensi editi a Mabillonio in Annal. Benedictin. Tom. III. in appendice pag. 705.

HOc ibidem inventum est de Episcopis, Presbyteris, & Clericis, si hæreditas a Domino Rege, vel ab alio Principe, vel amico suo, seu per hæreditariam sortem sibi devenerint, vel acquisierint, donare eis liceat, cui voluerint, dum vivunt, pro remedio animæ ad Ecclesiam quamcunque elegerunt, vel consanguineis suis vel amicis: si autem antea obierint, quam firmiter perfecerint, Altari, cui serviunt, omnia perpetuo sanctificentur, & in eis tradantur. Similiter de Presbyteris statutum est.

Hildepertus, Maguntiensis Archi-Episcopus, subscripsi.

Ruobertus, Treverensis Archi-Episcopus, subscripsi.

Unni, Hammaburgensis Archi-Episcopus, subscripsi.

Adalwaldus, Sardiensis Archi-Episcopus, subscripsi.

Et reliqui Episcopi VII. subscripserunt, nec non & Abbates, cum cæteris sacri Ordinis viris subscripserunt.

MOnachus, quem Canonica electio a jugo Regulæ Monasticæ Professionis absolvit, & sacra Ordinatio de Monacho Episcopum facit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea jure vindicandi potestatem habeat; sed quidquid acquisierat, vel habere visus fuerat, Monasterio relinquat, & arbitrio Abbatis sui, qui fuerat secundum Regulam Sancti Benedicti. Postquam enim Episcopus ordinatur ad Altare, quo sanctificatur & titulatur, secundum sanctos Canones, quæ acquirere poterit, restituat.

Hactenus Mabillon. loco citato.

Differens in pluribus a mea Editione. Cur autem ad annum 936. rejiciat Synodum, quæ juxta plures Synchronos ad A. 916. refertur, nescio, nisi ob mortes Episcoporum hoc anno notatas: qua occasione refert hanc Synodum, sed observat 4. ex his nondum fuisse anno 916. Archi-episcopos, etsi sic subscripti ferantur.

Eodem Tomo II. Conciliorum.

NOTA AD SYNODUM AUGUSTANAM
ANNI DCCCCLII.

PRæfuit Synodo Frithuricus, seu Fridericus Moguntinus, antea Benedictinus. Heroldus Juvavensis, seu Saltzburgensis, Manasses Mediolanensis, Petrus Ravennas, Archi-Episcopi. Anno Wormatiensis Episc. Godefridus Nimedensis (seu Spirensis) Episc. ex Monacho Wissenburgensi.

Hæc nomina ex solis Benedictinis Episcopis refert Mabillon. Tom. III. Annal. Benedictin. pag. 517.

Adden-

Tom. III. Concil. Germ. pag. 103.

AD SYNODUM TRIBURIENSEM ANNI MXXXV.

CANON:

VIrgines ſacræ, ſi pro lucro animæ ſuæ, & propter diſtrictiorem vitam, ad aliud Monaſterium pergere diſpoſuerint, & ibidem commanere decreverint; Synodus concedit. Si vero fuga diſciplinæ alium quæſiverint, ad locum redire cogentur . . . quia, qui de Monaſterio ad Monaſterium tranſit, redire cogendus eſt.

Stephanus (a) *Tornacenſis Epiſcopus*, *Epiſt. I. ad Robertum Pontiniacenſem recitat hunc Canonem Concilii Triburienſis in Bibliotheca Patrum Pariſina:* Quem cum ad iſtud Concilium referri nec ſtilus, nec rei argumentum prohibeat, illum *Cl. Manſi* Synodo huic adſcribendum cenſet *Tom. I. Supplem. Concil. ad ann.* 1135.

(*a*) Stephanus Tornacenſis Epiſcopus adiit Epiſcopatum anno 1193. Obiit 1203. ſcripſit Epiſtolas CCXL.

Tom. III. Concil. German. pag. 279. confer

REINARDI Epiſcopi Diploma

cum ſequenti, & variantes notæ.

IN NOMINE DEI OMNIPOTENTIS.

REINHARDUS, B. STEPHANI PROTO-MARTYRIS DEVOTUS FAMULUS, SANCTE HALBERSTADENSIS ECCLESIE DIVINA GRATIA ANTISTES.

IN inſtituendis ac confirmandis Sancte Eccleſie juſtitiis, & Religionis incrementis, Epiſcopale precipue decet providere vigilantia: unde quamvis Matris Eccleſie ruinas frequenter multiplicari videamus, & eis, peccatis noſtris exigentibus, pro debito noſtro ad occurrendum minime per omnia ſufficiamus; Divina tamen favente gratia ſuſceptum in his officii noſtri miniſterium pro poſſe noſtro recogitare ſtudebimus. Notum itaque facimus preſentibus & cunctis retro futuris, Sancte Eccleſie fidelibus filiis, quod Nos in Eccleſia, Nobis credita, inordinata corrigere, & correcta fideli devotione perſequi cupientes, quandam Sanctimonialium Congregationem apud Villam *Schenigge* inſtitutam, ſed inutiliter ac ſine fructu ſancte religionis, omniſque honeſtatis, dies ſuos deducentem, communicato fidelium Eccleſie noſtre conſilio removimus, & fratres juxta traditionem Regule B. Auguſtini communem vitam ducentes, illuc ſubſtituimus. Quia vero prioris clauſtri loca ad conſtituenda domicilia Congregationis inconvenientia vidimus, fidelibus Eccleſie noſtre conſulentibus, in Curiam noſtram, quam in ſuperiori parte ejusdem Ville habuimus, ipſum clauſtrum utilitatis & commodorum gratia tranſtulimus, antiqua tamen Eccleſia cum bonis, mediis, omnibusque juſtitiis ſuis in poteſtatem & ſubjectionem ipſius Congregationis perpetua ſtabilitate cedenti. Dei igitur Omnipotentis auctoritate, Sancteque Scripture preceptis informati, ſtatuimus, & firmando precipimus, ut regularis Profeſſionis Ordo ibidem Divina favente gratia incommutabiliter perſeveret, nullusque poſt factam ibi Profeſſionem ſine Prepoſiti, totiusque Conventus licentia abcedere, ſeu ad aliam vitam vel ordinem preſumat transmigrare. Patre quoque ejusdem Eccleſie obeunte vel decedente, nemo ibi violenter, ſeu alio quolibet malo conamine preficiatur, ſed unanimitate & concordia fratrum ſana integraque perſiſtente, electionis eis firma permaneat libertas: videlicet, ut de eodem clauſtro, aut aliunde

unde, si opus est, ejusdem tamen Professionis, in paternitatis officium idonea persona sumatur. Ceterum pro removenda omni infestationis molestia, decernimus, ut omnia ejusdem Ecclesie predia, in villis, agris, silvis, pratis, ac molendinis, salva semper & illibata permaneant, Deo ibi famulantium usibus debita commoditate proventura. Tres quoque mansos nostri juris, in eadem villa sitos, omnemque decimam eorum possessionis, ex eadem *Scheniggense* villa, ad Nos pertinentes, in eorum sustentationem, obtentu Divine indulgentie concedimus; statuentes, ut tam hec, quam omnia, que vel per Nos, nostrosque Successores, aut per alios fideles, congrua ac justa acquisitione, quoquomodo in futurum consecuti fuerint, sine omni gravaminis oportunitate, sub eorum ditione permaneant. Apostolica itaque traditione pro auctoritate Patris, & Filii, & Spiritus Sancti statuimus, ut eandem Ecclesiam, ad officium Divini cultus informatam, nemo unquam hominum temeraria fatigatione aut exactione inquietare, vel ejus possessiones diripere, auferre, vel ablatas retinere; ullo modo presumat; sed in pace, & tranquillitate Ecclesiastice Religionis, secura semper & libera consistat. Si quis igitur huic nostre institutionis scripto pertinaciter obviare presumpserit, nisi celeri & digna correctione resipuerit, a visceribus matris Ecclesie sine dilatione sequestratus, Divino judicio plectendus subjaceat. Omnes autem eandem Ecclesiam in pace & quiete foventes, ejusque profectum fideli congratulatione prosequentes, pretiosa B. Laurentii Martyris oratio, & gratuita Domini Dei nostri benedictio semper tueatur. Amen.

Hec itaque Statuta & Decreta ut firma semper & illibata permaneant, in verbo Dei Omnipotentis; & B. Petri Apostoli auctoritate, vinculo anathematis interposito, precipimus, & sigilli nostri impressione inviolabiliter consolidamus.

In hujus condonationis testimonium interfuerunt *Elferus*, majoris Ecclesie Prepositus; *Fridericus*, Decanus; *Conradus*, Camerarius; *Elferus*, Abbas de Hugesborg; *Martinus*, Abbas de Hilesineborg; *Thietmarus*, ejusdem Scheniggensis Ecclesie Prepositus; *Fridericus*, Comes Palatinus, ejusdem loci Advocatus, cum aliis quam plurimis fidelibus. Data in *Halberstad* XV. Kal. Novembris *in publico Concilio*: Incarnationis Dominice Anno M.C.XX. Indict. XIII. Presulatus Domini Calixti PP. anno II. Ordinationis vero Domini *Reinhardi*, Episcopi XIII. feliciter Amen.

Ex Originali MS. communicavit Dullenburgo hoc ipso anno 1761. 8va 7bris Cl. D. ab Erath, Consiliarius Auriaco Nassovicus.

Confer etiam Diploma pag. 280. cum eo, quod hic subjicitur, quod idem Cl. D. ab Erath ex Originali descriptum transmisit:

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS.

REINHARDUS, DEI GRATIA, SANCTE HALVERSTADENSIS ECCLESIE DICTUS EPISCOPUS, BEATI STEPHANI PROTO-MARTYRIS HUMILIS ET DEVOTUS FAMULUS, OMNIBUS CHRISTI-FIDELIBUS, TAM FUTURIS QUAM PRESENTIBUS, IN PERPETUUM! GRATIA VOBIS ET PAX ADIMPLEATUR!

OFficii nostri debitum expostulat, Nos religiosos Viros, Fratres nostros, Regulam Beati Augustini Professos, in contemplative vite dulcedine quiescentes, & cum Maria ad pedes Domini sedentes, & verbum illius audientes, optimam etiam partem eligentes, paterno karitatis affectu diligere, & cum Martha in active vite labore pias pro eis sollicitudines gerere, & eos per omnia in suis oportunitatibus pro posse nostro confovere. Et cum per Apostoli preceptum operari bonum ad omnes doceamur; maxime tamen domesticis fidei, Apostolice utique vite imitatoribus assistere informamur.

Ea-

Eapropter notum esse cupimus omnibus Christi fidelibus, qui coequalem nobiscum sortiti sunt fidem, quod Scheningensis Cenobii novellam plantationem, & quarundam Sanctimonialium ob inutilem earum conversationem remotionem, loci etiam, in quo manebant, necessariam mutationem, & cetera, que litteris prioribus adnotavimus, & posterorum memorie transmisimus, rata esse censemus, nec aliquid eorum, que scripta sunt, immutamus: ut videlicet Regule Beati Augustini Canonica Professio in eodem loco in perpetuum permaneat, nullusque post factum inibi votum absque licentia Capituli recedere audeat: in statuendis etiam Prepositis Canonice electionis libertas firma perduret: predia fratrum, que prius Sanctimoniales ille possederant, & que postmodum adjecimus, nullus temere invadat: ipsos & bona eorum tuentes Dei Omnipotentis gratia custodiat, & persequentes eos ultio Divina percellat. Presentem etiam paginam posteritati fidelium scribimus, in qua locum quendam, qui *Calvo* dicitur, iu . . . ldinem situm, in quo felicis memorie *Oda*, Comitissa, Regia stirpe orta, Sanctimonialium Congregationem pio voto collocaverat, sed peccatis exigentibus malorum hominum . . . ione sepius desolatus est, cum universis allodiis, que illi attinebant, Scheningensium Fratrum utilitati, Episcopali auctoritate delegamus, eundem etiam locum & omnia ad ipsum aliquando attinentia, omnium hominum potestati & usui, anathemate interposito, abdicamus; Divina quoque illic celebrari, locumque ipsorum ab aliquo incoli, nisi voluntate Scheningensis Prepositi & fratrum ejus, nullius presumpcioni assensum damus. Nullus etiam Successorum nostrorum, nec aliqua prorsus Ecclesiastica, secularisve persona, annuum eorum censum, & jus litonum, qui eis serviunt, & antiqua traditione usque ad nos statutum, pro decimis, addere, vel minuere, vel mutare presumat. Preterea, quem vulgato nomine Advocatum vocant, Prepositus, & Fratres eligant, & si plus justo forte importunus esse voluerit, Episcopali auctoritate alium magis idoneum illi substituant.

Hec autem sunt predia, que venerabilis Matrona, & ejusdem loci Abbatisse, aliique illi Cenobio attulerunt:

In villa, que dicitur *Hergrimestorp* XVIII. aree, cum decem & novem mansis. In *Helmerichestorp* XV. aree cum XII. mansis. In *Suammere* XII. mansi & dimidius, & XV. aree. In *Luchestorp* XI. aree & octo mansi. In *Rodesleve* XII. mansi & XVI. aree. In *Geroldestorp* VII. aree cum V. mansis. In *Iggersleve* II. aree & totidem mansi. In *Hellesse* III. mansi & VII. aree cum adjacente silva. In *Badinstedi* I. mansus & I. area. In *Dalwersleve* I. mansus & area. In *Edendorp* mansus & area. In *Ballinge* VI. mansi & X. aree. In *Suardelese* VII. aree cum tot mansis. In *Bulsteringe* II. aree & II. mansi. In *Bindorp* III. aree & II. mansi & dimidius. In *Buga* mansus & area. *Eclestede* & *Akendop* juxta *Gardeleve* cum omni utilitate: & in silva, que *Heineisse* dicitur, & his contigua est, participatio. *Hoploge* cum omnibus attinentiis. *Liudiune* dimidia cum omni utilitate. *Schirmbiche* ex integro, exceptis duobus mansis nostri juris, quos etiam Beato Laurentio in *Scheninge* contulimus. In *Chieringerode* mansus & area. In *Allende* III. mansi & dimidius, & II. aree. In *Banisleve* mansus & area. In *Udenheim* III. mansi & dimidius cum tot areis. Juxta *Bardewic* in *Mestenhusen* unum panstale, & dimidium in *Beccenhusen*, que solvunt XXIII. solidos. In villa *Schanigge* XXII. aree & VII. mansi cum pratis & usibus silvarum, & utilitate salis, & molendinum in superiori parte ejusdem ville: preterea omnia predia Parochialis Ecclesie Beati Stephani Protho-Martyris in eadem villa, que fratrum usibus assignavimus.

Has itaque possessiones, quas presens pagina continet, quas videlicet supra dicta nobilis femina, & alie Abbatisse, vel reliqui fideles justa donatione priori loco delegaverant, in villis & locis desertis, in campis & silvis, in agris, cultis & incultis, in vineis & vinetis, in arbustis & arboribus, in pratis & pascuis, in aquis & aquarum decursibus, in molis & molendinis, in piscationibus & venationibus, in exitibus & reditibus, in viis & inviis, in adquisitis & adquirendis, vel etiam ea, que aliquorum violentia Cenobio subtracta sunt, in ipso suo . . Beati Laurentii Deo famulantium usibus hoc testamento assignata.

Et

Et ne in posterum inquietorum temeraria presumptione auferri debeant, sigillo nostro, que scripta sunt, roboramus. In nomine etiam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate Apostolorum Petri & Pauli, potestate quoque Kalixti Summe Sedis Pontificis, & banno nostro *Schaningensi* Monasterio, & omnibus in eo merita Beati Laurentii devote venerantibus, & eorum possessionibus, quas in presenti juste possident, & in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, liberalitate Principum, oblatione Fidelium, seu quibuslibet justis modis adipisci poterunt, eterna pace firmamus, & hanc ab Omnipotentis Dei misericordia perpetuam eis imprecamur & optamus.

Si quis igitur hec Statuta nostra sciens contraire temptaverit, & Fratres nostros, & bona eorum in aliquo infestare presumpserit, non sit ei hereditas in Regno Christi & Dei, sed abscisus ab unitate corporis Ecclesie non resurgat in consilio justorum, si non agnoscens reatum suum resipuerit, & pro temeritatis ausu Patri Cenobii & Fratribus satisfecerit.

Omnibus autem eidem loco & Deo in ipso servientibus, que justa sunt, deferentes, & tam ipsos, quam bona eorum pace prosequentes & defendentes, gratuita Dei Omnipotentis misericordia preveniat & subsequatur, & gloriosa Beati Laurentii, incliti Martiris, intercessio tueatur. Amen.

Hujus pagine testes sunt hii: *Elverus*, majoris Ecclesie Prepositus: *Gerhardus*, Decanus: *Martinus*, Custos: *Conradus*, Camerarius: *Martinus*, Abbas Hilfincburgensis: *Alfridus*, Abbas Hugesburgensis: *Gerhardus*, Prepositus Sancti Johannis in civitate: *Thitmarus*, Prepositus Scheningensis Cenobii: *Fridericus*, Palatinus Comes junior: *Ruodolfus*, Marchio: *Adelbertus*, Comes de Ballenstide: *Adelbertus*, Comes de Werniggerode: *Beringerus*, Advocatus majoris Domus: *Willerus*, Prefectus in civitate: *Engilmarus*, Vice-Dominus: *Everhardus*, Advocatus Schaniggensis Cenobii, & alii quam plures Nobilium & Ministrantium.

Actum *Halberstad*: anno Dominice Incarnationis Mill. centesimo XX. primo, Indictione quarta decima, *in publica Sinodo*, *in festo Beati Luce Evangeliste*, Presulatus Domini Kalixti Pape II. anno tercio, Regnante Heinrico V. Romanorum Imperatore Augusto, anno Ordinationis Domini Reinhardi Episcopi XIII. feliciter. Amen.

CONVENTUS EPISCOPORUM APUD THEODONIS VILLAM,

Anno Christi MCXXXII. Innocentii II. Papæ III. Lotharii II. Imp. VII.

Pax restauratur, quum Simon, Dux Lotharingiæ, usurpatas in S. Deodati Ecclesia exactiones remittit.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

EGO Dux SIMON Lotharingorum & Marchio, in celebri Conventu apud Theodonis villam, coram Domino ALBERONE Archi-Episcopo Reverentissimo Treverensi, præsentibus quoque tribus Episcopis: STEPHANO Metensi, HERMANNO Tullensi, & ALBERONE Virdunensi, multisque aliis Regni Principibus, qui causa pacis convenerant, subscriptas pravas exactiones tempore meo in Ecclesia S. DEODATI inductas, Divina Clementia inspirante recognovi; & assensu & voluntate conjugis meæ Excellentissimæ Ducissæ ADELIDIS ad Ecclesiam præfatam veniens, easdem exactiones subscriptas ad corpus B. DEODATI deposui; & ibidem una cum MATTHÆO filio meo abjuravi, videlicet placitum Palatii, ad quod nullus de hominibus S. DEODATI, ad

ad Præbendam Fratrum pertinentibus, venire cogendus est. Fortunam, incendium, raptum, & quandam exactionem, quæ vulgo tallia dicitur, quam Ministeriales mei apud *Cocincourt* aliquando exigebant. Si quis autem de hominibus S. DEODATI ad Præbendam Fratrum de susceptione concambii impetitus fuerit, secundum legem Tullensium vel Metensium respondebit. Actum est hoc apud Theodonis villam anno Dominicæ Incarnationis MCXXXII. Indict. X. in Sede Apostolica Præsidente INNOCENTIO PP. II. regnante Rege Augusto Romanorum, fratre nostro LOTHARIO, ALBERTO, ejusdem Ecclesiæ Præposito. Adstipulatione autem & abjuratione facta horum Virorum Illustrium testimonio: *HENRICUS* Venerabilis Tullensium Episcopus, *Hugo* Abbas, *Henricus* Archi-Diaconus, *Jocelinus* Abbas Calmosiensis, *Wlterus de Gondricort*, *Vanerus* cognomento *Canis*, *Petrus de Brixei*, *Rainerus de Brixei*, *Albertus de Dumei*, *Walterus de Lanfracort*, *Albertus de Aricere villa*, & *Lavarinus* frater ejus, *Valdricus* puer, *Simon*, *Gerardus*, *Vosagi* Advocatus.

ALBERONIS, Archi-Episcopi Treverensis,

Testimoniales de Duce in hoc Conventu absoluto.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

EGO ALBERO, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, TREVERORUM HUMILIS MINISTER ET SERVUS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, DILECTIS FRATRIBUS IN CHRISTO, CANONICIS S. DEODATI, EORUMQUE SUCCESSORIBUS, IN PERPETUUM.

SI providentiæ Pastoralis officium rationabiliter & congrue dispensamus, oportet Nos Ecclesiarum oppressiones & molestias propulsare, & eas paterno solatio confovere, ut tanto interius Deo liberius serviant, quanto in exterioribus minime perturbantur.

Quocirca præsentis paginæ testimonio notum fieri volumus, & præsentium memoriæ, & sequentium posteritati, quod in præsentia nostra, & Venerabilium Fratrum & Coepiscoporum nostrorum STEPHANI Metensis, HENRICI Tullensis, ALBERONIS Virdunensis, & multorum Principum, qui nobiscum apud Theodonis villam pro pace reformanda convenerant, Albertus Præpositus, & alii Canonici Ecclesiæ S. Deodati conquesti sunt super Duce SIMONE, quod ipse violentas exactiones & injustas consuetudines temporibus suis super prædictæ Ecclesiæ servos & possessiones induxisset, & quædam jura ad se per violentiam retorsisset. Verum Divina cooperante Clementia præfatus Dux assensu & voluntate ADELEIDIS, Nobilis Ducissæ uxoris suæ, omnia illa, de quibus in eum querela fundebatur, in præsentia nostra guerpivit & abstipulavit. Et quia jam dudum pro ea injuria erat excommunicatus; Ecclesiæ pristinam restituens libertatem, a Nobis est ibidem absolutus. Deinde ad prædictam Ecclesiam veniens, ad corpus B. DEODATI violentis illis exactionibus omnibus renuntiavit, & ibidem cum MATTHÆO Filio suo subscriptas pravas consuetudines damnavit & abjuravit: istas scilicet, quod ad placitum Palatii nullus hominum S. DEODATI, ad Præbendam Fratrum pertinentium, amplius venire cogeretur. Fortunam quoque, raptum, incendium, & quandam exactionem, quæ vulgo tallia dicitur, quam Ministeriales ejusdem Ducis apud *Cocincourt* aliquando injuste exigebant. Si quis præterea de hominibus S. Deodati, ad Præbendam Fratrum pertinentibus, de suspicione concambii impetitus fuerit, secundum legem Tullensium, vel Metensium respondebit.

NOS igitur paci & libertati Ecclesiæ non tantum in diebus nostris, sed etiam in posterum providere volentes, ut hoc firmum & inconvulsum permaneat, auctoritate Dei & Nostra præcipimus & stabilimus, & in testimonium hujus rei præsentem paginam sigilli nostri impressione firmavimus & consignavimus. Quod si aliquis postmodum infringe-

fringere vel infirmare tentaverit, anathematis eum vinculo, donec satisfaciat, astringimus & innodamus.

Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCXXXII. Indictione X. Apostolicæ Sedi præsidente Domino Papa INNOCENTIO II, Regnante Imperatore Romanorum Augusto LOTHARIO II. Anno Ordinationis nostræ II.

Ego *ALBERO* Dei gratia, Treverorum humilis Minister & Servus, manu mea Sſ. Ego *Godefridus* Præpositus Sſ. Ego *Folmarus* Decanus Sſ. Ego *Arnulfus* Archi-Diaconus.

Martene ex Schedis Domini de Riguet, Præpositi S. Deodâti. Tomo IV. Thesauri novi Anecdotorum pag. 136. 137.

SYNODUS HALBERSTADENSIS

ANNO CHRISTI MCXLI.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS.

EGO RODOLPHUS, DEI gratia, Sancte Halberstadensis Ecclesie Epiſc. religioni & utilitati Ecclesiarum volens consulere, in omnibus, que gerenda sunt, sic authoritate Christi & ecclesie testimonio agere satago, ut, que in presenti confirmantur, in futuro secura permaneant. Itaque *hujus Sacri Concilii* notitiam & testimonium super hac re requiro, ut noverint, qualiter Confrater noster *Bodo*, Scheniggensis Monasterii Prepositus, quatuor mansos in villa *Odenheim*, & dimidium in *Suligge*, XXX. Ilabus libris a Monasterio *Thrubicensi* solita cambia commutaverit, anuente Preposito *Heinrico*, & Abbatissa *Juthita*. Actionem vero hujus commutationis utriusque Monasterii Advocati, *Athelbertus* Comes, & *Gevehardus* pari consensu & more legitimo perfecerunt. Preterea Venerabilium Personarum, que huic negotio aderant, testimonium suffragatur & auctoritas, ut juste convelli nunquam possit, quod eorum presentia & reverentia confirmatum fuisse sufficerit, etiamsi nulla testamenti confirmatio adhiberetur. Aderat namque *Ekkebertus*, Abbas Hujusburgensis: *Sigebodo*, Abbas Hilseneburgensis: *Buchardus*, Abbas Uuimedeburgensis: *Conradus*, Prepositus Niwenburgensis: *Bodo*, Prepositus Scheniggensis: & ceteri quam plures Viri Religiosi, quos sub occasione sacre solempnitatis VITI, Martyris Archi-Episcopi, ad laudem nominis sui in Monasterio *Thrubicensi* aggregaverat. Aderat quoque, que de tota Provincia sollempnitatis gratia confluxerat, copiosa populi multitudo, a qua notitia & testimonium rei geste requisitum est, nec fuit, qui refragaretur, cum per omnia juste & legitime factum fuerit. Hanc ergo commutacionem clavibus cœli confirmamus, testimonio Christi roboramus: ut deinceps nullus temerare audeat, quod tali auctoritate confirmatum est; nulli namque tutum est temerare, quod Ecclesia ligaverit in terra, quoniam teste Christo ligatum est in cœlo.

Actum est *in magna Sinodo*, in Festivitate Luce Evangeliste, anno Dominice Incarnationis *Millesimo centesimo quadragesimo primo*, Indictione prima, feliciter Amen.

Godefridus & Samson Sacerdotes Ecclesie nostre; Hubertus & Heinricus, conversi ejusdem Ecclesie; Hartmannus & Bertheherus, conversi Thrubicensis Ecclesie; Richiho, Advocatus noster de Cletligge.

Athelbertus Comes. De Wereningerothe; Gevehardus de Horneburch; Hermannus de Rimbeke; Giselbertus de Silstide, & alii quam plures aderant.

Communicavit ex Originali inspecto Cl. D. ab Erath Consiliarius Nassovio-Dillenburgius.

CON-

CONCILIUM PROVINCIALE TREVERENSE

ANNO CHRISTI MCLII.

JUSSU EUGENII PAPÆ III. CELEBRATUM,

In quo judicio Episcoporum & Abbatum, aliorumque Ecclesiasticorum Virorum, Matthæus illustris Dux Lotharingiæ Romaricensi Ecclesiæ ad hanc diem infensus, ad concordiam adducitur, juraque omnia prædictæ Ecclesiæ confirmat, ablata restituit. &c.

IN NOMINE SANCTÆ, ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

HELLINUS, DEI GRATIA, TREVERENSIS ARCHI-EPISCOPUS, DILECTÆ FILIÆ JUDITH, EADEM GRATIA ABBATISSÆ ROMARICENSI, ET SORORIBUS EJUS IN POSTERUM.

Querimonias tuas contra Ducem MATHÆUM jam per tempora multa agitatas, & tandem secundum præceptum Domini Papæ coram Episcopis, & Abbatibus, & Principibus terræ a Nobis definitas, utile duximus tibi & Ecclesiæ tuæ sigillo nostro, & auctoritate tam nostra, quam Suffraganeorum nostrorum diligenter munire.

De diversis igitur querimoniis assensu communi statuistis, quod Capitulum vestrum liberam electionem habebit, & de Præpositis, & de Cancellariis præficiendis, & Dux electioni illi celerem præbebit assensum, salvo jure suo. Si autem persona quæcumque electa postmodum Ecclesiæ inutilis fuerit, ipsa voce Capituli, qua præstituta fuerit, deponetur. Quibusdam Præpositis Beneficia, & redditus suos, unde vivere debent, quos ab Ecclesia tenent, alicui in feodum dare non licebit, neque Dux feodisare eos coget, immo etiam dare, & accipere in fide & veritate prohibebit. Quando autem Præpositus Vosagi, & Cancellarii in Potestatibus placitum tenere voluerint, laudante, & assentiente Advocato, diem placitandi præfigere debent. Summam autem quæstus definient Præpositus, & Cancellarii consilio & assensu Advocati, consilio tamen Ministri Ecclesiæ præcedente. Tallias autem, quas ipse Dux & Advocati sui injuste super homines Ecclesiæ facere consueverant, penitus quirpiverunt. Clerici & Ecclesiales, & res eorum a Duce, & ab advocatis, & a venatoribus non inquietabuntur; sed in nobili libertate, ut dignum est, in pace remanebunt. Servitium vero, quod venatores ab Ecclesialibus exigebant, ex toto dimissum est. Dominus autem Dux vel Ministri sui non cogent homines Ecclesiæ exire extra bannum suum ad placitandum: neque Dux quempiam hominum Ecclesiæ absque Abbatissa placitabit. De omni autem quæstu super homines sumto, in omni negotio, & in omni proventu, Ecclesia medietatem recipiet. Advocati vero in potestatibus avenam non accipient, nisi pastione cum fidelitate renuntiata, & nisi Ecclesia plenarie avenam suam ad cervisiandum prius acceperit. Vaccas vero, quas nuper Advocati injuste in potestatibus accipere in natale Domini consueverant, penitus a modo non accipient. Suppræpositi vero, & Subadvocati, qui a Duce, & ab Advocatis injuste substituebantur, a modo radicitus extirpantur. Super mundiculos vero Minister Ecclesiæ, & Advocatus placitum tenere debent, & Ecclesia totum censum habebit, nisi in duabus potestatibus, videlicet campi, & Archarum, in quibus non nisi dimidia pars census est Ecclesiæ: idem vero de placito fabrorum, Ecclesia videlicet medietatem quæstus recipiet. Quando vero Dux in quolibet castrorum suorum morabitur; de suo vivet: si vero per terram transiens, ad quamlibet Ecclesiæ curiam pernoctaverit, villicus de communi quæstu per curiam cum fidelitate sumto, eum procurabit, & hoc semel in anno, & in mane recedet. Si vero Advocati per curias aliquando pernoctaverint, de jure suo vivent. Qui si forte in aliquo pa-

cem iſtam infregerint, niſi ammoniti a Duce infra ſex ſeptimanas ablata reſtituerint, Dux terram eorum ſaſibit, eiſque prohibebit, ne in eis aliquid accipiant, donec Eccleſiæ ſatisfecerint. Inſuper ex præcepto Domini Papæ ſub vinculo anathematis nexi tenebuntur, donec reſipuerint, & Eccleſiæ ſatisfecerint. Forum vero Archarum eſſe concedimus, ita ut abſque omni dolo, & abſque multa acquiſitione, & abſque omni genere exactionis teneatur. De tabernis relatione fidelium diſcuſſum eſt, quod in tertio anno in xxx. duabus poteſtatibus Dux ſuum vinum vendet ſolo obolo carius; quod vinum ruſtici debent deducere, & infra Abbatiam accipere, & in loco nominato ſolo die expectare. Apud Girbespath medietatem veneraciarum, & quæſtus in placitis & avenam recuperavimus. Uſuagium nemorum recognovit Dux, & conceſſit hominibus Eccleſiæ, ubi antiquitus habere ſolebant ex ratione fidelium. Si vero poſtmodum Dux terram veſtram aliquibus minis, aliqua exactione, aliqua precatione, vel alicujus extorſionis genere oppreſſerit, vel aliquam ſupradictarum pactionum, aut per ſe, aut per Advocatos ſuos infregerit; quotiescumque Eccleſia reclamaverit, abſque omni retractatione ipſe cum ſuis, & cum terra ſua vinculo anathematis iterum nexus teneatur: niſi ammonitus, vel reprehenſus, infra quadraginta dies pœnituerit & ſatisfecerit, ipſo Duce in hunc modum concedente.

Ego Mathæus, Dei patientia, Lotharingorum Dux, & Marchio, ductus pœnitentia, ſpe retributionis æternæ, in his, in quibus læſeram Romaricenſem Eccleſiam, conſilio religioſorum Virorum, Clericorum, & laicorum, cum Romaricenſi Eccleſia feci præſcriptam compoſitionem, & poſui in ſacratam manum Domini Archi-Epiſcopi: & chartam Trevirenſi, & Tullenſi Eccleſiæ inde feci, quod hoc bona fide ſervabo; & ſi aliquando, quod abſit, per Me, vel per meos fuerit contra hoc factum, niſi infra quadraginta dies, ſi ammonitus fuero, ſatisfaciam, & ablata reſtituam, meo aſſenſu Trevirenſis, & Tullenſis Eccleſia in me, & in terram meam ſine judicio dent anathematis ſententiam.

Hujus compoſitionis teſtes ſunt Stephanus, Metenſis Epiſcopus: Henricus, Tullenſis Epiſcopus: Albero, Verdunenſis Epiſcopus: Arnulfus, Alexander, Bruno, Trevirenſes Archi-Diaconi: Henricus, Cantor: Baldricus, Magiſter Scolaris: Sigericus, Abbas S. Maximini: Bertolfus, Abbas S. Eucharii: Richardus, Abbas de Sprinckirbach: Philippus, Decanus Metenſis: Roſcelinus, Archi-Diaconus: Hugo, Magiſter Scolaris: Richerius, Præpoſitus S. Salvatoris: Albertus, Primicerius Virdunenſis: Willelmus, Decanus: Richardus, Archi-Diaconus: Andreas, Archi-Diaconus: Iſembaldus, Abbas Gordienſis: Manegaldus, Abbas S. Michaelis: Hugo Albus, Decanus & Archi-Diaconus Tullenſis: Henricus, Archi-Diaconus: Magiſter Haimo, Archi-Diaconus: Roricus, Archi-Diaconus: Ciſtercienſis Ordinis Rannulphus, Abbas de Clauſtro: Bernardus, Abbas Marimondenſis: Milo, Abbas de Criſta: Odo, Abbas Belli-prati: Richardus, Abbas de Vallibus. Romaricenſis Eccleſiæ teſtes ſunt: Theobaldus, Præpoſitus: Cono, Cancellarius: Petrus, Cancellarius: Magiſter Widricus, Salſurienſis: Theodericus de Domno Martini: Magiſter Hagano. Nobiles & Milites: Henricus, Dux *de Lenburc*: Henricus, Comes *de Namur*: Henricus, Comes *de Salm*: Fridericus, Comes *de Viann*: Goſuinus, Comes *de Facermont*: Folmarus, Comes *de Caſt*: Albertus, Comes Chiniacenſis: Conradus, Comes Salvagii: Ulricus, Comes de Aira. De Familia S. Petri: Engelbertus, & Fridericus frater ejus: Iſembardus, & Guillelmus frater ejus: Hermannus, & Galterus frater ejus de Palatio: Theodoricus *de Romont*; Ulricus de Sampinn. Hi duo cum Duce erant. Magiſter Bovo, Tullenſis Archi-Diaconus: Roricus, Abbas Calmoſiacenſis: Durannus, Abbas Bellicampi.

Actum autem eſt hoc anno ab Incarnatione Domini M.C.LII. Epacta XII. Indictione XV. concurrente ſecundo. Data Treviris per manum Hellini, Trevirenſis Archi-Epiſcopi, XVII. Cal. Septembris.

Martene & Durand Tomo VII. veterum Scriptor. & Monumentor. Collectionis ampliſſimæ.

HAM-

HAMBURGENSE STATUTUM DE SYNODO ANNUA, A TRANSALBIANIS EPISCOPIS INVISENDA.

HARTWICI I. Archi-Episcopi Bremensis Statutum de Provinciali Synodo, quod Lubecensis, Razeburgensis, Zwerinensis, Cisalbiani Episcopi, quot annis Hamburgum ad Synodum veniant, uti ad Bremensem Synodum suo tempore Bremæ servandam Transalbiani.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

EGO HARTWICUS, DEI GRATIA, SANCTÆ HAMBURGENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS.

PAstoralis officii nostri sollicitudo Nos admonet, pia Antecessorum nostrorum studia considerare, & ne ipsorum religiosa facta ulla possint refragatione perturbari, vigili cura providere. Notum igitur cupimus tam præsentibus quam futuris, quod cum Venerabilis Pater & Antecessor noster ADALBERO, totius Parochiæ suæ diligentem curam gereret, praelegit Metropolim suam Hamborg, per sævitiam Barbarorum propter Evangelium JESU CHRISTI sæpius vastatam, & jam quasi jure postliminii reversam, reformare, & in statum pristinum revocare: fœcundissimam illam matrem gentium considerans, omnique devotionis officio venerandam protestatus, & tanto majorem offerri debere consolationem, quanto majori plaga & propioribus insidiis, & tam longiturna paganorum infestatione turbaretur. Quæ qualis & cujus sit meriti, quibusve eam dignitatibus præferre debemus, Pontificum & Principum Romanorum apud nos deposita nos instruunt privilegia: quæ idem Venerabilis Pater noster diligentius intuens, licet eadem Ecclesia in sua vastatione nominis conservasset dignitatem, ut plene tamen in ea pristinum remansisse declararet honorem, ne propter temporis lapsum & frequentem paganorum insultum de libertatis suæ titulo posset suboriri dubium, Canonicos in ipsa restituit in omni libertate & jure Metropolitico, ipsis a Sancta Romana Ecclesia, Pontificibus & piissimis Principibus concesso, usque ad vitæ suæ excessum cum debita conservans reverentia.

NOS igitur, qui eandem Ecclesiam, licet indigni, gubernandam suscepimus, factum ejus per omnia commendantes, & confirmantes, ut ex laboris nostri sollicitudine eidem aliquid adjicere videamur, quia jam Suffraganeos habere desierit; in quadem parte Slaviæ, adjutorio nobilis viri Henrici Ducis Saxoniæ devicta, tribus Suffraganeis, scilicet: Lubic. Razezburg. & Zwerin. ipsam decoravimus, auctoritate Sedis Apostolicæ, cujus LEGATIONE fungimur, statuentes, quatenus prædictæ Ecclesiæ Novellæ ad Hamburgensem Ecclesiam, tanquam ad METROPOLIM suam, in omnibus respectum habeant, & ut Matrem debito honore venerentur, nec non ejusdem Sedis ARCHI-EPISCOPO tantum secundum Canonum Sanctiones exhibeant debitam obedientiam & reverentiam: jura etiam & consuetudines tam BREMENSIS, quam HAMBURGENSIS Ecclesiæ, quæ post Unionem ipsarum fideliter ab Antecessoribus nostris suo tempore servatæ sunt, & quæ maxime propter viarum & aquarum pericula, & locorum distantiam ad commodum utriusque Provinciæ provide institutæ sunt, in perpetuum servandas decernimus: ita ut in Hamburgensi Ecclesia semel in anno cum Suffraganeis, Prælatis, Clericis, Nobilibus, liberis, tantum Cisalbinis, Provincialis Synodus: in Bremensi vero, sicut consultum est, suo tempore tantum cum Transalbinis Generalis Synodus celebretur. Ut autem prædicta omni ævo rata permaneant, præsentem chartam scribi, & Sigilli nostri appensione signari fecimus.

Ne quis autem noſtræ Confirmationis paginam infringere præſumat, ſub anathemate & diſtricti judicii intermination prohibemus. Actum Hammenburg, anno Dominicæ Incarnationis MCLX. Indict. VIII.

Lunig Spicilegii Ecclesiastici 1ſten Theils Fortſetzungs Anhang *Privilegio LXXII. inter Bremensia pag.* 104. 105.

Donationem Comitatus Stade, a Friderico I. factam A. 1180. Sigefrido Archiep. Bremenſi, ſub nube plurimorum Epiſcoporum, aliorumque teſtium exhibet *Lunig Loc. cit. Privileg. Bremenſ. LXXV. pag.* 106. 107.



Ad pag. 420. *Tom. III.*

De Concilio Lateranenſi III. ſub Alexandro III. hæc addenda ex Anonymi Bremenſium Archi-Epiſcoporum Catalago pag. 63.

IN eodem Concilio BERTHOLDUS Bremenſis electus, petivit Conſecrationem, certiſſimus ordinari. Sed pridie ſederat in Concilio inter Epiſcopos infulatus, cum tamen non eſſet Presbyter: unde magnam contraxit invidiam, & Magiſter GERARDUS ſic pro eo allegabat:

Domine Pater! Ecce Bremenſis Eccleſia concordi & unanimi voto offert Sponſum ſuum, Magiſtrum Bertholdum, Virum undique dignum, & moribus approbatum, ſcientia decoratum, liberalibus artibus inſtructum, utriusque Teſtamenti pagina eruditum, Decretorum, Legumque induſtria peritum, Virum, ut apparet, perſonatum Canonice, & ſine omni contradictione electum, petitque hodie a TE accipere Gradum Sacerdotii, & cras Epiſcopalem Benedictionem.

Papa breviter. Credimus tibi bene Magiſter. Sed dictum eſt: Manum nemini cito (*a*) impoſueris. Loquemur cum Fratribus noſtris. Audiemus etiam diligentius modum electionis.

Examinantur Bremenſes per duos Cardinales: Reinerum Papienſem, & Joannem Neapolitanum, & inventi ſunt, diſcordare.

Papa in Conſiſtorio ſuo ſententiatus eſt. Fratres, vidi veſtrum Electum, placet perſona, placet ſententia, placet eloquentia, placent etiam, quantum novimus, mores, verum modus electionis diſplicet: præſertim, quia eſt infra ſacros Ordines, non dico, Subdiaconatum, ſed acolythatum electus: quo gradu ſecundum vigorem juris licet contrahere matrimonium; quod Canonicis obviat inſtitutis. Audivimus etiam ſuper hæc Appellationem factam, quam coactus eſt reſignare Appellator. Inſuper denuo ſe fecit eligi: & ſecunda electio caſſavit primam. Præterea Electus veſter ante ſacros Ordines ſuſcepit Regalia de manu Imperatoris.

Hæc non admittunt diſpenſationem de facili: & alia, quæ præterimus. Inde eſt, quod electionem veſtram infirmamus, & irritam judicamus, data ſententia. Volenti loqui depoſito BERTHOLDO, non eſt data audientia; ſed oſtiarii clamabant: Levate, Levate, Levate.

(*a*) 1. ad Timoth. V, 22.



CON-

CONCILIUM RIGENSE

ANNO CHRISTI MCCXV.

Divisio Proventuum Estoniæ jam baptizatæ in tres partes.

CONvenerunt Seniores Rigensium cum Episcopis: Alberto Livoniæ, & Theodorico Estoniæ, & Fratribus Militiæ (*Christi*) considerantesque bellum Ruthenorum sibi forte imminere, divisionem quandam fecerunt super omnibus Provinciis Estoniæ, per Livoniensem Ecclesiam subjugatis ac baptizatis; describentes Ecclesiæ Livoniensi & Episcopo Rigensi, tertiam partem proventuum omnium ac tributorum de *Estonia* provenientium; ut sicut laborum & bellorum, sic etiam consolationum particeps existeret: 2dariam partem Estiensi Episcopo: tertiam vero Fratribus Militiæ Christi, pro laboribus & expensis suis adjudicabant.

Gruber Origin. Livoniæ sacræ & civilis.

CONCILIUM RIGENSE

ANNO CHRISTI MCCXXIV.

SUB ALBERTO, LIVONIENSI EPISCOPO III.

REverso ex Revalia, Estoniæ Metropoli, jam baptizata, & in fidem Apostolicæ Sedis recepta GUILLELMO de SABAUDIA, episcopo Mutinensi (post Sabinensi, demum S. R. E. Cardinali, Lugduni anno 1251. defuncto) rursus Rigam convenerunt ad eum Episcopi (*a*) Lambertus Semigallorum, vel Seloniensis, Joannes Rigensis Ecclesiæ Præpositus, Cives, Sacerdotes, Clerici, Fratres Militiæ Christi cum Vasallis Nobilibus Ecclesiæ, civesque Rigenses. Et præsentibus his omnibus in Ecclesia B. MARIÆ celebravit *solemne Concilium* in Quadragesima Domini propter INNOCENTII (*b*) instituta, ea ad memoriam revocando, & nova adjiciendo, quæ novellæ plantationis Ecclesiæ necessaria videbantur.

Posthoc vero, peractis cunctis & terminatis tam inter Episcopum, Clericos, Fratres Militiæ (Christi seu Ensiferos) & civitatem Rigæ, quantum in præsentia tenore suæ plenipotentiæ terminare poterat, & sufficientibus indulgentiis datis ac concessis, valedicens ex animo cunctis, & benedicens; Reversus est ad naves suas, commendans oratione sua Livoniam totam Beatæ DEI Genitrici MARIÆ Virgini JESU CHRISTO, Domino ac Salvatori nostro, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Chronicon vetus Livoniæ, editum a Cl. Gruber in originibus Livoniæ sacræ & civilis pag. 176, 177.

(*a*) Albertus III. Livoniæ Episcopus, qui ex castro Ykeskola transtulit Sedem in civitatem Rigam anno 1205.

(*b*) Canones Concilii Lateranensis anni MCCXV. sub Innocentio III. conditi & promulgati.

CON-

CONCILIUM HILDESEMENSE
Anno Chrifti MCCXXXVI. Gregorii IX. Papæ IX. Friderici II. Regis XVII.

IN NOMINE &c. CONRADUS, &c. HILDES. EPISC.

QUoniam in brevi tempore humana & labitur, & tranfit memoria; idcirco de his, quæ coram Nobis geruntur, ne oblivione intercidant, publica fieri permittimus Inftrumenta: ad memoriam itaque futurorum cupimus pervenire, quod Dominus dictus de Gandersheim Miles, heredum fuorum C. & L. & Juttæ voluntarium habens confenfum, dimidiam decimam in Brunen, quam a Nobis in feodo tenuit LXX. libris receptis ab Ecclefia S. Godehardi in Hildesheim, ejusque Abbate *Ludolpho* (*a*), in manus noftras juxta villam in Hetwic, cum Heredibus jam expreffis, coram Viris idoneis tam Ecclefiafticis quam fæcularibus, Domino R. (*b*) Majore Præpofito, H. Cuftode &c. Militibus autem . . . . & coram toto Clero *in Generali noftra Synodo* refignavit, Nos vero refignatione facta, pro Deo & animæ noftræ remedio, favore Religionis, & obtentu fingularis erga Nos devotionis jam dicto contulimus Conventui, in proprietatem & beneficium affignando. Datum, &c.

Ex cod. MS. Biblioth. Mogunt.

(*a*) Ludolphus von Golteren ex Conventuali Monacho ad S. Godehardum octavus Abbas, eligitur anno 1228: Præfuit decennio. Moritur A. 1238. Ita *Lauenftein.*

(*b*) Reinholdus, anno 1235. electus Præpofitus Majoris Ecclefiæ Hildefienfis, *tefte Behrens in ferie Præpofitorum.* Citatur a *Lauenfteinio pag. 217. in Hiftor. Diplomat. Hildef.*

Tom. III. pag. 587.

CONCILIUM PROVINCIALE MOGUNTINUM
Anno Chrifti MCCLIX. Alexandri IV. Papæ V. Interregni Germaniæ III.

§. I. *De Clandeftina defponfatione.*

STatuimus: ut matrimonium cum reverentia, & honore in confpectu Ecclefiæ celebretur, fic, ut cum matrimonium fuerit contrahendum, in Ecclefiis publice per Parochialem Presbyterum tribus diebus Dominicis & Feftivis a fe diftantibus publice proponatur: ut fi quod impedimentum matrimonii contrahendi noverint aliqui, illud infra terminum competentem, ab ipfo Presbytero præfigendum, in facie Ecclefiæ fine difficultate revelent. Excommunicationis quoque fententia in genere proferatur in omnes, hujufmodi impedimentum celantes; fi quis autem, non præmiffa denuntiatione, clandeftina & interdicta conjugia inire præfumpferit, etiam ignoranter, foboles de tali conjunctione fufcepta, illegitima eft cenfenda. Parochialis etiam Sacerdos, fi tales conjunctiones prohibere contempferit: aut quilibet etiam regularis, qui eis præfumpferit intereffe, per triduum ab officio fufpendatur. Quibus quidem Sacerdotibus in virtute fanctæ obedientiæ injungimus diftrictius in his fcriptis, ut hoc falutare ftatutum, & pœnas in eo expreffas in qualibet quarta parte anni in ambonibus Ecclefiarum fuarum duobus Dominicis diebus ad plebem publicent, ne quis per ignorantiam excufare fe valeat, ne pœnas, de quibus prædicitur, incurrat.

§. II.

Ne ſede vacante aliquid innovetur.

Statuimus: ut quicumque defuncto Epiſcopo relicta ab eo, aut ſede vacante, bona Eccleſiæ occupavit, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrat, quam Succeſſor inviolabiliter faciens obſervari, nullatenus relaxet ſine reſtitutione,& ſatisfactione condigna, de ſui Capituli conſilio,& aſſenſu.

De Vita & Honeſtate Clericorum.

De Clericis vagabundis eſt ſtatutum, & prohibetur: quod nullus a Clericis,vel perſonis Eccleſiaſticis recipi, nec dari quidquam debeat eiſdem, cum vitam ducant reprobam,& infamem.

Item; contra Clericos militares, qui Clericali ſchemate derelicto comam nutriunt, & geſtantes habitum laicalem coram Prælatis ſuis, & in Eccleſiis, in quibus habent Beneficia, neque reverenter incedunt, ſtatuimus & præcipimus: ut apoſtantes hujuſmodi, ſi, antequam a ſuis Prælatis, ſive Capitulis evocati, & prius habitis Beneficiis fuerint ſpoliati, ad ſuas Eccleſias, ſive Præbendas redire voluerint, non aliter admittantur, niſi diſciplinæ clauſtralis carcerem tanto tempore ſuſtineant, quanto a ſuis Eccleſiis eos conſtiterit aberraſſe.

De Beghardis, & Beguinis reprobandis.

Statuimus: quod ſecta, & habitus, nec non conventicula Beghardorum, clamantium per plateas, & vicos civitatum, oppidorum, & villarum, hoc vulgare: *Broth durch Gott*, & quæ aliæ ſingularitates a ſancta Dei Eccleſia non receptæ, ſint penitus reprobati: & mandatur univerſis Plebanis, per civitates, Diœceſim, & Provinciam *Moguntin.* conſtitutis, ut eoſdem *Beghardos* publice tribus diebus Dominicis,vel Feſtivis ammoneant, ut, hujuſmodi ſingularitatibus derelictis, ſe teneant ſicut alii Chriſtiani, & quod non prædicent in cavernis, vel in aliis locis ſecretis, & non conveniant cum Beguinis, ſe conformantibus eiſdem in moribus, habitu, & inceſſu; alioquin extra Parochias ſuas eos expellant. Idem etiam de Beguinis peſtiferis ſtatuimus.

De Capellis Monachorum.

Quia Religioſi quidam per *Fratres ſui Ordinis* officiant Eccleſias unitas ſibi, & id fratribus illis fit occaſio diſſolutionis: cum iidem eo ſint proniores in lubricum, quo ex religioſo titulo ſe autumant exemptos, ac Prælati eorundem per Ordinarios tales corrigi minime patiantur, ſed quaſi pro ordinis ſcandalo evitando ipſos ad domos ſuas revocant, vel ad alias Parochias mittunt; authoritate hujus ſacri *Concilii* duximus ſtatuendum: ut Religioſorum Eccleſiæ, per fratres eorum non officientur, ſed per Clericos ſæculares, ut ſaltem de reliquiis, quæ de menſa religioſorum ceciderint, ſuſtentari valeant pauperes Sacerdotes, qui in vituperium ordinis Sacerdotalis publica egeſtate laborant; ita quod ſint veriſſima illa verba Hieronymi dicentis in Canone: *Mendicat infelix Clericus in plateis.*

De ſtatu, & habitu Monachorum, & Monialium.

Statuimus etiam, ut, juxta Concilium *proxime celebratum*, Monachi, & alii Religioſi quilibet, alterius coloris veſtibus, quam ejus, qui *Ordini* congruit, non utantur, ſive cottidianæ, ſive pluviales exiſtant. Et ut Monaſteria *Ord. S. Benedicti* & *S. Auguſtini*, juxta obſervationem ſuæ Regulæ, efficacius reformentur; prohibemus diſtricte, ne quis Abbas, vel Abbatiſſa, duas habeat Abbatias, & etiam nulli Monacho, vel Moniali, duo officia in Monaſterio aſſignentur; niſi Abbatis providentia, de aſſenſu Capituli, propter evidentem neceſſitatem Monaſterii id duxerit ordinandum.

Item; nullus Monachus in Abbatem, vel ad aliquod officium,niſi dudum expreſſe profeſſus fuerit, aſſumatur, & ſi qui taliter jam aſſumpti (*a*) .... denarii,vel aliqua hujuſmodi tranſmittantur eiſdem, non hoc prius recipiant, quam Magiſtræ, vel Abbatiſſæ id ſignificent: ut, de ejus arbitrio, quid de hoc (*b*) miſſum eſt, fieri debeat, ſtatuatur, & labores eorum veniant in commune. Quod & de Monachis irrefragabiliter volumus obſervari.

Item; ſtatuimus: ut in ſingulis Monaſteriis feneſtræ *Parlatoriæ* duplicata habeant ferramenta, & ut Moniales ſuis Præpoſitis & Prælatis in rebus licitis, & honeſtis obediant, nec cuiquam alii præter

(*a*) Hic ingens Lacuna eſt in MS.

(*b*) *ſupple:* quod

ter eorum licentiam ſua confiteantur peccata; ipſi etiam Præpoſiti & Prælati clauſtra Monialium non introeant, niſi ſumma, magna, & evidens neceſſitas id exigat.

Præterea; etſi contra Moniales, quæ de ſuis clauſtris propter aliquos enormes exceſſus, aut animi levitate temere fugientes, & in ſæculo ſæculariter per aliqua temporum ſpatia converſantes, & tandem pœnitentia ductæ, ad clauſtra, de quibus fugere præſumpſerunt, humiliter redire volunt, certæ ac variæ pœnæ, juxta qualitatem, & quantitatem excedentium, a ſanctis Patribus ſint ſtatutæ; quidam tamen Abbates & Abbatiſſæ, ac cæteri Magiſtratus, pœnis in ſacris Canonibus, citra ſui Ordinis Regulam, contra hujuſmodi profugas perſonas expreſſis, non exiſtentes contenti, graviores, & quaſi importabiles pœnas ipſis in ſui reverſione imponere non verentur, vel etiam, quod deterius eſt, eaſdem perſonas, quantumcumque humiliter poſtulantes aditum ad ſua clauſtra, ex quibus taliter exiverunt, admittere unanimiter contradicunt. Cum ergo, juxta ſacrorum Canonum diverſas auctoritates, pœnæ non ampliandæ, ſed potius ſint reſtringendæ, & longe melius ſit, de miſericordia, quam de crudelitate, Deo reddere rationem: cum etiam Dominus per os Prophetæ pollicitus ſit, ſic dicens: *Peccator in quacumque hora converſus fuerit, & ingemuerit, omnium iniquitatum ſuarum minime recordabor.* Nos attendentes, quod ubi Pater-Familias largus Diſpenſator exſtiterit, non decet famulum eſſe tenacem; ut peccandi via, & occaſio perſonis talibus præcludatur, provida deliberatione *Concilii hujus*, decernimus ſtatuendum, & ſub pœna ſuſpenſionis univerſis Abbatibus, Abbatiſſis, & cæteris Monaſteriorum Magiſtratibus, cujuſcumque Ordinis, ſeu conditionis exiſtant, aut quocunque nomine appellentur, injungimus firmiter & diſtricte, ut ſuis fratribus, & ſororibus, in apoſtaſiæ labem ex quacunque cauſa prolapſis, deſiderantibus, & appetentibus cum humilitate, & devotione regreſſum ſuum, portam miſericordiæ, quam alma Mater Eccleſia nulli pœnitenti claudere conſtituit, more pii Patris-Familias, qui filium primo prodigum, & poſtmodum pœnitentem paterne recepit, liberaliter ſtudeant aperire; ita quod hujuſmodi perſonas, redire ad ſua clauſtra volentes, quantumcumque exceſſus earum graves fuerint, vel enormes, juxta cujuslibet ordinis diſciplinam ſive regulam, & conſuetudinem obſervatam, ſine qualibet contradictione recipiant & admittant: ita tamen, quod propter earum exceſſus, nec victus ſubtrahatur eiſdem, ſed alias, ſicut prædiximus, regulariter puniantur; alioquin prædictam ſuſpenſionis ſententiam per Ordinarios locorum, ſeu Officiales eorum, in omnes contradictores, procedente tempore, juxta quod eorum protervia meruerit, præcipimus promulgari.

De Raptoribus.

Statuimus, & præcipimus ſub pœna excommunicationis, quam tranſgreſſores incurrunt, ut, non ſolum in terminis illius Archidiaconatus, in quo Prælatum, vel Religioſum aliquem, vel Clericum, habentem ſacros Ordines, & pro Clerico ſe gerentem, contigerit temere captivari, ſed & in terminis illius Archidiaconatus, in quo quempiam talium detineri contigerit, ipſo facto ceſſetur a Divinorum Officiis.

De Judæis.

Statuimus: ut in univerſis civitatibus, oppidis, caſtris, & villis, civitatis, Diœceſis, & *Provinciæ Moguntinæ*, Gens Judæorum, utriuſque ſexus, infra II. menſes poſt publicationem hujuſmodi ſtatuti, talia ſigna, & habitum, quibus, ſeu per quem ſine ambiguitate a Chriſtiano populo diſtinguatur, ſibi eligat, & deferat manifeſte: dignitates quoque ſæculares, & officia publica, ſcilicet: in quibus de gente præfata aliquis præeſt, & mancipia Chriſtiana prorſus dimittat. Alioquin in omnibus locis, ubi Judæi dicto ſtatuto obedire nolentes, habitare, vel domicilia obtinere noſcuntur, in pœnam Chriſtianorum Potentum, tam diu ceſſetur ab Officio Divinorum, donec per prætactos Principes & Nobiles Chriſtianos, in quorum Territoriis prædicta gens perfida, & miſera converſatur, ad obſervationem præmiſſorum omnium compellatur. Ipſi autem Judæi per locorum Diœceſanos indirecte per ſubtractionem communionis fidelium, excommunicationis ſententia percellantur. Si quis vero de gente præfata in die Paraſceve viſus fuerit in platea, vel per oſtium domus ſuæ pro-

prospicere vel fenestras, ad quod probandum duorum Christianorum stabitur juramento, is loci Diœcesano in marca argenti, pœnæ nomine, teneatur: ad cujus solutionem etiam omnes defendentes eum, per excommunicationis sententiam compellantur; & ne quis Christianus hujusmodi statuti ignorantiam valeat allegare, universis Ecclesiarum Rectoribus per Mogunt. civitatem, & Provinciam constitutis, in quorum Parochiis Judæi morantur, sub pœna excommunicationis, auctoritate *dicti Concilii*, latæ sententiæ præcipimus firmiter & districte: ut quilibet in sua Parochia singulis diebus Dominicis, singula quatuor tempora immediate sequentibus, infra Missarum solemnia publice præfatum statutum lingua materna non obmittat exponere.

Ex codice MS. Bibliothecæ S. Petri Erfordiæ descripsit Cl. Schannatus b. mem.

CONCILIUM BREMENSE

ANNO CHRISTI MCCLXVI. MENSE NOVEMBRI.

SUB WIDONE, CARDINALI LEGATO AD ECCLESIAM BREMENSEM, HILDEBOLDO, BREMENSI ARCHI-EPISCOPO, QUI OBIIT A. MCCLXXIII. ANNO XV. SUÆ SEDIS.

FRATER WIDO, MISERATIONE DIVINA IN LUCINA PRESBYTER CARDINALIS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

HUmanæ naturæ sauciata conditio, quam hostis antiqui invidia gratuitis spoliare, & in naturalibus vulnerare fraudulentis conatibus elaborat, ligamenta requirit salutarium præceptorum, infusionem quoque olei, per quod intelligitur pia ammonitio: & vini, per quod pungitiva correptio, vel increpatio figuratur, sicut in homine, qui descendit ab Hierosolyma in Jericho, & incidit in latrones, pio scemate declaratur. Hinc est, quod, cum Dominus noster Summus Pontifex, Vicarius JESU CHRISTI, Nos, ad Bremensem Ecclesiam, cum plenæ Legationis officio duxerit destinandos, ea libenti & diligenti animo cogitamus, ordinamus, atque statuimus, quæ libertati Ecclesiasticæ conveniant, animarum saluti proficiant, finem imponant vitiis, remissionem peccati, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Verum quoniam expedit, ut Sacramenta Ecclesiæ, in quibus, tanquam in vasis medicinalibus, populus devotus & humilis antidotum gratiæ recipere consuevit, in honore & reverentia ab omnibus habeantur; cum ea plerumque contingat effici vilia, propter vilem, & abominabilem Ministrorum Ecclesiæ conversationem: universis personis Ecclesiasticis Provinciæ memoratæ districte præcipimus, ut in victu, vestitu, gestu, & aliis operibus, & circumstantiis status sui sic honeste se habeant & decenter, ne propter ipsos nomen Ecclesiasticum inter laicos blasphemetur. Eisdem imprimis districtius inhibentes, ne de patrimonio Crucifixi inimicos se faciant crucis Christi, sicuti illi, quorum Deus venter est, & qui terrena sapiunt, non Divina. In conviviis suis modestiam & mediocritatem observent, superfluitatem indebitam resecantes. Ebrietatem omnium vitiorum comitem & nutricem devitent. Prælati vero a gravaminibus abstineant subditorum, & maxime cum Ecclesias visitant, moderentur expensas, coerceant evectionem, numerum, prout in generali Concilio extitit diffinitum, sibi & gregi suo taliter intendentes, ut zelatores justitiæ & modestiæ amatores, & generaliter omnium sectatores bonorum operum ostendantur. *Præsentis* igitur *Concilii* approbatione præcipimus, ut continenter & caste vivere studeant; ut puro corde, & mundo corpore Domino possint in Offertorio Ecclesiastico ministrare. Si qui de cætero deprehensi fuerint detinere publice concubinas, nisi se ab eis, & earum consortio separaverint, ita quod in domibus ipsarum, aut ipsis, aut aliis quibuscunque non cohabitent, nec ad illas accedant; extunc omni Beneficio Eccle-

Ecclesiastico (*a*), & per eos, ad quos dictorum Beneficiorum spectat collatio, personis idoneis conferantur: illis exceptis, quæ nostræ collationi hac vice duximus reservanda. Illi vero, qui Subdiaconi, aut aliis Superioribus Ordinibus insigniti, fornicariam aliquam sub uxoris specie animo sibi præsumpserint, de facto matrimonialiter copulandi, omni officio Ecclesiastico perpetuo sint privati. Et sicut ob culpam omnis ejus posteritas legitur condemnata: sic pœnam talibus infligendam, in progenie, quæ de coitu sic damnato nascitur, duximus protendendam, statuentes, ut filii, nec non qui tam incestuosum & sacrilegum concubitum duxerint eligendum; ab omnibus bonis eorum mobilibus habeantur penitus alieni, & quidquid eis fuit ab ipsis relictum in morte, vel in vita donatum, inter Episcopum & civitatem loci ejusdem æqualiter dividatur. Præfatos vero filios nota semper infamiæ comitetur. Et quia, sicut intelleximus, aliqui Prælati tales, in scandalum totius Ecclesiæ ipsius, in iniquitatibus, & immunditiis, obtentu pecuniæ, confovent, & defendunt, qui eos deberent a suis iniquitatibus & immunditiis ex injuncto sibi officio revocare; excommunicamus in scriptis & anathematizamus omnes illos, tam Clericos, quam laicos, tam Prælatos, quam subditos, tam minores, quam majores, & medios, qui hujus (*b*) cohabitatores, sive clam, sive palam, in suis iniquitatibus præsumpserint defensare: nec non & illos, qui præstabunt consilium vel auxilium, opem vel operam, quominus observetur istud nimirum salutare statutum, quod legi præcipimus annis singulis *in Synodis Episcopalibus & Provincialibus*, ne aliquis prætextu ignorantiæ se valeat excusare. Illi vero, sive laici, sive Clerici fuerint, qui de cætero filias, sorores, aut cognatas personis in sacris Ordinibus constitutis, sive ratione matrimonii, quod multi errore cæcati fieri posse credunt, ut dicitur, seu ratione concubinatus duxerint concedendas: sive mediatores extiterint, aut fautores; introitum Ecclesiæ sibi noverint interdictum. Si vero aliqui Clerici tanti furoris (*c*) arrepti fuerint, ut in Prælatos suos, aut alios, quos ad exequendum tam salubre statutum contigerit deputari, præsumant insurgere, aut se in sua turpitudine viribus temporalibus defensare, sicut nonnulli jam fecisse dicuntur, ipso facto, Officio, & Beneficio Ecclesiastico sint privati, nec restitui valeant, nisi cum eis per Sedem Apostolicam fuerit dispensatum. Et cum in plerisque locis quorundam iniquitas tantum invaluerit, quod in rebus Ecclesiæ furtum reputetur sagacitas, rapina probitas, & violentia fortitudo: *Synodali judicio diffinimus*, ut qui bona Ecclesiarum scienter detinent occupata, nisi infra instantem quadragesimam eadem restituerint, & de damnis aut injuriis satisfecerint competenter; extunc introitum Ecclesiæ sibi noverint interdictum, nec ab Episcopis, aut aliis Ecclesiarum Prælatis ad communionem Dominici corporis admittantur. Qui vero obstinata mente, dum vixerint, satisfacere non curaverint, nullus Clericus sæcularis, vel regularis sepulturæ ipsorum interesse præsumat. Adjicientes, ut singulis annis *in Synodo* illi, qui Clericos rapuerint, verberant vel occidunt, vel alias, in ipsos manus injiciunt violentas, excommunicati denuncientur, & nominatim illi, de quibus constiterit manifeste. Quicunque vero personam Ecclesiasticam enormiter vulneraverit, mutilaverit, vel occiderit, vel captivaverit, non nisi per Sedem Apostolicam absolvatur. Et in ipso facto, si quid tenebat, illud perdat, & res suæ in utilitatem Ecclesiæ convertantur. Adjicientes, quod in illa Diœcesi, in qua aliquem Canonicum Cathedralis Ecclesiæ, vel in dignitate Ecclesiastica constitutum capi contigerit, vel captum detineri; usque ad libertatem ipsius, & exhibitionem debitæ satisfactionis cesserur generaliter a Divinis. Similiter & in illa Parochia, in qua res Clericis violenter ablatas capi, vel detineri contigerit, usque ad restitutionem & satisfactionem congruam a Divinis cessetur. Item cum matrimonii Sacramentum non sit incontinentiæ præcipitium, sed potius remedium contra illud; non absque dolore cordis audivimus, quosdam in hac provincia sic a suæ carnis voluptate, vel terrena cupiditate deceptos; quod in gradu prohibito de facto temere contrahentes, quod non tam matrimonium, quam contubernium censeri dicitur, se incestuosæ luxuriæ vilitati immergere, & Sacramentum matrimonii, quantum in ipsis

(*a*) *supple:* priventur (*b*) *forte:* hujusmodi. (*c*) *supple:* æstu

ipſis eſt, polluere non verentur. Nos itaque tantum exceſſum conniventibus oculis pertranſire non valentes, ſub pœna excommunicationis diſtrictius prohibemus; ne abſque diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ tale de cætero matrimonium, ſeu contubernium contrahatur. Alioquin Sacerdotes, qui tales conjunxerint, a Sacerdotali officio ſe noverint eſſe ſuſpenſos. Illi vero, qui ſcientes ſic permiſerint ſe conjungi, ipſo facto ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpendantur. Sub eadem pœna, (*) qua illis, qui jam abſque diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ tale matrimonium contraxerunt, diſtricte præcipimus, ut a cohabitatione invicem abſtinentes, Diœceſano ſuo, ſeu alio (d) Prælato, ad quem de jure vel conſuetudine pertinere dinoſcitur talium cauſarum cognitio, rei veritatem inſinuare non tardent, convocatis, qui fuerint evocandi: & cauſa diligenter examinata, quod Canonicum fuerit, ſtatuat, faciens, quod decrevit, per cenſuram Eccleſiaſticam inviolabiliter obſervari. Epiſcopi vero, ſeu alii Prælati, de cauſis matrimonialibus cognoſcentes, omnino caveant, ne cupiditate devicti, non ſolum dirimenda non dirimant, verum etiam ſeparanda redintegrare, prætextu pecuniæ, & alterius commodi, non non præſumant. Si quis autem contra hoc venire præſumpſerit interdictum, eo ipſo ſe noverit Officio, Beneficioque privatum. Laici vero, qui de pœnis inferendis perſonis conjunctis in cauſa matrimoniali, ſeu accuſatoribus ſe intromiſerint, cum ad ipſos non pertineant, ſed ad judicem Eccleſiaſticum, coram quo negotium ventilatur, per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcantur, cum ex hoc multi ab accuſatione matrimonii retrahantur. Item cum detentores plurium perſonatuum, vel dignitatum, ſeu beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura, ſint ſacrorum Canonum tranſgreſſores, & fructus talium Beneficiorum percipiendo, furtum committere dignoſcantur; Statuimus, ut omnis, qui hujus (e) dignitatum, perſonatuum, vel dignitatum, ſeu Beneficiorum cum cura pluralitatem retinent, niſi ſuper hoc diſpenſatum fuiſſe, coram Nobis infra proximam quadrageſimam doceant manifeſte, aut ſi cum eis non fuit diſpenſatum, eligant ergo unum de prædictis Beneficiis retinendum, & alia infra terminum memoratum libere in manibus eorum reſignent, ad quos illorum collatio dignoſcatur pertinere; alioquin extunc ab omnibus Eccleſiaſticis Beneficiis, dignitatibus, ſeu Perſonatibus ſe noverint eſſe privatos. Præcipimus autem illis, ad quos illorum Beneficiorum, dignitatum, ſeu Perſonatuum Collatio pertinet, ut aliis perſonis idoneis eadem conferant, & aſſignent. Quod ſi infra terminum determinatum a jure, hoc adimplere non curaverint, ad proximum Superiorem collatio devolvatur. Item cum judiciorum vigor, juriſque publici tutela ſit in medio conſtituta, ne quis ſibi ſumere audeat ultionem, præſenti decreto ſtatuimus, ut ſi quis aliquid contra quemcunque Clericum, vel laicum de jure competere crediderit, nequaquam in ipſum ſponte inſurgere, aut res ejus propria authoritate occupare præſumat, ſed ipſum vocari faciat coram judice competente. Adjicientes, quod ille tanquam contumax puniatur, qui ne ad ipſum citatio perveniat, inferendo minas, vel injurias, præſumpſerit impedire. Item ad aures noſtras quorundam laicorum gravis exceſſus pervenit, quod Eccleſias Parochiales de facto detinent contra Canonicas ſanctiones: qui niſi infra proximam nativitatem Domini dimiſerint libere & abſolute, ipſos excommunicamus in his ſcriptis, diſtricte præcipientes, ut illi, ad quos prædictarum Eccleſiarum ordinatio pertinet, extunc perſonas idoneas inſtituant in eiſdem. Item cum Eccleſia, ad quam fideles ad audienda Divina conveniant, domus ſit orationis, non negotiationis, nec ſpelunca latronum, nec locus armorum, ſeu materialium gladiorum; Statuimus, ut quicunque ad Eccleſias ad audienda Divina convenerint, inter ipſas, vel cœmiteria eorum, arma non inferant, ſed extra dimittant: cum tales Judæis ſimiles videantur, qui ad capiendum Chriſtum cum gladiis, & fuſtibus convenerunt: tranſgreſſores hujus ſtatuti per excommunicationis ſententiam compeſcantur. Item, cum ſicut (f) perpendimus, Bremenſem viſitando provinciam, homines ejuſdem provinciæ ad committendum homicidium proni ſint ac proclivi, volentes tantam refrenare nequitiam, ut inter ipſos improbos ſit tuta innocentia, & malignorum coerceatur audacia; præſenti decre-

(*) *forte:* illis, qui (d) *lege:* alii (e) *forte:* hujusmodi (f) *forte:* reperimus

decreto ſtatuimus, ut quicunque laicus in publico hominem interfecerit, pœnitentiam faciat privatam, & publicam, & carenas ſimiliter, & hoc ſecundum arbitrium Diœceſani ſui. Alioquin Eccleſiaſtica careat ſepultura, niſi forte jam incepta pœnitentia, morte ſit præventus. Nihilominus præcipientes ſub pœna excommunicationis judicibus ſæcularibns, ſub quorum juriſdictione homicidium a laicis contigerit perpetrari; ut homicidas requirant, & eos puniant ſecundum legitimas ſanctiones: & ſi quis in hoc negligens apparuerit, per Diœceſanum Epiſcopum authoritate *hujus Concilii* per cenſuram Eccleſiaſticam compellatur. Item, ſicut intelleximus fama crebreſcente, Beneficia Eccleſiaſtica a nonnullis Prælatis hujus Provinciæ per vitium Simoniæ conferuntur: Nos ergo huic morbo peſtifero congruum remedium adhibere volentes, diſtricte præcipimus; ne id de cætero fiat: & quicunque ſentit morſum conſcientiæ hominis ſuper Beneficio per Simoniam dato, vel recepto, illud infra inſtans Paſcha reſignet, qui ſimoniace recepit: & qui obtulit, pœnitentiam agat, & ſi quid accepit pro eo, reſtituat. Alioquin dantem ſcilicet & recipientem ex tunc excommunicationis vinculo innodamus. Item ſtatuimus, ut unusquisque liberam teſtamenti factionem habeat, & liberam teſtandi voluntatem, non obſtantibus quibuſcunque ſtatutis per quoſcunque editis, videlicet, quod non valeat teſtamentum, niſi fiat parentibus conſulibus, vel laicis aliquibus de ipſo municipio, vel loco teſtantibus: cujusmodi ſtatuta decrevimus nullius fore momenti, abolerique præcipimus & abradi. Conſervatori vero horum ſtatutorum, & apparitoribus eorundem, niſi reſipiunt, introitum Eccleſiæ denegamus. Sub eadem interminatione injungentes eisdem, ut etiam ſtatuta contra Eccleſiaſticam libertatem edita ab ipſis, præmoniti a Diœceſanis Epiſcopis, ſtudeant revocare. Item cum raptus & corruptionis Dinæ filiæ Jacob exemplo, periculoſum eſſe noverimus vel diſcurſum, vel egreſſum mulieribus religioſis; præſenti decreto ſtatuimus, ut Moniales, quæ evidenti neceſſitate exire debuerint, maturæ ſint & honeſtæ, & cum tali ſocietate ſe teneant, ut non ſolum propriæ ſalutis periculum, ſed & ſiniſtra ſuſpicio inde non valeat exoriri. Adjicientes, ut illis Monialibus, qui Præpoſitos habere conſueverunt, Religioſi, ſeu Regulares præficiantur, ſi perſonæ idoneæ de talibus poterint inveniri; ſi vero propter defectum regularium, perſonas eis oportuit præfici ſæculares, tales inſtituantur, qui morum maturitate præfulgeant, & probata diutius caſtitate. Acta fuerunt hæc *in Concilio Bremenſi*, Menſe Novembris, Anno Domini M. CC. LXVI.

Lunig Spicil. Eccleſiaſt. 1. Theil Fortſetzungs Anhang *pag.* 114, 115, 116.

Ad pag. 644. *Tom. III. Anni MCCLXXV.*

CONCILIUM PATAVIENSE.

INVITATORIÆ

Literæ PETRI Epiſcopi Patavienſis XLII. ad Abbates Altahenſem, Varnbacenſem, Manſeenſem, & Aſpaſitienſem, ac Præpoſitos de S. Nicolao, Reicherſpergenſem, Ranshoven, Suben & de Oſterhoven, ad *Capitulum* Patavia, proxima II. feria poſt Dominicam *Reminiſcere* celebrandum, Datæ Pataviæ XI. Kal. Martii.

Videtur Petrus Conſtitutiones Concilii Patavienſis, proxime celebrati, in uſum deducere voluiſſe, proinde anno 1275. *convocatum hoc Concilium fuiſſe.* Hanſiz. Tom. I. German. ſacræ pag. 414.

Tomo III. pag. 734.

CONCILII HERBIPOLENSIS
ANNI MCCLXXXVII.

Clausula extat in Libro Statutorum, impresso Hagenoæ A. 1512.

HAs nostras Constitutiones in eodem Herbipolensi Concilio promulgatas, in singulis Cathedralibus Ecclesiis, infra Legationis nostræ terminos constitutis, sub nostro sigillo haberi volumus & publicari, prout superius legitur, omni anno. Ut his nostris Constitutionibus adhibeatur in perpetuum plena fides, eas appensione nostri sigilli fecimus communiri. Actum Herbipoli, anno Domini MCCLXXXVII. mense Martii; feria tertia post: *Lætare Hierusalem.* Pontificatus Domini Honorii Papæ Quarti anno secundo.

CONCILIUM BREMENSE
SUB GISELBERTO, ARCHI-EPISC. BREMENSI,
Anno Christi MCCXCII. Nicolai IV. Papæ V. Adolphi Regis I.

GYSELBERTUS, DEI GRATIA, SANCTÆ BREMENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

EXecrabilis horribilium scelerum, & multa præsumptio per importunitatis licentiam contractorum, nostris temporibus sic excrevit; ut quidam perditionis filii, qui obstinatis animis ad exercenda quæque nefaria velociter currere sunt edocti, nunc ad illam crudelitatis sævitiam non verentur manus extendere, quod Episcopos capere audeant, includere, & carcerali custodiæ mancipare. Propter hoc Clericalis dignitas contemnitur, dum Ecclesiarum Prælati, filii Syon incliti, velut vasa testacea conteruntur. Certe ne in his magis insolescat crudelis cervicositas impiorum, & superbia Deum odientium libere semper ascendat. Nos una cum Razzeburgen. Zwerinen. & Lubicen. Ecclesiarum Episcopis, Suffraganeis nostris, nec non totius Provinciæ Prælatis, tam regularibus, quam sæcularibus, & pluribus Clericis, tam Religiosis, quam aliis in nostra Bremensi Ecclesia, *in Provinciali Concilio* congregatis, deliberatione diligenti habita, consensu, approbatione prædictorum omnium accedente, statuimus: ut si in nostra aliquos, vel Episcoporum nostræ Provinciæ in sua, vel aliena capi contigerit; in illa Diœcesi, in qua captus tenetur, & in sua cessetur generaliter a Divinis. Similiter a Divinis cessari præcipimus, & in territorio, in quo capitur, vel deductioni hujusmodi Dominus dicti territorii consensum præstiterit vel juvamen. Quodsi infra mensem a captivitate idem Episcopus detentus fuerit, totam Provinciam supponimus per sententiam, quam nunc ferimus, Ecclesiastico interdicto. Item cum hujusmodi scelerum pertractores ipso facto sint excommunicatione ligati a Canone sententiæ promulgatæ, volumus & præcipimus, ipsos ab omnibus Ecclesiarum Rectoribus nostræ Provinciæ excommunicatos, expressis eorum nominibus, nunciari singulis diebus Dominicis & Festis, & a Christi fidelibus, usque ad satisfactionem condignam certius evitari. Illos etiam, qui ipsis communicare præsumpserint, præterquam in casibus a jure concessis, si Canonice moniti, a communione talium se non abstraxerint, sive laici fuerint, sive Clerici, religionis, vel ordinis cujuscunque; præcipimus a locorum Ordinariis auctoritate nostra, & dicti *Concilii* excommunicationis vinculo innodari. Insuper dicti sacrilegi personam

nam ftandi in judicio non habeant, teftimonium eorum nihil fidei afferat, & tanquam rei crimine læfæ Majeftatis, inter vivos ab omnibus prorfus legitimis actibus fint exclufi, & poft mortem, nifi fibi a Sede Apoftolica de abfolutionis Beneficio providerint; beftialem cum beftiis recipient fepulturam. Feuda, fi qua ab Ecclefia tenuerint, ipfo facto amittant: nec infeudentur a novo, qui talibus Beneficiis ex eorum maleficio fe reddiderunt indignos: filiis etiam patratorum hujusmodi fcelerum, capientium fcilicet, quam raptos detinentium, in Clericatu pofitis, ad Ecclefiafticos Ordines, Beneficia Ecclefiaftica, & honores, nifi parentes eorum celeri fibi fatisfactione profpexerint, prohibitus fit affenfus. Ad hoc ftatuimus, & firmamus in his fcriptis, ut fi qui Clerici, Monachi, aut Regulares, cujuscunque ordinis, religionis, ftatus, conditionis, aut gradus exiftant, qui prædictos facrilegos ad ecclefiafticam fcienter receperint fepulturam, fint fuis officiis, beneficiis, locisque privati, & a Clericali ordine penitus alieni. Item de Epifcopis alienis, per noftram Provinciam tranfeuntibus, fic volumus obfervari: quod in territorio noftræ Diœcefis, vel Provincia, in qua eos capi contigerit, fi Dominus ejusdem territorii captioni eorum affenfum & opem præftiterit, ac per totam Diœcefim, in qua capti detinentur, donec ad eorum liberationem, Divina officia intermittantur: & capientes, ac ipfos captos detinentes, per totam noftram Provinciam ufque ad fatisfactionem condignam, excommunicati publice denuntientur. Statuimus infuper, & inviolabili Conftitutione firmamus, ut fi qui domos, vel curias Epifcoporum, aliorum Prælatorum, vel Canonicorum per vim confregerint, aut alias dotes Ecclefiæ in ruinam, quive ad hoc confilium, & auxilium, opem, vel operam præftiterint efficacem; ut facrilegi invafores a Diœcefano loci, cum ad ejus notitiam pervenerit, excommunicentur, & per totam Diœcefim ufque ad condignam fatisfactionem excommunicati publice nuntientur. Si vero ufque ad vitæ fuæ exitum in fua pertinacia perftiterint, Ecclefiaftica careant fepultura: quos fi Parochialium Ecclefiarum Clerici ex certa fcientia ad fepulturam receperint, pro ipfo fuis Beneficiis ex hac noftra fententia, quam in his fcriptis exnunc ferimus, fint privati, & is ea libere conferet, ad quem collatio pertinet eorundem. Si vero Religiofi Monachi, vel Canonici eos fepelire præfumpferint; in eo loco, in quo fepulti fuerunt, Ecclefiafticum ponimus interdictum, donec corpus effodiant: & fuper noftri tranfgreffione ftatuti emendam exhibebunt competentem Diœcefano & Ecclefiæ, in cujus loci injuriam hanc fecerunt. Addentes, ut fi Dominus terræ, civitas, oppidum, aut quæcunque communitas, in Domibus, Curiis, aut.... præmittitur, terrarum Domini eisdem pœnis, contra fingulares perfonas annotatis fuperius, fubjacebunt: nec non & ipfius terra, civitas, communitas, vel oppidum, nifi monitione præmiffa fatisfecerit, a Diœcefano loci fupponatur Ecclefiaftico interdicto, quod ufque ad condignam fatisfactionem per totam Diœcefim præcipimus inviolabiliter obfervari. Item fi Canonicum Cathedralis Ecclefiæ, aut alterius Collegii, vel perfonam ecclefiafticam alias in dignitate, vel perfonatu capi contigerit, & captum detineri; ftatuimus, ut ufque ad liberationem ipfius, & exhibitionem debitæ fatisfactionis, in Diœcefi, in qua captus detinetur, ceffetur generaliter a Divinis. Sacrilegi quoque, expreffis eorum nominibus, per totam Provinciam fingulis diebus Dominicis excommunicati publice denuncientur. Item, fi quifquam de Prælatorum, vel Canonicorum familia captus fuerit, nulla adverfus eum, coram ipfius Domino, vel Prælato, fcilicet, & Canonico inftituta querela; taliter diffinimus, ut ejus captivatores, vel detentores, Canonica monitione præmiffa, ab Ordinario loci excommunicationi fubdantur, donec captum libertati priftinæ reftituant, & ei ac Domino fatisfactionem exhibeant competentem. Infuper ftatuimus, ut in fingulis noftris, Suffraganeorum noftrorum, ac Archi-Diaconorum noftrorum noftræ Diœcefis, & Provinciæ Synodis, ab his, qui eis præfident, Clerici prophani excommunicentur, anathematizentur: & una cum laicis, contra libertates Ecclefiafticas ftatuta edentibus, ac eis utentibus, qui ipfo facto Canonis fententia funt ligati; excommunicati publice nuntientur, prout fecundum

Deum

Deum videbitur expediens & consultum. Item statuimus, ut Ecclesiarum, Monasteriorum, aut aliorum piorum locorum Advocati in personis, aut bonis earundem Ecclesiarum, Monasteriorum, aut piorum locorum sibi debito usurpantes contenti his, quæ ipsi jura permittunt, hoc est, pœnis delinquentium moderatis, ex justo judicio provenientibus, ab injuriis & injuriosis gravaminibus omnino desistant, & personas Ecclesiasticas, Procuratores, aut nuncios Ecclesiarum, seu ecclesiasticarum personarum in petendis, aut percipiendis decimis, censibus, vel aliis redditibus eorundem, & in pignoribus pro eisdem decimis, censibus, seu redditibus, ut in quibusdam locis assolet, capiendum non impediant, & requisiti, eos impediri a suis subditis modo aliquo non permittant. Quod si a dictis Advocatis, vel eorum nuntiis secus fuerit attemptatum, Canonica contra ipsos, ubi commode fieri possit, & verisimile sit ad eorum posse notitiam pervenire, admonitione præmissa, ex abundanti tribus Dominicis diebus de ambone majorum Ecclesiarum illius Diœces., in qua dicti Advocati delinquunt, publica fiet mentio, ut ab injuria desistant, & commisso infra terminum de ambone sibi statuendum satisfactionem exhibeant congruentem. Alioquin extunc ab Ordinario loci excommunicentur, ac per totam Diœcesin excommunicati publice nuntientur. Cœterum si Dominus terræ fuerit Advocatus, & per se, vel suos deliquerit in præmissis, tota illius terra, vel si singularis sit persona, Parochia, in qua moratur per mensem de ambone statutum, ab eodem loci Ordinario supponitur Ecclesiastico interdicto. Præterea (*) raptores, & invasores, & detentores rerum mobilium, seu immobilium ad mensam Episcopalem, Monasteria, Capitula, alia pia loca, seu personas ecclesiasticas pertinentium, si continua monitione infra terminum præmissa a loci Ordinario, sibi statutum restitutionem & satisfactionem plenariam cum effectu non duxerint faciendam; hoc observatum volumus & teneri, quod supra de Advocatis, terrarum Dominis, & personis singularibus est statutum. Cæterum, ut fortiori caritatis vinculo uniti, alter alterius onera portantes, contra præmissorum statutorum transgressores, ac alios delinquentes instantius procedamus, & ut ipsi majori rubore suffusi citius resipiscant, hac *Synodali* Constitutione sanximus, ut Nos, & Successores nostri, & quilibet supradictorum Coepiscoporum, nostrorum Suffraganeorum, invicem tenere debeamus, & observare nostras sententias, & per nostras Diœces. exequendam ab earum latore sumus requisiti. Verum, si in personas spectabiles, illustres, aut alios Nobiles, scilicet terrarum Dominos, sententias proferre contigerit, postquam a Sede Metropolitana, cui nunc favente Domino præsidemus, fuerint confirmatæ, ipsa mandata per totam nostram Provinciam fideliter exequantur. Archidiaconorum etiam per nostram Diœcesim, & Provinciam constitutorum sententias, nec Nos, nec Successores nostri, nec aliquis Coepiscoporum nostrorum, absque causæ cognitione relaxabimus ullo modo. Item omnibus, & singulis Prælatis ac Clericis nostræ Diœcesis, & Provinciæ prohibemus, ne in domibus suis, vel commestionibus scolares vagos, qui goliardi vel histriones alio nomine appellantur, per quos non modicum vilescit dignitas Clericalis, ullatenus recipiant. Illos maxime, qui in sacris constituti sunt ordinibus, a Clericali habitu apostatantes & ordine, laicalem habitum assumpserunt. Quod cum præmissis statutis omnibus & singulis sub excommunicationis pœna præcipimus firmiter observari. Postremo ne circa hæc aliquis occasionis vel ignorantiæ possit velamen prætendere, statuimus, volumus, & mandamus, ut hæc salutaria statuta semel quolibet anno in *Episcopali Synodo*, vel *Capitulo*, publice recitentur. Verum quia plus firmitatis, afferre videtur, quod specialiter injungitur, quam quod generaliter imperatur, suprascriptis omnibus etiam includimus, & inclusum esse volumus Diœcesis nostræ honorabile Capitulum Ecclesiæ Hamburg. In quorum omnium, & singulorum, testimonium, & approbationem totius *Concilii* accedentis consensu sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum.

Datum & actum Anno Domini MCCLXXXXII. feria secunda post Dominicam, qua cantatur *Lætare*.

(*) *supple*: circa

Nota. Simile ſtatutum per omnia de verbo ad verbum, excepto dato, loco & nomine ſtatuentis, fecit Dominus JOHANNES, Archi-Epiſcopus Bremenſis, in Provinciali Concilio, in Eccleſia Hamburg. celebrato. Anno Domini MCCCCVII. die Lunæ, menſis Maji, poſt Dominicam: *Exaudi.*

Lunig Spicil. Eccleſiaſt. Contin. 1. *P. in Append. pag.* 118, 119, 120.

CONCILIUM FRANCOFORDIENSE

ANNO CHRISTI MCCXCIII.

ANno MCCXCIII. Congregatio Epiſcoporum, Abbatum, aliorumque Eccleſiaſticorum hic Francofurti habita fuit: Quidam opinantur hunc Conventum à recens electo Pontifice Romano ordinatum fuiſſe: in quo pœnæ in blaſphemos adulteros, fornicatores, aliosque criminoſos ſtatutæ fuere.

Hæc Letsnerus in *Chronico Francoford. Germanice edito T. I. L.* 2. *C.* 4. Erronea tamen videtur opinio eorum, qui Synodum hanc à recens electo Rom. Pontifice coactam putant: nam ſi vera eſt Papebrochii ſupputatio; ab obitu Nicolai IV. Papæ Romana Sedes vacavit menſibus 26. diebus 29. ſcilicet, a 14. April. anni 1292. ad 5. Jul. 1294. adeoque hoc Concilium non ſub Succeſſore Nicolai, ſed Sede adhuc vacante celebratum fuit.

Statutum GERARDI, Archi-Epiſcopi Moguntini, datum A. C. MCCXCIV.

GERHARDUS, DEI GRATIA, S. MOGUNTINÆ SEDIS ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER GERMANIAM ARCHI-CANCELLARIUS: DILECTO IN CHRISTO ABBATI ECCLESIÆ S. JACOBI SCOTORUM IN ERFORDIA SALUTEM IN DOMINO.

PIum eſſe dignoſcitur, ut glorianti-bus in ſua malitia per Nos taliter obſiſtatur, quod repreſſis eorum inſultibus vacantes Divino cultui in obſervantia mandatorum Domini liberius valeant delectari: cum igitur *Monaſterium Montis S. Petri in Erfordia, Ordinis S. Benedicti,* quod affectione amplectimur ſingulari, a nonnullis, qui lætantur, cum male fecerint, & in rebus peſſimis gloriantur, ſuper bonis ſuis diverſis patiantur injurias & preſſuras, ſicut Nobis Abbatis & Conventus ejusdem Monaſterii querulosa inſinuatio patefecit; Nos eorum providere quieti & malignantium conatibus obviare volentes, Devotioni tuæ committimus & mandamus, quatenus ipſis contra raptorum, prædonum, & invaſorum maliciam efficaci præſidio defenſionis aſſiſtens, non permittas eos in rebus & bonis eorum indebite moleſtari, moleſtatores hujusmodi auctoritate noſtra, juxta *Formam Moguntinenſis, & Aſchaffenburgenſis Conciliorum Statutorum* per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo: proviſo, ne te de his, quæ cauſæ cognitionem requirunt, & quæ perſonas & bona hujusmodi non contingunt, te aliquatenus intromittas. Alioquin litteras & proceſſus, quas earum auctoritate habere te contigerit, viribus carere decernimus. Datum Erfordiæ anno Domini M.CC.XCIV. VI. Non. Octobris.

Gerhardus II. ab Epſtein electus anno 1288. a Papa Nicolao IV. contra æmulum Emericum de Schönek Romæ ordinatus fuit. Obiit anno 1304. 25. Februarii: Præfuit annis 16. an ſub eo Erfordiæ Concilium celebratum fuerit, *Serarius* tacet.

Altera

Altera ejusdem Constitutio.

GERHARDUS, DEI GRATIA, SANCTÆ MOGUNTINÆ SEDIS ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER GERMANIAM ARCHI-CANCELLARIUS, DILECTIS IN CHRISTO ABBATI ET CONVENTUI MONTIS S. PETRI, ORD. S. BENEDICTI IN ERFORDIA, SALUTEM IN DOMINO.

VEstræ devotionis votis ac desideriis rationabilibus favorabiliter annuentes, hanc vobis gratiam duximus faciendam, & in privilegium vestræ Ecclesiæ concedimus per præsentes, ut cum campana pulsata fuerit apud Ecclesiam S. Mariæ Erford. in signum interdicti, seu cessationis Divinorum, ad requisitionem vestram, ac Prælatorum aliarum Ecclesiarum Conventualium, Decanus, qui pro tempore fuerit Ecclesiæ memoratæ, vobis causam interdicti, vel cessationis hujusmodi absque difficultate qualibet exponere teneatur: quam si rationabilem inveneritis, cessetis ab Officiis Divinorum; alioquin juxta conscientias vestras in cessando, & non cessando, quod vobis inspiratum fuerit, faciatis: Præterea *Statuta Conciliorum Moguntini*, & *Aschaffenburgensis propter occisionem Clericorum edita*, *declarantes*, *statuimus*: ut cum Clericus reperitur interfectus, & interfectoris persona ignoratur omnino, aut existat profuga, vel tanta paupertate depressa, quod ab eo satisfactio nequeat extorqueri; non obstantibus statutis prædictis, celebrare Divina libere valeatis, cum idem de eo, quod non est, & quod non apparet, judicium videatur, & inanis sit actio, quam excludit inopia debitoris: cæterum volentes privilegia, libertates, statuta, & consuetudines rationabiliter introductas, vestræ Ecclesiæ non minui nostris temporibus, sed augeri. *Datum Erfordii* idus Octob. Anno Domini MCCXCIIII.

GERHARDI II. Archi-Episcopi Moguntini
STATUTA ECCLESIASTICA,

Edita ANNO CHRISTI MCCXC. vel MCCXCVIII.

GERHARDUS D. G. S. MAGUNTINE SEDIS ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER GERMANIAM ARCHI-CANCELLARIUS, DILECTIS IN CHRISTO PREPOSITIS, DECANIS, CETERISQUE PRELATIS, ET CLERO CIVITATIS ET DIOECESIS MAGUNTINE, SALUTEM IN DOMINO.

CUm Officium Pastorale, quod suscepimus, postulet & requirat, ut subditorum nostrorum remediis, & maxime circa ea, quæ ad cultum Divini Nominis, & honestatem Ecclesiarum ac morum correctionem pertinent, intendere debeamus; ne subditorum nostrorum culpa propter nostram negligenciam Nobis valeat imputari; Quædam, quæ visitationis officium exercendo invenimus, quibusdam statutis Generalibus corrigere decrevimus, ac eciam emendare.

Decani compellant subditos ad frequentationem Chori.

Statuimus igitur, & sub pena suspensionis districte precipiendo mandamus, ut Decani Ecclesiarum Nobis subjectarum de cetero studiose invigilent, ut subjectos sibi ad frequentacionem Chori, & ad disciplinam Choralem servandam, ac celebrandum & ministrandum quodlibet in suo ordine, seu officio, pena, qua convenit, coherceant & compellant.

Subditi Decanis reverenciam ac honorem exhibeant.

Precipimus eciam ſubditis predictorum Decanorum in virtute ſancte obediencie, ut ipſis Decanis, in his, & aliis preceptis ſuis licitis, & honeſtis exhibeant debitam obedienciam & honorem. Vobis eciam Decanis omnibus & ſingulis precipimus in his ſcriptis, quatenus veſtros Concanonicos & Socios Chori publice moneatis, ut reverenciam in omnibus locis, juxta conſuetudinem cujuslibet Eccleſie Prelatis debitam, ipſis plane, & reverenter exhibeant: alioquin omnes contrarium facientes, quociens & quando vobis conſtiterit, a ſuis Beneficiis per octo dies ſuſpendatis; in tantum, ut ſi dictam ſuſpenſionem ultra predictum terminum animo ſuſtinuerint indurato, de premiſſis ſatisfacere non curando; ex tunc ipſos uſque ad ſatisfactionem condignam per excommunicacionis ſentenciam compellatis. Quicunque eciam Decanorum ex quacunque cauſa preſens mandatum noſtrum diligenter non fuerit executus, ipſum a perceptione ſue Prebende per octo dies volumus eſſe ſuſpenſum; contra eum gravius proceſſuri.

Decime non debent locari Canonicis earundem Eccleſiarum.

Item volentes Eccleſiarum indempnitatibus precavere, & inter fratres litis materiam, quantum poſſumus, amputare; ſtatuimus, quod a Decanis & Capitulis, decime, aut alia bona Eccleſiarum, Prelatis aut Canonicis earundem ſub annuo cenſu, ſeu penſione nullatenus locentur, ſeu eciam concedantur; ne exinde inter fratres queſtiones exurgant, & querele concreſcant, aut lites & odia eruantur. Quod ſi Decani & Capitula contra hanc inhibicionem venire preſumpſerint; tam diu una cum conductoribus a Divinis Officiis ſint ſuſpenſi, donec locaciones hujuſmodi revocent, & retractent.

Ne quis in Civitate Mog. duo obtineat Beneficia.

Item cum Eccleſiarum Perſonatus & Officia, maxime ea, que requirunt Chori frequentacionem, & reſidenciam perſonalem, ſint talibus conferenda, que in ipſis volunt & poſſint perſonaliter reſidere; ſequentes veſtigia ſel. record. Predeceſſorum noſtrorum, ſtatuimus, ut nullus in civitate Moguntina duas Prelaturas, Perſonatus, ſive Officia, Canonicatus & Prebendas, in diverſis Conventualibns Eccleſiis, aut etiam in una talium Conventuali, Officium cum Prelatura habeat, vel habere preſumat. Quodſi quiſque Canonicorum duas Prelaturas, Perſonatus, Officia, Prebendas, & Canonicatus ſimul habeat: infra unius menſis ſpacium dimittat ipſorum alterum, ſeu reſignet; alioquin primum quod ex predictis Prelaturis, ... recepit, ex tunc vacare decrevimus ipſo jure. Injungentes omnibus & ſingulis, ad quos Electio, proviſio, preſentacio, collacio ſeu inſtitucio ipſius Beneficii, videlicet Prelature, Perſonatus, . . pertinet, ut infra tempus a Canone prefinitum, ad id aliam Perſonam idoneam eligant, ordinent, ſeu preſentent.

Clerici non nutriant tortos crines: neque Choreis ſe immiſceant: Arma ne portent.

Item ſtatuimus, firmiter precipientes, ne Clerici nutriant tortos crines, que vulgariter *Crulle* dicuntur. Nec *Mitras* extra domos & curias ſuas deferant, niſi in equis conſtituti fuerint ad eundum, vel equitandum parati; & Choreis laicorum in plateis vel vicis ſe nequaquam immiſceant, vel *corizent.* (*) Volumus quoque, ut loricas, gladios, cultellos fixorios, ſeu alia arma nocturno tempore in laicali habitu incedentes, ſub tunicis, aut alias non deferant quoquo modo; ne, ſi hoc modo fuerint deprehenſi, tradantur judicio ſeculari.

Clerici ſub Divinis Officiis non tranſeant ſine religione.

Tranſitum non faciant per Eccleſiam ſine ſuperpelliceis, ſive cappis, eo tempore, quo Divinum Officium peragitur. In eisdem veſtibus eciam nimia brevitate notatis, & lateralibus ſciſſis, aut cum collirio eminenti, ſeu nimis alto diſpo-

(*) *corizare*, idem eſt, quod Choreas agere, ſaltare. *Breidenbach* † *itinere Hieroſol. pag.* 216: Omnis hoſpitis noſtri familia inſanire cepit & cantare, & corizare, & cum inſtrumentis muſicis ludere.

† BERNARDUS: Can. Mogunt. An. 1484. Decanus. Obiit A. 1497. 5. Maji.

diſpoſitis, dum ſuperpelliceis ſunt induti, de cetero non utantur. In pectoralibus, vel collo, uno, duobus, vel tribus nodulis ſint contenti; Attendentes prudenter, quod converſacio & habitus Clericorum, diſſimiles eſſe debeant a laicis; & ſit dignum, ut, qui ſimilem cum aliis vitam ſuſcipiunt, ſimilem ſenciant cum aliis diſciplinam.

Prelati & Clerici, qui res injuſte ſubtraxerint, reſtituant eaſdem infra menſem.

Item, cum Clerici in ſortem DEI electi ſic dignitate, ita fide & caritate laicos precellere debeant, & circa omnes fideliter ſe habere, maxime autem circa Eccleſias, quarum ſtipendiis ſuſtentantur; Firmiter precipimus, & mandamus, ut Prelati, Canonici, & alii Clerici, qui res Eccleſiarum ſuarum ſubtraxerint, occulte vel manifeſte, & detinent minus juſte, reſtituant integraliter infra menſem; alioquin ex tunc ſuſpenſionis vinculo ab officio & beneficio, quam in eos ferimus, ſe noverint innodatos.

Clerici obligati Eccleſiis licito modo, ſatisfaciant ſub ſuſpenſionis pœna.

Illi eciam Prelati & Clerici, qui Eccleſiis licito modo, id eſt, non ex maleficio, ſed contractu, vel quaſi, ſunt in debitis obligati; ſi a die publicacionis hujusmodi noſtrorum ſtatutorum infra duos menſes non ſatisfecerint, vel arbitrio Capituli cautionem, quam per Capitula volumus a Debitoribus ipſis ſtudioſe requiri, pro ipſis debitis ſolvendis non preſtiterint competentem; eodem vinculo ſuſpenſionis, quod in eos ex tunc proferimus, ſe noverint irretitos.

Clerici in religione non vadant ad forum.

Item præcipimus, ut Clerici non frequentent forum rerum venalium in ſuperpelliceis, ſive cappis, vel in religione alia conſtituti, nec portent calopides (**) Corpus Dominicum deferendo, vel Eccleſias tranſeundo; nec Sacerdotes calceis excisis utantur, dum ad Altare miniſtrant.

Tractatus Capitulares non debent obſervari niſi vocatis vocandis, & in loco ad hoc deputato.

Item ſub pena ſuſpenſionis Officii & Beneficii jam late ſententie firmiter inhibemus, ne quas conſpiraciones, colligaciones vel confederaciones illicitas in Eccleſiis faciant, vel procurent. Et cum, quod omnes communiter tangit, debet ab omnibus approbari; & loca certa & communia ab antiquo in Eccleſiis ſunt ſtatuta, in quibus Tractatus Capitulares haberi conſueverunt; ſtatuimus, ut deinceps ab aliquibus de Capitulo, Tractatus qui ſuper rebus ſeu ſtatu Eccleſie aliquatenus habeantur, niſi vocatis omnibus, quorum intereſt, & qui de jure vel conſuetudine poſſunt & debent hujuſmodi tractatibus intereſſe, nec in locis aliis, quam in locis communibus, ad hoc ab antiquo deputatis, Conventicula ſua privata & ſpecialia habeant, niſi de communi conſenſu tocius Capituli ex aliqua cauſa racionabili ſeu neceſſaria contingat ad tractatus hujuſmodi locum alium aſſignari.

Si qui autem contra ſtatutum hujuſmodi ſuper rebus, vel ſtatu Eccleſie aliquid tractare, vel ordinare preſumpſerit in prejudicium ejuſdem Eccleſie, vel perſonarum ipſius; tractatus & ordinaciones hujuſmodi decernimus non valere, & nullius penitus eſſe momenti. Tractatores, & Ordinatores ipſos, uſque ad ſatisfactionem condignam, in his ſcriptis a voce Capituli ſuſpendentes.

Clerici non debent tenere in ſuis domibus famulas ſuſpectas.

Item, quia nonnulli Clerici in domibus ſuis famulas, ſive *Beckinas*, ſervicii nomine ſecum habent; ne hac occaſione Angelus tenebrarum, qui in Angelum lucis aliquando ſe transformat, ut ſimplices & incautos ſubtilius fallere valeat, ſua, eos, quod abſit, calliditate decipiat; Præcipimus & mandamus, ut poſt menſem unum nullus Clericorum ſecum in hoſpicio famulam habeat, vel Beckinam, niſi etate, conſanguinitate, vel affinitate reputari valeat non ſuſpecta; quod

(**) *Calcei lignei, aut ſaltem calcei, quorum pars inferior lignea eſt, ſuperior vero coriacia.* Du Fren. *T. II. pag.* 55. In Regeſto.... *Non portentur Calopodia in Choro ſub pœna diſtributionum unius diei. Item inhibemus, ne aliquis deambulet per Chorum in Calopodiis, ſeu patinis ferratis, vel non ferratis, dum Horæ canuntur.*

quod ſi ſecus a quoquam factum fuerit, contra talem gravius procedemus.

Non vendere in ſuis domibus vinum.

Statuimus eciam, & precipimus obſervari, ut nullus Clericorum in domo ſua, vel in curia vinum vendat, niſi illud vinum tantum, quod de Beneficio, vel patrimonio ſuo habet.

Fructus deputati ad Fabricam, in alium uſum converti non debent.

Inſuper, ne, quod pia devocione introductum eſt, tranſeat in abuſum, & cupiditate qualibet annulletur; adnectendum duximus, ſtatuendo firmiter inhibentes, ne fructus Prebendarum, ad Fabricam deputati, in alios uſus, quam ad Fabricam de cetero convertantur; preſertim cum plures Eccleſie in edificiis collabantur, & alios defectus ſuſtineant in ornatu.

Mercimonia Vini & Annone interdicta.

Item ſtatuimus, ne Prelati vel Clerici noſtre civitatis & Dyoceſis negociacionem exerceant, emendo vel vendendo, vinum, annonam, vel res alias cauſa lucri, ſecundum quod Canonice prohibent ſanctiones; Et qui hujuſmodi ſtatuti tranſgreſſores extiterint, vel exiſtunt, niſi ſe infra unius menſis ſpacium a tali Negociacione ſubtraxerint, ex tunc ipſos ab Officio, & Beneficiis ſuis ſuſpendimus ipſo facto.

Clerici, Uſurarii & Concubinarii excommunicantur, niſi ſe correxerint.

Inſuper Clericos uſurarios, & turpe fenus querentes, ac Clericos concubinarios manifeſtos, niſi ſe infra menſem correxerint, excommunicamus in nomine Domini in his ſcriptis. Adjicientes, ut nullus Prelatorum, Canonicorum, ſeu aliorum Clericorum quorumcunque noſtre civitatis, vel Dioceſis aliquem in domo, vel familia, ſeu procuracione ſua habeat, qui turpe fenus exerceat vel uſuras. Si quis vero Prelatus, Canonicus, vel Clericus in familia, domo, ſeu procuracione ſua aliquem habeat, ipſum a ſe removeat infra menſem, alioquin ex tunc eum ab Officio & Beneficio ſuſpendimus in his ſcriptis.

Hec Statuta in ſingulis Eccleſiis per Decanos debent publicari.

Predicta autem Statuta Generalia, quæ de Concilio Sapientum invenimus, neceſſario ſtatuenda, præcipimus inviolabilter obſervari, & in ſingulis Eccleſiis ad minus bis in anno in preſentia omnium, qui de membro Eccleſie fuerint, per Decanos Eccleſiarum ſollempniter publicari, ne quis ab earum obſervancia per ignoranciam ſe valeat excuſare. Actum & Datum Anno Domini MCCLXXXXVIII. Idus Septembris. (*)

(*) Hos numeros vetus Scriptor tam arcte conjunxit, ut puræ ſubjectum ſit Divinationi, an legere oporteat: 1290. VIII. Idus Sept. aut: 1298, Idus Sept. Interea D. Joannis loco poſt titulum ſignato, ad ann. 1290. iſthæc Statuta retulit: quem etiam in ordine locandi fuiſſem ſecutus; niſi æræ ambiguæ aſteriſco ſemel annotaſſem annum 1298, ſigno, quod iſtum aliunde exploratum habuerim, ceu rei geſtæ proprium. *Adnotatio Cl. Dom. Valent. Ferd. de Gudenus Cod. I. Diplom.* ex quo hæc decerpſimus a *pag.* 907.

Statutum Capituli Cathedralis Eccleſiæ
Mindenſis contra Præpoſitum præripientem ſibi Præbendas, directum ad Ludolphum, Mindenſem Epiſcopum.

NOS GEROLDUS, Decanus, & Canonici Mindenſis Eccleſiæ infraſcripti, conſiderantes verſutiam Domini noſtri Volquini Præpoſiti, querentis vias callidas per ſuos, ut videtur, conſiliarios, excogitando per cavillationes injuſtas formam, Nobis non miniſtrandi Præbendas. Ne Nobis in præſenti, & noſtris Succeſſoribus in futuro per cavillationes hujus, per noſtram taciturnitatem, præjudicium generetur; decrevimus conſenſu unanimi, & pari voce jurantes, tactis ſacro-ſanctis Evangeliis, quod omni timore, & metu, & favore poſtpoſitis, ſtabimus pro jure petendi Præbendas noſtras contra ipſum Præpoſitum, & contra quemlibet animum obedientiarum ſive conſolatorem

Præ-

Præbendarum noſtrarum detentorem, actione quacunque, & per Eccleſiaſticam cenſuram excommunicationis, ſuſpenſionis ab officio, ſeu adminiſtrationis, interdicti, privationis, ſive modis aliis quibuſcunque. Petentes vos Revendum Patrem, & Dominum noſtrum, LUDOLFUM, Mindenſem Epiſcopum; ut vos excommunicationis ſententiam generalem; volentes, & conſentientes, in omnes illos ex Nobis(*), qui contra decretum, & juramentum noſtrum, prout ſupra dictum eſt, venire præſumpſerint ullo modo; niſi ſimul omnes in unam ſententiam decrevimus convenire, ne noſtris temporibus jura Præbendarum pereant, a noſtris Prædeceſſoribus hucuſque glorioſe defenſa.

(*) *ſupple:* feratis

Et Nos LUDOLFFUS, Dei gratia Mindenſis Eccclefiæ Epiſcopus, mandamus ſub pœna excommunicationis late ſententie in his ſcriptis in illum, & illos, qui venerint contra decretum, & juramentum premiſſa, ut omnia inviolabiliter obſerventur. Ego Geroldus, juravi, & Sigillum meum appoſui &c. Datum Anno Domini MCCC. feria ſecunda poſt *Invocavit.*

Lunig Spicil. Eccleſiaſt. Continuation. III. pag. 51. in appendice.

Mindenſis Synodi Statutum,

Excommunicandos eſſe eos, qui debitos cenſus Eccleſiæ, & Clericis ſuo tempore ſolvere negligunt.

ANNO CHRISTI MCCCII.

LUDOLFUS, DEI GRATIA, MINDENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS.

AD certitudinem præſentium, & memoriam futurorum Prelatorum, Capitulorum, Monaſteriorum, Sacerdotum, & aliorum Clericorum noſtræ Mindenſis Diœceſis. Querelis frequentibus excitati de hominibus, ſibi cenſualibus utriuſque ſexus, quod ipſum cenſum ſtatutis temporibus non perſolvant: de Capituli noſtri conſilio duximus ſtatuendum, quod quicunque cenſuales ſibi utiuſque ſexus homines emphyoteute, villici, ſeu alii, quocunque nomine cenſeantur, ſive ſint Clerici, ſive laici: cujuſcunque ordinis, ſtatus, vel conditionis exiſtant; cenſum proventuum ſuorum ſtatuto termino non ſolverint, & moniti, infra quindecim dies de hoc non ſatisfecerint competenter; incurrant excommunicationis ſententiam ipſo facto. In cujus rei teſtimonium, Noſtrum, & Capituli noſtri ſigilla præſentibus ſunt appenſa. Datum Mindæ in die Purificationis B. Mariæ, Anno Domini MCCCII.

(*L. Epiſc.*) (*S. Capituli*)

Lunig Continuation. III. Spicil. Eccleſiaſt in appendice pag. 51.

Mindenſis Concilii, ſub Godefrido Epiſc.

Declaratio & Renovatio Statutorum antecedentium.

ANNO CHRISTI MCCCVIII.

GODEFRIDUS, DEI GRATIA, MINDENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

VEſtigiis Prædeceſſorum noſtrorum inhærere volentes, ipſa *Statuta* recenſemus cum quibuſdam, & additionibus, & declarationibus, in hunc modum: Ad reprimendam malitiam perverſorum contra tranſgreſſores *Canonum* multæ de novo pene, tam in *Lugdunenſi* (*a*), quam in *Herbipolenſi* (*b*) *Conciliis* ſunt ſtatutæ, qua-

(*a*) Anno 1274. Generale XIV. Concilium.
(*b*) Anno 1287. Tomo III. noſtro.

quarum aliquas ad præsens recitare duximus, ut earum periculis auditis, attentius evitentur.

Primum eſt, quod Parochiales Eccleſiæ non conferantur alicui, niſi viceſimum quintum annum attigerit.

Secundum: quod nullus habeat poteſtatem, plures curas animarum, aut plures dignitates, ſine diſpenſatione Domini Papæ, aut plures Præbendas, vel Beneficia ſimplicia in noſtra Diœceſi, ſine noſtræ diſpenſationis licentia ſpeciali.

Tertium eſt, quod Beneficiati in Eccleſiis curatis reſidentiam faciant perſonalem, & Ordines ſacros recipiant infra annum; alioquin Beneficiis ſint privati, niſi juxta ſtatuta Canonica voluerint ad ſtudium ſe transferre.

Quartum eſt, qui tenent notorie concubinas, quod tales ſunt ſuſpenſi ipſo facto, & Beneficiis privati.

Quintum eſt, quod illegitime natis non conferantur Eccleſiæ curatæ, nec etiam Eccleſias conducant, nec conducti Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent, ſine diſpenſatione Domini Papæ.

Sextum eſt, quod nullus Eccleſiam, ſeu Præbendam aliquam, vel Beneficium Eccleſiaſticum, aut Proventus ipſorum, qui ad eum de jure non pertinent, in alterius præjudicium recipere, aut retinere præſumat: & qui contra fecerint, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, & omnes conſentientes eiſdem, tanquam participantes in crimine criminoſis.

Septimum eſt, quod Univerſitates civitatum & locorum, aut Conſules, ſive Scabini, qui prohibent, ne aliquis conqueratur coram Eccleſiaſtico Judice, & ſtatuta condunt contra Clerum, ſive Clericos, & Eccleſiaſticam libertatem, excommunicationis, & interdicti ſententias ſubeant ipſo facto.

Octavum eſt, quod qui bona Eccleſiarum vacantium, & Clericorum decedentium mobilia, ſeu immobilia, diripere, aut occupare præſumpſerint; ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant.

Nonum eſt, quod qui Eccleſias, vel Monaſteria, bonis eorum, vel Beneficiis ſpoliant, vel procurant ſpoliari, vel aliter perſequuntur, pro eo, quod perſonas aliquas nolunt eligere in Eccleſiis, ſive Monaſteriis, ſint excommunicati ipſo facto.

Decimum eſt, quod in Archidiaconatibus, ubi Clerici, vel perſonæ Eccleſiaſticæ detinentur captivi, Presbyteri ſtatim, poſtquam ad notitiam ipſorum pervenerit, in ipſis Archidiaconatibus tamdiu ceſſent a Divinis, quouſque dimiſſione talium captivatorum, Divina merito reſumenda per noſtras literas decernamus. Hæc omnia ex *Conciliis Lugdun.* & *Herbipol.* collecta, diſtricte præcipimus ab omnibus fideliter obſervari: alioquin pœnas, contra transgreſſores editas, exequemur tempore opportuno.

Inſuper etiam Capituli noſtri, & omnium Prælatorum noſtrorum conſenſu accedente, ſtatuimus, quod omnes, qui res Eccleſiarum, vel Monaſteriorum, vel etiam Clericorum, rapiunt, vel occupant violenter, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant: & ad quamcunque Parochiam, civitatem, vel munitionem, eædem res raptæ, vel ſpoliatæ deferuntur, ſive deducuntur, vel etiam reponuntur, Sacerdotes Parochiarum, civitatum, vel munitionum, ſtatim, ut eis conſtiterit, ceſſent a Divinis, quamdiu teneantur.

Prohibemus etiam, ne Clerici veſtibus ſciſſis a lateribus utantur, nec togis virgulatis in marginibus, neque pileis cum ſertis inſutis ſuperius: ſed utantur habitu congruenti, & tonſuras habeant Clericales. Monachi quoque Ordinis ſancti Benedicti in eundo, & equitando habitum ſuum portent; ſi pœnas latas, & per Nos inferendas voluerint evitare.

Pœna Statuti Papalis contra uſurarios manifeſtos talis eſt: quod ipſi non ſunt admittendi ad confeſſionem, nec ad Sacramentum Altaris, nec ad Eccleſiaſticam ſepulturam: & quod nullus debet intereſſe teſtamentis eorum, niſi prius de uſura ſatisfecerint competenter.

Item quicunque ſæculares, vel Religioſi, ad ſepulturam Eccleſiaſticam receperint uſurarios manifeſtos; ipſo jure ſuſpenſi ſunt ab executione Officii ſui, donec ad arbitrium Epiſcopi ſatisfactionem præſtent debitam, & condignam.

Igitur ne aliquis ignorantiæ velamine ſe de his valeat excuſare, vobis univerſis

versis & singulis in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus; quatenus pœnas hujus, & statuta Papalia, sicut præmissa sunt, in Parochiis vestris publicetis, & publicari faciatis singulis diebus Dominicis, & Festivis. Datum anno Domini 1308.

Lunig Continuation. III. Spicil. Ecclesiast. in Appendice pag. 52.

GODEFRIDI Mindensis, ejusque Capituli Statutum, quod Præpositi debitas Præbendas Clericis suo tempore solvant, aut Officii sui jacturam faciant.

ANNO CHRISTI MCCCXI.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

GODEFRIDUS, DEI GRATIA, EPISCOPUS, ET CAPITULUM ECCLESIÆ MINDENSIS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

OLim Prædecessores nostri, videntes, redditus Præposituræ nostræ esse nimis tenues, & exiles: quatuor villicationes videlicet in Beldersen, Uslen, Ulbeke, & in Dudenhusen: quas quidem villicationes de manu laicali redemerunt magna pecuniæ quantitate, eidem Præposituræ applicuerunt conditionaliter; ut Præpositi, qui pro tempore forent, propter augmentum redditu-um suorum omni occasione postposita deberent Canonicis, & Vicariis, & Officiatis Præbendas suas statutis terminis integraliter ministrare. Quumque Præpositi, qui fuerunt pro tempore, hoc non semel, sed sæpius facere neglexerunt; seditiones, & tractatus odiosi multociens sunt exortæ. Nos communi consensu, & deliberatione volentes tali morbo remedium adhibere, hac constitutione, perpetuo valitura, sanximus; ut quicunque Præpositi electi fuerint, qui Præbendas statutis terminis non ministraverint, moneri debeant a Decano, & Cellerario, ut infra tres menses a die monitionis eis factæ illud competenter emendent; alioquin ipso jure, & facto per constitutionem præsentem sint Præpositura privati: & si de hoc contendere voluerint, incurrant sententiam excommunicationis ipso facto. Atque si forte duo Præpositi in discordia eligantur, nullus ipsorum de Præpositura intromittere se debebit. Quod si forte contra hoc facere præsumpserint; similiter, si quid juris habuerit, ipso facto amittat: & simili modo, si de hoc contendere voluerit, sententiam excommunicationis incurrat. Sed lite inter ipsos electos pendente, collectio fructuum, & Præbendarum ministratio apud Capitulum remanebit. Et si contingat villicationes in Dungerden, in Ekersten, & in Halen quocunque casu ad collocationem Præpositi devenire simul, vel sigillatim; illas non conferet alicui alteri villico, nisi consilio Capituli mediante. Volumus etiam, quod novi Canonici tempore emancipationis suæ præsens statutum jurent cum aliis statutis Ecclesiæ se inviolabiliter servaturos. Et Nos Episcopus, & Capitulum sigilla nostra præsenti statuto duximus apponenda, & ad majorem firmitatem ego *Hinricus*, Decanus, hoc statutum juravi, & sigillum meum apposui. Nos *Hinricus*, Decanus, *Gherhardus de Bastorpe, Johannes de Scovenborghe, Volquinus de Monte*, juravimus. *Ludolfus de Arnheim*, sub pœna Canonica, & Præbendæ me obligo, & statutum non servando, ipso facto meis Beneficiis sim privatus. *Wedekindus* Præpositus *Hamelensis. Ghyro Vos. Richardus Vos.* Magister *Jacobus. Hermannus de Mandeslo. Johannes Scele. Lodewicus de Bardeleve. Hermannus de Hardenberghe. Bruninghus de Engheleborste. Bernardus Dumel. Johannes Lubbeke. Ekkericus Post. Bernhardus de Lippia* statutum hoc juravimus, & sigilla nostra apposuimus. Datum & actum Anno Domini MCCCXI. feria secunda infra septimanam Trinitatis.

Lunig Continuation. III. Spicil. Ecclesiast. in Append. pag. 53.

Statutum HENRICI, Episcopi Hildesheimensis, quo ratificat Facultatem donandi Ecclesiis sua bona, modo consensus adsit propinquissimorum Heredum.

ANNO CHRISTI MCCCXII.

NOS HENRICUS, DEI gratia, Hildensemensis Ecclesiæ Episcopus, tenore præsentium publice recognoscimus & testamur, quod ad inquisitionem ex parte Heinemanni Schlengerdes, ac uxoris suæ Dominæ Gertrudis, talis qualis sententia coram Nobis, *præsentibus nostris Ministerialibus* ac *Fidelibus*, nullo contradicente, dictata fuit & inventa: quod quilibet homo cujuscunque conditionis aut status existat, sua bona propria donando, vendendo, aut permutando transferre potest libere in quamcunque voluerit Ecclesiam & personam, solum cum consensu propinquissimorum heredum suorum, aliorum consanguineorum suorum consensu ad hoc minime requisito. Ex generalibus contra specialia declarantes, pronunciamus, quod prædicti Heinemannus & uxor sua Gertrudis, omnia sua propria bona, quæ habent in villa, & in campis villæ Bortvelde cum consensu solum filiæ suæ, cum plures non habeant heredes, simul & densum vendendo, donando, permutando transferre possunt libere, translatione efficaci & valitura, in quamcunque voluerint Ecclesiam vel personam, consensu omnium aliorum consanguineorum suorum ad hoc minime requisito. Et nos auctoritate nostra ratificamus, stabilimus, & confirmamus præsentibus, quicquid per ipsos actum fuerit in hac parte; sub excommunicationis sententia districtius inhibentes, ne quis contra hoc quid audeat attentare. Et in horum omnium testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Actum & datum anno Domini MCCCXII. decimo tertio Calendarum Novembris.

Cl. ab Erath Tractatu von den Erbtheilungen im Hertzogl. Braunschw. Lüneb. Hause *pag.* 44.

GODEFRIDI Mindensis Statutum,

I. De residentia Beneficiatorum apud sua Beneficia.

II. De illegitimis, absque dispensatione Apostolica ad Officium Ecclesiasticum non admittendis.

III. Prohibetur usus Altaris portatilis sine licentia speciali.

ANNO CHRISTI MCCCXIII.

GODEFRIDUS, Dei gratia, auctoritate præsentium, una monitione pro tribus, & peremptorie monemus, & sub pœna excommunicationis, quam in omnes, & singulos transgressores hujus mandati nostri, & aliorum omnium in præsenti litera contentorum, ferimus in his scriptis, districte mandantes, quatenus singuli habentes Beneficia Ecclesiastica, qui hactenus defuerunt, intra tempus mensis, a præsenti tempore computandum, ad Beneficia sua redeant, & personalem residentiam faciant in eisdem. Mandamus insuper, & sub eadem pœna districtius inhibemus, ne Sacerdotes, defectum natalium habentes, de curis animarum, seu Beneficiis, nisi literas dispensatorias a Sede Apostolica super his obtinuerint, se aliqualiter intromittant: quas quidem literas infra tempus mensis nobis exhiberi volumus, & ostendi. Præterea sub pœna prædicta firmiter inhibemus, ne quis a modo in altari portatili, sive lapide itinerario, in nostra Diœcesi Missam celebrare præsumat, nisi de nostra licentia speciali. Datum &c.

Lunig Continuation. III. Spicil. Ecclesiast. in Appendice pag. 54.

GODE-

GODEFRIDI, Mindensis Episcopi,

Renovatio Statutorum: De vita & honestate Clericorum, & de non alienandis Bonis Ecclesiasticis.

GODEFRIDUS, DEI GRATIA, EPISCOPUS ECCLESIÆ MINDENSIS, DILECTIS IN CHRISTO PRÆPOSITO, DECANO, TOTIQUE CAPITULO EJUSDEM ECCLESIÆ MINDENSIS SPECIALITER, NEC NON GENERALITER UNIVERSIS ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, PLEBANIS, VICEPLEBANIS, ET ECCLESIARUM, ET CAPELLARUM SACERDOTIBUS, ET RECTORIBUS, NEC NON CLERICIS UNIVERSIS, PER CIVITATEM, ET DIOECESIN MINDENSEM CONSTITUTIS, AD QUORUM NOTITIAM ISTÆ LITERÆ PERVENERINT, SALUTEM IN DOMINO.

MEminimus, olim bonæ memoriæ Domin. quondam LUDOLFUM Episcopum, Prædecessorem nostrum, utilitati Ecclesiæ suæ, ac saluti subditorum suorum, sicut merito debuit, intendentem, *de vita, & honesta conversatione Clericorum*, aliisque necessariis, & maxime de alienationibus, & obligationibus rerum Ecclesiasticarum non faciendis, & alienatis, & obligatis recuperandis, quædam *Statuta*, præhabita deliberatione provida edidisse, ac executioni mandasse: non quidem, ut in ipsis dicitur, jus novum statuendo, sed leges, & Canones recensendo. Et licet Nos aliquando eadem forte Statuta, quorundam de Capitulo nostro inductu pariter, & rogatu, utcunque duxerimus revocanda; considerantes tamen, hujusmodi revocationem tam Ecclesiis, quam subditis nostris, periculosam fieri quamplurimum & damnosam, prout evidentia facti declarat: eo quod aliqui verisimiliter, prætextu revocationis prædictæ, alienationes, seu obligationes rerum Ecclesiasticarum postmodum eo libentius facere præsumpserunt: ex quo accidit, quod aliquibus cedentibus, aut etiam decedentibus, eorum in Beneficiis Successores ipsorum Beneficiorum debitis fructibus, & proventibus contra justitiam defraudantur. Igitur ne magis utile vitiari per id, quod minus utile, videatur, Nos, matura deliberatione præhabita, supra dictam revocationem, a Nobis quomodolibet factam, tenore presentium publice retractantes, quædam *Statuta* in utilitatem Ecclesiæ salubriter edita, propter causas præmissas juxta omnem sui tenorem innovamus, & in statum pristinum auctoritate ordinaria reponimus in nomine Domini in his scriptis. Mandantes nihilominus vobis universaliter singulis, & singulariter universis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, quam a tempore notificationis præsentium, unius mensis monitione præmissa, in quemlibet vestrum hujus nostri mandati temerarium contemptorem ferimus in nomine Domini in his scriptis; quatenus, si qua de rebus in mobilibus, vel hominibus Ecclesiarum vestrarum alienata fuerint, aut obligata; vos, qui alienatores aut obligatores talium estis, res tales, & homines, ad jus, & proprietatem Ecclesiarum, ad quas pertinent, infra dictum tempus mensis cum exacta diligentia reducatis. Alioquin enim contra præsentis nostri mandati temerarios contemptores dictam excommunicationis sententiam taliter persequemur; ut, quos timor Dei a malo non revocat, saltem eos coerceat severitas Ecclesiasticæ disciplinæ. Vos autem Sancti Martini, & Sancti Johannis Mindensis Ecclesiarum Decani, sigilla vestra in testimonium publicationis hujus mandati, & omnium præmissorum præsentibus apponatis. Latum, publicatum, & actum in majori Ecclesia, Sabbato infra octavam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis gloriosæ. Anno Domini MCCCXIII.

Lunig Continuation. III. Spicil. Ecclesiast. pag. 33, 54.

Cathedralis Capituli Mindensis Statutum

De distributione Panis Præbendalis.

NOS BRUNINGHUS, Decanus, & Capitulum Ecclesiæ Mindensis, considerantes, quod obedientiarii Ecclesiæ nostræ; qui Panem præbendalem statutis ad hoc temporibus ex consuetudine, juramento vallata rationabili, & præscripta, Nobis ministrare consueverunt, vel saltem aliqui ex eisdem novis advenientibus frugibus, fructibusque proventuum suorum perceptis, annonam suam distrahunt, consumunt, & expendunt: & etiam aliqui eorundem debitis gravati, creditoribus suis exsolvunt, ad alleviandam sarcinam debitorum: propter ea, quæ dicta sunt, ministrationem panis Præbendalis in certis temporibus contingit impediri sæpissime, vel differri; matura deliberatione præhabita de communi consensu, & unanimi voluntate, salubre remedium contra hujusmodi impedimentum, seu dilationem panis nostri Præbendalis decrevimus adhibere, ordinantes, & inviolabiliter statuentes: ut singulis annis, quibus obedientiarius annonam, de qua per circulum anni, certis & statutis ad hoc temporibus, panem Præbendalem ministrare debebit, infra festum Martini, & festum Beati Thomæ Apostoli ad claustrum nostrum, & ad locum ad hoc deputatum, integraliter, & absque diminutione adduci faciat. Ita quidem, quod in pane nostro Præbendali nullus deputatis ad hoc temporibus sit defectus. Et ut statutum hujusmodi inviolabiliter observetur, pœna illud vallare decrevimus inferius annotata, videlicet, quod quicunque obedientiarius in adductione annonæ suæ in termino prænotato, ut dictum est, fuerit negligens, & remissus sit inobediens; ipso facto a Præbendæ suæ fructibus sit suspensus, nullam gratiam habiturus, nisi Capitulo de præmissis satisfiat. Et ut hoc statutum nostris perpetuis temporibus duraturum debitum in suo vigore sortiatur effectum; Petimus vos Reverendum Patrem, ac Dominum nostrum Godefridum, ut illud dignemini confirmare.

Et Nos GODEFRIDUS, Mindensis Episcopus, statutum hujusmodi, sicut provide factum est, auctoritate nostra ordinaria in nomine Domini confirmamus, & Sigillum nostrum una cum Capituli nostri Sigillo præsenti scripto apponi fecimus super eo. Datum anno Domini MCCCXVII. Calendas Junii III.

(*Sign. Episc.*) (*Sign. Capit.*)

Præposito Mindensis Ecclesiæ, viam universæ carnis ingresso, antequam de Successore ipsius tractaretur, Canonici juraverunt, quod quicunque inter eos Præpositus eligeretur, bona, quæ in præsenti habentur vacantia, non alienabit. Sed alienata bona fide recuperabit, & Præbendam fratrum bona fide ministrabit, quam Prebendam bona fide, & sine dolo requiret. Si vero Præpositus in administratione Præbendarum negligens fuerit; Decanus, & quidam de Capitulo verbis pacificis ipsum commoneant, ut infra mensem neglecta suppleat: & si post admonitionem in ipso mense subtracta non dederit, nisi causam legitimam post admonitionem ostendere valeat, scil. grandinis, ignis, & rapinæ communis; eo ipso a Præpositura cadat, & insuper in eligendo, vel impediendo Successore suo vocem in Capitulo non habeat ea vice, ut autem hoc juramentum a memoria non recedat, & idem Præpositus, si necesse fuerit, suo convinci valeat juramento; hujus testimonii literam Episc. nostri, & ipsius Præpositi Sigillis communivimus.

Auscultata & collacionata est præsens copia per me JOHANNEM BERUH. Clericum Mindensem Diœces. publicum Imperiali auctoritate Notarium, & concordat cum suo Originali, quod protestor manu propria.

Lunig Continuation. III. Spicil. Ecclesiast. in Appendice pag. 54. 55.

Fragmen-

Fragmentum Concilii generalis XV. Viennensis.

Ex Chron. Monachi & Procuratoris Egmundani, apud Ant. Matthæum Tom. IV. Analect.

ANno MCCCXVII. erant in villis, & in finibus, quasi totius Christianitatis, quædam *Beghinæ* mulieres, longo per prætcrita tempora habitum griseum cum FF. aliis deferentes, sibique Magisterium, & . . . . absque Superioris confirmatione procurantes, qua habitus & regulatio, ut nunc per Dominum Papam abjicitur, sicut in septimo decretalium, causis dilucide propositis continetur.

Clemens V. in Concilio Viennensi damnat sectam Beguardorum, & Beguinarum *Alemanniæ*: quorum *VII. errores* recenset. *At Joannes XXII. Extravagantium Lib. III. T. IX. pag.* 366. hæc ita moderatur: Licet Beguinarum status sit a Clemente V. reprobatus; permittitur tamen mulieribus fide dignis, non culpabilibus, non suspectis, sub habitu Beguinarum vivere.

CONCILIUM MOGUNTINUM

ANNO CHRISTI MCCCXVIII.

SUB PETRO, ARCHI-EPISCOPO MOGUNTINO, CELEBRATUM:

In quo, quæ constituta fuerint, cognoscere est ex sequenti Epistola, quam e codice quodam MS. Academiæ Marburgensis affert *Georg. Christ. Joannis in Tom. novo Script. Hist. Mogunt.*

PETRUS, DEI GRATIA, SANCTÆ MOGUNTINÆ SEDIS ARCHIEPISCOPUS, SACRI IMPERII PER GERMANIAM ARCHI-CANCELLARIUS, UNIVERSIS ET SINGULIS PER CIVITATEM ET DIOECESIM MOGUNTINAM CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO, ET NOTITIAM SUBSCRIPTORUM.

CUm sicut non sine dolore & frequenti querela didicimus plurimorum, nonnulli Archidiaconi nostræ Diœcesis contra Statuta Provincialis *Concilii* Moguntini, pœnas etiam comprehensas in statutis hujusmodi, non verentes, fructus Beneficiorum, super quibus coram ipsis aut eorum Officialibus lis vertitur, pendente lite suis usibus applicant, & hactenus applicarunt, facientes propterea litem, faciliter & brevi tempore possibilem terminari, in grave tam Beneficiorum, quam partium præjudicium, prorogari: quanquam ipsi fructus pendente lite forent ei, qui in lite vinceret, reservandi. Nos, quia parum valerent jura vel statuta, nisi executioni debitæ mandarentur, ex debito nostri officii Pastoralis, transgressiones hujusmodi, urgente etiam ad hoc Nos conscientia, pœnis in prædictis statutis comprehensis prævenire taliter cupientes, ne sit aliis exemplum similia perpetrandi: jus etiam Nobis per hoc acquisitum nolentes negligere in hac parte; *in hac Sancta Synodo* sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in his scriptis, quam contrarium facientes incidere volumus ipso facto, statuimus & firmiter inhibemus, ne aliquis Archidiaconus civitatis & Diœcesis Moguntinæ, qui hactenus talia perpetravit, quemquam de quocunque Beneficio præsumat inantea investire, & ne aliqui ab ipsis aliquas investituras de cætero ad quæcunque Beneficia præsumant recipere ullo modo, sed a Nobis investituras recipiant, ad quos vigore prædictorum statutorum pertinet investire, decernentes cum hoc irritum & inane, si secus

cus ad quemquam fuerit attemptatum : eos etiam, qui hactenus contrarium attemptaverunt, in virtute sanctæ obedientiæ præsentibus amonemus, ut de commissis infra unius mensis spatium satisfaciant, ut tenentur; alioquin contra eos modis, quibus expedit, procedemus.

Item sub pœna excommunicationis prædicta latæ sententiæ in his scriptis districtius inhibemus, ne Archidiaconi vel eorum Officiales judicent, vel Notarii aliquid scribant, vel Advocati advocationis officium exerceant, aut Procuratores procurent coram ipsis in causis quibuscunque pecuniariis, duarum marcarum argenti excedentibus quantitatem, ad quam summam alias ipsis de speciali gratia ultra statuta prædicta concessimus judicare, licet ultra summam prædictam sæpe, sicut didicimus, judicaverint & judicent, prædicta nostra gratia abutendo.

Item multorum clamoribus excitati, justis quoque & necessariis causis Nos moventibus in hac parte, sub pœna excommunicationis, quam transgressorum quemlibet incurrere volumus, latæ sententiæ in his scriptis, firmiter inhibemus, ne aliquis Archi-Diaconus civitatis vel Diœcesis Moguntinæ, aut ejus vices gerens, pro eo, quod aliquem vel aliquos de aliquibus Beneficiis Ecclesiasticis investiat, quidquam exigat, extorqueat, recipiat vel requirat, & ne aliqui per se, vel per alium quidquam pro eo, quod investiantur, dare præsumant, excepto litterarum salario, quod tamen unum fertonem argenti non excedat. Quapropter Archidiaconi, vel vices eorum gerentes, a veris Patronis ad Beneficia Ecclesiastica in concordia præsentatos Canonice, ultra unius mensis spatium non differant investire : alioqui Nos post lapsum dicti mensis, nisi rationabilis causa constiterit, investiemus taliter præsentatos.

Item sub prædicta pœna excommunicationis latæ sententiæ, quam in his scriptis proferimus, & transgressores incurrere volumus ipso facto præsentibus, ne aliquis sine nostra obtinenda dono speciali gratia (&) licentia super eo, fructus Beneñcii vel Beneficiorum, quæ tenent (*a*) cum cura, in quo, vel in quibus non facit residentiam personalem, recipiat, vel se de eis, vel per alium aliquatenus intromittat, sed ipsos nostræ dispositioni pro mensa nostra dimittat, cui nostræ mensæ ex speciali indulto Sedis Apostolicæ competere dinoscuntur : & etiam ut non promoti infra statuta a jure tempora, (*b*) ad quos Beneficia, quæ tenent, requirunt, se de fructibus Beneficiorum talium nullatenus intromittant, sed nostræ dispositioni ipsos dimittant in usus debitos convertendos.

Item sub pœna excommunicationis jam latæ sententiæ omnibus & singulis Ecclesiarum Plebanis & Vicariis præcipimus, (*c*) quæ sibi demandantur, utantur, nullam etiam pro sigillatione litterarum hujusmodi recipiant pecuniæ quantitatem; volentes, quod post prædictos duos menses, nulli executioni credatur; nisi fuerit sigillo ejus, cui scripta fuerat, sigillata.

Item statuimus *in hac Sancta Synodo*, & firmiter præcipimus, in his scriptis, quod per totam civitatem, & Diocesin Moguntinam cessatio Divinorum clausis januis & excluso populo uniformiter observetur.

Item, quia Stationarii sive Questuarii, sicut experimentaliter didicimus, sæpe & quidem frequenter in commissis sibi negotiis nostris litteris abutuntur, & licet aliquando ad tempus aliquæ sint concessæ, quod diutius est transactum, tamen ipsis uti præsumunt, ac si habeant roboris firmitatem, homines miserabiliter defraudando; nonnulli etiam falsis utantur litteris in hac parte, sicut Nobis scientibus hoc plurimum est compertum : Nos igitur præmissis adhibere oportunum remedium cupientes, omnes litteras nostras, etiam filiorum nostrorum, (*d*) sub

(*a*) *forte :* tenet.
(*b*) *Nota Cl. Joannis :* Hæc verba, *ad quos Beneficia, quæ tenent, requirunt* --- ita se habere in *MS.*, Cl. Vir *Joan. Joach. Schrœderus* in Academia Marburgensi linguarum Orient. PP. dignissimus, qui id rogatu meo curate inspexit, mihi significavit.
(*c*) Et hæc verba: *quæ sibi demandantur, utantur*, ita se habent in *MS.*
(*d*) Hæc verba: *etiam filiorum nostrorum*, item distincte satis in *MS.* leguntur. Vix tamen dubium, quin a Librario depravata sint, forte, loco vocis *familiarium* per compendium litterarum scriptæ, posito vocabulo *filiorum.*

ſub quacunque forma, vel ſub quocunque tenore, quibuſcunque Monaſteriis, Eccleſiaſticis, vel perſonis datas, vel conceſſas, in his ſcriptis penitus revocamus, & de cetero nolumus habere alicujus roboris firmitatem: & ſi ex aliquibus juſtis cauſis ad hoc Nos moventibus aliquas concedemus, illas Prælati & Plebani locorum, ubi devenerint, inſpiciant diligenter: & ſi in data ipſarum eas viderint exſpiraſſe, vel in ipſis deprehenderint falſitatem, aut utens ipſis plus per eas præſumat facere, quam vires litterarum hujuſmodi patiuntur; utentem talibus litteris non obmittant corporaliter detinere, quouſque, quid cum tali fieri debeat, a Nobis recipiant in mandatis.

Item exequendo conſtitutionem publice nuper editam, ſub pœna excommunicationis in eadem conſtitutione prolatæ, præcipimus firmiter & mandamus, ne aliqua pro Begina ſe de cetero teneat, ſtatu, habitu, re vel nomine, aut alio quovis modo, & ne aliquis hominum ipſas voveat in ſtatu, vel in habitu Beginarum.

Item omnes conceſſiones quibuſcumque perſonis religioſis ſuper audiendis confeſſionibus, in caſibus Nobis a jure reſervatis, & ſuper miniſtrandis Eccleſiaſticis Sacramentis, ſubditis Plebanorum, præſentibus revocamus, nolentes, quod de cætero habeant roboris firmitatem.

Item ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præſentibus inhibemus, ne vagæ reſtitutiones alicui hominum, quam *Joanni* de *Treviri* Præbendario, & *Dilemanno Feſt* Vicario Eccleſiæ Moguntinæ, noſtris Pœnitentiariis, præſententur, vel etiam ad aliquos uſus alios convertantur, abſque noſtra licentiâ ſpeciali.

Fratres autem *Prædicatores*, *Minores*, *Auguſtinenſes*, & *Carmelitas*, cum ipſi pauperes elaborent vineam Domini, & in ea multarum ſaluti proficiant animarum verbo pariter & exemplo, diſcretioni veſtræ duximus commendandos, diligentius injungentes, ut cum ad veſtras Parochias pervenerint, propter Deum benivole recipiatis, & benigne pertractetis eoſdem, ſub pœna excommunicationis præcipientes, ne aliquis contra juſtitiam ipſos perturbet, vel moleſtet. Datum anno Domini MCCCXVIII, VII. Id. Junii.

POMESANIENSE CONCILIUM
VEL RISEBURGENSE IN PRUSSIA,
ANNO CHRISTI MCCCXXII.

ANno MCCCXXII. die 22. Auguſti obiit Lutho de Baldersheim, Epiſcopus Vtus Pomeſanienſis, vel Riſeburgenſis in Pruſſia. Hic tempore ſui Regiminis convocavit *Synodum* ſuæ Diœceſis, in qua reperit 450. Parochos, 175. Vicarios & Diaconos.

Hartknock Diſſertat. XIV. ſubjuncta Chronico Pruſſiæ Petri de Duisburgo.

ASCHAFFENBURGENSE CONCILIUM PROVINCIALE
A PETRO, MOGUNTINO ARCHI-EPISCOPO, HABITUM
ANTE ANNUM CHRISTI MCCCXXVIII.

PETRUM, Moguntinum Archi-Epiſcopum, ultra Concilium illud, quod habuit Moguntiæ anno MCCCX. a Labbeo indicatum, & a Veneto ejus editore ex Lunigii Spicilegio ſuppletum, aliud etiam Provinciale Concilium in urbe Aſchaffenburgenſi habuiſſe, diſcimus ex Synodo Diœceſana Hildeſeimenſi anni MDCLII. *apud Lunig. Spicileg. Continuat. II. pag.* 707. Unde pariter intelligimus, Suffraganeos Epiſcopos illi

illi habendo conveniſſe. De anno nihil conſtat, ſed cum Petrus Cathedram illam ab anno MCCCVI. circiter ad MCCCXXVIII. tenuerit, intra tempus illud collocandum eſſe conſtat. Ipſe quidem Petrus Aſchaffenburgenſis Concilii ſæpe meminit in ſuis conſtitutionibus Concilii Moguntiæ habiti anno MCCCX. ſed Concilium illud eſt alterum ab hoc diverſum, à Gerhardo Archi-Epiſcopo anno MCCXCII. habitum, hujus vero Concilii a Petro habiti conſtitutiones geminas has profero, quas affert idem Herbipolenſe Concilium apud *Lunig ibid.* *Hactenus Cl. Manſi in Supplemento.*

Ex Concilio Provinciali Aſchaffenburgenſi D. PETRI, Archi-Epiſcopi Moguntini.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, ut ſi aliquis Clericus vel laicus utriuſque ſexus cujuscunque dignitatis, religionis, vel ſtatus exiſtat, auſus ſit, præſumptione & pertinacia damnabili publice prædicare, vel occulte docere, credere, vel tenere, quod Sacerdos in mortali peccato exiſtens non poſſit efficere Corpus Chriſti: ſeu ſic ligatus non poſſit ligare, vel ſolvere ſuos ſubditos a peccatis; pro hæretico, & incredulo habeatur, & errorem hujuſmodi ſacri *Concilii* approbatione condemnamus, anathematizamus, & penitus reprobamus; cum ſacræ Scripturæ dicat auctoritas, quod ſive bonus, ſive malus ſit miniſter, per utrumque Deus effectum gratiæ ſuæ confert. Non enim, quæ ſunt ſancta, coinquinari poſſunt, nec ipſa Sacramenta poteſt hominum malitia profanare; unde Sacerdos quantumcunque pollutus exiſtat, Divina non poteſt polluere Sacramenta, quæ purgatoria cunctarum contagionum exiſtunt. Licite ergo a quocunque Sacerdote ab Eccleſia tolerato, Divina myſteria audiantur, & alia recipiantur Eccleſiaſtica Sacramenta.

Ad idem, de Blaſphematoribus & Sortilegis.

Quamvis ſacris Canonibus, & ſanctorum Patrum traditionibus contra manifeſtos ſanctorum blaſphemos, ac damnatum & abominabile ſcelus idololatriæ, videlicet incantationes, ſuperſtitiones, & ſortilegia Phitonum & Phitoniſſarum, in locis diverſis ſufficienter cautum & proviſum exiſtat; quia tamen (quod mentis amaritudine referimus) adhuc vitia talia in multis locis Nobis ſubjectis exiſtunt in uſu; quapropter erroribus & periculis exinde in dies conſurgentibus, quantum in Nobis eſt, obviare cupientes, diſtricte ſtatuto præſenti, perpetuo duraturo, præcipimus, ut contra tales ſtatuta Canonica deſuper edita ſumma cum diligentia ab univerſis Nobis ſubjectis practicentur, & in confeſſionibus de peccatis hujuſmodi ſolers fiat inquiſitio, & tam mares, quam mulieres talia exercentes, a communione Sacramentorum excludantur, ac pro abſolutione ad Nos, vel Vicarium Noſtrum remittantur. Et nihilominus, ſi qui publici blaſphemi reperti fuerint, vel de hujuſmodi incantationibus, vel ſuperſtitionibus ab Eccleſia reprobatis ſe intromiſerint, vel eiſdem fidem adhibuerint, ut ab his intra breve tempus eis ſtatuendum deſiſtant, volumus moneri ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis & Eccleſiaſtica ſepultura, a qua non niſi per Nos, vel Vicarium noſtrum, aut noſtros Superiores valeant liberari & abſolvi. Hoc etiam ſtatutum noſtrum ſalutiferum, ne quis illius ignorantiam prætendere poſſit, volumus per Rectores Eccleſiarum, ac curam animarum habentes, in Cancellis Eccleſiarum, ſi & quoties expedire viſum fuerit, ſolemniter publicari.

Ex Dominico Manſi Supplem. Concilior. Tomo III. pag. 430, 431.

CON-

CONCILIUM MOGUNTINUM

ANNO CHRISTI MCCCXXVII.

ANno MCCCXXVII. Præside Mathia Archi-Episcopo Moguntino cum Suffraganeis, Abbatibus, Prælatis, & Sacerdotibus, Moguntiæ Generale, id est, Provinciale habitum fuit Concilium, in quo plura pro Reformatione Status Clericalis constituit, quæ tamen nullum aut modicum habuerunt profectum, ob mortem Matthiæ, & novum a Papa datum Successorem.

Joannis Tom. novo Script. Hist. Mogunt. pag. 303.

Tritbem. Chron. Hirsaug. edit. S. Gallens. T. II. p. 166.

CONCILIUM HALBERSTADIENSE

ANNO CHRISTI MCCCXXVIII.

ALBERTUS, DEI GRATIA, HALBERSTADIENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS, OMNIBUS CHRISTI-FIDELIBUS, QUORUM INTEREST, AUT INTERESSE POTERIT, SALUTEM, ET IN DOMINO CARITATEM.

REcognoscimus, & præsentibus protestamur, quod anno Domini MCCCXXVIII. in die Beati Lucæ Evangelistæ, Nobis præsidente *Generali Synodo* deputato tempore & loco consueto fuit quæsitum: si aliquem contigerit Altare aliquod de novo ædificare, & id congrue dotare in aliqua Ecclesia, quis procurare teneretur, ut idem Altare consecraretur? Et *in eadem Synodo* sententialiter diffinitum, quod is, qui ædificasset dictum Altare, & dotasset. Cui sententiæ omnes, tam Clerici, quam laici concordarunt. Unde ipsam de consensu omnium tunc præsentium approbavimus, & præsentibus approbamus. Datum & actum anno & die prædictis.

Synodalem hanc bactenus ineditam chartam communicavit Cl. D. ab Erath, Consiliarius Auriaco-Nassovicus.

Albertus II., e Duce Brunswicensi, Episcopus Halberstadensis ab anno 1326, ad 1358. quo obiit.

Synodica GERLACI, Episcopi Wormatiensis,

ANNO CHRISTI MCCCXXXI.

GERLACUS, DEI GRATIA, ELECTUS, CONFIRMATUS ECCLESIÆ WORMATIENSIS; PRÆPOSITIS, DECANIS, ET CAPITULIS, CÆTERISQUE PERSONIS ET VICARIIS PER DIŒCESIM NOSTRAM CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

CUm Officio nostro Pastorali congruat, statum Ecclesiarum Nobis subditarum servare illæsum, & in eis hactenus male observata in melius reforma-

Gerlacus Baro Pincerna ab Erpach, Episcopus Wormatiensis XXXIX. *judice Cl. Schannato in historia Episcopatus Wormatiensis*, electus anno 1329. *Synodum* anno 1331. indixit: severius in utrumque Clerum inquisivit, & ad primum vigorem unius mensæ & unius dormitorii Canonicos revocare allaboravit. Hinc Balduinum Treverensem Archi-Episcopum suæ Ecclesiæ Administratorem ac Patronum deligere voluerunt. Vota effectu caruere: rediit concordia inter Gerlacum, & Clerum teste *charta Ludovici IV. Regis apud eundem Schannatum No.* 191. Obiit Gerlacus anno 1332. XV. Kal. Januarii, teste *eodem pag.* 394, 395.

formare; ſtatuimus inprimis & ordinamus, & ſub pœna ſuſpénſionis ab officio omnibus, & ſingulis præcipimus, & mandamus: ut Divinum Officium horis debitis ſolempniter celebretur, & quilibet Canonicorum, & Vicariorum ſuis diebus per ſe cantet & legat, ſed impeditus legitime, per alium idoneum fieri hoc procuret. Decanos etiam, quibus cura talium ſpecialiter imminet, hortamur in Domino, ut, excuſſo negligentiæ ſomno, in promotionem Divini Officii de cætero jugiter tam ſollicite invigilent, ne culpa negligentiæ exigente, graves juris, & noſtras pœnas, eos contingat non immerito formidare.

II. Item; ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam in his ſcriptis incurrere (Canonica tamen trium dierum monitione præmiſſa) volumus tranſgreſſores hujus noſtri mandati, videlicet: ut infra VIII. dies a publicatione præſentium proxime computandos, ſigillum cujuſque Capituli, ſub tribus diverſis clavibus in arca firma includatur, quarum unam Decanus, qui pro tempore fuerit, habebit, alias vero duas habebunt duo ſeniores in introitu; dum tamen cuſtos non ſit unus ex illis ſenioribus, quem cuſtodem aliquam illarum clavium nolumus retinere, cum idem totum Eccleſiæ armarium habeat ſub clauſura; & ſi Deanum, vel aliquem alium claves hujuſmodi habentem, abeſſe contigerit, alteri ſeniori poſt eum in introitu præſenti committat; quod ſic committendo, & deſcendendo per ſingulos, per omnia volumus aſſervari: nolumus tamen quod duæ claves hujuſmodi apud unam perſonam ad tempus quantumcumque modicum ſerventur, ſicut pœnam ſupra proxime poſitam voluerint evitare.

III. Item; ſub eadem excommunicationis latæ ſententiæ pœna (Canonica tamen monitione præmiſſa) præcipimus & mandamus: ne de cætero aliquæ litteræ, & ſpecialiter ſuper receptione Canonicorum ſub exſpectatione Præbendarum, a quibuſcumque ſigillentur, niſi requiſitis requirendis, & majoris, & ſanioris partis Capituli, vel totius, ubi juris neceſſitas hoc requirit; cæterum in his ſcriptis caſſamus & irritamus omnes, ſi quæ hujuſmodi clandeſtinæ factæ ſunt receptiones, cum & juri communi, & ſtatutis Provincialibus directe ſint contrariæ; reſervantes Nobis ex nunc omne illud jus, quod per caſſationem, & reſervationem Prædeceſſorum noſtrorum Wormatienſium Epiſcoporum de talibus receptionibus Nobis ac ipſis exſtitit acquiſitum.

IV. Item; quia plus timeri ſolet, quod ſpecialiter præcipitur, quam quod generaliter imperatur; præcipimus ſpecialiter & mandamus: quatenus ſecundum rationis exigentiam, Decano obedientia, & cæteris majoribus reverentia exhibeatur in licitis & honeſtis; idemque Decanus ſubditos ſuos, exemplo Salvatoris, qui fecit & docuit, non ſolum verbo corrigat, ſed etiam verbo inſtruat pariter & exemplo: nam quod a Prælato agitur, a ſubditis facile trahitur in exemplum.

V. Item; ſub pœna excommunicationis præcipimus & mandamus: ut vina, blada, numerata Pecunia, & aliæ res Eccleſiæ non dentur alicui perſonæ ſine juſta & urgenti cauſa, & totius, vel majoris partis Capituli præſentis ibidem, & maximè in cauſis, & caſibus in quibus etiam abſentes merito ſunt vocandi.

VI. Item; ſub pœna excommunicationis, quam Canonica monitione præmiſſa, tranſgreſſores incurrere volumus, præcipimus & mandamus; ut nulla perſona Eccleſiæ vadat ſub expenſis Eccleſiæ communibus ad torneamenta, ad haſtiludia, aut alios privatos uſus, & commoda non communia, cum ex talibus caſibus Eccleſiæ plurimum graventur.

VII. Item; ſub interminatione Divini Judicii præcipimus, & mandamus: ut ipſarum Eccleſiarum conſuetudines rationabiles, ſine fraude inantea fideliter obſerventur: quibus deficientibus provocetur ad conſuetudines Matricis Eccleſiæ, poſt has autem ad jus commune. Quod ſi conſuetudo allegata negetur ab aliquo cujus intereſt, allegans ipſam ex nunc neceſſario probare habeat ad minus per duos idoneos Teſtes de Eccleſia, qui in virtute juramenti per eos Eccleſiæ præſtiti, deponant & affirment: ſe ita, & uſque in præſentem diem non aliter vidiſſe & audiviſſe in certis terminis judicari.

VIII. Item; ſtatutum (ſi tamen ſic dici meretur) quod abſentes duas partes fructuum Præbendæ, tertiam Eccleſiæ relinquen-

linquendam, præcipere indulget, propter paucitatem perſonarum Deo ſervientium, in his ſcriptis caſſamus, & irritamus, & perpetuo abolemus.

IX. Item; in virtute ſanctæ obdientiæ firmiter præcipimus & mandamus: ut ſingulis annis ad minus ſemel in anno Portarius, Cellarius, Magiſter Fabricæ, Præſentiarum, Suſpenſarum, & cæteri Eccleſiarum Officiati, quocumque nomine cenſeantur, de officiis ſuis, tum creditis, debitis, ac neglectis in Capitulo, convocatis ad hoc omnibus & ſingulis Canonicis, Præbendariis, & Vicariis, quorum intereſt, qui volunt & poſſunt intereſſe, debitam reddant rationem.

X. Item; ſub pœna in ſtatuto Provinciali, contra conviciatores edito, promulgata, præcipimus & mandamus: ne aliquis Prælatus, Canonicus, aut alia quævis perſona, cujuſcumque conditionis aut ſtatus exiſtat, contra aliam quantumvis ipſius Eccleſiæ perſonam, aliqua verba contuméliosa, vel opprobrioſa de cætero habeat, ſed per vias juris juſtitiam ſuam, non convitiis, coram judice competenti proſequatur.

XI. Item; ſtatuimus & ordinamus: ne de cætero alicui excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto, durantibus hujuſmodi ſententiis, quidquam de Præbendæ ſuæ fructibus aſſignetur, niſi appellaverit, vel alias, quare id fieri debeat, habeat juſtam cauſam.

Datum *Wormatiæ* in *Synodo*; Anno Dom. MCCCXXXI. craſtino Purificationis Virginis Glorioſæ.

Deſcripſit Cl. Schannatus ex Archivo Eccleſiæ Collegiatæ Wimpinenſis.

CONCILIUM TREVIRENSE
PROVINCIALE
ANNO CHRISTI MCCCXXXVII.

Statutum I. Moderatio in veſtium luxu præſcripta.
II. Pœnæ contra violatores Statuti.
III. Nemo præſentandus, niſi cum conſenſu Patronorum,
IV. Et ætate præſcripta ad Officia Eccleſiaſtica.
V. Probatio ætatis per juramentum exigenda a præſentatis.
VI. Poſt Primam quotidie lecto Martyrologio fiat memoria anniverſarii poſtridie faciendi, cum mentione pecuniæ legatæ pro memoria.
VII. Præſentiæ pro Memoriis nonniſi præſentibus in Choro cedant, ſolis infirmis exceptis.
VIII. Statuta hæc publicanda & obſervanda.

NOS BALDEVINUS, DEI GRATIA, SANCTÆ TREVERENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, &c.

§. I.

STatuimus & ordinamus, ut Clerici quicunque noſtræ civitatis & Diœceſis Treverenſis, decenter incedant in habitu, calceis, caligis, corona, & tonſura Clericali, & ne quis Canonicus, aut Beneficiatus, vel etiam quicumque exiſtens in ſacris Ordinibus poſt menſem computandum a die publicationis præſentium, veſtimentis, vel capuciis utantur, quibus manicæ, vel fimbriæ, vel aliæ extremitates ſeu ſciſſuræ veſtimentorum, vel capuciorum cum eiſdem veſtimentis, vel caputiis notabiliter in colore diſcordent, & ſpecialiter de caputiis, ne auro vel argento, vel aliis quibuscunque appoſitionibus a panno diverſis, componantur, vel ſcindantur, vel Wardecociis cum longis manicis ultra brachium procedentibus utantur. Item prædictis perſonis War-

Wardecocia, seu tunicas superiores, nimis breves aut strictas penitus interdicimus. Sed volumus, & eisdem præcipimus, ut de cætero utantur Wardecociis, & tunicis superioribus saltem ultra medietatem suræ, seu musculi cruris procedentibus: per hoc tamen eis non interdicimus, quin in equitando vestimentis brevioribus uti possint. Item prohibemus, ne quis de prædictis personis cinctus super vestem superiorem, incedat ullo modo, nisi cum in itinere fuerint, vel se ad iter præparaverint causa proficiscendi: aut capillos capitis sui deferat disjunctos, seu divisos in medio frontis, seu etiam nimis longos. Item dictis Canonicis, & Clericis prohibemus, & interdicimus tunicas superiores, nodos habentes, a tunicis hujusmodi superiori in colore discrepantes, & maxime ante pectus, & in aliis locis Clericis inconsuetis.

§. II. Si quis vero contra præmissa, aut aliquid præmissorum venire præsumpserit, si Canonicus fuerit, eo ipso sit suspensus a perceptione distributionum, quæ in Choro dividuntur: & si vocem habuerit in Capitulo, etiam ipsa voce careat ipso facto, nec ex tunc ad tractatus Capitulares admittatur, nec sibi de distributionibus quidquam detur; nisi prius per Nos ad præmissa fuerit restitutus. Officiatus vero, qui tali ante nostram restitutionem distributiones Chori scienter dare præsumpserit, similiter voce Capitulari, si Canonicus fuerit, careat ipso facto. Si vero alter Beneficiatus fuerit, a perceptione fructuum sui Beneficii, eo ipso sit suspensus. Verum si Pastor, Vicepastor, Vicarius, seu Rector alicujus Parochialis Ecclesiæ, Altaris vel Capellæ, contra præmissa, vel aliquid præmissorum venire præsumpserit, similiter a perceptione fructuum sui beneficii eo ipso sit suspensus: nec se tunc de hujusmodi fructibus intomittant, nisi de nostra licentia speciali. Et si fructus Beneficiorum excedentium in præmissis, ob aliquam aliam causam fuerint sequestrati, hujusmodi sequestrum relaxari nolumus, neque tolli, nisi in ipsa relaxationis litera de prædictis, suspensione fructuum, & restitutione nostra ad eosdem specialis mentio habeatur.

§. III. Item inhibemus omnibus & singulis Rectoribus, seu Pastoribus Parochialium Ecclesiarum, ne aliquos præsentent ad Vicarias perpetuas suarum Ecclesiarum, nisi consensus Patronorum earundem Ecclesiarum ad id accedat. Et ne Archi-Diaconi Nobis subditi, aut eorum Officiales eos admittant ad hujusmodi Ecclesias, vel eos instituant in eisdem, nisi eis prius constiterit per patentes literas ipsorum Patronorum de consensu hujusmodi, & quod ipsarum Ecclesiarum redditus, & proventus, ad quas sic præsentati fuerint, sufficiant ad sustentationem congruam, Rectoribus & Pastoribus, & Vicariis supradictis, si fortassis ipsos contingat in hujusmodi Beneficiis simul facere residentiam personalem. Alioquin si a quoquam secus actum fuerit, vel attentatum quomodolibet, decernimus irritum & inane.

§. IV. Præterea quia nonnulli Ecclesiarum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum Patroni, ad vacantes ipsis Ecclesias, seu Beneficia, quæ tantum actu Sacerdotibus, vel promovendis infra annum conferri debent, nonnunquam minores annis, vel alias omnino inhabiles præsentant personas, vel etiam quandoque, loco talium minorum, conficto quodam velamine præsentant Presbyteros aliquos, seu personas alias idoneas Archi Diacono, seu eorum Officiali instituendas in Beneficiis memoratis. Nos fraudi hujusmodi cupientes, in quantum possumus, remedium adhibere, prædictis Archi-Diaconis, & eorum Officialibus ac quibuscunque aliis personis Ecclesiasticis, quorum interest, sub pœna suspensionis officii sui, districtius inhibemus, ne aliquos tales ipsos præsentatores admittant, vel instituant inscienter ad Beneficia memorata.

§. V. Et ut fraudibus talium plenius obvietur, statuimus & volumus: quia Archi-Diaconi seu Officiales prædicti specialiter a quibuscunque personis ipsis præsentatis, ante admissionem, vel institutionem ipsorum, ad Beneficia prætacta exigant, & recipiant corporalia ipsorum juramenta, quod ipsi vere, & non ficte, ac nulla conditione, pacto, seu promisso interveniente, & sine spe aliqua facta, vel facienda cuiquam de Beneficiis ipsis resignandis suis Patronis successu temporis, ipsis Archi-Diaconis, seu Officialibus, sint ad hujusmodi Beneficia præsentati: alioquin si secus actum fuerit, admissio-

nes

nes & institutiones ut sic factas, irritas, & inanes esse, dictosque præsentatos suspensos a Beneficiis, & Officiis decernimus ipso facto.

§. VI. Item ordinamus, & districte præcipimus observari in nostra Cathedrali Ecclesia, & singulis Collegiatis Ecclesiis Nobis subjectis, quod singulis diebus Prima decantata, Martyrologium lectum fuerit, pronuntietur anniversarium Defunctorum, quod sequenti die fuerit peragendum, & summa pecuniæ pro hujusmodi anniversario interessentibus Vigiliis & Missæ dividenda.

§. VII. Item statuimus, & ordinamus, quod Canonici & Vicarii Ecclesiæ nostræ Treverensis, & aliarum Ecclesiarum Nobis subjectarum, ad horas Canonicas, Vigilias pro Defunctis, & Missas, debito tempore secundum statuta, & ordinationes suarum Ecclesiarum, intrent chorum, & ipsis horis intersint eo tempore, quo distributiones Chori fuerint dividendæ: quas nulla ordinatione, statuto, sive pacto obstante, tantum inter præsentes ibi tunc Canonicos & Vicarios, juxta consuetudines ipsarum Ecclesiarum, in Choro, & non extra Chorum, dividi, & dari volumus, & præcipimus per Officiatos, qui ad hoc fuerint deputati: exceptis illis Canonicis & Vicariis, quos infirmitas, seu justa & rationabilis necessitas corporalis, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret. Inhibemus etiam districtius præfatis Officiatis, ne aliquas distributiones occasione collectionis redditum, seu censuum suarum Ecclesiarum sibi usurpent, dum non interfuerint Divinis Officiis, in quibus dividendæ sunt hujusmodi distributiones. Et quia nonnulli plus temporalem solent pœnam, quam Spiritualem seu Ecclesiasticas sententias, quod dolenter referimus, formidare, & ut sic frequenter ad subditorum noxam tendit, quod ipsis ad remedium est provisum, sententias excommunicationis in aliis statutis nostris, super præmissis, & eorum occasione per Nos editis prolatas, ne subditi nostri eisdem sententiis, prout hactenus fieri est compertum, damnabiliter se involvant, decernimus revocandas, & præsentibus revocamus. Nolumus tamen illos, qui dictis nostris sententiis, seu Canonis, jam ligati noscuntur, per hujusmodi absolutionem esse absolutos. Sed quod ab eisdem sententiis per Nos, vel per nostros in hac parte vices gerentes obtineant specialiter se absolvi.

§. VIII. Præterea ut præmissa omnia & singula observentur, ne aliquis ab eorum observatione, prætextu ignorantiæ se possit excusare, præcipimus omnibus & singulis Decanis Nobis subditis; ut eorum copiam recipiant infra mensem, ab Officialibus nostris Treverensibus, sive Confluent. & ea suis subditis publicent, & diligenter faciant observari, si ipsi Decani pœnam Canonicam, & nostram voluerint evitare. *Datam Trever. Anno Domini Millesimo tricentesimo tricesimo septimo, die vicesima mensis Maji.*

Illmus Hontheimius Historiæ Pragmaticæ Diplomaticæ Treverensis Part. II. pag. 77, 78.

Balduinus Treveris celebrata Synodo, Cleri formare disciplinam, tueri libertatem, & Monachorum in votivæ paupertatis offensione, & luxu vestium effusam licentiam severissimis cohibere Legibus institit, extant de hac re literis ac typis vulgata decreta, quæ eximiam ejus in Ecclesiæ suæ retinendis institutis & Cleri sordibus abstergendis arguunt solertiam. *Browerus Annal. Treverensium Lib. XVII. pag. 989. veteris Edition.*



CONCILIUM TREVIRENSE

ANNO CHRISTI MCCCXXXVIII.

BALDUINI *Archi-Episcopi Epistola ad Clerum*,

Edita quidem hoc Tomo IV. pag. 318. sed cum ingenti hiatu, qui suppletur ex Illmo Honthemio.

BALDUINUS, DEI GRATIA, &c. UNIVERSIS PRÆLATIS, PRÆPOSITIS, ARCHI-DIACONIS, DECANIS, SCHOLASTICIS, NEC NON CLERICIS ALIIS, BENEFICIATIS, ET IN SACRIS ORDINIBUS CONSTITUTIS, SUARUM CIVITATIS ET DIŒCESIS, QUIBUSCUNQUE IN CHRISTO SIBI DILECTIS, SALUTEM ET SINCERAM IN DOMINO CHARITATEM.

I.

Licet curis Nobis undique affluentibus sollicitemur innumeris, ad illa tamen intuitum nostræ considerationis dirigimus intentius, per quæ actus, & mores Clericorum, quorum vita, & conversatio aliorum sunt norma & exempla, in melius reformentur. Sane jam dudum pro reformatione actuum, & morum Clericorum nostrarum civitatis & Diœcesis Treverensis, ac honesta conversatione eorundem, quæ interioris mentis est indicium, nonnulla statuta salubria, & sacris Canonibus fulcita, duximus publice promulganda: statuendo videlicet, quod Clerici quicunque nostrarum civitatis & Diœcesis Trevirensis decenter incederent in habitu, calceis, caligis, corona, & tonsura Clericali, quodque nullus Canonicus aut Beneficiatus, vel etiam quicunque Clericus in sacris Ordinibus existens, vestimentis vel capuciis uteretur, quibus manicæ vel fimbriæ, aut aliæ extremitates, vel scissuræ vestimentorum, vel capuciorum, cum eisdem vestimentis seu capuciis in colore notabiliter discordarent: & specialiter, ne capucia auro, vel argento, vel aliis quibuscunque appositionibus a panno diversis, componerentur, seu scinderentur: & ne etiam Wardecociis cum longis manicis, maxime ultra brachium procedentibus, uterentur, & quod Wardecocia seu tunicas superiores breves, aut strictas nimium non haberent: sed quod Wardecociis & tunicis superioribus saltem ultra medietatem furæ seu musculi curis procedentibus uterentur. Quoque insuper cincti super vestem superiorem non incederent, nisi dum se ad iter præpararent, vel essent in itinere constituti: & quod capillos disjunctos in medio frontis, aut longos nimis non deferrent: quod dicti etiam Canonici & Clerici, in tunicis superioribus nodos a panno tunicarum in colore discrepantes, non deferrent, maxime ante pectus, & locis aliis Clericis inconsuetis. Alioquin contrarium facientes certis pœnis artari præcipimus, & constringi. Statuimus etiam, & ordinamus nonnulla alia, statum, salutem, ac honestatem dictorum Clericorum respicientia, prout in eisdem statutis per Nos editis, & solemniter publicatis, videri poterunt plenius contineri. Verum nonnulli ex prædictis Canonicis Clericis prætacta nostra statuta quamvis ipsis salubria, (a) parvi pendentes eadem, prout per facti experientiam didicimus, observare hactenus minime curaverunt.

II. Igitur Nos considerantes & attendentes, quod id solum bene agitur, si errantium hominum vita corrigatur, ac volentes in iis negligentium defectum ulteriori executione supplere: vobis & cuilibet vestrum præcipimus & mandamus, quatenus prædicta nostra statuta in omnibus, & singulis suis Capitulis, prout per Nos edita sunt, & prout quemlibet vestrum respiciunt, vel contingere possunt, studeatis firmiter observare, quodque vos Prælati, Præpositi, Archi-Diaconi, Decani, & Scholastici, & quilibet vestrum, Canonicos, & alios Clericos vobis immediate subjectos, ad hoc teneatis, coherceatis, nec non viis & modis, ac pœnis competentibus potissime in dictis

(a) *Hæc impressa jam fuerant a pag. 318. b. T. supplentur sequentia ex Illmo Honthemio.*

ctis noſtris ſtatutis comprehenſis, inducatis, ut eadem noſtra ſtatuta ipſorum ſalutem ac bonum reſpicientia, teneant, & obſervent. Alioquin tam contra vos, quam dictos Canonicos, & Clericos vobis ſubditos, ac dictorum noſtrorum ſtatutorum tranſgreſſores per pœnas ſpirituales, & temporales, prout opportunum Nobis viſum fuerit, procedemus. III. Præterea cum in tantum quorundam proceſſerit ambitio, ut plures Dignitates, Perſonatus, ſeu Eccleſias Parochiales, curam animarum habentes, contra ſacrorum Canonum inſtituta recipere, & receptas illicite detinere non formident: & cum unius officium vix implere ſufficiant, ſibi ſtipendia plurimorum recipiunt; Nos huic morbo, quamvis alias *per ſacros Canones* ſuper hoc ſufficienter proviſum exiſtat, cum ulteriorum tamen executione occurrere cupientes, ſtatuimus, & ordinamus, ac præcipimus inviolabiliter obſervari, quod quicunque duas, vel plures Perſonatus, Dignitates, ſeu Eccleſias Parochiales actu curam animarum habentes, ſine diſpenſatione legitima, & contra conſtitutionem recolendæ memoriæ Domini JOANNIS *Papæ vigeſimi ſecundi*, ſuper hoc prolatam, quæ incipit: *Execrabilis, qui tenuerit.* eaſdem Dignitates, Perſonatus, vel Eccleſias infra menſem, a publicatione præſentium computandum, in manibus Superiorum reſignent effectualiter, & dimittant, regreſſum ad easdem Dignitates, Perſonatus, vel Eccleſias, ſeu aliquam eorum, ſeu earum, ſine nova præſentatione, vel collatione, minime habituris. Alioquin ipſos ad hoc faciendum per pœnas Canonicas, & prout opportunum Nobis viſum fuerit, compellemus. Et ut inani hujuſmodi Dignitatum, Perſonarum, & Eccleſiarum multitudini, quas quidam per ambitionis vitium recipere non formidant: quæ quidem multitudo *Canonibus* inimica, materiam diſſolutionis, & evagationis inducit, certumque continet periculum animarum, opportunius occurratur; ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi aliquis habens aliquam Parochialem, ad aliam fuerit præſentatus, ad tertiam, ſeu aliam nullatenus inveſtiatur vel admittatur, niſi prius in præſentia eorundem juret ſolemniter, & promittat, quod poſtquam poſſeſſionem, vel quaſi, illius Eccleſiæ, ad quam ſecundo præſentatus fuerit, pacifice fuerit adeptus, primam Eccleſiam dimittat realiter, & reſignet. IV. Volumus etiam & ſtatuimus, quod ſi aliquis duas, vel plures habens Eccleſias, ad eas ſine diſpenſatione Canonica, contra prædictam conſtitutionem, execrabiliter tenens, ad tertiam, ſeu aliam fuerit præſentatus, quod ille ſic præſentatus, ad tertiam, ſeu aliam, nullatenus inveſtiatur, vel admittatur ad eam, niſi prius illas Eccleſias, quas prius *contra Conſtitutiones Canonicas* tenuit, & per quarum detentionem, ad alias ſe inhabilem reddidit, effectualiter & realiter dimiſerit, ac ſe habilitari ad alia Beneficia conſequenda per Superiorem, ad quem hoc pertinuerit, procurarit: quod ſi ſecus per quemquam Archi-Diaconum noſtrarum civitatum, vel Diœceſis, ſeu aliquem alium, ad quem jus inveſtiendi pertinuerit, factum fuerit, id ex nunc decernimus irritum & inane: & nihilominus contra ipſos hoc præſens noſtrum ſtatutum non ſervantes, per pœnas Canonicas procedemus.

Per præmiſſa autem, quæ ad prætacti Cleri correctionem, & emendationem exceſſuum, qui in ipſo ut communius irreपſerant; ſpecialiter ſtatuenda providimus, veniendi contra ſtatuta ſacrorum Canonum, vel etiam noſtri Concilii Treverenſis inſtituta, habenas ſibi non intelligant eſſe laxatas: imo eadem ſtatuta prout ſalubriter inſtituta noſcuntur, per univerſum Clerum Nobis ſubjectum, volumus cum omni obedientia, & reverentia firmiter obſervari. Datum Treveris Anno MCCCXXXVIII. die VIII. menſis Aprilis.

Illmus Hontheimius Tomo II. Hiſtoriæ Diplom. Trever. pag. 78, 79, 80.

CONCILIUM SALTZBURGENSE

ANNO CHRISTI MCCCXL.

RUdolphus quidam Presbyter calicem cum ſanguine Chriſti apud Saltzburgam in majori Eccleſia de Altari ſumens diffundit, quod prius fecerit Hal-

Hallis in Ecclesia Beati Zenonis. Qui captus & postea productus (*coram Synodo*) dixit Judæum, & Paganum sine Baptismo posse salvari: & in Altari non esse verum Christi corpus: & dœmones posse redire ad pristinam dignitatem, quia solo peccaverunt cogitatu. Cum nollet respicere; per HENRICUM Episcopum Salisburgensem, Magistro Ruthmâro Sekoviensi Præsule, Conrado Chimense, & *aliis Prælatis præsentibus* degradatus, sæculari potestati traditur, & crematur.

Anonymi Leobiensis Chronicon Lib. VI. apud Hier. Petz. Tom. I. Scriptor. Austriæ pag. 957.

Addenda Tom. III. pag. 209.

CONVENTUS RUTHARDI,

Archi-Episcopi Moguntini, Abbatum & Prælatorum Cleri Moguntini, in quo stabilitur Littera Fundationis Monasterii quondam Cambergensis Diœc. Herbipolensis.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

EGO RUTHARDUS, Moguntinensis DEI gratia Archi-Episcopus: Omnibus Sanctæ Ecclesiæ Fidelibus notum esse cupio tam futuris, quam præsentibus, quod Dominus quidam Burghardus in honore Sanctæ DEI Genetricis MARIÆ, ac S. Nicolai in monte, qui Kamberg nominatur, Monasterium quoddam construxit, ad quod ipsum locum cum omnibus nunc in præsentiarum illuc collatis, justitiis & pertinentiis prædiorum, & mancipiorum, seu quarumcunque rerum ex toto super Altare S. NICOLAI libera manu sua, & fratrum suorum Comitis scilicet *Ruggeri*, & *Heinrici* tradidit DEO, & S. NICOLAO, in proprietatem, & prædicti Monasterii Abbati in liberam dispositionem, Monasterio & Fratribus Deo sub Regula Monastica inibi servituris, ad utilitatem, & ne unquam a posteris suis, vel quibuslibet personis Deo servientium deinceps illic destrui posset.

Postea D. Burghardus prudenter idem Cenobium cum omnibus suis pertinentiis nunc collatis, & de hinc conferendis tempore Domini mei felicis memoriæ WEZELONIS Archi-Episcopi, in præsentia ipsius, Archi-Episcopali Sedi Moguntinæ subdidit propria manu sua, & fratris sui prædicti Ruggeri, tradendo absque omni contradictione ad Altare S. MARTINI, ubi etiam ab eodem Domino Burghardo firmissime statutum est, & a Domino meo Wezelone laudatum, ut Fratres Cenobii illius nunc ibidem congregati, & adhuc in Christo congregandi, quandocunque Patre suo spiritali orbati fuerint, habeant liberam potestatem secundum Regulam S. Benedicti, inter se, vel undecunque, si opus fuerit, Abbatem eligendi: quem postquam Fratres regulariter elegerint, hoc solum faciendum est, ut eum cum magna veneratione perducant ad Archi-Episcopum, gratia suscipiendi ab eo virgam Regiminis absque omni prorsus contradictione Episcopi vel alicujus.

Præterea hoc etiam diligentissime notandum est, secundum Statuta Domini mei *Wezelonis*, & Domini *Burghardi*, nulli Abbatum hujus Cenobii umquam licere de prædiis Ecclesiæ quidquam alicui secularium accommodare, sed si quisquam Abbas diaboli consilio, quod Deus prohibeat, hoc decretum infregerit, Fratres ejusdem Cenobii hanc a Domino Wezelone, & a me habeant licentiam, ut de hoc accusatum & convictum deponant, & in ejus locum juxta prædictam libertatem alium eligant.

De *Advocati* quoque electione hoc statutum esse notandum est, ut quemcunque Abbas loco illius cum consilio Fratrum suorum ad defendendum Monasterii

Hoc Monasterium præsens est Ecclesia Collegialis nobilium Canonicorum ex Regulari in sæcularem statum conversa anno 1488. Nonas Decembr. indultu Papæ Innocentii VIII. sub Rudolfo de Scherenberg Episcopo Wirtzburgensi, Abbate ultimo Sifrido.

nasterii libertatem & justitiam utilem invenire possit, qui non pro terreno commodo, sed pro æterna mercede hoc Patrocinium suscipere velit, hunc absque alicujus contradictione eligat, & bannum legitimum non jure hæreditario eum a Rege suscipere efficiat; cujus Advocati libero concessum est arbitrio, ut, si velit, semper post sanctam ebdomodam Pentecostes secunda feria, placitum habeat in villa, quæ dicitur *Dungental*, & non in anno sæpius, nisi ab Abbate invitatus. In prædicto autem placito ad servicium ejus debet Abbas maldrum frumenti pro faciendo panem, & frisingum unum porcinum, & duos ovinos, & vinum, cæteraque ad hæc sufficientia. Si autem hic Advocatus temerario jure contra statuta aliquem faciat Subadvocatum, aliasque calumnias vel injurias Monasterio, Abbati vel familiæ faciat, omnino potestatem habeat Abbas, cum adjutorio Episcopi & consilio Fratrum hunc reprobare, & alium sibi utiliorem undecunque eligere.

Notum sit & hoc, quid servicii Dominus Burghardus statuisset, Abbatem ejusdem Cenobii debere singulis annis Domino meo *Wezeloni*, & ejus Successoribus, & Ecclesiæ ipsius: scilicet, ut semper in festivitate S. Martini super Altare ejus mittat Mitram Archi-Episcopalem, & duo Corporalia: ut nunquam cogatur Abbas in expeditionem ire, vel Curiam frequentare, aut ad colloquium curiale ex justitia venire, nisi forte Archi-Episcopus ejus spiritali consilio indigeat ad utilitatem Ecclesiæ. Qua necessitate cogente fraterne invitatus, debet ad Dominum suum cum paucis Monachis & servientibus inermis karitative venire, nisi forte triduum proprio servitio, & non diutius, nisi diligenter ab Archi-Episcopo rogatus, & tunc alimenta sibi & equis sufficienter accepturus.

Hoc quoque statutum esse recordamur, si forte Dominus Archi-Episcopus semel vel bis in anno ad prædictum Cenobium causa fraternæ visitationis, vel alia causa veniat, ut Abbas eum cum omni veneratione & ornatu, sicut Dominum suum suscipiat, & secundum facultates suas una sola die, & non plus, ei servitium dare faciat.

Adhuc quoque statutum esse intelligite, ut quicunque sit Archi-Episcopus, in eodem Cenobio semper Prebendam ita plene, sicut Monachus unus habeat, quæ cottidie in refectorio fratrum super mensam principalem ponatur, & postea pauperibus in eleemosynam ejus erogetur, & ut obitus & anniversarius ejus cum Missarum ac Vigiliarum solempniis ibi diligenter semper celebretur.

Ad horum omnium confirmationem, cum utrique, scilicet Dominus meus *Wezelo*, & Dux *Burghardus* omnia decrevissent karta annotari, & kartulam ipsam sigilli ipsius impressione insigniri, priusquam hoc factum esset, persolvit sæpe dictus Dominus meus, ad tumulum detrimenti & doloris nostri, corporali dissolutione debitum moriendi.

Cui cum ego indignus peccator, ad comparationem ipsius nec etiam vermiculus nominandus, nescio qua Divina dispositione in Episcopum successissem, primum duas vineas, quas Dominus meus *Wezelo* illuc tradidit: unam scilicet in Rudensheim, alteram in Lorcha cum areis duabus ad eas pertinentibus, pro anima ejus & mea, ego quoque tradidi ad idem Cœnobium Sto Nicolao in proprietatem, & Fratribus ad utilitatem. Deinde cum consensu & rogatu prædicti Domini *Burghardi* cartulam illam secundum prædicta statuta præcepi diligenter componi.

Illud etiam secundum statuta Domini *Wezelonis* addam ad confirmationem Privilegii, ut si ego, quod Deus prohibeat, vel aliquis Successorum meorum, prænotatum jus & leges ejusdem Cœnobii ex aliqua parte velim infringere, vel de prædiis, & aliis rebus nunc illuc collatis, vel adhuc conferendis, aliquid inde auferre: Abbas cum fratribus suis primum caritative per principalem Præpositum, cæterosque Principes meos me studeat avertere; quod si non prosit, ut deinde querimoniam faciat toti Conventui fratrum S. Martini, & si illud non profit, ut postea faciat hoc idem privilegium recitari in audientia totius *Synodalis Concilii*, ubi si evidentia injustitiæ per interventum circumsedentium fratrum, meam pertinaciam vel alicujus Successorum meorum, non

non possit emollire, tunc demum auctoritate hujus kartulæ habeat licentiam eundi Romam ad Sedem Apostolicam, ut per ejus auctoritatem cogamur ab incepta injustitia desistere. Hujus sanctæ Sedis Legationi, si citissime non præbeamus assensum obediendi, nulla diutius utatur Abbas dilatione, quin, si velit, idem Cœnobium sub prædicta justitia & legibus tradat Romanæ Ecclesiæ ad altare S. Petri, ad formulam hujus kartulæ aliam suscipiens ab Apostolica Sede.

Hæc omnia, ut multis innotescant, statutum est, ut semper subcustos Ecclesiæ Sti. Martini hanc kartam in *duobus annuis Conciliis* in audientia omnium circumsedentium & stantium legat. Pro hoc singulis annis *in posteriori Concilio Bizantium* ab Abbate & nuntiis ejus accipiat, & si ipse alterutra vice hoc negligat, nihil se ab eo accepturum sane cognoscat.

Et ut hoc succedentium posteritati melius notum fiat, & semper stabile & inconvulsum permaneat, placuit nomina testium tam Clericorum quam laicorum, qui eidem constituto & pacto interfuerunt, annotari, kartulam ipsam nostri sigilli impressione signari. Hi sunt testes: *Adelmannus* Abbas Sti Albani. *Godeboldus* principalis Præpositus. *Embricho* Camerarius urbis Moguntinæ (*a*). *Arnoldus* Custos (*b*). *Anshelmus* Præpositus S. Stephani. *Volcholdus* Decanus. *Joannes* Magister (Scholasticus) *Embricho* Cantor. *Eburoldus* Præpositus (*ignotus*) *Richardus* Præpositus S. Mariæ ad Gradus. *Deotmarus. Guntramus. Godescalcus. Zeizolfus* (al. *Ceyzolfus.*) *Regezo.* Laici: *Gerardus* Comes. *Wiggerus* Comes. *Rutgerus de Husun*, & frater ejus *Heinricus*, & *Heinricus de Newenstatt. Borchard de Widistat. Heinricus* Comes. *Heinrich. Diether. Sifrid. Folmar. Embricho. Hartman. Wolfram. Marquart. Adelbrath. Walther. Arn. Anselm.*

Gudenus Codic. Diplomatic. Tomo I. N. XVI.

(*a*) Camerarius urbis Moguntinæ idem ac Præses judicii civici, perdurans sub Camerarii titulo adhuc, des Weltlichen Gerichts Cämmerer.

(*b*) Custos Moguntinæ ædis, simulque Præpositus Erfurtensis, quamobrem una cum Præposito sequenti, Volcaldo Decano ut ut Moguntinæ Majoris, præponitur.



Conventus Diœcesanus Moguntini Archi-Episcopi, & Prælatorum Cleri & Procerum.

Summa. Quomodo terra inculta & montosa prope Rudesheim exculta fuerit, & redacta in statum vinearum?

Addendus Tomo III. pag. 407.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS.

SIFRIDUS, Moguntinus Archi-Episcopus. Nostre speculationis exigit officium, ut Nobis commissa summa diligentia lucrifacere studeamus, ita ut in omnibus utiliora & meliora prospiciamus. Noverint itaque universi tam futuri, quam presentes Christi, nostrique fideles, quod pago nostro in *Rudensheim* & in *Ibingen* quedam terra inculta jacebat, que per omnia nostre jurisdictioni attinebat, quam populus noster Dei in dictis villis nostris renovare, & excolere ex nostra concessione querebat, super hoc habita deliberatione cum fidelibus nostris, Clericis, & laicis satisfecimus petitioni populi nostri, & terram istam montosam & incultam eis concessimus, ut eam excolerent, & in usum vinearum redigerent. Jussimus ergo terram illam eis dividi, & quid inde, cum eam excoluissent, & fructiferam reddidissent, solvere deberent, jussimus distingui.

Hac etiam in pactione posuimus, ut de manso, qui *Fiscalinus* dicitur, annuatim septem Ame vini, & de singulis aliis mansis carrata vini, & de jugere, quod majorem fertilitatem haberet urna vini,

vini, & de ſingulis aliis jugeribus, que minus valere dinoſcerentur, dimidia urna daretur, & hec omnia ſingulis annis *ſub nomine & jure decime* ſolverentur.

Ut etiam eundem populum noſtrum magis benivolum & promptum ad excolendam terram illam haberemus, indulſimus eis, ut in campo nulla in eos fieret angaria, ſed poſtquam fructus ſuos collegiſſent, omnes ſimul, ſolverent Nobis, & Succeſſoribus noſtris annuatim de manſis & jugeribus, uti prediƈtum eſt, ſub nomine *Decime* quadraginta carratas vini pontici: ita tamen, ut intra ſe habita eſtimatione, quantum quisque de terra illa poſſideret, & ita ſummam illam nobis ſolvendam congererent, ut nullum contra jus gravare invenirentur. Et hec omnia Scultetus noſter ab eis reciperet; & nulli alii de prememorato jure noſtro aliquid reſponderent.

Statuimus etiam, ut ſi quis hoc pro voluntate ſua ſolvere negligeret, quod ab eo Archi-Epiſcopus compoſitionem & ſatisfaƈtionem exigere & accipere deberet, ita quod unius deliƈtum in multitudinem non redundaret.

Ut autem hec noſtre pietatis conceſſio rata & inconvulſa omni permaneat evo, deſiderante & petente populo hanc cartam conſcribi, & impreſſione ſigilli noſtri inſigniri precepimus, & banno confirmavimus.

Hujus rei Teſtes ſunt:

Razo Prepoſitus. *Hartwin* Prepoſitus. *Arnoldus* Prepoſitus. *Ruobrath* Decanus. *Folcolt. Gebehart. Gozechinus* Magiſter. *Burchard. Adelwin. Bertram. Adelo. Ruogger. Cuno. Erubret. Otto. Milo. Adelbun. Ruodolf* Comes. *Diedo. Ruobrat. Ruodeger. Johannes. Suicger. Dietbret. Milo.*

Aƈta ſunt hec anno Dominice Incarnationis MLXXIV. Indiƈt. XII. Regnante HEINRICO Quarto, Regni ejus anno XVIII.

De Gudenus Tomo I. Codicis Diplomatici.

WEZELONIS, Archi-Epiſcopi Moguntini,

Traditio de Bonis, que ſunt apud Villam, que dicitur LORCHA, inter annos 1084. & 1088. utpote Preſulatum ipſius concludentes.

Addenda Tom. III. pag. 201.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS.

EGo WEZELINUS, Moguntinus Gratia Dei Archi-Epiſcopus, notum eſſe volo tam futuris, quam præſentibus Chriſti, & Eccleſie fidelibus, quod quidam Canonicus Sedis noſtre, EMBRICHO nomine, fratribus ſuis ejuſdem Eccleſie Canonicis, quedam bona ſua tradidit pro animabus parentum ſuorum, & pro remedio anime ſue, ea videlicet ratione, ut in unoquoque menſe (quod tunc a fratribus conlaudatum eſt) die Vigiliam & Miſſam pro eiſdem parentibus ſuis, & omnibus fidelibus defunƈtis faciant, & ipſa die unusquiſque eorum denarium pro carne, & panem, vel obulum pro pane & menſuram bonam optimi vini accipiat.

Faƈta eſt autem hec tradicio preſentibus & probantibus ſorore ſua *Guoda*, ejuſque marito *Richolfo*, ceteriſque heredibus ſuis ad Altare *S. Nicolai*, quod eſt in clauſtro, per manum *Gerhardi*, Comitis noſtri; quem Advocatum idem Embrico, me petente, accepit a Domino meo Imperatore *Heinrico*, hoc etiam interpoſito, ut prædiƈta *Guda* & maritus ejus, fraternitatem & locum ſepulture, orationiſque communionem cum fratribus habeant.

Hec autem ſunt bona, quæ tradita ſunt: quinque mancipia, que non aliud jus, quam meliores ſervientes fratrum habeant, quorum nomina hec ſunt: *Godebolt*, *Ruothart*, *Bernhart*, & uxor ejus *Giſeburg*, & filia eorum *Friderun*. Aree in Moguntia ſeptem & dimidia. Tres manſi in Irſenheim cum vinetis ſuis, & omnibus pertinentiis, quo-

quorum unusquisque singulis annis decem solidos, quatuor capones in Festo S. Martini persolvit. Mansus unus in Muomenheim cum suis vinetis, qui item decem solidos & quatuor capones in Festivitate S. Andree persolvit.

In villa autem, que dicitur Loricha domus bona cum omni suppellectile sua. Vinee bone, quarum quantitas & denominatio hec est: vinea Beceche in Geiderichesdale, que habet mensuras virgas. . . in longitudine & . . . in latitudine.

Item in vinea, que dicitur Bezelini, versus villam, XX. virgas in longitudine, & XXV. in latitudine, & quidquid in eadem vinea ante obitum fratris sui ad se venerat hereditario jure. Item in vinea, que dicitur Rubea, XII. virgas in longitudine & V. in latitudine. Item vinea, que dicitur Udelberti, que habet XV. virgas in longitudine, & VII. in latudine. Item vinea in Ocenberge, que habet XII. virgas in longitudine & VIII. in latitudine. Item vinea in Bahendale, habens IX. virgas in longitudine & IV. in latitudine. Item in Wizelinesleva vinea habens XIII. virgas in longitudine & V. in latitudine.

Item in Hengeresgruben IV vinee. Preterea vinea quedam in Mannendal, quam idem *Embrico*, & coheredes sui jam dudum pro anima patris sui voverant. Hanc etiam item ipse, & soror sua per manum mariti sui legitima traditione pro prescriptis bonis addiderunt ea conditione, ut semper in anniversario patris eorum præscripta karitas illius mensis fratribus detur, & centum pauperibus Christi centum panes albi, centum alecia, & centum biberes vini tribuantur.

Habuit autem idem *Embrico* in predicta villa *Lorecha* fiscalem mansum, cujus servicii jus a me susceperat in Beneficium. Hunc omnimodis, hereditatem scilicet, & Beneficium michi reddidit, rogans, ut ego illum prædictis bonis adderem, & sic partem commemorationis haberem, & mea traditione cetera confirmarem.

Ego igitur particeps esse cupiens devotionis istius, tradidi fratribus eundem mansum in proprietatem, quem ipsi duobus supra traditis servientibus suis *Godeboldo* videlicet dimidium, qui dicitur: der *Razmannesbuben*, & *Bernhardo* dimidium, qui dicitur: der *Megezlinesbuben* cum areis, vinetis, agris cultis & incultis in hereditatem dederunt, ea ratione, ut non alium censum, non aliud servitium inde debeant, nisi hoc tantum, ut semper ambo, vel mutatis vicibus alter eorum excolendis prescriptis vineis presint, ni forte, ut sæpe fit, negligentia, vel malitia male culta ad minorem reditum cogantur. Vini quoque inde collecti, & vasis infusi, octo karratas intra octavam S. Martini in sua navim impensa inferant, & suo labore Moguntiam ante portam, que dicitur, *Episcopi*, perferant. Si autem alter istorum absque legitimo herede, id est, qui ad fratres pertineat, mortuus fuerit, dimidium mansum, quem ille habuit, in hereditatem accipiat *Ruotbardus*, qui est unus de supradictis servientibus fratrum. Et ita semper mansus iste in hereditatem istorum maneat, nisi forte omnes absque heredibus mortui fuerint; tunc fratres alios duos fideles servientes in locum illorum provideant. Bona igitur hec nullus sibi in hereditatem vel officium aliqua ratione usurpet, sed quicunque proximus de consanguinitate ejusdem Embriconis in majori Ecclesia Canonicus fuerit, is alteri preponatur in hoc officio, quem ad hoc fideliorem & prudentiorem fratrum communis probaverit electio.

Ut autem hec traditio omni evo stabilis & inconvulsa permaneat, scriptam *& in plenaria Synodo* nostra recitatam Banno nostro confirmavimus, & Sigilli nostri impressione insigniri præcepimus.

De Gudenus Cod. I. Diplomatici pag. 383.

ERFOR-

ERFORDIÆ Conventus Archi-Episcopi Moguntini, cum Suffraganeis, & variis Prælatis e Clero, in quo quotidiana Præbenda Canonicis S. Severi danda, auctoritate Præpositi S. Severi Erfordiæ determinatur.

Addendus Tomo III. ad pag. 279.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS.

NOtum sit omnibus tam futuri, quam præsentis temporis fidelibus, qualiter inter Canonicos Ecclesiæ Beati SEVERI, & Prepositum ADELBERONEM de danda cotidiana eorum Prebenda convenerit. Destructis possessionibus Ecclesie, frequentibus incendiis, & rapinis tempore Prepositi EMBRICHONIS, qui idem Embricho cotidianam eorum Prebendam administrare non poterat, partitionem bonorum fieri elegit, unam sub fratrum dicione, & deliberatione ad ipsorum usus relinquens, & alteram sibi retinens. Sed Prepositus ADELBERO post eum Substitutus hanc particionem recusavit, & cotidianam Prebendam dare elegit.

Cotidiana vero Prebenda talis est, septem panes Sigalini (*a*) in septimana, Dominicis diebus album panem per annum, in jejunio vero cotidie. Et isti panes tam albi, quam nigri ad convivia pertinentes, equales sint panibus, qui dantur ad sanctam Mariam, in magnitudine & albedine. Carnes vero hiemales & estivales equales sint carnibus, que dantur ad S. Mariam. In secunda feria dimidius caseus & tria ova, similiter in quarta & sexta feria. Cerevisia equalis sit cerevisie, que datur ad S. Mariam. In Festo S. Martini inter gallos & gallinas duodecim unicuique.

In jejunio unicuique Becharium (*b*) unum de pisis ad duos dies, & cotidie Allecia (*c*) & quinque ratices. De Porro (*d*) quoque, quantum vir unus ambabus manibus potest comprehendere.

Hæc autem sunt convivia. *Primum* in Festo S. Severi. *II.* in Festo omnium Sanctorum. *III.* in Nativitate S. Martini. *IV*, *V.* & *VI*, in Natali Domini. *VII.* in Circumcisione. *VIII.* in Epiphania. *IX.* in Natali S. Severi, *X.* in Purificatione S. Marie. *XI.* in Quinquagesima. In secunda feria unum caseum; & X. ova unicuique, similiter & in tercia feria. *XII.* convivium in die Palmarum. *XIII.* in Cœna Domini, preter mandatum (*e*). *XIV*, *XV.* & *XVI.* in Pascha. *XVII.* in Ascensione. *XVIII*, *XIX.* & *XX.* in Pentecosten. *XXI.* in Natali S. Johannis Baptiste. *XXII.* in Dedicatione Monasterii. *XXIII.* in Festo Apostolorum Petri & Pauli. *XXIV.* in Assumptione S. Marie. *XXV.* in Natalii ejus. *XXVI.* in die S. Michaelis.

In unoquoque autem convivio IV. fercula. Primum Salsamentum (*f*). *II.* Pul-

Hhhh 3

(*a*) *Sicalum*, *Sigala*, *Sigale*: vox trifaria apud *Du Fresne Tom.* 6. *edit. Paris. pag.* 482. unaquælibet panibus nostris accommoda. Uti 1) Sicalum: frumentum, ordeum, spelta, avena, siligo, faba, cicere. Essent igitur panes de farina ex frugum genere vario compositi. 2) Sigala: *Chron. Novalic.* Non sunt nobis amplius præter quinque modia sigalæ, & tria sextaria tritici. 3) Sigale: *in vita Aldrici.* Debentur inde de pastione inter frumentum & sigale modii XXXIV. Quæ ultima denotatio præ cæteris videtur aptior, quod accedant ad nigredinem, qui sequitur, litteræ contextus, satis indicat.

(*b*) *Becharium:* Instrumentum ad formam calicis. Germanice: Becher, species mensuræ liquidorum.

(*c*) *Allecia:* in singulari *Allec*, pro *Halec*, Pisciculus ad falsamenta idoneus. *Du Fresne Tom. I. pag.* 303. (Haleces)

(*d*) *Porrum:* Allium.

(*e*) *Mandatum*: Ablutio pedum, quæ fit in Cœna Domini; cum scilicet Chorus cantat illud Christi: *Mandatum novum do vobis.* ubi crustuli (Oblaten) cum vino distribui solent, non modo præsentibus ex officio Clericis, sed & spectatoribus laicis; in parvulos hinc inde amygdalæ & id genus bellaria sparguntur.

(*f*) *Salsamentum:* vox, tam salsam carnem, quam piscem admittens.

Pulmentum (*g*), ita ut in duas capetas (*h*) dividatur gallina. *III.* due carnes calide, cum porro & lucanicis. *IV.* Assatura, & de cerevisia bona ad hec convivia, quantum fratres voluerint. In die S. Walburgis duo Camisalia (*i*) unicuique, aut VII solidos pro illis. In Festo S. Marie unicuique Phaltinam (*k*) unam, quæ valeat XXX. denarios, & in fine illius duos *denarios alligatos* (*l*) & duo tunicalia (*m*), que inter fratres circumeant, quorum utrumque valeat III. solidos. In Festo S. Michaelis unicuique II. pelles ovinas ad calceos. In Festo S. Martini II. soccos de cotto. (*n*) In Festo S. Thome duo plaustra lignorum.

Hujus cyrographi series definita est, precipiente, & confirmante eam Venerabili Moguntine Ecclesie Archi-Episcopo, & Apostolice Sedis Legato ADELBERTO presentibus & consulentibus Episcopis, Domino BRUNONE Spirensi (*o*) & Domino *Buccone* Wormatiensi. Preposito quoque S. Marie Embrichone, aliisque illius Ecclesie Canonicis: Decano Diroldo, Scholastico Arnoldo, Cantore Erwino, Archi-Presbytero Gelberno, Adelgero, Hilterico, Theoderico, Walterico, Adelgero.

Quod pene pretermissum fuit, de vino sic convenimus, ut Prepositus suis & sumptibus, & cultoribus vineam excoleret, & dimidietatem fratribus daret.

Data in Erpesfort. VII. Kal. Octobr. Anno incarnationis Dominice MCXXI. Indict. XIV.

(Impressum juxta cernitur Adelberti Archi-Episcopi Sigillum)

(*g*) *Pulmentum*: vox veteribus cognita, sed sequiori ætate maxime in regulis Monasticis usurpata, ubi pro quovis obsonio accipitur. *Du Fr. Tom.* 5. *pag.* 971. Pulmentum dabimus salsum, assum, vel coctum; - Olus, cerebrum, piscem tenerum &c. Pulmentum vero ex mediæ qualitatis materia, ut ova, pultes, olera; quibus in mensam allatus est gallus, quod videlicet pulmentum unus illorum arrepto cultello, ut mos est, in frusta dissecuit.

(*h*) *Capetas*: in duas æquales partes gallinam dividi vult, unamquamque in Capeta, sive Scutella apponendam. - Providebit Cellerarius (in Refectorio) Scutellas, Scyphos & Capetas. *Du Fr. Tom.* 2. *pag.* 238. subdens, Capeta videri idem ac *Capis*: quod alioquin connexitatem cum re gallinaria habeat, patet ex analysi pag. 244. ad d. vocabulum *Capis*: Accipiunt ova Gallinarum & rumpunt ea, & in cacia, vel capice lignea, aut ferrea, quæ tamen sit stagnata, ponunt ea, sed in rumpendo ovo, removent summitatem testæ ovi. Nec errare putaverim: Capetam fuisse scutellam, ferculo ex gallinis unice destinatam.

(*i*) *Camisalia*: Camisale, interula, interior tunica, *hoc est*, Supparum, quod vulgo dicitur Camisia. Et *Isidorus*: Camisias vocamus, quod in his dormimus in *camis*, *id est*, in stratis nostris.

(*k*) *Phaltina*, sive *Cappa tunicata*: respectu mulierum *Faile* vocatur, vestimentum scilicet, quo caput & totum corpus vice pallii operiunt.

(*l*) *Denarios alligatos*: hos cum in Glossariis quæsiverim frustra, sic interpretari licet de modico pecuniæ, seu denariis, qui in Phaltinam, & in finem illius, subintellecto inferne, sive in phaltinæ Sutura (secundum mirabiles veterum mores) alligari poterant, & ex obsoleta isthac consuetudine derivari reor, quod etiamnum *Bambergæ* Canonicis ac Vicariis summæ ædis cuilibet *bini* distribuantur denarii, involuti linteolo, filoque consuti, quos proin denarios illigatos non absone dixeris, in iisque memoriam veterum illorum alligatorum, conservatam.

(*m*) *Tunicalia*: Clericorum vestis propria, variæ significationis.

(*n*) *Soccos de Cotto* (non de corio) Soccus sive calceus, ea figura, ut distringat talum. *Item*: Socci non ligantur, sed tantum intromittuntur. Cottum, *alias*: culcitram indigitat. *Rursus*: Cotum, vel Coopertorium de grossis ovium pellibus, & panno grosso coopertum. *Du Fr. Tom.* 2. *pag.* 1131. Ut dicam, quod est, calceamentum hyemale.

(*o*) *Brunone Spirensi*: fuit is Adelberti Moguntini Frater. *Notæ hæ sunt Clmi de Gudenus.*

Ex Tomo I. Codicis Diplomatici de Gudenus.

SYNO-

SYNODUS MOGUNTINA

ANNO CHRISTI MCCXXVII.

SIGEFRIDI Pronuntiatio ſuper bonis Eccleſiarum Advocaticiis.

Addenda Tom. III. pag. 526.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

SIFRIDUS, DEI GRATIA, SANCTE MOGUNTINE SEDIS ARCHI-EPISCOPUS.

REquiſitum eſt à Nobis *in Synodo Maguntina* per ſententiam generalem, ſi Advocatus alicujus Eccleſie bona, in quibus ipſe jus obtinet Advocacie, jure poſſit hereditario poſſidere? Nos igitur univerſorum, qui *ad Sanctam Synodum* convenerant, freti conſilio ſententionando dicimus, quod nullus laicorum in bonis Eccleſiaſticis jus hereditarium poterit obtinere, in quibus ipſe ejusdem Eccleſie extiterit Advocatus. Sententiam igitur coram Nobis *in Synodo Maguntina* latam, & ab omnibus approbatam, per Archi-Epiſcopatum noſtrum precipimus inviolabiliter obſervari.

Datum anno Dominice Incarnationis MCCXXVII. Pontificatus vero noſtri anno XXVI.

De Gudenus Cod. I. Diplomat. pag. 493. *N. CXC.*

CONVENTUS APUD NORTHUSEN

ANNO CHRISTI MCCXXXIX.

SUMMA. Tractatus ſolemnis inter Ducem Brunſvicenſem OTTONEM, & Archi-Epiſcopum SIFRIDUM.

Adde Tom. III. pag. 562.

DEI GRATIA OTTO DE BRUNSWIC DUX.

Hec eſt forma compoſitionis & Unionis, qua cum Venerabili Domino SIFRIDO Archi-Epiſcopo Maguntinenſi in concordiam ducti ſumus.

REcepit ſiquidem Nos Archi-Epiſcopus in Devotum ſuum & filium adoptivum, & porrexit Feoda illa Nobis & heredibus noſtris, que Avus noſter HENRICUS Dux Saxonie bone memorie tenuit ab Eccleſia Maguntina, collationem ſuam in pagina ſua proteſtans, de his Nobis, & heredibus noſtris ſicut de jure, & ubicunque debet, Warandiam preſtiturus.

Bonorum autem illorum ſuorum, que *Urbore* vulgariter nominantur, & libere ſibi vacant; & maxime bonorum Advocatiarum in *Heiligenſtat*, *Geismare*, & *Northene* Advocatiarum jura ſibi libera remanebunt. Item promiſit Nobis adſtare in juſta cauſa noſtra contra omnes, preter quam contra Imperium & Archi-Epiſcopum Colonienſem, ac preter illos, quos ſalvo honore ſuo non poterit impugnare.

Unde Nos donationem Eccleſiarum in *Homburg* & *Bursfelde* cum proventibus & pertinentiis earumdem, infeodatis ſive liberis; decem quoque Miniſterialium noſtrorum, quos inter mares & feminas inter *Renum* & *Wiſeram* eligendos duxerit: illam inquam donationem ſibi & Eccleſie Maguntinenſi olim anno gratie MCCXXXIII. factam a Nobis, noſtra pagina renovamus, & quod fecerimus legitime, proteſtamur. Renuntiavimus etiam Advocatie in *Geismare*, quam de jure debuiſſemus habuiſſe.

Sed & viciſſitudine digna promiſimus ei & Eccleſie Maguntine in juſtis cauſis

causis suis assistere, & servire contra omnes, Imperio tamen excepto, & eis quos honore nostro salvo, nec debemus, nec possumus impugnare. Si vero de aliquo nostro homine, qui est juris & potestatis nostre, querimoniam Nobis moverit Archi Episcopus, Nos eundem infra sex septimanas post querimoniam Nobis factam, offerimus ei vel ad satisfactionem, vel secundum gratiam, aut justitiam responsurum. Quod si facere non poterimus, erimus Adjutores ejus contra illum turbatorem suum, donec satisfecerit habundanter, in gratia vel in jure. Hec autem confederatio inter Nos inita & firmata durabit inviolabiliter decem annis.

Ut autem omnia hec, sicut ordinata provide sunt, & gesta per viros providos & fideles, semper maneant inconvulsa, ea pagina nostra præsenti, sigillo nostro munita, duximus roboranda cum eorum testimonio, quorum nomina sunt subscripta.

Venerabilis C. *Hildensemensis* Episcopi. G. de Jaza. H. de Heiligenstat, & R. Sancti Cyriaci in Brunswic. Prepositorum, & Magistri M. Scolastici Hildensemensis.

Laicorum vero :

Heinrici de Stalberg, Comitis.
Friderici de Honstein, Comitis.
& *Godefridi* de Cigenhagen, Comitis.
Hermanni Advocati de Cygemberg.
Hermanni de Uslaria.
Ernesti de Uslaria.
Godefridi Marscalci de Biegen.
Heinrici Pincerne de Appolde.
Heidenrici Vicedni de Rusteberg.
Bernardi de Dorstat.
Jordani Dapiferi.
Willerini Marscalci.
Jusarii Pincerne.
Annonis de Heimburg.
& aliorum quamplurium.

Acta hec sunt apud Northusen Anno gratie M. CC. XXXIX. Datum apud Heiligenstat XVI. Kal. Julii.

† Sigillum OTTONIS Ducis de Brunswic. in forma magna Leonem exhibens.

De Gudenus Cod. I. Diplomat. pag. 552.

CONCILIUM PROVINCIALE MOGUNTINUM

ANNO CHRISTI MCCXLIII. VII. Kal. Julii,

Addendum Tomo III. pag. 569.

Deciditur Controversia de Proedria Suffraganeorum Eystetensis Ecclesiæ, contra Hildensemensem, Paderbornensem, & Wormatiensem, ejusdem Ecclesiæ Suffraganeos.

Est impressum Tom. III. pag. 569. omissa hac Præfatione, ex Clmo Gudenus suppleta.

SCire debent universi, quod Beati Bonifacii egregii Confessoris Xpi, & Patroni Sanctæ Ecclesiæ Moguntinæ, tempore eo, quo eandem Ecclesiam regebat, B. Willibaldum Confessorem Xpi, cujus Avunculus erat, & quem tenerrime diligebat, Eystetensi Ecclesiæ Pastorem præfecit. Quæ Ecclesia, cum esset satis honeste per Beatum Willibaldum cooperante sibi Sancto Bonifacio gloriose fundata, & dotata, & nomen Principatus gloriose poterat, tum in rebus, tum in honore obtinere; B. Bonifacius ob dilectionem S. Willibaldi Eystetensem Ecclesiam magnam volens sublimare, & honorem ejus augmentare, cum ipsam præ cæteris Ecclesiis, quæ ejus Metropoli suberant, diligeret; de consilio suorum Suffraganeorum, & accedente sui Capituli consensu, de conscientia, & omnium Ecclesiæ Moguntinæ Ministerialium & Vasallorum indicto ad hoc *Concilio* in eadem Ecclesia, de Domini Papæ tunc temporis consilio, conscientia & permissione, Beatum Willebaldum, & Ecclesiam suam Eystetensem, & omnes ejus in dicta Ecclesia successores Episcopos, præ omnibus suis Suffraganeis, & eorum Ecclesiis primum post se, in honore, in Sessione, & ejus Ecclesiam in perpetuum fore, pronuntiavit:

Et Ecclesia Moguntina Pastore vacante,

cante, vel Episcopo in Provincia non existente, vel eadem Ecclesia in discordia manente, quod Sanctus Willibaldus, & ejus Successores in omnibus, medio Tempore, donec Ecclesiæ & ejus Episcopi status reformaret in melius, dictam Ecclesiam nominibus regere deberet imposterum, & gubernare. Quæ ordinatio per Papam tunc temporis est confirmata, & privilegiata, & in Ecclesia Moguntina in antiquis libris illius Ecclesiæ est conscripta. In quo vero jure & honore, Ecclesia Eystetensis & ejus Episcopi, ab illis temporibus, quo ordinatio facta est talis, & erat, sine omni quievit contradictione. *Cætera l. cit.*

CONCILIUM MOGUNTINUM

ANNO CHRISTI MCCLXI.

Sententia Excommunicationis adversus SOPHIAM Brabantinam, & Filium ejus HENRICUM.

Adde Tom. III. pag. 596.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

NOS WERNHERUS, DEI GRATIA, ARCHI-EPISCOPUS MOGUNTINUS.

Quia nobilis mulier Domina *Sophia*, nata *Elizabeta*; relicta quondam Ducis Brabantie, & natus ejus, qui se nominat *Landgravium Thuringorum* nostre Diocesis terras, possessiones, villas, jurisdictiones, & munitiones, que temporibus pie memorie Patrui nostri, Domini SIFRIDI Archiepiscopi Maguntini, tertii Predecessoris nostri, ceperunt Ecclesie nostre vacare per mortem quondam *Heinrici*, *Lantgravii Thuringorum*, in Romanorum Regem electi, eo quod Rex ipse decessit absque herede, de jure capaci feudorum suorum, detinent injuriose: & per singulos Predecessores nostros, ac etiam per nosmetipsos moniti habundanter & sepe, quinimo propter hoc per D. GERHARDUM, Archiepiscopum Ecclesie Maguntine, tandem excommunicati & interdicti, sicut notum est, & nulla potest tergiversatione celari, non curant ipsi Ecclesie nostre restituere, & satisfacere de dampnis & injuriis irrogatis; auctoritate ordinaria in scriptis excommunicamus eam, & ipsum natum suum, & omnes auxiliatores eorum. Singula quoque loca, in quibus de jure, vel facto jurisdictionem exercent, Ecclesiastico subicimus interdicto, precipientes ipsas excommunicationis & interdicti sententias usque ad satisfactionem condignam ab omnibus inviolabilitær observari.

Actum *in Concilio Maguntino*, Anno Domini M.CC.LXI. feria quarta post *octavam Pasche*.

Nos *Eberhardus*, D. G. Wormatiensis, *Heinricus*, Spirensis, *Waltherus*, Argentinensis, & *Iringus*, Herbipolensis, Episcopi, Suffraganei Ecclesie Maguntine testamur, quod Reverendus Pater & Dominus noster, Dominus *Wernherus* Archiepiscopus Maguntinus, presentibus Nobis & Prelatis plurimis *in Concilio Maguntino*, auctoritate Sedis Apostolice contra Tartaros specialiter convocato, suprascriptas excommunicationis & interdicti sententias protulit, viva voce & in scriptis.

De Gudenus Codice I. Diplomatico No. CCIC. pag. 680.

DIGRESSIO AD SÆCULUM XIV.

§. I. *Canonistæ Germani hujus Sæculi.*
§. II. *De Fratricellis & erroribus circa paupertatem Christi male intellectam ortis.*
§. III. *De Beghinis & Begardis.*
§. IV. *De Pseudo-Episcopis Livoniæ.*
§. V. *De secta Flagellatorum.*
§. VI. *De hæresi Lollardorum.*
§. VII. *De erroribus Echardi.*
§. VIII. *De instituto Festo Lanceæ & Clavorum ab Innocentio VI.*
§. IX. *De duabus Bullis Clementis V. contra Henricum VII. nondum revocatis.*
§. X. *De* duplici gladio *ante Bonifacium VIII. a magnis Canonistis & Civilistis usurpato.*

§. I. De Canonistis Germanis Sæculi XIV. ab anno MCCC. ad MCCCC.

ETsi Authores, qui materiam Juris civilis vel Canonici hoc Sæculo tractarunt, sub hoc nomine non citentur, sed sub nomine Historiographorum, Moralistarum, Glossatorum Gratiani, Summulistarum peccatorum, Confessariorum; reapse tamen tractant materiam juris Canonici propriam, maxime circa discrimen potestatis Imperialis & Pontificiæ, jurisdictionis Episcopalis & Parochialis supra mendicantes & regulares Ordines. Sit ergo

I*mus.* ENGELBERTUS, Abbas Admontensis Monasterii, Ord. S. Bened. in Stiria, exeunte Sæculo XIII. & hoc nascente florens, testibus Trithemio, Possevino, & Petzio: inter varii generis libros, ab ipso editos, ad nostrum forum spectant:

1. *Tractatus de initio, progressu, & fine Imperii Romani.*
2. *Poema Epicum in laudem Rodulphi Imperatoris.*
3. *Institutio Principis Christiani.*

II*dus.* HENRICUS STERO, Monachus Altahensis, Ord. S. Benedicti:

Scripsit *Annales a primo anno Friderici Barbarossæ, seu* 1152. *ad electionis Rodulphi I. annum* 1273. deinde: *Historiam Rodulphi Habspurgici, Adolphi Nassovici, Alberti Austriaci ad annum* 1305, continuatam *a duobus Monachis.*

III*tius.* EBERHARDUS, ex eodem Monasterio Altahensi, Archi-Diaconus Ratisponensis.

Continuavit *Annales Steronis.*

IV*tus.* SIGEFRIDUS, Misnensis, ex Ordine FF. Prædicatorum: scripsit

Chronicon ad ann. 1307. *exorsus ab orbe condito.* Edidit Pistorius.

V*tus.* PETRUS de Saxonia, Ord. Minorum, in sacris Scripturis eruditus, in Jure Cànonico nobiliter versatus, circa ann. 1319. floruit, teste Eysengreinio. Edita ab hoc fuit:

Summa Casuum: opus insigne & utile Confessoribus, ait *Trithemius de Script. Eccles. Wadingus Script. Ord. Minorum.*

VI*tus.* SIBERTUS DE BEKA, Teutonicus Geldriensis, Ord. Carmelit. Scripsit præter alia

L. 1. *De Censuris novi juris.*
2. *Super Regulam Ordinis Carmel. Lucius Biblioth. Carmelit.*

VII*mus.* JOANNES, natus Friburgi in Brisgoia, Diœc. Basileæ, Ord. Prædicat. Concionator tantæ famæ, ut ipso Bononiæ contra usuras prædicante, populus omnes usurarios ex urbe ejecerit. Obiit An. 1314. VI. Idus Martias, postquam resignato Episcopatu Olmæ in Hungaria, rediit ad Conventum suum. Scripsit

1. *Registrum, sive Tabulam Alphabeticam tam super textum summæ Raymundi de Pennafort, quam super Apparatum Guillelmi Redonensis, ex eodem Ord. Prædicatorum.*
2. *Quæstiones casuales, tam super casus contentos in summa Raymundi, quam non, vel minus plene contentos:* deinde *super aliis materiis excerptos & dispositos tum Alberti Magni Ratisponensis Episcopi, tum S. Thomæ, tum Innocentii V., sive Petri de Tarentasia;* demum *ex F. Ulrico, & summa Goffridi, & ex summa D. Ebredunensis.*
3. *Summam Confessorum.*
4. *Manuale collectum de summa Confessorum.*
5. *Confessionale.* Ex hoc curioso opusculo lege ritum faciendæ confessionis fidelium Sæculo XIV. nam

1mo; *Sacerdos & pœnitens simul genuflexo orabant.*
2do. *Excommunicationis dabatur absolutio.*
3tio. *Pœnitens sedens ad latus Sacerdotis confitebatur peccata.*
4to. *Sacerdos genuflexo pœnitenti pœnitentiam imponebat juxta Canones, qui in fine operis adscripti exhibentur.*
5to. *Absolutio conferebatur.*

VIIIvus. GUILLELMUS OCCHAMUS, ex Ordine Minorum, Anglus (*aliis* Hibernus) Scoti discipulus, post acerrimus impugnator: Scholam inchoavit, vel maxime stabilivit Nominalium. Vir quidem acris ingenii, sed minime sobrii: plus enim volebat sapere, quam oportebat, nec timuit in Cœlum os suum ponere, & dignitatem deprimere Pontificiam, nimiumque extollere Imperatoriam Majestatem insipienti zelo, & nimis ardenti, defendere volens Franciscanæ paupertatis excellentiam. Timens incidere in manus Joannis XXII, Minorum sententiæ valde contrarii, fugit cum Michaele Cæsenate ad Ludovicum Bavarum Imperatorem, scripsitque nimis intemperanter contra Joannem XXII. Unde plura ejus opera in indicem prohibitorum a Sede Apostolica relata leguntur. Dicunt eundem Imperatori dixisse: Tuere me gladio, ego te calamo tuebor. Obiit Monachii an. 1347.

Huc spectant ejusdem Opera, præter alia:

De potestate Pontificum & Imperatorum. L. 1.
Defensorium suum. L. 1.
Errorum Papæ Joanni XXII. attributorum. L. 1.
Compendium eorum *errorum.*
Dialogus Militis & Clerici: Quæ confixa & in prohibitorum numerum relata *Goldastus*, tum Calvini assecla, recudit omnia.

Hæc ex *Wadingo* breviter adnotavimus.

Libri cæteri *de Philosophia, Theologia, & Conciones* impune leguntur. Eos recenset *Wadingus inter Scriptores Ord. Minorum.*

Contra hunc *Occamum & Marsilium Patavinum*, ex Ordine Minorum, heteroclitos *Ludovici Bavari* defensores, scripsit *Apologiam pro Papa Joanne XXII.*

Alvarus Pelagius ex eodem Ordine Seraphico Hispanus, insigne & eruditissimum opus

De planctu Ecclesiæ,

in quo Ecclesiasticorum, & omnium Reipublicæ Christianæ Statuum defectus clarissimo Ordine reprehendit, adjunctis ferme ad singula verba utriusque juris, & sacræ Scripturæ locis.

Wadingus Scriptor. Ord. Minorum.

IXnus. JOANNES SCHADLAND, natione Germanus, Conventus Coloniensis Ord. Prædicatorum Alumnus, ibidem Theologiæ laurea donatus. Fuit Legatus Pontificis, & hæreticæ pravitatis Inquisitor: ab Innocentio VI. anno 1359. creatus Episcopus Culmensis in Prussia regali sub metropoli Polonica Gnesnensi. Verum postquam Equitum Livoniæ armis Prussia subjecta fuit, Culma a Metropolita Gnesnensi transiit ad Metropolim Rigensem Suffraganea, eodem Sæculo XIV. Administrata aliquot annis hac Ecclesia, translatus fuit ad Hildesemensem ab eodem Pontifice anno 1362, quam non plus biennio administravit; Brunsvicensium Ducum incursionibus divexatus, eam sedem, cum nec sibi tranquillam, nec gregi utilem, nec literarum studiis idoneam adverteret, ultro dimisit, & Avenionem ad Summum Pontificem abiit, quo tempore vacantem Wormatiensem Ecclesiam ab Urbano V. Pontifice nactus est regundam, numero LVI. Episcopus Wormatiensis. Confosso sagitta paulo post, & occiso Walthero Episcopo Augustano, a Pontifice & hanc Ecclesiam administrandam obtinuit anno 1369. verum Augustam eodem anno appulsus, excitatis inter Senatum, Clerum & populum dissidiis gravissimis, parum ibidem substitit, Wormatiamque concessit: ubi cum & in eum adhuc excitati tumultus essent, anno 1372. Augustanam sponte dimisit Ecclesiam, Wormatiensi retenta, quam etiam non multo post quietis amans, & studiorum avidus, dimisit, Confluentiamque secessit, ibique obiit anno 1372. Calendis Aprilis.

Scripsit librum sub titulo *Culmensis:*

De potestate & officio Cardinalium.

Rursum sub alio titulo: *De quatuor virtutibus Cardinalibus.*

Librum: *De statu & potestate Episcoporum,* hactenus nondum detectum.

Echard. Quetif. Bibliotheca Scriptor. Ord. Prædicat.

Xmus. MARSILIUS MENANDRINUS de Padua (Italus, non Germanus) Anno 1312. Viennensis Universitatis Rector fuit, teste *Diplomate* apud *Lambecium T. II. pag.* 257. Monachii in Bavaria mortuus circa an. 1347. Cum a Joanne XXII. ob varios errores damnatus esset, & graviora metueret, transfugit ad Ludovicum Bavarum Augustum, quem ab Joanne XXII. diffidere sciebat, pro cujus Imperiali potestate defendenda, incidit in charybdin, oppositam Scyllæ, & omnem jurisdictionem, omnem Hierarchiam, omnem Primatum, Ecclesiæ, Papæ, & Episcopis abrogavit, corrasis falsis & ridiculis interpretationibus multorum sacræ Scripturæ, & Juris Canonici textuum.

Lutherus sub nomine *Licentii Evangelii*, aut Lutheri rogatu Beatus Rhenanus Seleſtadienſis curavit opus præcipuum Marſilii imprimi anno 1522. hoc titulo:

Defenſor Pacis tribus dictionibus, ſeu partibus diſtinctus, ad Ludovicum Bavarum ſcriptus circa A. MCCCXXIV. in Fol.

Recuſus in 8vo Francofurti An. 1592. a Franciſco Gomanbrugenſi.

Recuſus iterum a *Goldaſto* in Folio in Monarchia Imperii A. 1612.

Alia Marſilii Menandrini opera:

De Translatione Imperii a Græcis ad Francos, a Francis ad Germanos, & de inſtitutione Electorum.

Conſultatio de divortio Joannis Filii Regis Bohemiæ a Margarita Duciſſa Carinthiæ. In quo Tractatu conatur ſtabilire jus Principum in Matrimonium. *Et hic Tractatus a Joanne XXII. prohibetur.*

Utrum Marſilius Patavinus, & Joannes de Janduno ante mortem revocarint ſuos errores, neſcio. Michael de Cæſena, & alii fratres ejus, Monachii reſidentes, devoti olim Ludovico Bavaro, ablegarunt ad Capitulum Generale Ordinis Minorum an. 1348. Veronæ, pro exoranda abſolutione a Cenſuris. Guillelmus Occam, unus e præcipuis Ludovici defenſoribus, qui & Generalis Ordinis fuerat, miſit ad Generalem Ordinis Sigillum, quod hactenus apud ſe ſervarat, & ſimul libellum ſupplicem ad Papam pro ſe & fratribus pœnitentibus. Papa, Brevi ad Generalem Ordinis ſcripto, eidem committit facultatem abſolvendi ab Cenſuris præſcripta formula, qua abjurarent errores, hactenus pertinaciter propugnatos. Bulla Papalis data eſt 8. Junii A. 1349. At Michael Cæſenas jam Monachii mortuus erat anno 1343. 29. 9bris.

Vide *Wadingi Annales Minorum ad h. a.*

Contra Marſilium Patavinum, extat Bulla anni 1327. citatoria ejuſdem & damnatoria errorum, uti & Joannis Janduni, vel de Janduno: errores hi enumerantur a Pontifice, ipſiſque, ut hæreſiarchis, cum pœnis infligi ſolitis in hæreticos, attribuuntur, data Avenione X. Kal. Novembris, anno Pontificatus Joannæi XII.

Bullæ ejuſdem meminit ex Italis Joannes Turrecremata, ex Hiſpanis Alvarus Pelagius, ex Germanis Albertus Pigicus, Doctor Colonienſis, Præpoſitus Ultrajectenſis, qui pleno volumine Marſilii errores confutavit & debellavit. Bullam eandem recudit *Dumont Tom. I. pag. 11. Corporis Diplomat.* & *Lunig Spicil. Eccleſ. Tom. I. N.* 363.

Anno 1328. attentata fuit Papæ Joannis XXII. condemnatio per Ludovicum Auguſtum hortatoribus Marſilio & Janduno, quorum affictos Pontifici errores recitat, & refutat *Raynaldus* ad annum 1328. a No. 12. ad 15.

Anno 1328. ſacra Aſcenſionis die 5. Maji Ludovicus Auguſtus aliud inauditum facinus attentat: Petrum de Corbaria, ex fratribus Minoribus, Antipapam eligit, creat, coronat: creantur pſeudo-Cardinales. An. 1336. ipſe Ludovicus Auguſtus literas cum Legatis miſit ad Papam Benedictum XII, per quos reconciliari deſiderat Eccleſiæ: præterita deteſtatur: erroribus Marſilii & Janduni ab Eccleſia damnatorum renuntiat.

Refert has Literas ad h. ann. *Raynaldus* expanſas.

XI*mus*. LUDOLPHUS DE BABENBERG, Juris Eccleſiaſtici & Civilis callentiſſimus, Joannis Andreæ Bononienſis diſcipulus, magno Procerum conſenſu eligitur Epiſcopus Bambergenſis XXVII, anno 1352. ab Innocentio VI. Avenione confirmatus & conſecratus: eximia cum laude prudentiæ & ſobrietatis Diœceſin gubernavit: in Moguntino Conventu Epiſcoporum, & Procerum anni 1353. luxum veſtium in Clericis damnavit. Anno 1363. morbi dolore confectus mortem obiit, ob virtutis & doctrinæ famam Cæſari, Imperio, & omnibus gratiſſimus. Scripſit:

1. *Tractatum de juribus Regni & Imperii Romanorum*, Balduino Archi-Epiſc. Trevirenſi inſcriptum: quem librum ad fidem antiquorum codicum integritati ſuæ reſtitutum, cum *notis Marquardi Freheri* edendum curavit Matthias Berniggerus Argentorati MDCLXIV. in 4to.

In eo libro maſcule tuetur Jus Auguſtum & Regium citra calumnias in Papam, aut detrahenda jura Sedis Apoſtolicæ: præclare omnia probat ex Hiſtoricis, ex corpore Juris Canonici & Cæſarei.

2. *Tractatum de Veterum Germaniæ Principum & Regum liberalitate erga Eccleſiam*, Dicatum Rudolpho, Saxoniæ Duci. *Cl. Ludewig ex Annalibus Bambergenſibus Hoffmanni.*

XII*mus*. PETRUS DE PALUDE, Burgundio, Ord. Prædicatorum, perilluſtri gente ſatus, in Orientem profectus fidei propagandæ cauſa, redux fuit nominatus Patriarcha Hieroſolymitanus. Mortuus Pariſiis ultima Januarii an. 1341. Præter Theologica ſcripſit ex Jure Canonico:

1. *Tractatum de cauſa immediata Poteſtatis Eccleſiaſticæ*: in quo agit de poteſtate S. Petro & Apoſtolis attributa: de ea, quæ Papæ, Epiſcopis, & Curatis Presbyteris competit.

2. *Tra-*

2. *Tractatum de paupertate Christi & Apostolorum.* Contra Michaelem de Cesæna MS.

XIII*tius*. JORDANUS Saxo de Quedelimburg, ex Ordine Eremitarum S. Augustini, mortuus circa A. 1380. *Dupinius* in Bibliotheca nova Autorum Ecclesiasticorum eidem a quibusdam attribui dicit

Chronicam translati Imperii Romanorum in Germanos, impressam Basileæ anno 1559.

XIV*tus*. GERARDUS MAGNUS, (Germanice *De Groote*) Daventriæ natus A. 1340, absolutis in Sorbona Parisina studiis, Ultrajecti Canonicus, & Aquisgrani Præpositus fuit. Beneficiis his abdicatis, Fratres vitæ communis, seu bonæ voluntatis Daventriæ in Patria instituit, scholas latinas juventuti aperuit, verbi Divini præco zelosissimus. Obiit A. 1384. 20. Augusti: dignus, cujus vitam scriberet Venerandus Thomas de Kempis, ejusdem olim Alumnus. Scripsit permultos libros, quos *Miræus* in Bibliotheca Belgica recenset. Ex iis huc spectant:

De contractibus & usuris.
De locatione curæ Pastoris.
Tractatus de paupertate.
Epistola de schismate ad Cantorem Parisiensem.
Tractatus de Beneficiis Curatis.
De regimine Monialium.
De gradibus Ecclesiasticorum.
Cætera ascetica, vel pro concionibus.

XV*tus*. RADULPHUS DE RIVO, Tungrensis Ecclesiæ Decanus, Theologiæ, Juris sacri, & humaniorum literarum notitia penitiore illustris, scripsit præter alia:

1. *De Canonum observantia*, sæpe recusum librum Coloniæ, Parisiis, Lugduni in Bibliothecis Pp.
2. *De Psalterio observando.*
3. *Kalendarium Ecclesiasticum.*

Obiit anno 1403. IV. Non. Novembris. *Foppens in Bibliotheca Belgica.*

XVI*tus*. BERTAMUS, ex Ord. FF. Prædicatorum, Episcopus de Thesslis, Vicarius Pontificalis Episcopi Metensis, mortuus A. 1387. scripsit

Tractatum de schismate, dicatum Cunoni Archi-Episcopo Treverensi.

XVII*mus*. HENRICUS EUTA, vel OYTA, Professor Viennæ in Austria. Scripsit

Tractatum de Contractibus.

Studium Juris consultis hoc Sæculo familiare, & frequentissimum erat, glossam, vel summarium scribere in collectas a Gratiano Decretales: item in libros V. Gregorii IX, in sextum Bonifacii, quibus adde Clementinas hoc sæculo XIV. natas, & *Extravagantes*; Nullum ut fœcundius fuerit Juris Interpretibus, auctoribus, commentatoribus hoc nostro sæculo XIV: uti Theologi occupabantur in compendiis Magistri Sententiarum, vel glossis, scholiis in eundem scribendis.

§. II. De erroribus & hæreticis hujus Sæculi, ac primo

DE FRATICELLIS.

JAm sæpe monui, non omnes eos errores, qui etiam a maximis viris vocantur hæreses, & quorum autores dicuntur hæretici, hæresiarchæ, esse hæreses vel hæreticos.

Ex celeberrimo Ordine S. Francisci nonnulli suo in sensu abundantes, & Regulæ S. Francisci circa observantiam voti paupertatis majorem & puriorem intelligentiam prætexentes, adeo exorbitarunt, ut non tantum sui Ordinis Superioribus, sed & Summis Pontificibus, & Episcopis, ac Prælatis denegarint obedientiam, quia quod se illis omnibus perfectiores, sanctiores, Evangelii observantiores existimabant; nolebant his subjici, & obedire.

PETRUS DE MACERATA, & PETRUS DE FOROSEMPRONIO, Minores Fratres, hoc spiritu afflati, a Cœlestino V, qui Pontificatum abdicavit, & vitam Eremiticam reassumpsit, fingebant sibi datam facultatem, vivendi vitam Eremiticam, & Regulam S. Francisci ad literam observandi.

PETRUS JOANNIS OLIVI, Minor Frater, Commentarium eodem tempore in Apocalypsin S. Joannis edidit, in quo Ecclesiam Romanam, eique adhærentes Episcopos veluti Babylonem carnalem, Christo adversam, describebat, prædicebat, hujus carnalis Babylonis finem instare: S. Franciscum novam Babylonem spiritualem ædificasse: ejus Regulam esse quintum & novum Evangelium. Hoc auctore gloriantes, attentant, suum sibi Generalem, suos Guardianos, sua Monasteria eligere, creare: reliquis omnibus denegare obedientiam. Joannes XXII. hos extravagantes & commenta Petri Joannis Olivi condemnavit.

Verum cum idem Joannes XXII. Ludovico Bavaro Imp. infestus esset; hic istorum Fratrum, quos inter nonnulli eloquentes, acuti, & Papæ adversantes erant, agmine & libris stipatus, eosdem protexit, Monachii recepit, aluit, & eorum sententiæ calculum suum adjecit, non quod illam magnifaceret, sed ut Papæ adversandi ansam speciosam prætenderet. Horum antesignani erant Guil-

Guillelmus Occam, & cæteri supra nominati.

Gerardus Sagarelli Parmensis, post omnia bona sua in projectæ vitæ & pudoris homines profusa, ad mendicitatem redactus, eam exercuit, & vilissimorum hominum fæcem sibi adjunxit: quibus persuasit Regnum Filii Dei, qui fuerat Sapientia Dei, jam finitum esse, Regnum vero Spiritus sancti, qui totus amor est, jam succedere, in quo omnia communia, usque ad fœminas. Ex fœda horum secta

Anno 1305. in Comitatu Novariensi, Provinciæ Lombardiæ exorta est hæresis pessima, cujus auctor fuit quidam Frater Dulcinus, Sagarelli discipulus, non Religiosus alicujus Regulæ approbatæ, sed lupus sub pelle ovina habitus Religiosi. Hic zizania disseminans in medio tritici pessimorum errorum, inter cæteros asserens, quod omnia deberent esse communia, etiam mulieres ad commixtionem, quod quidem peccatum non esset, sed actus charitatis: quod Papa & Cardinales, cæterique Prælati Ecclesiæ non essent veri Pastores, cum non servarent vitam Evangelicam, sed ipse esset vetus Apostolus Christi, dignus Papatu, cum pluribus aliis articulis falsitatis. Multos secum populares utriusque sexus, vilis tamen conditionis, ad illam hæresin attraxit, usque ad numerum quatuor millium, qui habitabant in montibus, & locis sylvestribus, ut animalia bruta. Cum deficiebant eis victualia, prædabantur undecunque habere poterant; tanquam omnia forent communia. Per duos autem annos 1306. & 1307. permansit talis congregatio hæreticorum.

Raynaldus ad hunc annum.

Anno 1308. Clemens Papa jussit adversus Dulcinum, eique adhærentes *sacram militiam* cogi. Dulcini sectatores per Bohemiam virus suum sparsisse, narrat *Raynaldus in Annal. Ecclesiasticis.*

Prædicatores Fratres sub Episcopo Vercellensi crucem cum plena peccatorum indulgentia prædicabant, & exercitum magnum congregabant adversus Dulcinum, inter montana Novariæ delitescentem: quem, unaque cum ipso CL. personas ceperunt, semi mortuos præ fame & frigore. CCCC. gladio interfecti.

Tandem per Curiam sæcularem facta executio. Margarita scortum Dulcini ante ejus oculos membratim concisa, dehinc & ipse Dulcinus membratim sectus, & utriusque ossa & membra igne exusta sunt cum quibusdam complicibus pro merito scelerum, à Papa, Episcopis, & Inquisitoribus cognitorum: nec tamen perversum Dulcini dogma cum ipsius cineribus penitus est extinctum.

Hæc ex MS. Vaticano, Martino Polono, Joanne Villano, S. Antonino, & aliis coævis refert Odoricus Raynaldus in Annal. Ecclesiasticis ad annum Christi 1308. *N. IX.*

Vides hic Lector erudite, quam horrenda errorum monstra ex falso intellectu verborum Christi de paupertate eruperint in Italia, Gallia, Germania, incipiendo a medio Sæculi XIII. ad medium hoc XIV. Sæculum: & nisi Ecclesia invocasset brachium sæcularis Magistratus, chaos omnium bellorum, seditionum, prædarum, anarchia, sodomia, & nescio, quid non malorum, in mundum erupisset: quandoquidem arma spiritualia, & Jurisdictionem Ecclesiasticam pedibus calcabant, & anarchiam in humanum genus introducebant.

Anno 1321. iterum exorti sunt novi in Germania motus ob erroneam paupertatis Evangelicæ intelligentiam. Franciscus de Lutra, Minorita Germanus, finxit se Prophetam esse, sibi Divinitus significatum, omnes Minoritas, qui Apostolicis privilegiis usi, paupertatis Franciscanæ acerbitatem mitigarant, letali peccato devinctos teneri; se vero a Christo constitutum, ut Minoritarum disciplinam pristino splendori restitueret: præcipiebatque sodalibus, ut Præsulum suorum jugum excuterent. Addebat vir insanus, dictis suis obtemperandum, idque a Christo imperatum: in eamque prorupit vesaniam; ut dicteria sua tanquam oracula promulgaret, quorum specimen ex *Vaticano MS.* communicavit *Raynaldus n.* 19. *Annalium Ecclesiasticorum Tomo XV. pag.* 217. *& seqq.* In civitatis Spirensis Ecclesiis, ostiis, & portis similia affixa.

PAGI Judicium de voto Paupertatis Minorum.

Cum anno 1322. Fratres Minores sub Michaele Cæsenate, Ministro Generali, *PERUSII* Capitulum Generale celebrarent: tractata in eo controversia, declaratum est ab eis, inhærere se Decreto Ecclesiæ Romanæ per NICOLAUM III. Cap. Exiit promulgato, & per ipsum JOANNEM XXII. *in Decretali:* Quorumdam exigit. commendato: quo Nicolaus determinavit, *Christum, & Apostolos nihil jure proprietatis, & Dominii, seu juris proprii, neque in speciali, neque in communi habuisse.* Hancque propositionem non esse hæreticam, sed sanam, catholicam, & fidelem. Duplices ea de re Capituli *Perusini* literas ex *Alvari Pelagii de planctu Ecclesiæ Lib.* 2. *Cap.* 62. refert *Wadingus*, datas Idibus Julii ejusdem anni, quas reliqui fere omnes Magistri Theologiæ ejusdem Ordinis in Anglia, & ubique locorum approbarunt, & confirmarunt, divul.

divulgatis ſcriptis addentes, paupertatem Fratrum Minorum majoris eſſe perfectionis, quam aliorum mendicantium, propter abdicatum Dominium, nec niſi ſolum nudum uſum eis exemplo Chriſti reſervatum. In quo ſane damnanda erat illorum Minorum audacia, qui controverſiam in Sedis Apoſtolicæ diſcuſſione tunc temporis actu pendentem præjudicare auſi ſunt adverſus ipſammet Nicolai III. conſtitutionem, qua ſe tueri profitebantur: in ea enim dixit Nicolaus: *Si quid penes aliquem in his ambiguitatis emerſerit, ad culmen prædictæ Sedis Apoſtolicæ deducatur; ut ex Authoritate Apoſtolica, ſua in hoc manifeſtetur intentio; cui ſoli conceſſum eſt in his ſtatuta condere, & edita declarare.* Unde Michaele Cæſenate exauctorato, Geraldus, eorumdem Minorum Miniſter Generalis creatur: illius & aliorum Fratrum audaciam & temeritatem caſtigat in *Tractatu, quem ex MS. Bibliothecæ Vaticanæ, laudat Odoricus Raynaldus, ejuſque fragmentum deſcribit anno* 1322. *Num.* 55.

Hæc cum Joannes Papa intellexiſſet; eodem anno, ſexto Idus Decembris, quoad paupertatem Fratrum Minorum Conſtitutionem edidit, quæ incipit: Ad Conditorem Canonum, & extat inter *Extravag.* Tit. *De verborum ſignificatione*, qua declaravit, Decretalem Exiit, qua Nicolaus III. Dominium & proprietatem rerum tam in communi, quam in ſpeciali Fratribus Minoribus abrogaverat, ſimplicem duntaxat uſum facti eis reliquerat, Dominio ac proprietate Eccleſiæ Romanæ ſervatis, non intelligi de rebus, *quæ uſu conſummuntur*; in quibus Dominium illud ipſis reſtituit, ac prohibet ipſorum Procuratoribus, ne Sedis Apoſtolicæ nomine cuiquam litem inferrent, reſciſſo quo ad hoc MARTINI QUARTI privilegio. " Quis ſanæ mentis credere poterit, " *inquit inter alia Joannes XXII. in ſua Con-* " *ſtitutione*, quod intentio fuerit tanti patris, " (*ſcilicet Nicolai III.*) unius ovi, ſeu caſei, " aut fruſti panis, & aliorum uſu conſump- " tibilium, quæ fratribus ad conſumendum " e veſtigio conferuntur, Dominium Roma- " næ Eccleſiæ, & uſum fratribus retinere? " Renunciavit itaque Dominio illi peculiari rerum, quæ penes Minores habebantur, aut illis offerebantur, prohibuitque eis amplius habere Syndicos, aut procuratores, qui nomine Sedis Apoſtolicæ res illas exigerent, aut curarent.

Poſtea alia Conſtitutione edita IV. Idus Novembris anni 1324; inhibuit: ne quis contra definita, ordinata, ſeu facta per ipſum, verbo, vel ſcripto, ſcienter approbet aliquid, vel defendat. Si quis vero contra præſumpſerit, tanquam contumax, & rebellis Romanæ Eccleſiæ ab omnibus habeatur.

Quod attinet ad quæſtionem *De Chriſti, & Apoſtolorum paupertate*, Joannes papa poſt accuratiſſimum ejus examen, pridie Idus Novembris anni 1323. Conſtitutionem edidit, quæ etiam extat inter *Extravag. Cap.* Cum inter nonnullos, qua hanc propoſitionem: *Chriſtus & Apoſtoli in ſpeciali non habuerunt aliqua, nec in communi*: ejuſque aſſertionem pertinacem, *erroneam & hæreticam* declaravit, eo quod ſacræ Scripturæ contraria eſſet: nec non & illam, qua quis pertinaciter affirmare auderet, *Chriſtum, & Apoſtolos in iis, quæ ipſos habuiſſe Sacra Scriptura teſtatur, nequaquam jus ipſis utendi, ſeu conſumendi, aut ea vendendi, ſeu donandi, vel ex ipſis alia acquirendi habuiſſe.* Has Joannis XXII. Conſtitutiones, cum Michael Cæſenas Miniſter Generalis, aliique quidam Minoritæ pertinaciter oppugnarent, Joannes nova Conſtitutione IV. Idus Novembris anni 1324. ut jam dixi, edita, *quæ incipit:* Quia quorumdam mentes. ſuperiores Conſtitutiones vindicavit, & confirmavit, & ab omnibus tanquam hæreticos haberi ac vitari juſſit eos, qui verbo, vel ſcripto defendere, vel approbare proſcriptam illam propoſitionem præſumerent; *Quod Chriſtus, & Apoſtoli, in iis, quæ habuiſſe leguntur, tantum habuerint abſque jure aliquo, ſimplicem uſum facti.* Ex quo, *inquit*, ſi verum eſſet, ſequeretur, *uſum Chriſti* fuiſſe *non juſtum, quod blaſphemiam continet.* Extat hæc Conſtitutio inter *Extravag.* Tit. *De verborum ſignificatione.* Ceterum de contradictione, quæ videtur eſſe inter Conſtitutiones Joannis XXII. & Nicolai III. *De paupertate Chriſti & Apoſtolorum, ac Fratrum Minorum* legendi *Bellarminus Lib. IV. de Romano Pontifice Cap.* 14. *Wadingus, Raynaldus in Annalibus, & Pagi in Breviario Chronologico* &c.

§. III. *De Beghinis & Begardis.*

Vox Beghina diverſimode a diverſis ſcribitur etiam ab iis, qui Sæculo XIV. de ipſis agunt. Aliis ſcribitur Begina, aliis Beggina, aliis Beguina. Rurſum Begardi aliis audiunt Bogardi, Beguardi &c. cujus diverſitatis id eſſe videtur fundamentum, quod illorum fundatricem quidam eſſe velint ſanctam Beggam, Pippini Landenſis filiam, & Sanctæ Gertrudis ſororem, quæ Sæculo VII. floruit in Brabantia: alii vero inſtituti eorum authorem fuiſſe contendunt pium quendam Sacerdotem Leodienſem, qui Lambertus le Begue (quia balbus erat) de S. Chriſtophoro dicebatur.

A S. Begga ſua illos nomina accepiſſe, veroſimile non videtur, tum quod ante Sæculum XII. nulla Beghinarum, nulla Begardorum

dorum reperiatur mentio: tum quod fundata a S. Begga Ecclesia instituta fuerit pro Sanctimonialibus Canonissis; Beghinarum autem, de quibus hic agimus, vivendi ratio longe diversa fuerit a Regulis & Instituto Sanctimonialium & Canonissarum. Nam

1. Non tenebantur una simul domo cohabitare:
2. Ordinariis loci, vel Parochis, vel alteri spirituali Directori parebant.
3. Nullum certum ad habitum adstringebantur; etsi pleræque griseum vel nigrum eligerent, certe modestum, ab omni pompa & luxu remotissimum,
4. Nullum votum, ne continentiæ quidem edere cogebantur, multo minus paupertatis, cum de suo viverent: adeoque longissime aberant a Fratricellis, pauperibus de Lugduno &c.

Auctores coævi & suppares apud *Chapeavillæum L. 2. Episc. Leodiens. pag.* 128. istam institutionem adscribunt Lamberto le Begue, qui sæculo circiter medio duodecimo floruit: cujus a cognomine mulieres & puellæ, quæ caste vivere proponunt, Beguines gallice cognominantur, inquit *Ægidius Aureæ vallis Monachus in Episcopis Leodiensibus C.* 52.

Illud certum, Beghinas, Begardosque nulli Regulæ vel Monachorum, vel Sanctimonialium, nec veteri Augustinianorum, aut Benedictinorum, nec recentiori mendicantium alligatos fuisse; sed vitæ genus honestum & ab Ecclesia permissum duxisse: nec Ordinem specialem constituisse, sed Beghinagia singula sua e constitutione vel arbitraria, vel ab aliis libere acceptata vixisse.

Certum præterea, non omnes in Germania, Belgioque Beghinas, aut Begardos illis imbutos fuisse erroribus, quos Clemens V. papa Viennensi in Concilio jure reprobavit, adeoque nec omnes sub eadem damnationis sententia fuisse contentos, nec omnium & singulorum vivendi institutum fuisse ab Ecclesia prohibitum. Declarat hoc satis *JOANNES XXII. PP.* his verbis: *Tit. de Religiof. domib.* " Sane per prædicta (fulmina contra statum Beghinarum) prohibere nequaquam intendimus, quin si fuerint aliquæ mulieres, quæ promissa continentia, vel etiam non promissa, honeste in suis conversantur hospitiis, pœnitentiam agere voluerint, & virtutum Domino in humilitatis spiritu deservire; hoc EISDEM LICEAT." Certe mulieres quandoque in ædibus parentum, alias in communi domo simul habitantes, continentiam servantes [cum, vel sine voto continentiæ, aut obedientiæ] vitam honestam ducentes, Ecclesias devote frequentantes, Diœcesanis locorum, vel Parochis, vel alteri Directori spirituali obedientes, has Joannes XXII. Clementis V. Successor, non solum Clementina Constitutione non damnatas affirmavit, sed commendavit potius, earumque curam locorum Ordinariis commisit, ut constat ex *Petro de Herentals Canonico Præmonstratensi in ejusdem Joannis XXII. sexta vita apud Baluzium*, in qua ipso initio, postquam locutus est de Constitutione Clementis V., quam mox afferemus, hæc subdit: Quam constitutionem moderando revocavit Joannes Papa per unam, quæ incipit: *Recta ratio non patitur, ut innocentes ad paria cum nocentibus judicentur:* Ubi sermo est de Beguinis innocentibus, quarum institutum adhuc durat tam in Belgio, quam Leodii, & quæ illud profitentur, possunt ad nuptias transvolare. De his sine dubio loquitur *Continuator Guillelmi Nangii*, qui ad annum 1317. scribit, Beguinas, non obstante condemnatione status earum, processu temporis invaluisse: cum melius longe sit, eas sic esse, quam laxatis habenis in sæculi pompis & vanitatibus evagari: inter ipsas enim sunt multæ bonæ, & religiosæ personæ, & inter ipsas exercentur opera pietatis.

Quod igitur nonnulli & nonnullæ tum Beghinarum, tum Begardorum, ab *Alvaro Pelagio*, aliisque Sæculi XIV. Scriptoribus relati, magnos illos a Clemente V. recensitos errores adoptaverint: quod illi, illæve, tum Fraticellis, tum Pauperibus de Lugduno, tum Sectariis aliis se se immiscuerint, non communis istud instituti, sed privatæ horum malitiæ vitio imputandum est: quod autem a multis Beghinarum & Begardorum status, cum Fraticellorum, FF. spiritualium, aliorumque fœcis hujusmodi sectis, promiscue confundantur, manifestus error est, a nobis minime imitandus.

Quod Sæculo XII. XIII. XIV. Leodii Coloniæ, & in Belgio primæ ac plurimæ Beghinæ, tum etiam Begardi fuerint, non negamus: Hæreticos fuisse, saltem omnes, prorsus negamus.

Ut porro appareat, quam fœdi ac enormes damnatarum Sæculo XIV. Beghinarum, Begardorumque errores fuerint, quam alieni ab honesto aliarum Beghinarum instituto; ipsam Clementis V. Bullam in Concilio Viennensi datam subjicimus.

BULLA CLEMENTIS V.

Qua in & cum Concilio Viennensi damnat sectam Beguardorum & Beguinarum in Alemannia: errores eorum enumerat, excitat Episcopos ad eos coercendos.

A. C. MCCCXI.

AD nostrum (qui desideranter in votis gerimus, ut Fides Catholica

lica noſtris proſperetur temporibus, & pravitas hæretica de finibus fidelium extirpetur) non ſine diſplicentia grandi pervenit auditum, quod ſecta quædam abominabilis, quorundam hominum malignorum, qui *Beguardi*, & quarundam mulierum infidelium, quæ *Beguinæ* vulgariter appellantur, in Regno Alemanniæ (procurante ſatore malorum operum) damnabiliter inſurrexit: tenens & aſſerens doctrina ſua ſacrilega, & perverſa, inferius deſignatos errores: *Primo* videlicet, quod homo in vita præſenti tantum & talem perfectionis gradum poteſt acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valebit: nam (ut dicunt) ſi quis ſemper poſſet proficere, poſſet aliquis Chriſto perfectior inveniri. *Secundo*, Quod jejunare non oportet hominem, nec orare, poſtquam gradum perfectionis hujuſmodi fuerit aſſecutus: quia tunc ſenſualitas eſt ita perfecte ſpiritui & rationi ſubjecta; quod homo poteſt libere concedere corpori, quidquid placet. *Tertio*, Quod illi, qui ſunt in prædicto gradu perfectionis & ſpiritu libertatis, non ſunt humanæ ſubjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Eccleſiæ obligantur: quia (ut aſſerunt) ubi Spiritus Domini, ibi libertas. *Quarto*, Quod homo poteſt ita finalem beatitudinem ſecundum omnem gradum perfectionis in præſenti aſſequi, ſicut eam in vita obtinebit beata. *Quinto*, Quod quælibet intellectualis natura in ſe ipſa naturaliter eſt beata: quodque anima non indiget lumine gloriæ, ipſam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum. *Sexto*, Quod ſe in actibus exercere virtutum eſt hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat a ſe virtutes. *Septimo*, Mulieris oſculum (cum ad hoc natura non inclinet) eſt mortale peccatum: actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non eſt, maxime cum tentatur exercens. *Octavo*, Quod in Elevatione Corporis JESU CHRISTI non debent aſſurgere, nec eidem reverentiam exhibere; aſſerentes, quod eſſet imperfectionis eisdem, ſi a puritate, & altitudine ſuæ contemplationis deſcenderent, quod circa Miniſterium ſeu Sacramentum Euchariſtiæ, aut circa Paſſionem humanitatis Chriſti aliqua cogitarent. Nonnulla etiam alia ſub ſimulata quadam ſanctitatis ſpecie dicunt, faciunt, & committunt, quæ oculos Divinæ Majeſtatis offendunt, & grave in ſe continent periculum animarum. Cum autem ex debito commiſſi Nobis officii hujuſmodi ſectam deteſtabilem, & præmiſſos ipſius execrandos errores (ne propagentur ulterius, & per eos corda fidelium damnabiliter corrumpantur) extirpare ab Eccleſia Catholica neceſſario habeamus; Nos SACRO APPROBANTE CONCILIO, ſectam ipſam cum præmiſſis erroribus damnamus, & reprobamus omnino: inhibentes diſtrictius, ne quis ipſos de cætero teneat, approbet, vel defendat.

Eos autem, qui ſecus egerint, animadverſione Canonica decernimus puniendos. Porro Diœceſani, & illarum partium Inquiſitores hæreticæ pravitatis, in quibus *Beguardi*, & *Beguinæ* hujuſmodi commorantur, ſuum officium circa eos diligenter exerceant, inquirentes de vita & converſatione ipſorum, qualiterve conſentiant de articulis Fidei & Eccleſiæ Sacramentis: in illos vero, quos culpabiles reperirent (niſi abjuratis ſponte prædictis erroribus pœnituerint, & ſatisfactionem exhibuerint competentem) debitam exerceant ultionem.

Clementinarum Lib. V. Tit. III. De hæreticis Cap. III.

Status præſens Beghinarum & Begardorum.

EXtant Treveris, Aquiſgrani, Coloniæ fratres Begardi, Baggardi varia inflexione nuncupati, qui iidem & Alexiani (Coloniæ ob reliquias S. Alexii in eorum Oratorio aſſervatas) & alumni S. Joannis de Deo nuncupari volunt: omnes hi viri ante annum 1300. Begardi vocabantur, & erant. Sorores autem Beghinæ pauperes Suſeſtrinæ vocabantur, quia manuum labore, & ſtipendiis, ob obſequia moribundis & mortuis exhibita ſe nutriebant.

Nunc communi vocabulo *Cellitæ* nominantur, & licet olim a variis impugnati, interventu tamen Civitatum Germaniæ, Epiſcopis Diœceſanis, & Pontificibus Romanis commendati fuere, & ab his defenſi, data eisdem Regula S. Auguſtini: unde Coloniæ ab Epiſcopo, vel Nuntio Apoſtolico, antea Patri Priori FF. Crucigerorum, nunc Eremitarum Auguſtinianorum Provinciali, qua Commiſſario & Viſitatori, ſubjecti ſunt.

Anno 1473. Feſto S. Antonii, Cellitæ Colo-

Colonienses præscriptam ab Ordinario Professionem ex Sixtina Bulla, ceu religionis susceptæ Sacramentum ediderunt. Fœminæ Cellitissæ intra Coloniam sex Conventus habent, nunc Religiosæ, Regulam S. Augustini professæ: invitatæ & rogatæ, erga stipendium serviunt ægrotis juvandis. Bagardi autem Coloniæ omnia cadavera ex lege publica tumulant.

Ægid. Gelenius de Coloniæ magnitudine L. III. Syntagmate LI.

Status Beginarum in Belgio.

Certum est, in Belgio Beghinarum curias sive Beginagia hoc Sæculo, imo jam inde a Sæculo XIII. valde florere laude disciplinæ, & Catholicæ Fidei sub Episcoporum tutela. *D. Petrus Coens*, S. Th. Licentiatus, & Canonicus Antverpiensis, anno 1629. edidit *eruditam Disquisitionem historicam de origine Beghinarum, & Beghinagiorum Belgii*, Leodii impressam. Epitomen do:

1. S. Begga præter Monasterium Andanense non fundavit Beghinagium.
2. Ante A. 1170. nomen *Beghinæ* nullibi notum fuit.
3. Leodii primum Beghinagium fundatum fuit circa A. 1173. Nivellense circa A. 1207. Lovaniense A. 1234. Thenis ante A. 1400. Tencræmundæ 1223. Antverpiæ A. 1230. &c.
4. Episcopi Leodienses & Cameracenses primi eas adoptarunt, leges præscripserunt: aliæ leges ab aliis Curatis vel Presbyteris datæ.
5. Plurimæ Virgines inde a temporibus Apostolorum continentiam servarunt, media via inter Monasticam, Eremiticam, & sæcularem, quæ omnes possent Beginæ dici, licet sic non fuerint dictæ ante Sæculum XII.
6. Multi Papæ & Episcopi has in Sæculo servantes continentiam, seorsim domi suæ, vel gregatim habitantes, sine vel cum votis, laudarunt, approbarunt, docuerunt.
7. Nullum Concilium damnavit Beghinas vel Bogardos, nisi eos, qui errores a *Clemente V.* damnatos, tuebantur.

§. IV. De Pseudo-Episcopis circa annum MCCCXI. per Livoniam grassantibus.

Reperti sunt in Germania nonnulli, qui cum sacris Pontificalibus initiati non essent, agebant Episcopos, seseque sacris muneribus ingerebant; de quibus graves querelas afferente apud Sedem Apostolicam, Friderico Rigensi Archi-Episcopo, CLEMENS V. Joanni Bremensi, & Magdeburgensi Archi-Episcopis, atque Alberto Capellano Pontificio partes demandavit, ut temerariis hominibus, qui non electi, non confirmati a Sede Apostolica, non consecrati, Episcopale munus sibi arrogarent; judicium intenderent, atque excurrente quatuor mensium spatio in Romana Aula ad causam dicendam se sistere juberent. Ad pietatem vero in Livonia amplificandam, quam illi impostores extinguere moliebantur, eidem Friderico Rigensi Archi-Episcopo egregie in viros religiosos, quorum consuetudo ad infideles ad Christum pelliciendos, & fideles bonis moribus excolendos plurimum valebat, affecto, ac Successoribus auctoritatem concessit, ut Prædicatoribus ac Minoritis in singulis urbibus ædes constituere permitteret.

Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiastic. Tom. XV. ad ann. 1311. *n.* 71.
Ex Libro VI. Epistol. Clementis V. 207.

§. V. De secta Flagellantium,

Quæ in Digressione ad Sæculum XIII. §. XIII. diximus summarie de Statu sectæ Flagellantium: *hic pro hoc Sæculo XIV. integra damus* ex Trithemio.

Circa hæc tempora (*a*) surrexit nova quædam secta, *Flagellatorum* (*b*) nuncupata, cujus auctores de Ungaria venientes in Germaniam, & Italiam, multos novitate sua infecerunt. Incedebant medio corpore nudi, caput operientes caputio, pileoque; a lumbis autem deorsum linea camisia pudibundis operimentum præstabant. Cum incederent alio tempore, quo se flagellare non solebant, nigro utebantur habitu, crucem ante & retro portantes albi coloris assutam. In sinistra manu crucem gestabant ligneam, & in dextera flagellum, quod nodos in extremitate ternos habebat, quibus aculei de ferro erant infixi. His se se flagellis publice in Ecclesiis, & extra, cunctis inspectantibus usque ad effusionem sanguinis sub prætextu pœnitentiæ sæpius flagellabant, deinde in modum crucis prostrati super terram orationem Dominicam orabant, & maximam coram omni populo devotionem mentis in Deum ostendebant. Multa & magna devotionis exercitia falsa sub specie faciebant pœnitentiæ, quam ipsi *non ex judicio Sacerdotum*, sed propria sibi assumptione imponebant, carmina in lingua materna canentes, quæ

(*a*) *Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum* 1348. *initium refert. Chronicon Coloniense & plerique coævi ad ann.* 1349. *adscribunt.*
(*b*) *Vocantur & alio nomine* Fratres Crucis, Creutzbrüder, *quia & læva manu crucem, & in vestibus ante & retro signum Crucis albi coloris portabant.*

quæ puritati Ecclesiasticæ traditionis ut plurimum erant contraria. Circumierunt per civitates, oppida, & villas: *Principem unum* cum vexillo crucis, & duos *Præceptores* sequentes; quorum jussis obtemperabant in omnibus. Neminem in suum recipiebant consortium, nisi prius jurasset: (c) " omnia " se statuta eorum sectæ firmiter observaturum, haberetque tantundem substantiæ " temporalis, quod quatuor *denarios Wirtenbergenses* pro suis expensis quotidie potuisset exponere, quia non mendicabant publice, vel ostiatim; " Divites tamen pauperibus hilariter subvenire curabant. Erant in ea secta multi claustrales *Ordinum Mendicantium*, Sacerdotes quoque sæculares, nobiles, cives, viri, & mulieres, qui omnes simul turmatim incedentes, mundum in stuporem verterunt, & brevi tempore valde multiplicati creverunt, multos paulatim secum in errorem pravum ducentes. *In Suevia* comprimis hanc sectam acceptarunt quidam claustrales mendicantes, Sacerdotes, laici, viri, & mulieres, numero ducenti, unum inter se Principem, & duos habentes Magistros, quorum præceptis obtemperabant.

Venerunt de *Suevia* processionaliter ad *Spiram*, & majus templum ingressi, cæremonias & flagellationes cum orationibus cunctis mirantibus suo more perfecerunt. *Spirenses* autem cum novitate rei, tum religionis intuitu, eo quod plures etiam nobiles ex eis novissent, misericordiam in eos exercere volentes in domos suas hospitalitatis gratia invitarunt, & tam subito a civibus omnes rapti fuerunt de plateis, ut ex templo, qui invitare pergeret, nullum inveniret, essentque receptores, quam qui reciperentur multo plures. *Spiram* exeuntibus supra centum e civibus se illis conjungunt, quos tamen in societatem eorum noluerunt recipere, nisi præstito prius de articulis & cæremoniis eorum firmiter servandis *juramento*, haberetque de propria substantia sua quilibet singulis diebus in sumptus communes quatuor denarios exponere.

Cum venissent ad *Argentinam*, ubi tunc erat CAROLUS IV. Germanorum Rex, tantus eorum fuit numerus, ut certo minime possit æstimari. *Carolus* autem Rex videns, quemadmodum omnes sicut pecora transierunt in unum, Religiosos mendicantes & Sacerdotes ex eis separavit, interdicens illis, ne promiscuis turbis immiscerentur, sciens fortassis, sectam non bonis principiis subnixam.

Anno autem Wichardi Abbatis (1348) secunda die mensis Maji magna Flagellatorum multitudo ex *Polonia*, *Misnia*, & *Thuringia* cum crucibus & vexillis processionaliter intravit *Herbipolim*, & ibidem triduo permanserunt. Verum quia nimium quotidie multiplicabantur, nec poterant eos capere urbes, ut simul incederent, in plures se turmas diviserunt, quorum alii *Saxoniam*, alii *Marchiam*, alii *Bohemiam*, alii *Austriam*, atque alii *Ungariam*, nonnulli *ad partes Rheni*, *Moguntiam*, *Coloniam*, *Treverim*, & *partes Galliæ* cum Ducibus singulis atque Magistris intraverunt.

Anno etiam præscripto venerunt in *Avenionem*, ubi CLEMENS tunc Papa Sextus cum Cardinalibus suis morabatur, Flagellatores studiose immissi ad explorandum, quid de illa secta, Apostolica sentiret Ecclesia. Intrantes autem turmatim Ecclesias suo se more flagellabant publice, orabant in modum crucis prostrati super terram, & magna pœnitentiæ signa multipliciter ostendebant, in tantum, quod non solum cives, sed etiam Cardinales in stuporem verterunt. Et multis quidem notabilibus viris placuit eorum conversatio, Papa vero, cum esset vir undecunque doctissimus, rem altius considerare cœpit, & matura deliberatione in secretario cordis sui præhabita, sub excommunicationis sententia prohibuit, ne deinceps se se publice flagellarent. Non placuit Cardinalibus ista prohibitio, qui sectam illam putabant sanctissimam, & ideo se Pontifici fortiter nonnulli ex eis opposuerunt. Verum Papa in sua perstans sententia sectam illam sub anathematis vinculo damnavit. Quod videntes Principes sectæ magno timore perculsi sunt, & in paucis diebus penitus evanuerunt. Tandem Papa in suam sententiam revocatis Cardinalibus, omnibus Archi-Episcopis, & Episcopis scribens per Apostolica scripta mandavit, quatenus sæpe dictam Flagellatorum sectam in suis Diœcesibus extinguerent, Sacerdotes & Claustrales, qui hac hæresi fuissent infecti, carceribus manciparent, tenerentque captivos, donec aliud ab eo reciperent in mandatis, sicut patet in ipsis literis, quas misit ad GERLACUM, Archi-Episcopum Moguntinum, & *ad alios Episcopos Germaniæ*, quarum tenorem his inserere utile judicamus.

BULLA CLEMENTIS VI. *contra Flagellatores.*

CLEMENS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILIBUS FRATRIBUS ARCHI-EPISCOPIS, EORUMQUE SUFFRAGANEIS, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

INter sollicitudines innumeras & immensas, quibus ultra vires Apostolicæ

(c) *Juramentum præstandum iis, qui recipi ad societatem Flagellatorum volebant.*

licæ ſervitutis debito perurgemur, illud cordi noſtro potiſſimum inſidet, & ad hoc attentius ſtudia noſtra convertimus & conatus, ut apud omnes Chriſtiani nominis Profeſſores fides orthodoxa fulgeat, ſanctorum Patrum doctrina ſplendeat, & ſic Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Romanæ Religio ſine cujusquam ſimulationis, ſeu velaminis pallio pure & inviolabiliter obſervetur: quod a vinea Domini Sabaoth, cujus cura & cuſtodia Nobis licet immeritis eſt commiſſa, vepres & urticæ tam periculoſe, quam damnabiliter ſuccreſcentes evellantur, & vulpeculæ, *quæ ipſam demoliri* (a) *nituntur*, per Apoſtolicæ Sedis curam & providentiam abigantur.

Sane moleſta Nobis, licet fide digna magnorum relatio & multorum aſſertio, Noſtrum & Fratrum noſtrorum non mediocriter turbavit auditum, quod *in partibus Regni Germaniæ* & ei convicinis quædam ſub prætextu devotionis, & agendæ pœnitentiæ vana religio & ſuperſtitioſa adinventio procurante ſatore malorum operum ſurrexerit, per quam prophana multitudo ſimplicium hominum, qui ſe *flagellantes* appellant, decepta verbis fictis, atque mendacibus malignorum, aſſerentium, Salvatorem noſtrum Hieroſolymis Patriarchæ Hieroſolymitano apparuiſſe (cum tamen a longis citra temporibus nullus ibidem præſentialiter fuerit Patriarcha) & ſibi aliqua dixiſſe, quæ colorem veritatis non habentia, nec ſaporem, *quibusdam Sacræ Scripturæ auctoritatibus* obviare noſcuntur, in illam cordis veſaniam eſt deducta, & in animæ præcipitationem acta, atque de die in diem ſuggeſtionibus hoſtis antiqui ſe, ut dominicum gregem devoret, *transferentis in Angelum lucis*, (b) nimium ſuccreſcendo deduci (cortina trahente cortinam) periculoſius formidatur, quod ſe per ſocietates & conventicula (licet caudas invicem colligatas habeant) dividentes, diverſas circumeunt patrias; cæterorum hominum vitam & ſtatum condemnando, ſe juſtificant. Claves Eccleſiæ vilipendunt, ac in in contemptum diſciplinæ Eccleſiaſticæ, habitum certum, nigrum videlicet, ante & retro ipſius vivificæ crucis impreſſum habentes ſignaculum, *ſine Superioris licentia* deferentes, ſub nomine pœnitentiæ gerunt, & alias in cauſa inſolita congregationes, conventicula, & coadunationes, *quæ a jure ſunt prohibitæ*, faciunt, & ad alios actus proſiliunt, a vita & moribus, obſervantiaque fidelium Chriſtianorum penitus alienos. Ordinationes etiam & ſtatuta, quibus utuntur, imo verius abutuntur, propria temeritate fecerunt, erroris ſuſpicione non vacua, & judicio rationis carentia. Sed ex eo tam pro Deo, quam hominibus odioſe per amplius turbamur, acerbiuſque & durius anxiamur, quod quidam *religioſi, præſertim de ordinibus mendicantium*, qui alios revocare debuerant, & ad viam reducere veritatis, & ab utero Matris Eccleſiæ veluti maledictionis filii nequiter aberrantes, linguas ſuas, ut alios pertrahant in errorem, acuunt, quibus corda debilia vulnerant, & ignorantes Dei Juſtitiam, ſuæ propriæ innitentes prudentiæ, dum legi Domini nolunt eſſe ſubjecti, aliis in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis prædicando & dogmatizando contra Eccleſiæ libertatem & fidei Catholicæ puritatem, ab ipſa veritate abducere moliuntur: quod eo faciunt efficacius, quo conceptum virus latenter effundunt, blandis prius ſermonibus auditores, quaſi bonum vinum prius ponendo, ſatagunt irretire, & cum inebriati fuerint, illud, quod eſt, deterius, cum ipſis in perditionis laqueum incidunt, & in profundum malorum pariter immerguntur.

Nos igitur tam pernicioſo & periculoſo principio, per quod ultra Divinæ Majeſtatis offenſam, magnum etiam reipublicæ periculum & apud fideles ſcandalum generatur, ne deteriores proceſſus pariat, & ſucceſſus, obſtare volentes, & conſiderantes, quod cum plerique ex ipſis, ſeu adhærentes eiſdem, ſub pietatis colore ad impietatis opera laxantes crudeliter manus ſuas, Judæorum, quos pietas Chriſtiana retinet, & ſuſtinet, offendi eos aliquatenus non permittens, & frequenter etiam Chriſtianorum ſanguinem effundere, & oportunitate captata bona Clericorum & laicorum diripere, & ſuis uſibus applicare, ac Superiorum jurisdictionem uſurpare & ad multa alia illicita erumpere minime vereantur.

Timendum eſt, ne tam præſumptuoſa

(a) Cantic. II, 35.

(b) II. Corinth. XI, 14.

tuosa temeritas & temeraria præsumptio, nisi ei persalubri antidoto occurratur, paritura sit non levem perniciem, nec sine aliquorum morborum lethali contagio, properans in plurimos, sero recipiat medicinam.

Attendentes insuper, quod error, cui non resistitur, quodammodo approbari videtur, & quod ex Officio Nobis injuncto compellimur, ut quos per iter devium errando currere, & plures in præcipitationem secum trahere percipimus, ac in dispersionem multarum gentium ambulare, revocando a devio, ut in viam veritatis & justitiæ dirigant gressus suos, eisque providere per opportuna remedia studeamus. Fraternitati vestræ de fratrum nostrorum consilio per Apostolica scripta committimus, & districte precipiendo mandamus, quatenus vos & singuli vestrum in singulis civitatibus, vestris Diœcesibus per vos, seu alium, vel alios, adinventiones hujusmodi, seu ritus prophanos (quos una cum societatibus, congregationibus, statutis & ordinationibus supradictis, qui se, ut præmittitur, *Flagellatores* appellant, temerarie attentatis, de eorundem fratrum nostrorum consilio perpetuæ prohibitioni subjecimus, & tanquam illicitos reprobavimus) auctoritate nostra reprobetis, in vestris civitatibus & Diœcesibus, reprobos & illicitos publice denuntietis, ac omnes tam Clericos sæculares, quam Regulares & laicos de prædicta superstitiosa secta, vel societate, *quocunque appelletur nomine*, existentes, vel eam sectantes, auctoritate prædicta monere & inducere studeatis ut ab hujusmodi observantia, secta, & nova religione totaliter desistere, & resilire procurent. Quodque nullus deinceps prædictam sectam, seu conventiculum præsumat intrare, aut ritus & statuta societatum hujusmodi observare; contrarium facientes per censuram Ecclesiasticam coercendo, nec non eos, in quos temporalem jurisdictionem habetis per pœnas temporales, de quibus expedire videritis, appellatione postposita compellatis.

Sane ut Religiosi, & alii errorum Magistri, qui prædicando & dogmatizando simplices decipiunt, & cæci ducatum cæcis præbentes ipsos secum in foveam trahunt, & si non Divino amore, saltem humana confusione a tam iniquo proposito revocentur, omnes & singulos cujuscunque sint Ordinis, Religionis, Præeminentiæ, vel status, quos in præmissis vobis constiterit deliquisse, capi faciatis; non obstante quocunque privilegio, vel indulto (quod eis in nullo suffragari volumus) tam diu captivos detineatis, donec aliud a Nobis acceperitis in mandatis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Per prædicta tamen nequaquam intendimus prohibere, quin Christi fideles impositam sibi pœnitentiam, vel etiam non impositam, dummodo recta intentione & pura devotione ad illam peragendam procedant, in suis hospitiis vel alias, absque superstitiosis congregationibus, societatibus, & conventiculis supra dictis, possint facere, & se in bonis exercendo virtutum actibus, Domino, prout ipse inspiraverit, in humilitatis spiritu deservire.

Cæterum quia præsentes literæ nequeunt singulis vestrum propter locorum discrimina commode præsentari, volumus, quod per te, Frater Archi-Episcope, earum transsumptum publica manu scriptum, & tuo communitum Sigillo vestris Suffraganeis transmittatur, cui adhiberi volumus plenam fidem; Datum Avenione XIII. Calend. Novemb. Pontificatus nostri anno octavo.

His literis Romani Pontificis Archi-episcopi, & Præsules Germaniæ susceptis, memoratam Flagellatorum sectam in suis Diœcesibus damnatam, superstitiosam, impiam, & reprobatam a Rom. Ecclesia publice denuntiari fecerunt, & sub Censuris prohibuerunt gravissimis: spontanea voluntate pœnitentes de commisso errore, cum pietate receperunt ad gratiam, contemnentes vero mandatum Ecclesiæ, & in sua temeritate perdurantes, variis cruciatibus addictos, aut mori compulerunt, aut ad S. Matris Ecclesiæ Catholicæ redire unitatem. Plures ea tempestate Clerici, Sacerdotes, atque Claustrales *de mendicantium Ordinibus*, qui *Flagellatorum*, *aut socii fuerunt*, aut Magistri, juxta Mandatum Papæ carceribus mancipati sunt, e quibus etiam nonnulli in vinculis obierunt. Duravit tamen Flagellatorum discursus in annum sequentem, & omnes deinceps evanuerunt.

Trithemius Chron. Hirsaugiensis Tom. II. ad annum 1348.

Prima secta Flagellatorum anno MXLVII. aliis MLVI. sub Petro de Honestis Damiani dicto exorta est, altera vero hoc Sæculo XIV. nullo certo Auctore circa A. MCCCXLIX.

§. VI. De Walthero Lollardo, (a) ejusque Sectatoribus.

Anno MCCCXIX. quidam Hypocritæ Gyrovagi, qui Lollardi, sive Deum laudantes vocabantur, auctore ac duce Lolhardo Waltero, per Hannoniam & Brabantiam quasdam mulieres nobiles deceperunt, ac dein fœdissimis erroribus multas Germaniæ Provincias infecere.

Articulorum a Lollardis assertæ hæreseos, *Trithemio* teste, *Primus* erat: Missam vanitatem esse dicebant, & nullius vel reverentiæ, vel utilitatis.

II. Luciferum cum dœmonibus cœlo injuria pulsum dicebant, tandemque Beatitudini cum omnibus suis restituendum: Michaelem & omnes Angelos æternis cruciatibus deputandos, hominesque ab eorum secta alienos similiter esse damnandos; unde cum se mutuo salutarent, dicebant: Salutet te injuriam passus, id est, Lucifer.

III. Iste nefandissimus fuit: dicebant enim, Maria, si Virgo mansit post partum, non hominem, sed Angelum peperit.

IV. Dicebant, se duodecim habere Apostolos, qui totum Imperium singulis annis perlustrarent, & duos ex eis ordine, & professione Seniores singulis annis paradisum intrare: potestatem ab Elia, & Enoch ligandi, & solvendi accipere, quam aliis communicarent in eadem secta constitutis.

V. Sacramentum Baptismi irridebant, dicentes: Si Baptismus est Sacramentum, ergo quodlibet balneum est Sacramentum, & per consequens quilibet balneator esset Deus.

VI. Sacramentum pœnitentiæ turpiter vitiabant, confitentes non Sacerdotibus, sed laicis in genere peccata sua, non speciem exprimentes, sperantes se ex hac confessione omnium peccatorum, & a pœna, & a culpa remissionem plenariam recepturos.

VII. Sacramentum Dominici Corporis non credebant, Hostiam consecratam Deum ficticium appellantes.

VIII. Sacramentum quoque Matrimonii juratum meretricium in vulgari nuncupabant.

IX. Sacramentum extremæ Unctionis irridebant, & interrogati, super eo quid sentirent, unanimiter responderunt: nos credimus, olera quanto fuerint oleo plus condita, tanto esse meliora. Consecrationes Ecclesiarum, Cœmiteriorumque, & Benedictiones palmarum, salis, aquæ, & cæterorum, quæ in Ecclesia fiunt, nihil esse dicebant.

X. Item dicebant, Deum nec scire, nec punire mala, quæ sub terra fierent: unde in speluncis & cavernis subterraneis convenientes, pater cum filia, frater cum sorore, ac filius cum matre indifferenter turpitudinem carnis suæ exercebant.

XI. Romanam Ecclesiam non Christi, sed gentium infidelium esse dicebant, omniaque Statuta Ecclesiæ cum Prælatis & Ministris ejus contemnebant.

XII. Jejunium irridebant, carnibus omni tempore, etiam in sexta feria Parasceves, vescebantur.

XIII. Dies festos non servabant, sed in die Paschæ laborabant.

XIV. Perjurium, dicebant, non esse peccatum.

XV. Merita, & intercessiones quorumlibet Sanctorum posse hominibus apud Deum præstare, Suffragia negabant.

Sed & alios complures Articulos profitebantur erroris, quorum prolixitas inserta his, *inquit Trithemius*, tædium lectoribus, ut vereor, generaret: adeo enim grassata fuit hæc hæresis, ut in Austria, Bohemia, finitimisque Provinciis plusquam octoginta millia hominum in eam sectam jurati & professi numerarentur.

Et infra: Multi eo tempore in Austria fuerunt in diversis locis combusti, qui omnes unanimiter in suis erroribus pertinacissime usque ad mortem cum magna hilaritate permanserunt: inter quos puella una speciosa, nomine Gisla, dum jam esset cremanda, interrogatur a Judice, si adhuc virgo? quæ coram omnibus respondit: super terram adhuc virgo sum, sub terra vero minime; credebant enim fatui, virgines sub terra non posse deflorari, etiamsi a mille viris cognoscerentur, neque stuprum esse peccatum.

Gloriari talibus Patriarchis possunt hujus

(a) *Lollardorum nefaria dogmata per Germaniam, Austriam, & Bohemiam sparsa fuisse, narrat* Trithemius in Chronico Hirsaugiensi: Sanderus de visibili Monarchia: Gebrardus in Chronico: Hocsemius: coævus auctor Chronicæ Coloniensis Germanicæ.
Una cum Beguardis, Lollardos emersisse sub Henrico VII. affirmat Odoricus Raynaldus Tomo XV. ad annum Christi 1318. v. 44.
Lollardorum nomen infame Wicleffistis, vulgo inditum fuisse, asserit Raynaldus *ex eo, quod Walsingamus Wicleffistas passim Lollardos fuisse vocatos scribat, sed Wicleffus post Lollardum vixit & erravit: Nos singulas hæreses loco & tempore suo discernemus;*

jus Sæculi novatores, qui plura ab his venena hausere. Non tulit autem impune scelus sectæ Princeps Walterus, qui Coloniæ exustus fuit. Anno MCCCXXII. (a) cum hæresim, quam scriptis propagarat, tueretur pertinaciter.

Odoricus Raynaldus in Annal. Ecclesiast. ad annum 1319.

(a) *Chronica Coloniensis ad ann.* 1322. *Trithem. in Chronico Hirsaugiensi ad eundem annum hujus Sæculi 22dum.*

§. VII. D. Ekardo, Dominicano fratre, Coloniæ primum, dein Romæ damnato sub vitæ finem resipiscente.

EMersit e sacra Prædicatorum familia blasphemus quidam Ekardus, (a) sacræ paginæ Doctoratus laurea donatus, & a Thaulero laudatus: qui cum errores fœdissimos disseminaret, primum a Coloniensi Archi-Episcopo in quæstionem fidei vocatus fuit, tum causa ejusdem ad Sedem Apostolicam devoluta, cum iterum exerceri cœpisset, constitit tum útroque examine, tum Ekardi ipsius confessione, ipsum prædicasse, scripsisse, ac docuisse nonnulla, quæ cum Fide Catholica pugnabant, & alia, quæ hæreseos suspicione laborabant, ac propterea ex sacri Cardinalium Senatus consilio damnata fuere. Tum etiam Pontifex in eos omnes, qui eos errores pertinaciter tuerentur, quæstionem haberi jussit, injunxitque partes Archi-Episcopo Coloniensi; ut literas Pontificias, quibus ii errores confutati erant, in Provincia sua promulgaret; ne inficerentur simplicium animi, iisque maxime, apud quos Ekardus, dum vivebat, errores suderat.

JOANNES &c. AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

DOlenter referimus, quod quidam his temporibus, de partibus Teutoniæ, Ekardus nomine, Doctorque, ut fertur, sacræ paginæ, ac Professor Ordinis Fratrum Prædicatorum plura voluit sapere, quam oportuit, & non ad sobrietatem, neque secundum mensuram fidei, quia a veritate auditum avertens, ad fabulas se convertit; per illum enim patrem mendacii, qui se frequenter in lucis Angelum transfigurat, ut obscuram, & tetram caliginem sensuum pro lumine veritatis effundat, homo iste seductus, contra lucidissimam veritatem fidei in agro Ecclesiæ spinas, & tribulos germinans, ac nocivos carduos, & venenosos paliuros producere satagens, dogmatizavit multa, fidem veram in cordibus multorum obnubilantia, quæ docuit, quam maxime coram vulgo simplici in prædicationibus suis, quæ etiam redegit in scriptis.

Ex inquisitione siquidem contra eum super his auctoritate Venerabilis Fratris nostri HENRICI *Coloniensis Archi-Episcopi* prius facta, & tandem auctoritate nostra in Romana Curia renovata, comperimus evidenter constare per confessionem ejusdem Ekardi, quod ipse prædicavit, dogmatizavit, & scripsit viginti sex articulos, tenorem, qui sequitur, continentes.

Articulus primus. Interrogatus quandoque, quare Deus mundum non prius produxerit, respondit tunc sicut nunc, quod Deus non potuit primo producere mundum, quia res non potest agere antequam sit; unde quam cito Deus fuit, tam cito mundum creavit.

Articulus secundus. Item concedi potest mundum fuisse ab æterno.

Articulus tertius. Item simul, & semel quando Deus fuit, quando Filium sibi coæternum, per omnia coæqualem Deum genuit, etiam mundum creavit.

Articulus quartus. Item in omni opere etiam malo, tam pœnæ, quam culpæ, manifestatur, & relucet æqualiter gloria Dei.

Articulus quintus. Item vituperans quempiam vituperio, ipso peccato vituperii laudat Deum; & quo plus vituperat, & gravius peccat, amplius Deum laudat.

Articulus sextus. Item Deum ipsum quis blasphemando, Deum laudat.

Articulus septimus. Item quod petens hoc, aut hoc, malum petit & male, quia negationem boni, & negationem Dei petit, & orat Deum sibi negari.

Articulus octavus. Qui non intendunt res, nec honores, nec utilitatem, nec devotionem internam, nec sanctitatem, nec præmium, nec Regnum Cœlorum, sed omnibus iis renuntiaverunt, etiam

(a) *Odoricus Raynald. Annal. Eccles. ad annum* 1329, *aliis scribitur* Echardus.

etiam quod suum est, in illis hominibus honoratur Deus.

Articulus nonus. Ego nuper cogitavi, utrum ego vellem aliquid recipere a Deo, vel desiderare: ego volo valde bene de hoc deliberare, quia ubi ego essem accipiens a Deo, ibi essem ego sub eo vel infra eum, sicut unus famulus, vel servus, & ipse sicut Dominus in dando; & sic non debemus esse in æterna vita.

Articulus decimus. Nos transformamur totaliter in Deum, & convertimur in eum simili modo, sicut in Sacramento panis convertitur in Corpus Christi: sic ego convertor in eum, quod ipse operatur me suum esse. Unum, non simile: per viventem Deum, verum est, quod nulla ibi est distinctio.

Articulus undecimus. Quidquid Deus Pater dedit Filio suo unigenito in humana natura, hoc totum dedit mihi: hic nihil excipio, nec unionem, nec sanctitatem, sed totum dedit mihi, sicut sibi.

Articulus duodecimus. Quidquid dicit Sacra Scriptura de Christo, hoc etiam totum verificatur de omni bono & Divino homine.

Articulus decimus tertius. Quidquid proprium est Divinæ naturæ, hoc totum proprium est homini justo, & Divino: propter hoc iste hoc operatur, quidquid Deus operatur: & creavit una cum Deo Cœlum & terram, & est Generator verbi æterni, & Deus sine tali homine nesciret quicquam facere.

Articulus decimus quartus. Bonus homo debet sic conformare voluntatem suam voluntati Divinæ, quod ipse velit, quidquid Deus vult: &, quia Deus vult aliquo modo, me peccasse, nollem ego, quod ego peccata non commisissem: & hæc est vera pœnitentia.

Articulus decimus quintus. Si homo commisisset mille peccata mortalia, si talis homo esset recte dispositus, non deberet velle, se ea non commisisse.

Articulus decimus sextus. Deus non præcepit actum exteriorem.

Articulus decimus septimus. Actus exterior non est proprie bonus, nec Divinus: nec operatur ipsum Deus proprie, nec parit.

Articulus decimus octavus. Afferamus fructum actuum, non exteriorum, qui nos bonos non faciunt; sed actuum interiorum, quos Pater in nobis manens facit, & operatur.

Articulus decimus nonus. Deus animas amat non opus externum.

Articulus vigesimus. Quod bonus homo est unigenitus Filius Dei.

Articulus vigesimus primus. Homo nobilis est ille unigenitus Filius Dei, quem æternaliter Pater genuit.

Articulus vigesimus secundus. Pater generat me suum Filium, & eundem Filium: quidquid Deus operatur, hoc est unum, propter hoc generat ipse me suum Filium sine omni distinctione.

Articulus vigesimus tertius. Deus est unus omnibus modis, & secundum omnem rationem, ita, ut in ipso non sit invenire aliquam multitudinem in intellectu, vel extra intellectum: qui enim duo videt, vel distinctionem videt, Deum non videt: Deus enim unus est extra numerum, & supra numerum, nec ponitur unum cum aliquo: sequitur, nulla igitur in ipso Déo distinctio esse potest, aut intelligi.

Articulus vigesimus quartus. Omnis distinctio est a Deo aliena, neque in natura, neque in personis probatur: quia natura ipsa est una, & hoc unum, & quælibet persona est una, & idipsum unum, quod natura.

Articulus vigesimus quintus. Dum dicitur: *Simon diligis me plus his*? sensus est, id est, plus quam istos, & bene quidem, sed non perfecte; in primo enim & secundo & plus & minus, & gradus est, & ordo. In uno autem nec gradus est, nec ordo: qui igitur diligit Deum plus, quam proximum, bene quidem, sed nondum perfecte.

Articulus vigesimus sextus. Omnes creaturæ sunt unum purum nihil: non dico, quod sint quid modicum, vel aliquid; sed quod sint unum purum nihil.

Objectum præterea extitit dicto Ekardo, quod prædicaverat alios duos articulos sub his verbis:

Articulus primus. Aliquid est in anima, quod est increatum & increabile; si

ſi tota anima eſſet talis, eſſet increata, & increabilis, & hoc eſt intellectus.

Articulus ſecundus. Quod Deus non eſt bonus, neque melior, neque optimus; ita male dico, quandocunque voco Deum bonum, ac ſi ego album vocarem nigrum. Verum Nos omnes ſupra ſcriptos articulos, per multos Sacræ Theologiæ Doctores examinari fecimus, & Nos ipſi cum fratribus noſtris illos examinavimus diligenter, & demum, quia tam per relationem Doctorum ipſorum, quam per examinationem noſtram invenimus primos quindecim memoratos articulos, & duos etiam alios ultimos, tam ex ſuorum ſono verborum, quam ex ſuarum connexione ſententiarum, errorem, ſeu labem hæreſis continere; alios vero undecim, quorum primus incipit, Deus non præcipit &c. reperimus nimis male ſonare, & multum eſſe temerarios, de hæreſique ſuſpectos, licet cum multis expoſitionibus, & ſuppletionibus, ſenſum Catholicum formare valeant, vel habere. Ne articuli hujuſmodi, ſeu contenta in eis, corda ſimplicium, apud quos prædicati fuerunt, ultra inficere valeant, neve apud illos, vel alios quomodolibet invaleſcant; Nos de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio præfatos quindecim primos articulos, & duos alios ultimos tanquam hæreticos, dictos vero alios undecim tanquam male ſonantes, temerarios, & ſuſpectos de hæreſi, & nihilominus libros quoslibet, ſeu opuſcula ejuſdem Ekardi, præfatos articulos, ſeu eorum aliquem continentes damnamus, & reprobamus expreſſe: ſi qui vero eoſdem articulos pertinaciter defendere, vel approbare præſumpſerint, contra illos, qui prædictos quindecim articulos, & duos alios ultimos, ſeu eorum aliquem ſic defenderint, aut approbaverint, tanquam contra hæreticos; adverſus vero eos, qui alios dictos undecim articulos, pro ut ſonant verba eorum, defenderint, aut approbaverint, velut contra ſuſpectos de hæreſi procedi volumus, & mandamus.

Porro tam illis, apud quos præfati articuli prædicati ſeu dogmatizati fuerint, quam quibuslibet aliis, ad quorum devenere notitiam, volumus notum eſſe, quod, prout conſtat per publicum inſtrumentum inde confectum, præfatus Ekardus in fine vitæ ſuæ fidem Catholicam profitens, prædictos viginti ſex articulos, quos ſe prædicaſſe confeſſus extitit, nec non quæcunque alia per eum ſcripta, & docta ſive in ſcholis, ſive in prædicationibus, quæ poſſent generare in mentibus fidelium ſenſum hæreticum, vel erroneum, vel veræ fidei inimicum, quantum ad illum ſenſum revocavit, ac etiam reprobavit, & haberi voluit pro ſimpliciter & totaliter revocatis, ac ſi illos, & illa ſigillatim, & ſingulariter revocaſſet; determinationi Sedis Apoſtolicæ, & noſtræ, tam ſe, quam ſcripta ſua, & dicta omnia ſubmittendo. Datum Avin. VI. Kal. Aprilis. Pontificatus Noſtri anno XIII.

§. VIII. *De feſto Lanceæ & Clavorum hoc Sæculo inſtituto.*

ANno 1354. INNOCENTIUS *Lanceæ & Clavorum Chriſti* in Bohemia, & Alemannia feſtum inſtituit, hac occaſione: LUDOVICUS, Marchio Brandeburgenſis, Ludovici Bavari, ſe pro Imperatore olim gerentis, Filius natu major, Carolo IV. Romanorum Regi, anno 1349. reconciliatus, tradidit Lanceam, Clavos, partem Crucis, & alia Inſignia Imperialia, quæ a Patre habuerat, ut ſcribit *Joannes Nauclerus*; quæ diſtinctius explicans *Dubravius in Hiſt. Boemorum Lib.* 22. ait: prædicta ſigna Imperialia fuiſſe gladium Caroli Magni, Lanceam Chriſti, dexteram portionem Sanctæ Crucis cum uno clavo, & mappa, qua ultima menſa Domini ſtrata fuit, quæ Carolus in Bohemiam aſportavit. Sed *Rebdorfius*, qui ea ſe vidiſſe, ait, in ſolemnitate Baptiſmi Wenceslai filii Caroli, qui anno 1361. ex Bohemia in Bambergenſem Diœceſim afferri juſſerat, prædictis inſignibus Imperialibus alia addit, ad eum annum ſcribens: " Inſignia Imperialia, quæ tunc vidi, de quibus " Papa feſtum indixit, ſunt hæc: primum " ferrum Lanceæ, quæ transfixit Latus Chriſti: Item Clavus cum aliquali petia ligni " Sanctæ Crucis, quæ tranſivit manum " Chriſti: item gladius Caroli Magni, primi " Imperatoris Romanorum, quem tunc Imperator tenebat in manibus, & corona, " qua coronatus eſt in Imperatorem *a Leone* " *Papa III.*: item gladius Mauritii Martyris: " item petia Brachii Sanctæ Annæ Matris " MARIÆ Virginis, & dens Joannis Baptiſtæ: " item petia cordæ, qua Chriſtus fuit ad columnam ligatus: Spongia, qua fuit in " cruce potatus; & aliæ plures Reliquiæ Sanctorum.

" ctorum. " Sed vel fallitur, vel memoria labitur *Rebdorfius* scribens: Papam de his omnibus Reliquiis Festum indixisse; nam *Auctor primæ vitæ Innocentii VI.* loquitur tantum de Lancea & Clavis Christi: Ad Caroli instantiam, *inquit*, dictus INNOCENTIUS Festum solemne ordinavit de Lancea & de Clavis Christi in Alamannia & Bohemia observandum, & colendum temporibus successivis. *Auctor etiam secundæ vitæ ait*: Ad petitionem Domini Imperatoris festum Lanceæ, & Clavorum Christi instituit per Alamanniam, & Bohemiam die Veneris post octavas Paschæ celebrandum. Et quidem recte, nam INNOCENTIUS in Diplomate, quod ad hujus festi institutionem dedit Avenione Idibus Februarii, anni secundi Pontificatus, seu anni 1354. quod extat *apud Raynaldum Num.* 18, meminit solius Lanceæ, qua transfixum est latus Christi & unius ex Clavis, quibus cruci affixus fuit, indulgentiasque concedit iis, qui annuatim visitaverint Ecclesiam, in qua Lancea & Clavus fuerint, in die Festi, seu feria sexta post octavam Resurrectionis Dominicæ.

Baronius ad annum MCCCCXXIX. agit de Lancea ex Christi clavis confecta, quæ dicebatur fuisse Constantini Magni, quamque Henricus Germaniæ Rex extorsit a Rodulpho Burgundiæ, & Italiæ Rege, qua præeunte tam ipse Henricus, quam ejus Successor Otto, sæpius hostes fugarunt, *ut legitur in gestis B. Gerardi Abbatis Bromensis*, apud *Surium die* 3. *Octobris*, & *in Luitprando Lib.* 4. *Cap.* 12. Addit *Baronius in hist. de gestis Angl.* post *Bedam Lib.* 2. *Cap.* 8. assertionem esse de alia lancea, quæ Caroli Magni fuisset, ferreturque esse eadem, quam Centurio lateri Christi impegisset. Sed Romani contendunt verum ferrum Lanceæ, quo Christus in cruce transfossus est, in Basilica Vaticana a populo Christiano inter alia Dominicæ Passionis Sanctissima monumenta coli, sicque illam Lanceam, quæ in thesauro Imperiali servabatur ex aliqua parte Clavorum Dominicorum, conjuncto alio ferro, eleganti opere elaboratam, dono traditam RODULPHO Burgundiorum Regi fuisse, & a Rodulpho extortam ab Henrico Germaniæ Rege. . . . .

Utrum Corona, de qua loquitur *Rebdorfius*, fuerit illa, qua Carolus Magnus coronatus est Imperator a Leone III, & diversa non sit ab ea, quam in capite habebat anno Millesimo, quando corpus ejus repertum fuit, divinari non potest. Ceterum Sanctum Ludovicum, Franciæ Regem, ferrum Lanceæ, quo Christus transfixus est, cum Spongia, qua potatus est, una cum aliis pretiosis & sacris Reliquiis, quæ diversis creditoribus, & diversis temporibus a Francis Constantinopoli imperantibus pignori obligata fuerant, BALDUINI II. Imperatoris Constantinopolitani consensu & voluntate redemisse, easque in sancta Capella collocasse cum Corona Christi spinea, Anno 1238. pluribus ostendit *Spondanus ad eum annum Num. 6. & seqq. Pagi in Breviario Historico Tomo IV. pag.* 157.

§. IX. *De duabus Bullis Clementis V. ab Innocentio VI. revocandis, rogatu Caroli IV.*

CAROLUS IV. Imperator anno 1359. *juxta Spondanum* binas CLEMENTIS Quinti Pontificis Constitutiones, quarum altera incipit: *Romani Principes*, quæ in corpus Juris *Clement. Tit. De jurejur.* & altera, quæ incipit: *Pastoralis*, quæ extat etiam *in Clementinis, Tit. De sent. & re judic.* Henrici VII. Imperatoris avi sui, cujus causa latæ fuerant, & aliorum antecedentium Imperatorum memoriam offuscare apud Innocentium Papam causatus, semel atque iterum rogavit eas revocare, missis ad hoc Archi-Episcopo Pragensi, & Episcopo Argentinensi, quod Innocentius, re cum Collegio Cardinalium communicata, non esse sibi integrum facere excusavit; eo quod fuissent illæ magna consilii deliberatione decretæ, & mature consideratæ, cæterisque Sanctionibus Apostolicis in corpore Juris Canonici adjunctæ; non tamen eo quod *in Synodo Generali Viennensi* mature consideratæ fuissent, ut scribit *Spondanus*: quia hæ Constitutiones editæ sunt post Concilium Viennense, quod finitum est die sexta Maji anni 1312, cum prior constitutio edita fuerit post coronationem Henrici VII, quæ peracta est Romæ die 29. Junii ejusdem anni: & posterior post mortem ejusdem Imperatoris, quæ contigit anno 1313. die 24. Augusti.

Pagi in Breviario Tom. IV. pag. 165. *N. XXII.*

§. X.

DOctrinam de *DUPLICI IN ECCLESIA GLADIO* non excogitavit primus *Bonifacius VIII.*: jam pridem ante illum hac allegoria Imperatores ipsi usi erant.

Ita *Henricus IV. in Comit. Wormat. A.* 1077. " Ipse Salvator in passione de DUO-
" RUM GLADIORUM sufficientia typica
" intelligi innuit, cui cum diceretur: Do-
" mine, ecce duo gladii hic; Respondit:
" Satis est, significans, hac sufficienti duali-
" tate SPIRITUALEM & MATERIA-
" LEM GLADIUM in Ecclesia esse geren-
dum,

" dum, quibus omne nocivum foret ampu-
" tandum : videlicet SACERDOTALI ad obedientiam Regis pro Deo; REGALI vero, ad expugnandos inimicos exterius, ac obedientiam interius. Ita quoque *Fridericus I. Imp. A.* 1159. *in Epist. ad Episcopos Transmontanos :* " Quod in Passione sua Christus DUOBUS GLADIIS contentus fuit, hoc in Romana Ecclesia, & in Imperio credimus mirabili providentia declarasse; cum PER HÆC DUO RERUM CAPITA, & principia TOTUS MUNDUS tam IN DIVINIS, quam IN HUMANIS, ordinetur. Cumque unus Deus, unus Papa, unus Imperator sufficiat, & una Ecclesia Dei esse debeat." *Et anno* 1177. *in Epist. ad Emanuel. Imperat. Constantinop.* " Sicut ille Rex Regum, a quo omnis potestas, Romanum Imperium caput totius orbis constituit; ita etiam Sedem Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum unicam Matrem, Dominam, Magistramque ordinavit, quod utique DUORUM numero GLADIORUM signavit, quos dixit orbi sufficere ipse author Fidei Christianæ. Quapropter tuam prudentiam commonemus, quatenus Nobis, & Romano Imperio honorem debitum recognoscas, & Summo Pontifici, quem nomine Sanctum appellas, debitam exhibeas reverentiam & honorem." *Fridericus* quoque *II. in Constit. I. contra hæret.* " Commissi Nobis cura Regiminis cœlitus, & Imperiale, cui dante Domino præsidemus, fastigium dignitatis, MATERIALEM, quo DIVISIM A SACERDOTIO fungimur, GLADIUM adversus hostes fidei, in exterminium hæreticæ pravitatis, exigunt exercendum. Nec non tres *S. R. I. Electores : Palatinus, Saxo, Brandeburgicus, in Ratificatione donationum, Pontifici per Rudolphum I. factarum, vel confirmatarum de anno* 1279. : Hic est, qui MATERIALEM GLADIUM ad ipsius nutum excutit, & convertit, ut ejus præsidio Pastor Pastorum adjutus, oves sibi creditas SPIRITUALI GLADIO protegendo communiat, temporali refrænet & corrigat.

Ex Thesib. Hontheimianis editis Treviris A. 1760.

§. XI. *Wenceslaum quindecennem non fuisse electum Regem Romanor. iis conditionibus, quas a Pontifice præscriptas,*

Spondanus *meminit.*

ANtequam Avenione Gregorius recederet, recepit literas, quibus Carolus IV. Imperator eum rogabat, ut Filium ejus primogenitum Wenceslaum, jam olim in consortium Regni Bohemiæ allectum, etiam in Regem Romanorum, Imperii futurum Successorem, annum licet tantummodo decimum quintum ætatis agentem ab Electoribus evehi permitteret, cum ad hujusmodi electionis celebrationem, inquit Carolus in literis ad Pontificem ea de re scriptis Nuremberg anno Domini 1376, Indictione XIV, II. Nonas Martii, quæ extant *apud Raynaldum Num.* 13. Nobis viventibus procedi non valeat sine vestris beneplacito, assensu, & gratia, & favore. *Spondanus num.* 5. addit, id permisisse Gregorium ea conditione, ut Wenceslaus ante omnia, exemplo Henrici VII. ipsius proavi, & Caroli patris, ex formula præscripta juraret, se bona Ecclesiæ Romanæ non occupaturum, libertatem Ecclesiasticam non violaturum, sed conservaturum : in administrationem Regni & Imperii, ante solemnem inaugurationem, a Pontifice, vel ejus licentia ab alio factam, se se non intromissurum, quin imo nec ipsos Regis, aut Imperatoris titulos sine Sedis Apostolicæ consensu suscepturum, scriptis ea de re literis ad eosdem Carolum, Wenceslaum, & Principes Imperii, ad principium mensis Maji. Verum in literis Gregorii Papæ ad Carolum, quæ extant *apud Raynaldum* laudatum, quibus prædicti Wenceslai electionem permittit, nihil tale reperitur, datæ sunt autem *Avin. V. Nonas Maji anno VI.* Post hæc Wenceslaus electus est Romanorum Imperator die decima Junii Francofurti, sed ejus electio confirmata tantum est ab Urbano VI.

Pagi in Breviario Tomo IV. pag. 223. *in vita Gregorii XI. No. XXIV.*



Addenda Supplemento Tomi IV.

CONCILIUM HALBERSTADIENSE

Anno Christi MCCXCVI. Bonifacii VIII. Papæ II. Adolphi Regis IV.

SUMMA. *VOLRADUS,* (a) *Episcopus Halberstadensis, definit, dotem uxori ex bonis hæreditariis dari non posse sine consensu hæredum.*

ANno Domini MCCXCVI. quarta feria posterius Palmas, Nobis, VULRADO, Halberstad. Ecclesie Episcopc, *Sacrosancte Synodo* in nostra majori Ecclesia Halberstad. præsidentibus, extitit quesitum, generaliter diffinitum, & ab omnibus finaliter applicatum, quod nullus omnino vir possit bona hereditaria, que in structuris, pecoribus, equis, ac mansis, nomine hereditario possideret, uxori sue in dotem absque heredum consensu aliqualiter dare, seu etiam designare. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus dedimus apponendum.

Datum anno & die predictis.

Ex autographo coævo manu sua descripsit & communicavit Clmus D. ab Erath, Consiliarius Regiminis Nassovico-Dillenburgicus.

(*a*) Volradus Episcopus XXVIII. Halberstadiensis, Dominus in Krannigfeld, sedit ab anno 1255. ad hunc annum: quod tamen Cl. Lentzen positive non audet asserere. Ultimum ejusd. Diploma de anno 1293. refert ex Meibomio, sed ex Reimanno aliud de A. 1297. *Lentzen Hist. Diplom. Halberstad.*

VERDENSE CONCILIUM

Anno Chr. MCCCXXXIII. Joannis XXII. PP. XVIII. Ludovici Imp. XIX.

SUMMA. *Quantitas Decimæ majoris & minoris solvenda definitur.*

ANno MCCCXXXIII. Feria sexta infra octavam Pentecostes coram Nobis JOANNE (*a*), Divina Providentia Verdensis Ecclesiæ Episcopo, diffinitum fuit in *nostra Synodo Generali*, quod quilibet decimalis de jure tenetur de decima majori præstare duo plaustra de suis frugibus ad spatium unius miliaris unum plaustrum de frugibus hyemalibus, aliud de estivalibus in locum Domini sui, ad quem decima videtur pertinere.

Secundo fuit diffinitum de decima minuta, quod partes ultra numerum existentes, & hoc numero decem incompleto (*b*) sis de polledris, vitulis, apibus, bobus, ovibus, edis, agnis, aut de aliis quibuscunque debent de illo præsenti anno considerari, & usque in futurum annum penitus reservari, donec numerus decennarius compleatur, & debent frequentius decimari, & hoc est de singulis annis faciendum. Acta hæc sunt in Ecclesia Beatæ Virginis in Luneborch coram multis Viris ydoneis, & discretis.

In cujus testimonium Sigillum nostrum præsentibus est appensum.

Cl. D. ab Erath Consiliarius Nassovio-Dillenburgius communicavit.

(*a*) Joannes Ep. Verdensis XXXVII: postea translatus ad Eccles. Frisingensem: Magister erat in Medicinis, & Medicus Papæ: unde ad Rom. curiam evocatus, Godefrido de Werpe Canonico Verdensi, Ecclesiam Verdensem in Spiritualibus & temporalibus gubernandam commisit. *Chron. Epporum Verdensium pag.* 219. *Apud Leibniz Tom. II. Script. Brunswicens.*

(*b*) *an* sive, *an* sit?

SYNO-

SYNODUS TRIDENTINA

Anno Chrifti MCCCXXXVI. Benedicti XII. Papæ II. Ludovici Regis XXII.

SUB HENRICO III. EPISCOPO.

STATUTA XXXI.

IN Chrifti Nomine, Amen. Ad honorem & reverenciam DEI Patris Omnipotentis, & Beatiffime Genitricis ejus MARIE Virginis gloriofe, nec non Patroni noftri Beati VIGILII Martiris gloriofi, & ad falutiferum & pacificum ftatum, ac inftructionem, confervationem, & refformationem omnium jurium & honorum tam Noftrorum, quam & tocius Capituli noftri, & Cleri Ecclefie Tridentine.

NOS Frater HENRICUS, DEI & Apoftolice Sedis gracia Tridentinus Epifcopus (*a*). Affiftentibus nobis unanimiter, & nemine difcrepante, ad omnia & fingula infrafcripta confencientibus, & volentibus, ac approbantibus Venerabilibus Viris Dominis Henrico de Ralo Decano, Gerardo Archidiacono, Nicolao de Michfiną Scholaftico, Francifcho de Placentia, Antonio de Mediolano, Petro de Ralo, Federico de Mantua, Dino de Bononia, Fulcerio de Coneglano, Bartolameo de Valleffella, Johanne de Brixia, Laurencio ac Guilielmo de Brixia, Nicolao ac Jacobo de Tajo, Francifcho de Cleffio, Otto de Piano, Johanne de Azano, Henrico de Landeffperch, Ottebello de campo Tridentino, Rollandino de Parma, Canonicis Tridentinis: nec non Honorabilibus Viris Dominis Venturino de Mantua, ac Martino de Novaria Manfionariis, Juliano de Burgonovo, Geminiano de Cremona, Blafio de Coneglano, Johanne de Caftro, Alberto de Mantua, Johanne de Sabaudia, Ognabeno de Schogozamortis, Federico de Tajo, Johanne de Sancta Cruce, Manfionariis & Cappellanis dicte Ecclefie Tridentine, & aliis Canonicis dicte ecclefie Tridentine tanquam toto Capitulo, ac majori dupliciter & faniori parte ipfius Capituli perfonalem & continuam facientibus refidentiam in eadem, in choro ipfius Ecclefie ad fonum campane, ut moris eft, ad Capitulum pro agendis infrafcriptis, una nobifcum, & cum univerfis de Clero noftro intrinfeco & extrinfeco noftre civitatis Tridenti, & Diocefis per Nos nuper ad *noftram Generalem Sinodum* vocato fpecialiter congregatis: Primo & ante omnia, ipfa eciam *Sinodo approbante*, (*b*) non derogantes propterea aliquibus noftris aliis, & ejusdem Capituli, ac Predecefforum noftrorum, & prefate noftre Ecclefie juribus, conftitutionibus, feu provifionibus, aut ordinamentis, confuetudinibus juridicis, vel ftatutis fub quacumque forma editis, obfervatis, & factis, fed eas, & ea verius innovantes, ac prefentis fcripti ferie in quantum poffumus & jus patitur confirmantes, has infrafcriptas additiones, feu conftitutiones, & provifiones, ac ordinamenta pariter & ftatuta, Nos femper hujusmodi veteribus conformando conftitutionibus, feu confuetudinibus validis, & ftatutis pro evidenti & neceffaria utilitate noftra, dictique noftri Capituli, & Cleri, Succefforumque noftrorum, & Ecclefie prelibate. Infuper & in quantum Divinus cultus augmentatur exinde, & falus refpicitur animarum, falvis femper prius & in omnibus prius plenarie obfervatis Apoftolice Sedis (*c*) Dni Patriarche, Aquilegienfis, & Legatorum, feu Delegatorum, vel Nunciorum fuorum, eorum prefertim, quorum intereft vel intereffe poterit, in futurum, ac Noftra, & dicti Capituli noftri jurisdictione, reverencia, & honore omni modo jure, auctoritate, via & forma, quibus melius ac fanctius, & validius poffumus, & debemus, facimus, edimus, componimus, & creamus. Que decernentes perpetuo duratura illa fub penis infrafcriptis, ac in virtute fancte obedientie mandamus & volumus per

(*a*) Notas vide fub hujus Concilii finem.

per omnes & ſingulos, quos tangunt, vel in futurum tangere poterunt, pleniſſime & inviolabiliter obſervari.

Ut Reſidentes Canonici viſitent Officium.

I. Ob ſumme Reverenciam Trinitatis ſtatuimus & ordinamus, ut omnes Canonici Prebendati in noſtra Katedrali reſſidentes Eccleſia, non ſemiplenam, immo pleniſſimam per effectum reſſidenciam facere teneantur, ad eandem ſuam Katedralem Eccleſiam ad Horas continue accedendo: ita quod per eos Divinum Officium nocturnum videlicet & diurnum ſolempniter, ut congruit, peragatur. Et qui in Matutino ante Invitatorii, in Miſſa ante Kirieleiſon per totum, & in Veſperis ante primi Pſalmi complectionem non venerit, & ſi venerit, non perſeveraverit uſque in finem prædictarum Horarum, vel ſi exiens ex aliqua juſta cauſa non redierit ante finem dictarum Horarum; diſtributionibus ſuis ad hoc dari deputatis & ſolitis, ſecundum Horas neglectas careat illa die vel Hora, ad alios perſeverantes illico devolvendis, niſi forte infirmitas vel alia juſta cauſa, ut in ſervicio Capituli, & ipſius ſcitu & licencia eum probabiliter excuſaverit.

Quantum abſens percipere debeat.

II. Ut in augmentum Divini Cultus & in abſencium dampnum profectuſque evidens reſſidentibus eluceſcat, preſertim in favorem ipſorum reſſidencium volentes antiquiſſimis & preſcriptis & jam dudum obſervatis & juratis in eadem Eccleſia conſtitutionibus conſuetudinibus & ſtatutis Nos duce Domino conformare, hoc preſenti edicto ſtatuimus & ordinamus, quod quicumque fuerit in dicta Katedrali Eccleſia Canonicus Prebendatus, eciam ſi Decanus fuerit, qui ibi duas Prebendas obtinet, quando eſt Canonicus & continuam annualem reſſidenciam non fecerit, ut tenetur, Prebendis careat integris ejus anni, & ſibi tanquam abſenti XXV. libre parv. Veron. pro unaquaque Prebenda per Caniparium communitatis dicti noſtri Capituli, vel per ipſum Capitulum, qui ipſam Prebendam regant, gubernent, & colligant, vel ambas quando habet, ut jura Eccleſie melius conſerventur, ſicut ſemper eſt obſervatum hactenus, tantummodo aſſignentur: de quibus pro anno quolibet dicte ſue abſencie quilibet penitus ſit contentus. Reſiduum autem hujuſmodi ſue Prebende ad Canipam dicte communitatis perveniat cum effectu: ſalvo quod ſi reſederit aliqua parte anni, tunc pro rata temporis, quo reſederit, ratam Prebende percipiat retinendo ſibi eciam partem XXV. libr. ſeu computando pro rata temporis, ſi dictas XXV. libras abſens antea recepiſſet.

Idem ut proxima Rubrica, & ne liceat alicui locare &c. ſuam Prebendam.

III. Item ſtatuimus, quod quilibet abſens Canonicus Tridentinus, qui Prebendam ſuam habere debuerit, vel debebit ex privilegio, vel de jure, in ſtudio legitime commorando, vel in ſervicio Domini Epiſcopi vel Capituli exiſtendo, LXIV. libr. Veron. parv. anno quolibet ſue Prebende Canonicalis redditibus tantummodo ſit contentus, prout eſt ſemper obſervatum, ſibi vel Procuratori ſuo in civitate Tridenti per ipſius communitatis Caniparium aſſignandis, poſtquam de jure ſuo predicto Capitulo fecerit plenam fidem. Reſſiduum hujuſmodi reddituum eidem taliter diſpenſato, ſeu Procuratori ſuo vel Nuncio, poteſtas recipiendi, vel petendi, ex nunc in antea ſit penitus interdicta, ymmo ipſum totale reſſiduum ad eandem communitatis canipam integre devolvatur pro celebrandis Miſſis ſuarum Septimanarum, & Collectarum, & aliis oneribus ſupportandis. Nec liceat de cetero ipſi taliter diſpenſato redditus ipſos Canonicales aliquibus locare, aut committere, ſive dare, ſeu cuiquam locationis aut commiſſionis, vel alio titulo ſive cauſa recipere exigendos: ex nunc enim illum certum reddimus ſtatuentes, ut redditus iidem per dictum Caniparium totaliter exigantur, nec ei taliter danti ſive recipienti quicquam de hiis per eundem Caniparium volumus ſeu quoquomodo intendimus ultra dictas LXIV. libras debere de cetero reſponderi. Aliter autem omnis locacio ſive alienacio aut conductio talium reddituum, que contra preſentem noſtram Conſtitutionem & Statutum facta foret, vel fieret

fieret in futurum, nisi forte facta esset vel fieret dicto Capitulo, vel ejus nomine Canipario dicte communitatis, aut ejus Procuratori, vel Sindico pro dictis, ut premittitur, pecunie quantitatibus, viribus penitus non subsistat, & tanquam nullam esse volumus, & nullam debere vel posse de cetero subsistere firmitatem.

Pro presenti reputatur Ressidens in Tridento, vel in Beneficio in ejus districtu.

IV. Nemini derogare volentes, eum vel eos de dicto Capitulo, qui in civitate Tridenti, vel ejus districtu ad sua Beneficia continuam ressidentiam faciunt, & domicilium proprium & verum cum propria familia in civitate habent, nusquam pro absentibus, sed pro continue ressidentibus, haberi, seu intelligi, vel notari volumus, eciam si per unum aut duos menses continuos, vel interpolatos in anno semel & non ultra, moram traxerint extra teretorium Tridentinum, dummodo causis eciam cessantibus proxime scriptis de ipsius Capituli licencia se absentaverint, & consensu: nisi forte extra teretorium ipsum Canonicales redditus suos exigere vel recipere necessario compellantur. Aliter contraveniens quilibet xxv. libras in anno Veron. parv. pro dicta sua Canonicali Prebenda in Tridento a Canipario dicti Capituli recipiat, ut semper consuetum est, vel solummodo pro rata temporis ejus, quo ressidens fuerit. Absencie vero tempore in sui prejudicium redundante Canonicales ipsos suos recipiat fructus pretaxatos.

De Officio Mansionariorum.

V. Mansionarios, qui bini unam valore parem ex Canonicalibus Prebendis equis percipiunt portionibus annuatim, quemadmodum & suum sibi in choro nostre Katedralis Ecclesie commissum officium eos artat, ad continuam, nisi forte justa & probabilis causa excusaret, eosdem tunc per substitutos ydoneos astringimus ressidentiam personalem, quos omnino non minus ad persolutionem in eadem Ecclesia tocius officii nocturni videlicet & diurni obnoxios reddimus, quam alios Prebendatos. Sed amplius tanto eos, quanto Beneficiorum suorum intuitu deputatum eis officium hoc exposcit. Inviolabiliter statuentes, quod liceat ipsorum cuilibet, ymmo & ipsorum quilibet, qui in Sacerdotali sive Presbiterali officio, sive Presbiterali Mansionaria fuerit constitutus, sicut & de jure & approbata consuetudine ad hoc astringitur, omnino teneatur & debeat suam in dicto choro, vel alias in dicta Ecclesia per ordinem, omni cessante scandalo & errore, facere septimanam. Et qui Septimanarius fuerit, continue sit de primis, qui ad chorum veniat, tam ad denunciandum & providendum Libros & Officium decantandum, quam ad alia incumbencia, & ad se eciam ibi sive foris spectancia peragenda suplendum, eciam si ea animarum curam respicere dinoscatur, nuncians sive jubens super Psalmos, Antiphonas, Responsoria, Versus, & alia incumbencia, prout ad eum pertinet, ex inferioribus in eadem Ecclesia Benefficiatis seu Ministrantibus, quibus placet, nullo ex eis penitus in contrarium attentante. Et si in veniendo, vel in execucione sui Officii deffecerit idem Septimanarius per contemptum, aut aliquis ex inferioribus ipsis apparuerit eum impediens, vel jussum ejus negligens in predictis, ad arbitrium Decani Tridentini, vel eo absente, dignioris, vel antiquioris Canonici, tunc ibi presentis, in pecunia secundum demerita illico puniatur, & secundum penas in proxima inferiori nostra Constitutione conscriptas & insertas.

Ut Capellani absentes citentur ad ressidentiam & qualiter teneantur celebrare Officium.

VI. Quoniam ex Capellanorum seu Prebendariorum improvidentia & torpore, quorum Altaria in nostra majori Ecclesia pro animarum salute specialiter sunt fundata, persepe contencio oritur, nimio proinde scandalo premimur & gravamur; ut de cetero in decantacione Missarum & Officii congruenti animarum provideatur saluti, & ad remocionem tante contencionis & scandali populo satisfiat, hoc sancto & inviolabili Edicto statuimus & ordinamus, ut cum plures in dicta Ecclesia sint numero Prebendati, & pauci ex eis resideant in eadem: statim absentes omnes ad continuam ressidentiam, sicut sua requirunt Bene-

Beneficia, perſonàliter ſint citati, qui omnibus Horis Canonicis nocturnis videlicet & diurnis per ſe, omni exceptione remota, vel ſi cauſa rationabilis affuerit, tunc per Subſtitutos idoneos teneantur effectualiter deſervire. Nemo ex eis abſque Decani, vel eo abſente, Archidiaconi aut Scolaſtici vel antiquioris Canonici tunc preſentis licentia, de dicta Eccleſia, dum Divino Officio intenditur, ſe audeat quomodolibet abſentare. Et quia prave per ipſos deductum eſt in uſum cottidie & verius in contemptum, quod diebus præcipue ſolemnibus, Dominicis videlicet & Feſtivis, nullus quaſi ex eis pro conſecutione alicujus lucri de mane maxime in Choro dicte Eccleſie ad Officium reperitur; inhibemus itaque in virtute ſancte obedientie, & ſub excommunicationis pena mandamus eiſdem, ne aliquis ex eis extra dictam Eccleſiam ire preſumat de cetero ad celebrandum alibi ad ſepulturas, aut ſeptima, triceſſima vel aniverſaria aliqua, niſi de ipſius Decani licencia proceſſerit & mandato. Preterea ordinamus & volumus, ut per eos Divinum Officium oneſte, ſolemniter & devote, omni ceſſante confabulatione, vel riſu, tractim, diſtincte & intelligibiliter cum cantu & nota, aut ſubmiſſa voce, ut convenit in prefata Eccleſia cottidie peragatur, nec ulla interim fiat altercacio inter eos. Continue eciam ſint de primis & ultimis ad dicendum Officium & ſupplendum, nec intrent Chorum niſſi prius ſuperpelicio ſint induti. Omnes iidem ſecundum ſuorum Status & Ordinum exigenciam defereant ſibi ipſis & maxime Dominis Decano, Archidiacono, Scholaſtico, (*d*) & Canonicis, ut tenentur, quorum Sedes ob dignitatum reverenciam non preocupent, nec in Choro ullo modo ſedere audeant ſuper eos. Sedes autem exterioris Chori eis pro ſuis ſedibus ſpecialiter deputamus. Non enim conveniens arbitramur, quod inferiores ſuperioribus preferantur. Miſſas ſuas devote unam poſt aliam celebrent in dicta noſtra Eccleſia, alioquin contraveniens quilibet pro ſeptimana qualibet, qua contra fecerit, eciam ſi negligentia ſolius diei affuerit, XX. ſolidorum Veronenſium parvorum (*penam ſubeat*). Inſuper nemo ex eis ſub eadem pena XX. ſolidorum civitatem exeat ad loca; vel extra loca dicta accedendo, nec in civitate extra ipſam Eccleſiam ad celebrandum, nec ad ſepteſſima, triceſſima ſive aniverſaria, nec ad funera ſub pena V. ſolidorum Veronenſium parvorum ſine ſpeciali licencia petita & obtenta a ſupraſcriptis noſtris Commiſſariis, vel altero eorumdem, eciam ſi per quemquam fuerit requiſitus. Illi ſiquidem qui Matutini, Miſſe & Veſperarum neglexerint Horas, in VI. den. Veron. pro qualibet hora ipſarum, qui vero Prime, Tercie, Sexte, None, & Completorii neglexerint Horas, in II. den. Veron. pro qualibet Horarum ipſarum irremiſſibiliter puniatur, niſi forte celebracio votive Miſſe eum probabiliter excuſaret.

Ut Miſſe per Capellanos celebrentur in Eccleſia.

VII. Ad removendum omnem deffectum, qui circa celebrationem Miſſarum in prefata majori Eccleſia Prebendariorum ſuadente contemptu diucius pululavit, ſtatuimus & ordinamus, ut omni die quinque Miſſe ad minus, una poſt aliam, ut plene ſatisfiat populo, interim dum Regalis, ut vulgari regionis utamur, celebratur Miſſa noviter inſtituta (*e*) & ante, nec minus poſt Miſſam Conventualem per Capellanos, ſeu eorum loco miniſtrantes ibidem ſervato ordine celebrentur: volentes ut quinque primi celebrantes ſuam faciant ſeptimanam, alii quinque aliam, & ſic per ordinem ſucceſſive, quouſque eorum numerus reſidencium compleatur. Quo completo tunc ad primos V. fiat reiteracio talis perpetuo & inviolabiliter ad Dei laudem animarumque ſalutem, & ſatisfacionem populi duratura. Et ſi forte caſus occurret, quod unus ex ipſis quinque ſimul & ſemel eſſet Conventualis & Ebdomadarius, tunc eo caſu ſibi licitum ſit & poſſit loco ſui alium ſubrogare, dum tamen ipſius Conventualis & Ebdomadarii officium nullatenus negligatur, & per conſequens prefatus Miſſarum quinus numerus non frangatur. Quod ſi ſecus fecerint, ad arbitrium noſtrum pecuniarium, vel predictorum quibus ſupra comiſimus irremiſſibiliter puniantur.

De

De Officio Ebdomadarii Conventualis.

VIII. Ne ſtilus in executione Divini Officii per Miniſtrorum deffectum quomodolibet varietur, ſtatuimus & ordinamus, ut qui Ebdomadarius Conventualis extiterit, ſicut ad ſeptimanarium manſionarium ſpectat eſſe de primis ad inveniendum, & previdendum libros, & officium decantandum, & alia ſibi propterea incumbencia peragenda, ſic per conſequens Ebdomadarius ipſe Conventualis ad Chorum veniens continue ſit de primis, qui Invitatorium in Matutinis & alias Horas incipiat, Antifonam ſuper *Benedictus*, *Magnificat*, & *Nunc dimittis*, nec non Capitula, & alias Oraciones dicat ad ſuum Officium pertinentes. Inſuper & ad Miſſam Conventualem ſe preparet indillate de Verſiculis, Reſponſoriis, & *Benedicamus*, ſeu de ceteris aliis ad Officium ſpectantibus ſe nullatenus intromittens, ſed ſoli Manſionario Septimanario dicenda, vel committenda reliquat, ad cujus Officium plene ſpectat. Et ſi forte Manſionarius ipſe abſens fuerit juſta cauſa, tunc alius Manſionarius, vel Ebdomadarius ipſe aut alius de Choro eo nequeunte, ſupleat loco ſui. Quod ſi contrafecerit ipſe, vel aliquis ex predictis, talem contrafacientem ad eandem penam pecuniariam, vel ampliorem ad noſtri, vel predictorum noſtrorum Commiſſariorum arbitrium quibuslibet Horis predictis incurrere volumus & ligari, ad quam alios inferiores ſubicimus Prebendatos.

De Regimine Chori in ſolempnibus & Feſtivis diebus.

IX. In ſolempnitatibus, que in anni circulo, vel alias infra annum occurrunt venerabilius celebrari, ut Nativitatis Dominice, Circuncifionis, Epifanie, Reſurectionis, Aſſenſcionis, Penteco-ſtes, Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & omnium Feſtivitatum Beate Virginis Marie, Beati Johannis Batiſte, Sancti Laurencii, & in Feſtivitate Patroni noſtri Beati Vigilii, & omnium Apoſtolorum pariter & Sanctorum, nullus de Choro Lectionem aliquam legat in Matutinis niſi de licencia Decani, vel eo abſente majoris & antiquioris Canonici in Choro poſt ipſum. Inſuper nullus de inferioribus Prebendatis Reſponſoria dicere audeat, ſeu ante aliquem incipere niſi de licencia Manſionarii, vel alterius ipſorum, ſeu Ebdomadarii, ſi abeſſent, vel aliorum Adminiſtrorum licencia Cappitorum (*Capatorum*) (*f*). Volentes quod iidem Miniſtri, ſeu Manſionarii, vel Ebdomadarius prelibati de ſcitu Decani, vel ejus de Choro, ad quem ſpectat, teneantur omnes conſcribere, vel notare ad hujuſmodi Lectiones, Reſponſoria, & Antifonas deputandas, & *Benedicamus* in Veſperis dicere, Introitumque Miſſe incipere, & cetera exequi diligenter ſecundum quod diei ſolempnitas ſuadet devocius exequendum. Et ſi nos qui preſumus aliis ad Cathedralem Eccleſiam pro celebratione Miſſe accedere non poſſemus, tunc Decanus, vel major Canonicus nequeunte Decano, ſi comode poterunt, Miſſam ipſam cum Diacono, & Subdiacono celebret & decantet. Si vero contigerit nos venire, tunc eo caſu dictam Miſſam de juſſu noſtro, vel Decani, duo Canonici in Diaconum & Subdiaconum ſe preparent indillate, niſi forte alios ipſorum loco Canonicos, vel non Canonicos ad hoc duxerimus eligendos. In aliis vero ſolempnitatibus, ſemiduplicibus, vel ſimplicibus fiat Officium debitum & ſervetur. Alias contrafaciens quilibet in predictis, vel eorum aliquo per unum, vel duos dies a die inobediencie computandos ab Officio ſuſpenſum ſe noverit, ſecundum quod culpa talis exegerit contemptoris.

Ut feria ſexta pulſetur & celebretur Capitulum.

X. Circa reformationem ſedulam noſtri Satus intendentes cura vigili, quibus duce Deo poterimus ſtudiis, & diligenciis inſudare preſertim, & in recuperatione noſtrorum diſperſorum jurium evidens conſequatur utilitas, & per conſequens agenda quelibet in melius diſponantur, hac preſenti conſtitutione ſtatuimus irrefragabiliter, & firmamus, ut omni ſexta feria in Sacriſtia, vel alo loco dicte noſtre Eccleſie ad ſonum campane, ut moris eſt, omnes de Capitulo ſuper agendis ſuis, & dicte Eccleſie ad Capitulum congregentur. In quo quidem Capitulo Majores, & Seniores in proponendo minoribus, & junioribus preferantur. Unus alium non interrumpat verbis, ſed attente, & diſcrete per ordinem

nem audiat, & secreta Capituli, nisi forte de ipsius voluntate processerit, aliis non pandantur. Et que major, & sanior pars ipsius Capituli dicte sexte ferie, vel alio die quolibet convocati, & facti, ubicumque, & quandocumque convocatum, seu factum exstiterit juridice tamen, & solempniter, & vocatis, qui causis seu rei pretextu fuerint evocandi, ipsa namque major, & sanior pars explicaverit, seu firmaverit debere fieri, & procedi, rata habeantur & valida, eamque vim, & eundem vigorem, ac perpetue robur obtineant firmitatis, & per consequens ea omnia & singula, ac omnes presentes & absentes Canonici Prebendati in suo conscripti Collegio tanquam totum & universale Capitulum Tridentinum illa sic ad invicem deliberassent, sive deliberaverint absque difficultatis obstaculo, plenissime fiant, & indillate procedant; quinymmo pocius & inviolabiliter exequantur, proviso quod in electionum, seu provisionum negociis ponderosis agendis debita solempnitas observetur.

Ut recipiendi in Canonicos Prebendatos, aut Officiatos prestent Jusjurandum.

XI. Nullus preterea in Canonicum, vel ad aliud Beneficium, seu Officium, vel Dignitatem, aut alium actum ad Capitulum quoquomodo pertinentia, que prestationem juramenti requirunt, recipiendus imposterum ad receptionem hujusmodi admitatur, sed tamdiu recipi differatur, quousque de observandis preteritis, presentibus, & futuris dicti Capituli, ac ipsius Ecclesie approbatis consuetudinibus & statutis per se, vel Procuratorem suum ad hoc legiptime constitutum debitum & solitum prius prestiterit juramentum: Facta sibi copia statutorum, & sibi indulto termino ad deliberandum si duxerit postulandum. Hoc tamen semper salvo, quod ante omnia in tali actu solempniter convocetur Capitulum, vel hii ex eo, qui ressidentes fuerint, vel comode poterint convocari, & tunc ipsius recipiendi infra debitum terminum diligenter discutiantur jura, & eis discussis, si jure sibi sufragante meruerit, ad receptionem hujusmodi admitatur: sin autem viis juridicis repellatur. Quod si secus factum fuerit, volumus, & intendimus, quod talis receptio vel repulsio ipso facto nullius sit valoris.

Quod nullus de Capitulo audeat trahere ad Judicium aliquos alios de Capitulo.

XII. Nullus insuper de dicto Capitulo, etiam si minor ipsius Capituli pars fuerit in causa aliqua, vel causis Capituli, & se tangentibus quoquomodo alium, vel alios ad judicium presumat trahere, vel vocare alias, nisi ipsius Capituli, vel majoris & sanioris partis ejus processerit voluntate, omne commodum vel incommodum, quod exinde trahens perceperit, se subire non dubitet, & super se noscat denuo redundare; nisi forte talis res vel causa foret, propter quam singularis persona vel collonellus unus de collonello ejusdem Capituli ratione videlicet & causa tantummodo ipsius Capituli vexaretur, tunc eo casu ut alibi tactum est, ad hujusmodi commodum, vel incommodum omnes de Capitulo teneantur, dum tamen qui vexabitur, quam citius commode poterit, significet Capitulo vexationem hujusmodi ut occurrat.

De Responsione fienda cuicumque extra Capitulum aliqua in Capitulo petenti.

XIII. Unum denuo statuentes, quod si quis extra dictum Capitulum, vel de illo existens aliqua pecierit, vel proposuerit in eodem, non ante responsum subitum per ipsum Capitulum prebeatur eidem, quam prius Proponente excluso, omnes de ipso Capitulo invicem convocentur, & tunc deliberatione premissa, per Decanum, vel unum de Capitulo ad jussum ejus, Curialis, & debita fiat responsio Proponenti.

De Advocatis, Sindicis, & Tabelionibus Capituli.

XIV. Grandem contumeliam & verius dampnum evidens per subtractionem jurium Capituli hactenus, ne dicamus cum grandi amaritudine degustati, statuimus, ut quatuor vel plures, si Capitulo videbitur expedire fideles, & circunspecti Viri per ipsum Capitulum eligantur, inter quos saltem duo unus omnino

nino de Capitulo, & alter extrinſecus Procuratores ſint generales, & Sindici. Tercius Tabelio ad cauſas, & quartus Prolocutor, ſeu Advocatus Capituli prelibati ſalariati per illud annuo ſalario competenti, quorum Sindicorum mandatum extendi volumus ad genera cauſarum, & maxime ad petendum, exigendum, & recipiendum, & bona, poſſeſſiones, & jura ipſius Capituli perdita, alienata illicite, & diſtracta recuperandum cum clauſulis opportunis. Addentes racionabili cauſa moti, ut omnes de ſuo Collonello Canonici reſſidentes habere teneantur, & de cetero ſint aſtricti Librum unum ſive Quaternum, in quo omnes locationes, & ſaltem que fient impoſterum immediate, cum ſtipulate fuerint per Notarium, ſive Notarios Capituli, reddigantur in ſcriptis. Alium eciam Quaternum haberi volumus, in quo omnia jura Capituli antiqua, preſencia, & futura cum auctoritate Judicis, & ſub manu publica regiſtrentur, ad cujus executionem prefatos Sindicos de Capitulo expenſis ipſius Capituli ſpecialiter & in ſolidum deputamus. Et a publicatione hujus ſtatuti quilibet Canonicus reſſidens, Prebendam ſuam in ſcriptis clare deſſignatam, totaliter, & deſcriptam infra annum, vel XII. menſes dictis Syndicis pro executione hujusmodi facienda tradere teneatur. Et Canonicus, qui hec neglexerit infra dictum terminum adimplere, ipſo tranſacto diſtributionibus careat continue, donec hoc duxerit adimplendum. Quas ſi caniparius ſibi dederit, reſarcire & reponere in communi de ſuo proprio teneatur. Quilibet eciam Canonicus, qui Prebendam optaverit, ſub eadem pena hoc idem faciat, de dimiſſa infra dictum terminum ab optatione, ſi non fuerit deſſignata.

Quomodo, & coram quo Locationes fieri debeant.

XV. Quoniam perſepe contingit, quod nos per noſtras locationes & inveſtituras, & alia acta quamplurima noſtris juribus indebite ſpoliemur. Attendentes noſtras diviſiones Prebendarum pro evidentiſſima utilitate Capituli, & ſingularum perſonarum ipſius per Capitulum ipſum factas, & in augmentum verius hujuſmodi Prebendarum, volumus, atque ſtatuimus, & ordinamus, ne per aliquem Prebendarium de aliquibus poſſeſſionibus, vel rebus ad ſe ratione ſue Canonicalis Prebende quoquomodo ſpectantibus inveſtiture alique, vel locationes, niſi prius vocatis & preſentibus Decano, ſi commode haberi poterit, & preſentes fuerint inſuper, qui de Collonello fuerint reſſidentes, ſaltem tribus ex eis de cetero celebrentur. Et ſi unus vel duo eſſent de Collonello ſolummodo reſſidentes, & tales locationes, ſeu inveſtiture requirerentur omnino fieri, & effectui mancipari, tunc in preſencia Capituli, vel majoris & ſanioris partis, & ejus conſenſu in Majori Ecclesia, & non alibi, niſi neceſſitas immineret, per ipſos unum vel duos prefato incluſo Prebendario effectui debito & licito deducantur. Proviſo quod locationes hujuſmodi, ſeu inveſtiture in perſonam dicti Prebendarii prefatis ſic vocandis ſibi aſſiſtentibus, & ipſarum Prebendarum diviſione durante ſolempniter ſtipulentur. Inſuper & quod quelibet libra piperis ſemper ad eumdem Prebendarium, ſi preſens, vel ad eos de Collonello tunc ipſi actui preſentes, integre, aut pro rata perveniat tanquam ſua, hoc enim intelligi volumus & ſervari, ubi & quando idem Prebendarius in civitate Tridenti noſcitur fore preſens, vel alias ipſi Prebendario in eodem teretorio exiſtente ſuus de Capitulo ad hoc legiptimus Procurator. Secus autem, ſi in ſuo diſtrictu, vel alibi, ad recipiendum vel recuperandum poſſeſſiones intenderet, vel alia Prebendalia jura ſua, in quo caſu tales inveſtituras, & locationes ſine cujusvis contradictione & requiſitione facere valeat idem Prebendarius, & ſupplere, dum tamen hoc faciat, tanquam Procurator & Sindicus dicti Capituli ad hoc ſpecialiter & legiptime conſtitutus. Sin autem pro abſente locatio fiat, tunc ad omnes de Capitulo, qui preſentes locationi fuerint, pro rata deveniat dictum piper. Similiter illud idem ſentimus, ac fieri, & ſervari volumus, & intendimus ſuper poſſeſſionibus, ſeu de poſſeſſionibus & rebus aliis, que inveſtituram, ſeu locationem celebrandam requirant ad Prebendas ſeu Beneſſicia Decanalis Dignitatis. Inſuper & Manſionarios, &

Cappellanos ſpectantibus quoquomodo.

Ne Locationes fiat Potentibus &c. Item qualiter Decanus habet commitere curam animarum.

XVI. Super jurisdictionibus autem ſeu honoribus decimiſque locaticiis, vel conducticiis, aut bonis, vel poſſeſſionibus ſeu juribus, inſuper & Eccleſiis, aut aliis quibuſcumque ad dictum Capitulum, vel ad aliquem Colonellum ſeu ſingularem perſonam Prebendariam ex eis ſpectantibus ſic duximus irrevocabiliter ſtatuendum, ne de hiis vel aliquo eorumdem aliqua de cetero fiat commiſſio aut dacio, ſeu locacio, vel inveſtitura, preſertim in perſonam potentem (*g*) vel que ſit impotens in ſolvendo, nec ultra quinquennium poſſit fieri ullo modo, ſed ſolummodo ad Capitulum ſeu Colonellum, vel ad illam Prebendariam ſingulariter perſonam, ad quam de jure ſpectaverit totaliter, vel in parte commiſſio talis ſeu dacio, vel locacio, aut inveſtitura pertineat pleno jure, ſalvo quod Eccleſiarum Sancte Marie de Tridento, & Sancti Pauli de Epiano locacio fiat per totum Capitulum, vel majorem & ſaniorem partem ejuſdem, eo quod ex eiſdem Eccleſiis ad totum Capitulum commodum, vel incommodum dinoſcitur pertinere. Et ſi aliqua poſſeſſio ſeu jus, vel res aliqua pretextu ficti retenti in Capitulum, vel Colonellum, aut ſingularem perſonam Prebendariam ceciderit, ipſo jure talis poſſeſſio, ſeu jus, vel res ad diſpoſicionem liberam dicti Capituli ſi ad Capitulum, aut dicti Colonelli ſi ad Colonellum, ſeu ad ejuſdem ſingularis perſone ſi ad ſingularem perſonam pertinet, plenarie devolvatur, ita quod idem Capitulum ſeu Colonellus, vel ſingularis perſona ad quod, ſeu quem, vel quam de jure ſpectare noſcitur de hujuſmodi jurisdictionibus, ſeu honoribus, aut decimis, ſeu Eccleſiis, vel bonis, & poſſeſſionibus aut juribus juridice ſine ipſius Capituli, & Eccleſie, & omnium perſonarum prejudicio committere, aut requiſitis prius requirendis predictis, ut ſupra dictum eſt, locare, & diſpenſare valeant pro ſuo libito voluntatis. Proviſo quod Decanus ad quem ſpectat quoad ipſas Eccleſias de cura provideat animarum, prout tenetur. Alioquin que in contrarium preſumpta fuerint pro infectis habeantur ex nunc, & nullam obtineant roboris firmitatem.

De occupatis Epiſcopo, aut Capitulo.

XVII. Quoniam in nonnullos, qui Dei nomen in vanum recipere non formidant, ceca cupiditas ſic exarſit, quod bona & jura quamplurima ad Nos & dictum Capitulum noſtrum communiter, & diviſim ac pleniſſimo jure ſpectancia contra Deum & juſticiam occupant, & illa nullo titulo, vel injuſto mala fide, & conſciencia remordente in ſue ſalutis diſpendium, & noſtrum omnium grave prejudicium, & jacturam detinent occupata (*h*). Univerſis igitur, & ſingulis de Clero noſtro Curam animarum habentibus, ac eorum vices gerentibus, nec non Vicariis Eccleſiarum ad dictum Capitulum ſpectancium quibuſcumque, ſeu eorum vices gerentibus in civitate Tridentina, & ejus Dioceſi conſtitutis committimus ſub excommunicationis pena, & in virtute ſancte obediencie diſtricte mandamus, quin pocius, volumus, & ſtatuimus, per eos debere impoſterum obſervari, ut quandocumque peccatorum confeſſiones in foro penitencie eos audire contigerit, a confitentibus ipſis cum omni diligencia requirere ſtudeant, utrum de hujuſmodi bonis, & juribus aliquid detineant occupatum ſeu eorum noverint detentores. Quod ſi quicquam ſe confeſſi fuerint detinere, vel detinentes eadem, non prius ipſis ſuper hoc beneficium abſolutionis impendant, quam Nobis a dicto Capitulo occupata, ſeu detenta hujuſmodi cum fructibus inde perceptis, vel qui poſt occupacionem percipi potuerunt, reſtituerint cum effectu, & tales propalaverint detentores, ſeu Nobis, vel ipſi Capitulo, aut Notatio publico noſtro, aut ipſius Capituli nomine recepturo de reſtitutione ipſorum plenarie facienda intra quindecim dies tunc immediate ſequentes bonam, & idoneam preſtiterint cautionem. Ad hec omnes alios Eccleſiarum Prælatos ſeu eorum loca tenentes Diœceſis Tridentine requirimus in Domino & hortamur, ut ob ipſius Domini noſtri ac prefati Patroni reverenciam & amorem (*i*), contra quorum nutum talia occupantur, circa inveſtigationem hujuſmodi ſe dignentur, & velint ferventi ſtudio

ſtudio reddere ſollicitos & attentos, ita quod eorum ſolerti diligencia ſuadente a Retributore omnium ſalubre premium conſequantur. Et ut omnium hujuſmodi bonorum noſtrorum, & jurium reddamus ulterius cerciores, omniſque ceſſet fraus, & obſtacula perverſorum, addendo ſtatuimus, ut in civitate Tridenti, & in quibuſcumque aliis locis ſeu terris, & regionibus Dioceſis ejuſdem, auctoritate Judicis Ordinarii, & cum auxilio, eciam ſi neceſſe fuerit brachii ſecularis, per Scharios ſeu Procuratores noſtros, & dicti Capituli, & amplius per tres, vel quatuor perſonas de antiquioribus regionum, bona, poſſeſſiones, & omnia jura hujuſmodi detenta, & non detenta Sindicis noſtris, vel dicti Capituli, quos ſupra conſtitui ordinavimus, ſeu ad requiſitionem, & juſſum eorum Notariis publicis per viam Sacramenti, ac omnia (*) alia licita via & forma diligenter, & per ordinem deſſignentur, & ſic deſſignata ut ſcire poſſimus, que Nos & dictum Capitulum ex illis poſſidemus, & que Nobis, & ipſi Capitulo occupata detinentur, ſub manu publica in noſtro Regiſtro ad perpetuam rei memoriam reddigantur. Alioquin contrafacientes quoslibet ex predictis, ſi que eis in hac parte commiſſimus, vel committimus quoquomodo contempſerint taliter puniemus, quod punicio talis erit ceteris in exemplum.

De Theſauro, & Paramentis Eccleſiarum.

XVIII. Theſaurum Eccleſiaſticum non ſolum in noſtra majori Eccleſia, ſed & in aliis Nobis ſubjectis Eccleſiis civitatis & Dioceſis Tridentine, ut libros, cruces, calices, paramenta, & alia ornamenta Divino Cultui deputata, per Sacriſtam ipſius majoris Eccleſie, nec non per Vicarios, ſeu Miniſtros in aliis dicti Capituli Eccleſiis deputatos, vel impoſterum deputandos ipſi Capitulo infra XV. dies immediate a preſentis noſtre ordinationis, ſeu Statuti noticia ſubſequentes, ut ejus qualitatem, & quantitatem ſcire poſſint, in ſcriptis ſtatuimus ſub pena centum ſolidorum Veron. parvul. Capitulo applicanda, diligenter, & ſolempniter deſſignari in Regiſtro aliorum jurium ipſius Capituli per Caniparium, vel Sacriſtam ſub pena XX. ſolidorum illico conſcribantur. Illumque per eos munde teneri volumus, & denuo ſub tuta, & fida cuſtodia conſervari, preſtita prius per eos competenti, & idonea cautione, quod Theſaurum ipſum fideliter, & tutiſſime conſervabunt, niſi forte iidem tales fuerint, qui in bonis habeant, vel alias de eis, ſeu contra eos nulla ſuſpicio preſſumatur.

De Cuſtodia Sigilli.

XIX. Sigillum commune Capituli, vel Sigilla, non per omnes manus tranſeant gubernanda, ſed per tres ex Nobis ſub tribus diverſis clavibus in Sacriſtia noſtre majoris Eccleſie, vel in loco alio magis tuto ſecretiſſime conſerventur, & cum incumbit aliquid ſigillandum, prius per Capitulum, vel Majorem & Saniorem partem ejus ſolempniter intuendum, unus ſaltem ex ipſis cuſtodibus id omnino ſuppleat in perſona, nec per interpoſitam perſonam hoc preſumat exequi quoquomodo, niſi forte perſona de Capitulo fuerit antedicto, & tunc ſemper eo preſente propria eciam in perſona, ita quod per ipſorum conſervationem tutiſſimam nulla impoſterum oriatur contencio, vel alias aliqualis ſuſpicio habeatur.

De Electione Caniparii, & reddenda racione.

XX. Per Caniparium communitatis noſtre juxta ſibi commiſſum officium omnem fidelitatem, & diligenciam volumus exiberi, quem de dicto Capitulo, & ab ipſo Capitulo decernimus penitus eligendum. (*k*) Qui quidem Deum ſemper habens pre oculis in exigendo, & recipiendo, & alia faciendo, & exercendo nuſquam negligens ſit ullatenus, vel remiſſus, unicuique de Capitulo tribuens, & dans quod pro parte ſua racionabiliter, & integraliter ſibi cedit, racionem inſuper de ſua Caniparia poſt annum completum infra octavam Beati Galli, quamvis ante Officium dimiſerit, niſi ex cauſa legitima per Capitulum prorogetur, Capitulo, vel illis ſeu cui juſſum fuerit, vel commiſſum fuerit per eoſdem integram, & plenariam redditurus. Aliter ſi contra fecerit tamdiu per alios Caniparios ſucceſſores ſuos, ſeu per Capitulum ſibi Prebendales ſui redditus denegentur, quouſque ſine cujuſvis dampno, vel injuria id ſuppleverit cum

(*) *forte:* omni

cum effectu, Caniparius autem in Hebdomada Sancti Johannis Batifte creetur, vel fi vifum fuerit confirmetur. Et qui officium dimiferit, retenta, & non exacta exigere, & de ipfis racionem reddere nihilominus teneatur, & infra octo dies a die reddite rationis exibere in fcriptis Capitulo eadem non exacta.

Ne Libri aut Calices exportentur de Ecclefia.

XXI. Statuimus infuper, & ordinamus, ut nullus Canonicus, Manfionarius, Capellanus, Vicecapellanus, aut Clericus ipfius Ecclefie audeat, five prefumat fub pena V. Sol. Veron. parvul. afportare extra ipfam Ecclefiam de cetero aut in Armariis ipfius Ecclefie, five banchis claudere, vel quomodolibet occultare calices, libros, feu paramenta, vel doplerium, & hujusmodi, immo indilate reportare ftudeant ex hiis quodlibet afportatum, nifi hoc faceret de fcitu & licentia Sacrifte, vel faltem Monachi (*l*), qui nunc eft, vel pro tempore fuerit.

De Penis Inobediencium.

XXII. Quamvis ad levationem & exactionem fuprafcriptarum penarum, prefertim contra Prebendatos inobedientes, ut premiffimus, & temerarios inflictarum Decanum deputaverimus, ut majorem; non tamen ob ejus dignitatis reverenciam decens & conveniens arbitramur, quod per manus ejus hec omnia & precipue minima fupleantur. Quamobrem prefencium ferie ordinamus, ut per Sacriftam, feu Monachum ejus locum tenentem dicte noftre Ecclefie, qui nunc eft, vel pro tempore fuerit, hec minima penitus exequantur, ex nunc committentes eidem fuum in hac parte pertinens officium, declarando, quod fingulis diebus & horis punctare, feu notare teneatur, & debeat omnes & fingulos predictorum omnium, five fuprafcriptorum, & infrafcriptorum transgreffores, ut quos per totam feptimanam punctaverit, feu notaverit fabato quolibet Decano puniendi, vel eo abfente, Capitulo referre habeat antedicto, ut tales ipfi penis debitis puniendi ad fui reformacionem, & aliorum exemplum in melius fe emendent. Et ut idem Monachus, feu Sacrifta fe promptiorem exhibeat ad hujusmodi fibi commiffum officium exequendum volumus, quod decima pars omnium exigendorum de dictis penis fibi pro fui labore, dum tamen rite perfecerit, applicetur. Relique vero partes ad ipfum Capitulum, five ad Fabricam Ecclefie, & maxime ad ea, que circa Altare communiter expendentur, five in lavacione corporalium, camifarum, ampullarum, & funum campanarum, & incenfum, fi deffecerit empcione & ad alia hujusmodi, prout dicto Decano, & Capitulo melius & utilius videbitur expedire, totaliter devolvantur. Aliter vero, fi idem Monachus ex contemptu vel malitiofe fubtraxerit, feu obmiferit hos punctare, penas eorum taliter commifforum prefato Decano, & Capitulo perfolvere teneatur, & fit aftrictus, & nichilominus conftitutio prefens perpetuam obtineat roboris firmitatem.

De Comperatione Pallii, five Panni ferici.

XXIII. Ad perpetuam rei memoriam dignum & congruum arbitramur, ut hii, qui ab Ecclefiis honorem & commodum confequuntur, reftat eciam, quod eisdem Ecclefiis aliquem honorem impendant. Sane cum Ecclefia noftra Tridentina in paramentis, & capis, atque palliis, & aliis utenfilibus ad ornatum cultus Divini magnum deffectum paciatur, ftatuimus, & ordinamus, ut de cetero quicumque in dicta noftra Ecclefia Tridentina erit de novo creatus Canonicus, & Prebendarius, five auctoritate Apoftolica, five quavis alia auctoritate, de primariis fructibus dicte fue Prebende teneatur, & debeat emere unum pallium pulcrum, & decens de ferico pro hujusmodi paramentis, & capis, five utenfilibus fiendis pro dicta Ecclefia Tridentina, & hoc precipimus fieri infra annum a die adepte pacifice poffeffionis fuorum Canonicatus, & Prebende predictorum computandum. Si vero dicti primarii fructus fuerint pro Camera Domini Pape refervati, ficuti interdum fieri confuevit, fecundarii fructus ipfius Canonici eodem modo ad dictum honus fimiliter deputamus. Ubi autem talis Canonicus in preftando dictum pallium fuerit negligens vel remiffus, ex nunc committimus, & mandamus, ut Caniparius Capituli noftri, qui nunc eft, vel qui pro tempore fuerit,

fuerit, teneatur, & debeat cum auxilio Noſtro, aut Vicarii noſtri, vel dicti Capituli totum de Prebenda dicti Canonici recipere, atque exigere, ut poſſit dictum pallium emere. Si autem in primo anno idem Canonicus, cauſam rationabilem ante omnia aſſignando, non poſſet dictum pallium commode emere, tunc a Nobis, vel a dicto Capitulo de longiori termino diſpenſationem humiliter petat. Hoc autem ſalubre ſtatutum a publicatione preſencium in perpetuum volumus robur firmitatis obtinere, & inviolabiliter obſervari.

De ſolucione Procurationum &c.

XXIV. Dignum cenſemus, & conſonum racioni, ut quod omnes tangit, ab omnibus eciam debeat approbari, & circa hoc participari communiter ſingula, que occurrunt oneris & honoris. Quare preſentis ſcripti ſerie ſtatuimus, & ordinamus, ut ſi contigerit Sedem Apoſtolicam, Dominum Patriarcham, vel Dominum Epiſcopum Tridentinum, aut Legatos, vel Delegatos, ſeu quosvis alios Nuncios, ſeu Capitula, Collegia, Univerſitates, aut Communitates, vel ſingulares perſonas, qui vel que hoc de jure facere poſſint, quicquam a Capitulo viſitationis, ſeu procurationis, inquiſitionis, vel katedratici nomine, aut alia quacumque juſta de cauſa petere, vel exigere vellent, petita hujusmodi per ipſum Capitulum communiter tribuantur, vel alias ſingulariter ſecundum rationem decime modernam & obſervatam hucusque exiſtimationem, ſi pro meliori fuerit Canonicalium Prebendarum. Convenit enim, ut ſic huic oneri ſubiciantur omnes de ipſo Capitulo equaliter & de jure, quemadmodum & ipſi honoribus cottidie ſublimantur. Statutum hoc non ſolum ad predicta extendi debere volentes, ſed ad omnia genera cauſarum, que toti Capitulo, aut uni Colonello ſuper quacumque re, aut uni ex dicto Capitulo racione, vel pretextu, aut occaſione ipſius ſolummodo moverentur, ad quorum omnium ſupportationem totum ipſum Capitulum teneri volumus inceſſanter.

De Anno mortis ſive defuncti Canonici.

XXV. Humane nature debito, quod omnino perſolvere nos convenit ſuadente, ſtatuimus tenore preſencium, & firmamus, ut quandocumque contigerit aliquem ex reſidentibus Canonicis dicti Capituli in civitate, vel Dioceſi Tridentina, aut alibi in ſervicio noſtro, vel prefati Capituli, aut ſui pro procuratione, exactione ſuorum Canonicalium reddituum exiſtendo viam carnis ingredi univerſe, heredes ipſius ex teſtamento, vel ab inteſtato legiptimi, ſeu quilibet alius, cui hoc relinqueretur, ſeu judicaretur, aut fidei committeretur, vel legaretur, pro ipſo decenti, & honorabili ſepulture tradendo, & ipſius ſeptimo, triceſimo, & aniverſario faciendo fructus omnes, & redditus, ac proventus Canonicalis Prebende ejuſdem defuncti totaliter per ipſum annum ſui deceſſus incluſis, & computatis omnibus aliis redditibus, quos antea infra ipſum annum idem defunctus dum viveret recollegit, ſine cujuſvis contradictione, impedimento, vel moleſtia habere, & percipere debeant, ac integraliter conſequantur. Principium autem ſeu inchoacionem anni deceſſus hujuſmodi eſſe decernimus diem Feſti Nativitatis Beati Johannis Batiſte de menſe Junii. Tunc deceſſum ipſum proxime precedentem, finem vero diem incluſive proxime ſequentis Vigilie ejus Feſti. Et ſi in die deceſſerit dicti Feſti, tunc ab ipſa die uſque ad idem proxime ſequens Feſtum, prefati heredes ſeu Legatarii, vel Fideicommiſſarii ipſos omnes redditus integraliter ut ſupra diximus conſequantur. Intelligentes, quod decimas, vel alios redditus, qui ante dictum Feſtum Sancti Johannis obvenerint & colliguntur, defunctus, vel heredes ſui predicti non habeant bis in anno.

De Opcione Prebendarum.

XXVI. Statuentes inſuper & firmantes, quod tunc liceat ſeniore Canonico per ſe, vel Procuratorem ſuum infra XX. dies a die deceſſus hujuſmodi computandos, Prebendam ipſius defuncti relicta ſua, ſi ſibi placuerit, adoptare, ſub illo, vel illi aſcribi conſorcio, vel Colonello ſub quo, vel cui idem defunctus antea noſcebatur, aſcriptus. Si vero poſt lapſum ejuſdem termini duxerit adoptandum, ex nunc prout ex tunc talis adopcio inefficax, & nullius ſit momenti. Et ſic ſingulis Canonicis gradatim liceat, ſi voluerint, ſuas Prebendas relinquere, & alias infra

ſra eundem terminum,ſicut de jure debueſint, adoptare. Nichilominus eciam Prebenda ipſa ſic relicta, & ultimo vacans alii conferatur, vel per Capitulum fiat electio de novo Canonico ad eandem. Et qui ad eam electus, vel eam quavis auctoritate de jure fuerit conſecutus, ſub illo Colonello, ſeu conſortio cenſeatur, ſub quo erat ipſam proxime derelinquens.

Ut Canonici Prebendarii celebrent Officium, & conferant Eccleſiaſtica Sacramenta per ſe, vel alios in Eccleſiis ſibi unitis.

XXVII. Quoniam ubi majus periculum imminet, ibi in animarum ſubſidium caucius, & ſalubrius eſt agendum; ſtatuimus, ut omnes de ſuo Colonello Canonici reſſidentes, vel quilibet Canonicus Prebendarius reſſidens pretextu & occaſione nove diviſionis Canonicalium Prebendarum Eccleſiis ſibi unitis, & ſubditis Divinum Officium facere, & Eccleſiaſtica Sacramenta conferre per ſe, vel ſuos ſufficientes & honeſtos Vicarios honorifice & decenter, prout juris ordo expoſtulat, ſicut ſemper obſervatum eſt actenus, ſint aſtricti, ita quod omni ceſſante ſcandalo & errore nil omnino ſaluti depereat animarum.

Qui poſſint vel debeant adminiſtrare Sacramenta &c.

XXVIII. Unum adhuc denuo recolentes, & firmiter ſtatuentes, ut ſi aliqui in extremis laborantes apud Katedralem Eccleſiam ſuam elegerint Sepulturam, & Eccleſiaſtica pecierint Sacramenta: Decanus, vel unus ex Canonicis, ſi voluerint, poſſint; Manſionarii vero, ad quos proprie ſpectat, teneantur hujusmodi Sacramenta conferre, & alia quelibet ſuplere, que ad curam pertinent animarum, ſalvo ſemper jure Plebanorum, ſeu Parochianorum. Sed Capellani omnino ſe ad hec, vel ſuper hoc nullatenus intromittant, quibus, cum ad ſe non ſpectent, preſencium ſerie totaliter inhibemus, niſi forte Decano, & Canonicis hoc facere nollentibus, dictis vero Manſionariis abſentibus, vel cauſa nequeuntibus, id omnino per Capellanos oporteret fieri, & ſuppleri. Tunc eo caſu iidem Capellani hoc non tamen abſque Decani, vel eo abſente, unius de Capitulo voluntate & licentia exequantur.

De Electionibus, Confirmationibus &c.

XXIX. In electionibus, ſeu collationibus, aut proviſionibus, ſive inſtitutionibus, confirmationibus, & inveſtituris, ſeu quibuſvis aliis diſpoſitionibus Eccleſiarum quarumcumque, Dignitatum, Perſonarum, Officiorum, Beneficiorum, animarumque cure, & aliorum omnium & ſingulorum ad totum noſtrum Capitulum communiter, vel diviſim ſpectancium, per ipſum Capitulum, ſi communiter ad ſe ſpectat, vel per ſaniorem & majorem partem ejuſdem, ſi diviſim per illum, vel illos, ad quem, vel ad quos ſic diviſim pertinet, ſervato ſemper juris ordine, & requiſito ſemper Capitulo, & de ipſius ſcitu, conſcilio, & aſſenſu, mature & ſolempniter procedatur.

De Diſtributionibus, & Conſuetudinibus, & de Relictis Capitulo, vel ſingulari Perſone.

XXX. Illud idem ſuper cottidianis diſtributionibus ſolitis hucuſque dari, & aliis bonis, & antiquiſſimis ipſius Capituli & prefate Eccleſie noſtre conſuetudinibus jam preſcriptis perpetuo, & inviolabiliter volumus, & decernimus obſervandum, dummodo cauſa non ſit talis & ſic legiptima, propter quam diſtributiones, & conſuetudines ipſe caſſande, ſeu abolende omnino forent, vel merito ſuſpendende. Superaddentes eciam per conſequens, & volentes, quod ſi qua relicta, ſeu judicata, vel donata fuerint ipſi Capitulo communiter, vel diviſim relicta, ſeu judicata, vel donata hujuſmodi, ſi communiter toti Capitulo ad ipſum totum Capitulum, ſi vero diviſim, ut Colonello, vel ſingulari perſone Capituli ad ipſum Colonellum, vel ſingularem perſonam, ſine cujuſvis contradictione tantummodo devolvantur, & ad dominium ipſorum talium plenarie transferantur. De quibus bonis ſic devolutis eadem ſingularis perſona nullam diſtractionem, vel alienationem poſſit facere tempore vite ſue. Condicione tamen hac appoſita, & cautela, quod quandocumque contigerit eandem ſingularem perſonam debitum naturæ perſolvere, ea omnia ſic relicta, ſeu judicata, vel donata Eccleſiæ intuitu, quod in dubio preſumatur, ad ipſius decedentis, dum vivebat, Prebendam diſtinctam: ſi diſtinctam habe-

habèbat, aliter ad Colonellum illum, de quo decedens fuerat, denuo revertantur.

De Apoſtatis, & vagis Sacerdotibus.

XXXI. Apoſtatas notos, vel ſibi ſimiles, non ſolum in noſtra Majori, verum eciam, nec in aliis Nobis, & dicto Capitulo, ſubjectis Eccleſiis ad Divinum Officium de cetero admitti volumus quoquomodo, ymmo per omnes indiferenter Eccleſiarum Rectores, & preſertim in ipſa majori Eccleſia per Decanum, & alios Vicarios, ſeu conductores Eccleſiarum ipſius Capituli nunc deputatos, vel impoſterum deputandos, ipſos tales omnibus poſtpoſitis reici volumus totaliter & expelli. Idem quoque contra Sacerdotes advenas, ſive vagos ad easdem Eccleſias undecumque concurrentes fieri volumus, & obſervari, ſimiliter ſtatuentes, ut non prius ipſi ad Divinum Officium admittantur, niſi per teſtimoniales literas, ſeu formata legiptima, vel per teſtimonium fide dignum eidem Decano in noſtra Eccleſia, vel eo abſente, Capitulo, & in aliis Eccleſiis Prelatis earum, aut Vicariis, ſeu conductoribus antedictis de ſuis ordinibus, ſeu diſpenſationibus fecerint plenam fidem.

Nomina illorum omnium Prelatorum, qui perſonaliter, vel per Procuratorem interfuerunt in predicta Sancta Sinodo.

VEner. in Chriſto Pater Dominus Frater HENRICUS, Dei & Apoſtolice Sedis gratia Epiſcopus Tridentinus, perſonaliter.
Dnus Henricus de Ralo, Decanus & Canonicus, perſonaliter.
Dnus Girardus de Surbuch, Archidiaconus, perſonaliter.
Dnus Nicolaus de Michſina, Scholaſticus, perſonaliter.
Dnus Johannes de Caſtris, Nepos dicti Dni Epiſcopi, Canonicus, perſonaliter.
Dnus Jacobus de Brixina,
Dnus Alexander de Leudro,
Dnus Franciſcus de Placencia, } Canonici, per Procuratores.
Dnus Antonius de Mediolano, Canonicus, perſonaliter.
Dnus Andreas de Rubeis, de Parma, Canonicus.
Dnus Petrus de Ralo,
Dnus Federicus de Mantua,
Dnus Dominicus de Bononia,
Dnus Fulcerius de Coneglano,
Dnus Bartholomeus de Valeſela,
Dnus Johannes de Brixia,
Dnus Laurencius de Brixia,
Dnus Guilielmus de Brixia,
Dnus Nicolaus de Tajo,
Dnus Jacobus de Tayo,
Dnus Franciſcus de Cleſio, } Canonici, perſonaliter.
Dnus Franciſcus Ulipſis, de Roma, Canonicus.
Dnus Oto dictus de Epiano, Canonicus, perſonaliter.
Dnus Johannes de Azana, de Prixia, Canonicus, per Procuratorem.
Dnus Nicolaus de Veletro, de Roma, Canonicus.
Dnus Hendricus de Ladeſperch, Canonicus, perſonaliter.
Dnus Otobelus de campo Tridentino, Canonicus, perſonaliter.
Dnus Rolandinus de Rangonibus, de Parma, Canonicus, perſonaliter.
Dnus Venturinus de Mantua, Manſionarius, perſonaliter.
Dnus Martinus de Novaria, Manſionarius, perſonaliter.
Dnus Julianus, Presbiter de Burgonovo, Pro-Sacriſta, perſonaliter.
Dnus Presbiter Geminianus de Cremona, Capellanus Altaris S. Maſſencie, perſ.
Dnus Presbiter Blaſius de Coneglano, Capellanus Altaris S. Johannis, perſonaliter.
Dnus Presbiter Johannes de Caſtro, Capellanus Altaris S. Marie, perſ. (*m*)
Dnus Presbiter Julianus de Burgonovo, Capellanus Altaris S. Katarine, perſ.
Dnus Presbiter Albertus de Mantua, Capellanus Altaris Omnium Sanctor. perſ.

Dnus Johannes de Sabaudia, Capellanus Altaris SS. Petri & Pauli, per Procuratorem.
Dnus Dinus de Bononia, Rector Capelle Palacii, personaliter.
Dnus Laurencius de Brixia, Plebanus in Pinedo, personaliter.
Dnus Leonardus, Plebanus de Civezano.
Dnus Johannes, Plebanus de Mejano. (*n*)
Dnus Odoricus de Campo, Plebanus de Pao.
Dnus Michael de Castronovo, Conductor Abbacie S. Laurencii.
Dnus . . . . Archi-presbiter de Supramonte.

In Valle Lagari.

Dnus Jacobus, Archipresbiter de Avolano, personaliter. (*o*)
Dnus Odoricus de Archo, Archipresbiter de Lizana.
Dnus Delaitus, Archipresbiter de Murio, personaliter.
Dnus Franciscus de Tuyeno, Rector Ecclesie de Yseria, per Procuratorem.
Dnus Petrus de Ralo, Archipresbiter Plebis de Lagaro, personaliter. (*p*)
Dnus Jacobus, Rector de Pomarolo, personaliter.
Dnus Jacobus, Rector S. Antonii, personaliter.
Dnus Federicus de Tuyeno, Prior S. Yllarii, personaliter. (*q*)
Dnus . . . . Prior S. Margarite, personaliter.

In Vallibus Ananie & Solis.

Dnus Petrus, Plebanus S. Laurencii, personaliter. (*r*)
Dnus Simon, Plebanus de Castrofondo, personaliter.
Dnus Coradinus, Plebanus de Clozo.
Dnus Numus, Plebanus de Revoo.
Dnus Ognabenus, Plebanus de Livo.
Dnus Guillielmus, Plebanus de Maleto.
Dnus Bonomatus, Plebanus Valsane.
Dnus Riprandus, Rector de Tonalo, sive Henricus de Pavilo, personaliter.
Dnus Bonifacius, Plebanus de Arso, personaliter.
Dnus Albertus de Mantua, Plebanus de Fondo, personaliter.
Dnus Henricus, Plebanus de Clesio.
Dnus Guala, Plebanus de Tasulo, personaliter.
Dnus Sicherius, Plebanus de Flaono, personaliter.
Dnus Jacobus, Plebanus de Eno.
Dnus Andreas, Rector Plebis de Spuoro, personaliter.
Dnus Andreas, Plebanus de Tono, personaliter.
Dnus Johannes, Plebanus de Mecio.
Dnus Martinus de Novaria, Plebanus S. Heusebii, personaliter.
Dnus Henricus, Plebanus de Amblo.
Dnus Guillielmus, Plebanus de Tayo, personaliter.
Dnus Giroldus, Plebanus S. Sisinii, personaliter.
Dnus Henricus, Plebanus de Corado.
Dnus Johannes, Plebanus S. Marie de Romeno, personaliter. (*s*)

In Judiciaria.

Dnus Jacobus, Archipresbiter de Nachu, per Procuratorem.
Dnus Bernardus, Archipresbiter de Ripa, personaliter.
Dnus Aldrigetus, Archipresbiter de Bono, personaliter.
Dnus Andreas de Sporo, Archipresbiter de Tegnalo, personaliter.
Dnus Dinus, Archipresbiter de Randena, personaliter.
Dnus Ector, Archipresbiter de Leudro.
Dnus Bartholomeus, Archipresbiter de Tegnalo. (*t*)
Dnus Facius de Romalo, Archipresbiter de Condino.
Dnus Giulielmus, Archipresbiter de Lomaso.
Dnus Semblantus, Archipresbiter de Banalo.
Dnus Coradus, Archipresbiter de Blecio.

Dnus

Dnus . . . . Archipresbiter de Teno, perſonaliter.
Dnus Coradus, Archipresbiter de Archo.
Dnus Petrus, Archipresbiter de Cavedeno.
Dnus . . . . Archipresbiter de Calavino.
Dnus Nivabenus, Prior de Campeyo.
Dnus Guillelmus, Prior S. Thome apud Archum.

In Longum Ataſſis.

Dnus Bernardus, Vicarius Plebis de Caldario, perſonaliter.
Dnus Otto, Vicarius Plebis de Epiano, perſonaliter. (*u*)
Dnus Henricus, Plebanus de Tiſſina, perſonaliter.
Dnus Henricus, Rector Eccleſie de Formiano, perſonaliter.
Dnus Henricus, Plebanus de Leunano.
Dnus Henricus, Rector Eccleſie S. Georii ſupra Leunanum.
Dnns Coradus, Rector Eccleſie de Gurlano, perſonaliter.
Dnus Henricus, Rector Eccleſie de Griſano.
Dnus Michael, Plebanus de Marniga, perſonaliter.
Dnus Dalvaſius de Bononia, Plebanus de Vilandres, perſonaliter.
Dnus Johannes de Wanga, Plebanus.
Dnus Bartholomeus, Plebanus de Sarantina, per Procuratorem.
Dnus Walterius, Rector S. Zeneſii.
Dnus Guarnardus, Rector de Milten.
Dnus Aldevrandus, Plebanus de Scenano, perſonaliter.
Dnus Sifridus, Rector Plebis de Mayes. (*x*)
Dnus Diatricus, Rector Plebis de Chelro.
Dnus Nicolaus, Plebanus de Bozano.
Dnus Philippus de Bononia, Plebanus Plebis de Nova.
Dnus Henricus, Prepoſitus Augenſis, per Procuratorem. (*y*)
Dnus Benedictus, Plebanus de Egna, perſonaliter. (*z*)
Dnus . . . . Rector S. Bartholomei ſupra Egnam, perſonaliter.
Dnus Blaſius, Plebanus de Cimbria, perſonaliter. (*aa*)
Dnus Franciſcus, Plebanus de Flemis, perſonaliter.
Dnus . . . . Rector S. Floriani.
Dnus Federicus, Plebanus Eccleſie de Salurno.
Dnus Federicus, Prepoſitus S. Michaelis.
Dnus . . . . Rector Eccleſie de Zovo.

Milleſ. CCC. XXXVI. Indictione Quarta, die XIV. Januarii, Tridenti in Eccleſia Katedrali, preſentibus omnibus Prelatis & Rectoribus Eccleſiarum ſupraſcriptis, & inſuper Religioſis Viris, Fratribus Johanne de Ordine Ciſtercienſi, infraſcripti Domini Epiſcopi, & Benedicto de Tridento profeſſo Monaſterii S. Laurencii prope Tridentum Ordinis S. Benedicti teſtibus &c. Ven. Pater Dnus Henricus, Dei & Apoſtolice Sedis gratia Epiſcopus Tridentinus, Pontificalibus decoratus, tenuit *Sinodum Generalem*, & primo publicari fecit literas ſuper facto decime Papalis, (*bb*) & poſtea fecit monicionem ſignatam B. & deputavit collectores &c. Item die XV. dicti menſis publicavit Conſtitutiones ſignatas ſigno D. & G. Item die XVI. dicti menſis iterum renovavit ipſas Conſtitutiones, & omnes alias ſupraſcriptas, & juſſit ad cautelam per nos Dinum, & Albertum Notarios fieri publica Inſtrumenta. (*cc*)

ADNOTATIONES AD SYNODUM TRIDENTINAM anni 1336, impreſſæ Tridenti anno 1761.

(*a*) Idem titulus hujus Epiſcopi legitur in multis aliis chartis, una anni 1320, altera de anno 1326, tertia in charta de anno 1327. qui titulus certe non quadrat in Epiſcopum *excommunicatum & interdictum.*

(*b*) Fuit igitur vera *Synodus Diœceſana.*

(c) Qui Apoftolicam Sedem adeo reveretur, qui eidem rebellis dici pôterit?
(d) Hinc colligis non fuiffe *Præpofitum.*
(e) In margine Synodi adfcripfit Epifcopus Hinderbachius: *Miffa Regalis noviter quando inftituta?* Clarius id demonftrat MARIANI *in fuo Tridento* pag. 59. & feqq. " Inter " anniverfaria & funebria officia Epifcoporum, & Principum, & illuftrium per- " fonarum, quæ multa occurrunt, notabilius eft illud, quod fit 2. Maji pro memo- " ria HENRICI Regis Bohemiæ, & Comitis TIROLIS; hic poftquam reftituiffet ab- " lata Tridentinæ Ecclefiæ a MAINHARDO Patre fuo, Regia munificentia inftituit " Legatum fpeciale anno 1334. cantandi facri quotidiani perpetui fub auroram in " Cathedrali Ecclefia, quod dicitur *Miffa Regia.* Huic fundando dedit Rex menfæ " Epifcopali reditus in Tramen valde uberes.
(f) Lectio vocis *Capatorum*, quam in alio codice MS. reperio, præferenda videtur: quâ fignificatur *amictus Capa. In Gloffario Du Cange* facræ veftes *Capæ chorales* eæ funt, *quibus Clerici vel Sacerdotes in Choro amiciuntur.*
(g) Lunga experientia didicimus, Potentes folere fieri præpotentes.
(h) Si tempore hujus Synodi [quo Tridentina Ecclefia pace gaudebat] jufta extabant motiva querelarum ob diverfas ufurpationes bonorum Deo dicatorum patratas, ex cæca & ardente aliorum cupiditate, *contra Deum & Juftitiam:* quales injuriæ illatæ fuerint Ecclefiis temporibus funeftioribus, quando vigebat, teftibus antiquis chronicis doctrina perverfa ARNALDI, prætendentis ad folos fæculares fpectare Dominium temporale, & Epifcopis folum fpirituale Dominium competere? De cætero hic Henricus Epifcopus fenfit errores Arnaldifticos, *quod Ecclefia temporalia habere non poteft*; qui error fparfus fuit a Marfilio Patavino, & Joanne de Janduno (*five* Gandavenfi, *ait Annotator*) & remittit ad Alvarum Pelagium *Lib. I. de Planctu Ecclefiæ cap.* 68. Alius error non minus noxius Ecclefiæ fpargebatur per Diœcefin noftram, cujus dux DULCINUS, *de quo Villanius Lib. VIII. cap.* 84.
(i) Si contra hujusmodi ufurpatores procedendum eft, *ob ipfius Domini noftri, ac Beati Vigilii Patroni reverentiam & amorem*: igitur hæc bona non funt æftimanda uti pure temporalia, fed uti Deo & Sanctis confecrata.
(k) *Canaparius* eft is, cui cura incumbebat, redditus Capitulares exigendi, colligendi, regiftrandi, computandi: is non folum erat eligendus a Capitulo, fed debeat ipfus effe Capitularis.
(l) Hic voce *Monachi* non intelligitur veri nominis *Monachus*, fed *vice*, vel *Sub-Sacriftanus*, qui vulgari Tridentino idiomate dicitur *Monego.* Id apparet in proxima Rubrica.
(m) Rejicit Annotator Lectorem ad notam *(e) pag.* 606.
(n) *De Mejano*, idem eft, *Meano* fupra Tridentum fito. Non vero *Semiana*, de quo Paulus Diaconus *L. III. c.* 30. nec *Semiana* deftructa Francorum incurfionibus interpreranda eft per *To Mejano*, fed per *Mezzana*, Latine *Semiana*, in valle Solis exiftens, qua via, dicta hodie *Ponte di Legno*, penetrarunt Franci in Tridentinum diftrictum. Unde nunquam inducar, ut credam per *Semiana* fignificari *Seregnano* fupra Tridentum fitum ad dexteram rivi Ferfina, vicinum Civezzano.
(o) Cum hic primo nominetur *JACOBUS Archi-Presbiter de Avolano*, vel *Volano* in Valle Lagaro, conjici hinc poteft hujus Ecclefiæ antiquitas: quæ & vocatur *Parochia antiquiffima* in *antiquitatibus Rovereti* pag. 74. ubi prænominatus Jacobus Archi-Presbiter de Avolano dicitur primus fubfcriptus in actu celebrato Tridenti A. 1336. cum jure deberet dici primus fubfcriptus *in Synodo anni ejusdem.* Notetur & ex prædictis *Commentariis de Rovereto*, Avolanum & Volanum in chartis antiquis promifcue fcribi: unde probabile fit, *Volene* Pauli Diaconi non effe, nifi *Volanum.*
(p) In Synodo noftra non dicitur *Archi-Presbyter Plebanus de Lagaro*, uti in commentariis adductis legitur, fed Archi-presbyter plebis de Lagaro, hoc eft, prædii ruftici inter *Pomarolo* & *Nogareto*: hoc eft, in eodem loco, in quo confirmatum fuit *Teftamentum Wilhelmi de Caftelbarco*, fignatum anno 1316. (*leg.* 1319.) in quo nominatur ifta plebs *de Lagaro*, his verbis: *Item relinquo plebi S. Mariæ de Lagaro &c.* Vocatur item *Brianus de Lagari* in fœdere anni 1154. apud *antiquitates Eftenfes & Italas Muratori* pag. 341. & apud *Paulum Diaconum* L. 3. c. 9. *Comes Longobardorum de Lagare, Ragilo nomine.* Supradictus *Petrus de Rallo*, Archi-presbiter plebis de de Lagaro videtur idem, qui fupradictus Canonicus. Hinc in Teftamento *Friderici de la Scala* Comitis de Valle Pullicella publicato Tridenti anno 1339. vocatur Petrus de Rallo Canonicus Majoris Ecclefiæ Tridentinæ, & Archi-presbyter plebis *de Lagaro*, Tridentinæ Diœcefis; ubi & nominantur duo alii memorati in hac Synodo, nempe *Henricus de Rallo* Decanus Majoris Ecclefiæ Tridentinæ, *Rolandinus de Rango-*

Rangonibus, Canonicus prædictæ Majoris Ecclesiæ Tridentinæ. Meretur legi hoc Testamentum in *Notitiis historicis Ecclesiæ Veronensis* post libr. 4. pag. 809. & seqq.: cum in eo multæ exquisitæ notitiæ insint: inter quas memoratus testator multam devotionem præ se fert erga Monasterium Minorum, & S. Michaelis Tridenti, & civitatem Marano. Ex eodem Testamento discimus, quod *Sophia* uxor *D. Azzonis de Castelbarco* erat ejusdem Testatoris filia, quod *D. Henricus d'Egna* ejusdem Atavus erat. Ibidem memorantur *Fr. Martinus* Sacerdos, & *Fr. Bartholomæus* Conversus de S. Maria de Montebaldo, ut prætereamus alias notitias Fratrum Minorum prædictorum, & Eremitarum Tridenti. Notarius rogatus fuit *Guillelmus*, natus quondam Conradini de Campo Tasulli, Imp. publ. auctor. Notarius.

(q) In Archæo castelli Tridentini extat charta scripta in forma authentica anni 1303. ex qua certiores simus, quod " Anno 1197. Indict. 14. die Jovis primo intrante Majo " in Stroparolo in præsentia D. Conradi Capellani, Porcardi Canonici, Archi-pres- " byteri de Brentonico, D. Pelegrini de Beseno, Briani de Castrobarco, Odelrici " de Arcu &c. &c. Dnus Conradus Episcopus Tridentinus consecravit Ecclesiam S. " Ylarii de Stroparollo, concessa indulgentia iis, qui intererant cum firma trewa " (*pace*) in rebus & personis: excommunicationi supponens eos, qui venientes & " redeuntes offenderent, & hoc singulis annis esse voluit. Tribus diebus ante an- " nuale forum concessit, & omnes accedentes securos fecit in tota sua jurisdictione " præter bannitos, latrones, falsarios, & maleficiatos. A Gastaldione de Pradala " jus fieri decrevit, vel ab alio ab Episcopo destinato; Ecclesiam illam cum Hospi- " tali ab omni jurisdictione liberam esse voluit, & soli Episcopo Tridentino subje- " ctam, eamque gaudere fecit juribus communibus conterminarum communitatum " de Lagaro, de Avolano, & de Lizana." Id quod in hac charta dicitur *Hospitale*, in altera anni 1333. dicitur *Monasterium S. Illarii.*

(r) Hic cum videas subscriptum primo *Petrum Plebanum S. Laurentii* in Sarnonico, videtur argui posse antiquitas ejus Ecclesiæ. Vide supra pag. 286. & 598. *ait Annotator.* Hic solum monebo, non posse credi diversam hanc Ecclesiam *S. Laurentii* ab ea, quam indicavit Gregorius Turonensis. Ideo D. Abbas Joannes Baptista Bovius Novariensis in *Theatro Morali Dogmatico-Historico Tomo II.* circa finem *tertii Tractatus* pag. 537. eam collocat in *Briona*, loco octo vel decem millibus dissito Novaria, tum quia hic auctor nimiam præ se fert philautiam suæ patriæ, tum quia præfata Ecclesia, quæ prælaudati Gregorii Turonensis *L. 1. C. 42. de gloria Martyrum* sita apud *Briones Italiæ castrum*, non dicit esse *Brionum Novariense castrum*, & aliud est *Briona*, aliud *apud Briones*, vel *Breones*, nominatos etiam Cassiodoro, Venantio fortunato, Paulo Diacono, Valesio, Pagio; quantum enim distant *Briona* Novariensibus, tantum sunt *Sarnonico* Anauniæ vicini.

(s) Hinderbachius Episcopus Tridentinus sextus ab Henrico III. manu sua in Synodi margine adnotavit: *defuit Plebanus de Smarano, qui est XX. quartus.*

(t) Dum repetitur *Tegnale*, error est vel in hac voce, vel priore loco intelligendus Archipresbiter de *Tione*, qui locus a me in chartis observatus vocatur modo *Tegionum*, alias *Tejonum*, iterum *Tilionum*, mox *Tilunum.*

(u) Id est *Epan*, vel *Eppan*, qui locus merito a Wolffgango Lazio *L. VII. Chorographiæ Austriæ* vocatur *perveteri Comitatu celebris.*

(x) Hic locus apud diversos Scriptores diversa nomina obtinet, nempe *Castrum Magiense, Majae, Mais* &c. vicinus est *Marano.* Nefas est dubitare cum D. Muratori *in Annalibus Italiæ* anni 723. (uti observatur *in Commentariis antiquis de Rovereto*) utrum locus hic situs sit *in Tiroli*: uti nefas est dubitare, an Maranum sit situm in Tiroli: quando in prædicto testamento Friderici de la Scala nominantur *Sorores Minores Ordinis Sanctæ Claræ de Marano, Comitatus Tirolis*: & ibidem *Testamentum olim per me factum in Burgo Marani, Comitatus Tirolis &c.*

(y) In charta anni 1314. nominatur *Monasterium Ecclesiæ Augensis juxta Bozanum*, & inter testes ejusdem chartæ comparet nomen *Omneboni Militis de Sagramos de Verona.* Inter documenta insignis Præposituræ in Gries, quo circa A. 1406. translata fuit ob aquas antiquior præpositura Augensis, non solum extat *Friderici I. Imp.* Diploma de A. 1189. verum & confirmatio ejusdem *a Friderico II.* Imp. emanata anno 1237. Extant & aliæ chartæ, e quibus colligitur dictam Præposituram Augensem fundatam fuisse anno 1160. ex religione Comitis & Comitissæ de Greiffenstein, & fuit institutus primus Præpositus ejusdem *Henricus ex celebri ejusdem Sacri Apostolici Ordinis Collegio Neoburgensi assumptus.* Aliud superest Diploma *Friderici I.* Imp., unde apparet, quod idem Tridenti existens *II. Kal. Novembris anno Domini MCLXVI. Indictione XIV.* voluerit privilegiatam & protectam Præposituram Augensem juxta consilium *Alberti* Tridentini Episcopi, & Advocatorum, id est Domino-

rum Comitum de Eppan, Friderici & Henrici. Huic privilegio & protectioni Cæsareæ Ecclesiæ Augensis accedit aliud privilegium & protectio pontificia Alexandri III, quod incipit: *Alexander Episcopus, servus servorum Dei, Dilectis Filiis Henrico Preposito Ecclesie Sancte Marie in Augea Bozani, ejusdemque Fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis &c.* finis: *Datum Anagnie per manum Gratiani Sancte Romane Ecclesie Subdiaconi & Notarii, III. Kal. Februarii, Indict. VII. Incarr. Dom. anno MCLXXIII.* (MCLXXIV. *corrigit Adnotator*) *Pontificatus vero Dni Alexandri PP. III. anno XV.* (L. S. sub plumbo.) Observandum est, ex tali Bulla edita sub Adelpreto, alias Alberto, non tantum non colligi excommunicatum vel interdictum Episcopum: imo velle Papam, ut id Decretum obtineat plenum vigorem *salva Sedis Apostolice authoritate & Diocesani Canonica justitia.* In eadem Præpositura asservatur Instrumentum Consecrationis Ecclesiæ in Augea, ac confirmationis omnium possessionum, nec non concessionis libere eligendi Præpositum, per Udalricum Patriarcham Aquilegiensem. Initium: *Udalricus, Dei gratia, sancte Aquilegensis Ecclesie Patriarcha, Apostolice Sedis Legatus, Dilectis in Christo fratribus Henrico Preposito, & Canonicis Augensis Ecclesie tam futuris, quam presentibus regularem vitam professis &c.* finis: *Ego Udalricus, Aquilegiensis Patriarcha, propria manu subscripsi. Ego Walchyon, Belenignienfis electus Abbas, subscripsi. Dat. anno Dom. Incarn. MCLXXIX. Indict. XIII. XI. Kal. Decembris in civitate Aquilegia. Ego Odalricus, Aquilegiensis Archi-Diaconus & Prepositus, subscripsi. Ego Chunradus Dni Patriarche Capellanus, jussu ipsius hanc paginam conscripsi & dedi. Ego Magister Dominicus, Capellanus Dni Patriarche subscr.* (L.S.) Nota, in presenti Instrumento dici, fundatam fuisse Augensem Ecclesiam a Dilecta quondam consanguinea nostra illustri & Deo devota *Comitissa Mechtilde de Morith* Deum facultatum suarum hæredem instituente. Hæc erat uxor *Arnoldi* Comitis de Greiffenstein. Has notitias debet Adnotator Tridentinus moderno Dignissimo & Rmo Præposito de Gries, Alberto Martino Prackh, quas series, *ait*, ad nos perlatas nec integras edere valuimus, nec oportuniori loco, quam hîc citare.

(z) *Egna* igitur distinguenda est ab *Eno*, vel *Enno*. *Egna* est in Anaunia, *Enno* in valle Attesina. Hinc *Olurandinus de Enno*, & *Harius de Enno* apud Ughellum *T. V. col.* 606. & 630: non erant oriundi ex *Egna*, sed ex *Enno*, vel *Denno* in Anaunia. Rursum *Hennum* nominatum in statuto Capitulari interpretandum est *Denno*, non *Egna*.

(aa) De loci hujus antiquitate in Tridentino districtu notat eruditissimus Canonicus Dionysi *in Dissertatione de duobus Episcopis Aldone & Notingo pag.* 23. " Quis non videat " a Cimbris oriri, qui eo loci insederint post insignem cladem, quam a Mario acceperant? Sicut Panvinius noster testatur, supra montes scilicet Germaniæ finitimos, Cimbrorum reliquias reperiri." Inter castella destructa a Francis in Territorio Tridentino numerat Paulus Diaconus non solum supra memoratos *Volenes*, sed etiam *Cimbriam*, simul cum *Maleto* memorato in hac Synodo.

(bb) Adnotat id loci Hinderbachius Episcopus: " Ista impositio Decime facta tempore " Joannis PP. XXII. fuit postea revocata per Dnum Benedictum PP. XII. prout apparet ex quadam Bulla ejusdem per nos reperta inter Bullas & Litteras Apostolicas Monasterii S. Laurentii ultra Pontem, & reposita inter alia jura & literas Ecclesiæ ad futuram rei memoriam." Si Episcopus Henricus voluit publicari Decimam, impositam a Joanne XXII. jam reverentem se & devotum præstitit, minime numerandus inter *excommunicatos* vel *interdictos*.

In archivo Monasterii S. Claræ in vico Tridentino *de Sancta Cruce* dicto, extat charta pergamena originaria appenso sigillo, qua idem Henricus Episc. confirmat *quoddam auctenticum Privilegium Sanctissimi Patris D. Joannis Divina Providentia Papæ XXII.* quo privilegio Pontificio Sanctimoniales ejus loci eximebantur a solvenda decima, collectis, vectigalibus, tributis, ex visitatione aliisve de causis impositis. Privilegium Pontificium *datum* fuit *Avenione XV. Kal. Octobr. Pontificatus nostri anno secundo.* Charta Episcopalis sic: *Actum & datum Tridenti in Bonoconsilio castro nostro die Lune undecimo Februarii, Nat. Domini anno Millesimo trecentesimo vigesimo, Indict. tertia, presentibus sapientibus viris Dnis Millancio de Millanciis de Bononia, Antonio de Leudro, Guillelmo de Bellenzanis, Justiniano de Gardulis, Nicolao & Oddorico de Spagnolis Jurisperitis &c.* Hinc vide Lector, an *excommunicatus*, vel *interdictus* a Papa dici possit Episcopus hic Henricus.

Inter Episcopos, qui coronarunt *Ludovicum Bavarum*, non tantum non agnoscitur ab Aventino, sed nequidem a Joanne Georgio Herwarto, nec a Vito Arnpeckio tribus Bavaris Historicis.

Episcopus noster *F. Henricus* non amabatur admodum a *Ludovico Bavaro*, verum ab *Hen-*

Henrico VII. Rursum Ecclesia Tridentina non habuit faventem Ludovicum Marchionem Brandeburgensem, filium Ludovici Bavari Imperatoris. Nam Muratorius in *vitis Principum Carrariensium Tomo XVI. Scriptor. Italiæ col.* 178. ait: Jacobus Carrariensis, dictus Minor, Tridentinis auxilia, quibus se adversus Marchionem Brandeburgicum, Ludovici Bavari filium, tuerentur, misit.

(*cc*) Hæc Synodus continebatur in codice pergameno Archivii castelli Tridentini, scripto Sæculo XIV. Ibidem extat aliud Apographum hujus Synodi, minoris antiquitatis, cujus usus quandoque succurrit. In fine hujus codicis extat Catalogus Episcoporum Tridentinorum, in quo ADELPRETO II. datur titulus *Beati*, eidemque manu altera adscribitur: *habetur pro Beato.*

Hactenus Adnotator Tridentinus.

Epistola Synodalis Moguntinæ Diœcesis.

Anno Christi MCCCXXII. Joannis XXII. Papæ VII.

LUDOVICI IV. REGIS IX.

SUMMA. *Matthias, Archi-Episcopus Moguntinus, notificat omnibus Prælatis suæ Ecclesiæ Litteras patentes Joannis PP. contra errores Joannis de Polliaco Doctoris Pariensis ad se directas, publicandas in Congregationibus Synodalibus.*

MATTHIAS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA SANCTÆ MOGUNTINÆ SEDIS ARCHI-EPISCOPUS ELECTUS: UNIVERSIS PRÆSENTES VISURIS SEU AUDITURIS, SALUTEM & NOTITIAM SUBSCRIPTORUM.

Litteras Sanctissimi Patris ac Domini, Domini JOANNIS Pape Vicesimi secundi, non canzellatas, non abrasas, non vitiatas, nec in aliqua sui parte suspectas, de vera Bulla a filo canapis, Nobis per manus Religiosorum virorum Fratrum Heremitarum Ordinis Sancti Augustini præsentatas: vidimus in hæc verba:

JOANNES EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILIBUS PATRIBUS, PATRIARCHIS, ARCHI-EPISCOPIS, AC DILECTIS FILIIS, ELECTIS, AD QUOS PRÆSENTES VENERINT, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

" Vas electionis, Doctor eximius, " & egregius Prædicator, cujus " prædicatio mundum docuit universum, præsumptuosam illorum audaciam refrenat sollicitus, qui prudentiæ propriæ innitentes, in errores varios prolabuntur. Non plus sapere quam oportet, sed ad sobrietatem sapere, salubris doctrina suggessit, ut, juxta sapientis eloquium quisque suæ prudentiæ modum ponat. Sane jam dudum, cum dilectum Filium, Magistrum Joannem de Polliaco, Sacræ Theologiæ Doctorem, certis ex causis de fratrum nostrorum consilio ad nostram præsentiam vocassemus, fide digna relatio ad nostrum perduxit auditum, quod ipse in quidusdam articulis, pœnitentiæ Sacramentum, non sobrie, sed perperam sapiebat, infra scriptos articulos, periculosos continentes errores, docens publice in suis prædicationibus & scholis. *Primo*, si quidem astruens, quod confessi fratribus, habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata, quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti. *Secundo*: quod stante statuto: *Omnis utriusque sexus*, edito in Concilio Generali, Romanus Pontifex non potest facere, quod Parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quem dicit esse Parochialem curatum: imo nec Deus posset hoc facere, quia, ut dicebat, implicat contradictionem. *Tertio*, quod Papa non potest dare generalem potestatem audiendi confessiones, imo nec Deus, quin confessus habenti generalem licentiam, teneatur eadem iterum confiteri suo proprio Sacerdoti, quem dicit esse, ut præmittitur, Parochialem Curatum. Nos igi-

" igitur ſcire volentes, ſi ſuggeſta Nobis " veritatem haberent, articulorum præ- " miſſorum copiam eidem Magiſtro Jo- " anni fecimus aſſignari ; & ad defen- " ſionem ſui , plenam ſui audientiam " præbuimus tam in noſtra , & dicto- " rum fratrum noſtrorum præſentia in " Conſiſtorio, quam alias coram aliqui- " bus ex ipſis fratribus per Nos ad hu- " juſmodi deputatis. Verum, licet præ- " fatus Magiſter dictos articulos & con- " tenta in ipſis defendere niteretur , aſ- " ſerebat tamen , ſe paratum credere , " & tenere in præmiſſis & aliis ea , quæ " credenda, & tenenda eſſe Sedes Apo- " ſtolica diffiniret. Nos igitur atten- " dentes , quod dictorum articulorum " aſſertio, prædicatio, & doctrina, re- " dundare poterant in multarum perni- " tiem animarum; ipſos per plures Ma- " giſtros in Theologia examinari feci- " mus diligenter. Nos ipſi etiam, cum " dictis fratribus noſtris , collationem " ſolertem habuimus ſuper ipſis. Per " quas quidem collationem, & exami- " nationem ſuper hoc præhabitas, com- " perimus, præmiſſos articulos doctrinam " non ſanam, ſed periculoſam multum, " ac veritati contrariam , continere. " Quos etiam articulos omnes , & ſin- " gulos , idem Magiſter Joannes, veris " ſibi rationibus, opinioni ſuæ dudum ha- " bitæ contrariis demonſtratis, in con- " ſiſtorio revocavit; aſſerens, ſe crede- " re eos non veros , ſed ipſorum con- " trarium verum eſſe; cum diceret , ſe " neſcire, rationibus ſibi factis in contra- " rium, reſpondere. Ideoque ne per " aſſertionem , prædicationem, & do- " ctrinam hujuſmodi, in errorem, quod " abſit, animæ ſimplicium prolabantur; " omnes prædictos Articulos, & quem- " libet eorundem, tanquam falſos , & " erroneos, & a doctrina ſana devios , " auctoritate Apoſtolica damnamus, & " reprobamus de fratrum conſilio prædi- " ctorum. Doctrinam ipſis contrariam, " veram eſſe Catholicam , aſſerentes : " cum illi, qui prædictis fratribus con- " fitentur, non magis teneantur eadem " peccata iterum confiteri, quam ſi alias " illa confeſſi fuiſſent eorum proprio " Sacerdoti juxta dictum Concilium Ge- " nerale. Optantes autem, virtutis vi- " as notas eſſe fidelibus, & cunctis erro- " ribus præcludere aditum , ne ſubin- " trent ; felicis recordationis *Alexandri* " *Quarti*, & *Clementis Quarti* , Romano " rum Pontificum Prædeceſſorum noſtro- " rum veſtigia imitando , univerſis & " ſingulis diſtrictius inhibemus, ne quiſ- " quam prædictos articulos, per Nos , " ut præmittitur, damnatos, & etiam re- " probatos , vel contenta in eis , vel " aliquo ipſorum , utpote a Catholicis " mentibus reſpuenda , tenere audeat , " ſeu defenſare quomodolibet vel doce- " re. Quo circa univerſitati veſtræ per " Apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo " mandamus , quatenus univerſi , & " ſinguli veſtrum, in civitatibus & Diœ- " ceſibus veſtris, convocato Clero com- " muniter , præmiſſa omnia & ſingula " per vos, ſeu alios ſolemniter publice- " tis. Nos etiam eidem Magiſtro Jo- " anni mandavimus, quod ipſe in ſcho- " lis & in ſermone, Pariſiis , prædictos " articulos & contenta in eis, tanquam ve- " ritati contraria, propriæ vocis oraculo, " & aſſeveratione conſtanti, publice de- " beat revocare. Quod ſe facturum di- " ctus Joannes efficaciter repromiſit. " Datum *Avinioni*, nono Kal. Auguſti , " Pontificatus noſtri anno quinto.

Et quia Nos , juxta mandatum Apoſtolicum in præmiſſis litteris Nobis factum, per Nos ipſos ſolemni publicationi dictarum litterarum intendere non poſſumus, arduis Eccleſiæ noſtræ præpediti negotiis ; omnibus Præpoſitis , Archidiaconis, ſeu eorum vices gerentibus noſtræ civitatis & Diœceſis præcipiendo mandamus diſtrictius in his ſcriptis , quatenus in *Congregationibus eorum Synodalibus* prædicta omnia, & ſingula faciant ſolemniter publicari, quandocunque fuerint a ſupradictis fratribus requiſiti : intimantes Clero ſuo, quod eiſdem fratribus, ad quos affectione trahimur ſpeciali pro eo, quod ſe Nobis, & Clero ſemper conſueverunt reverenter, & humiliter conformare , privilegium audiendi confeſſiones fidelium juxta declarationem præmiſſam, ſicut & alia ipſorum Privilegia, ſuper quibus conſervandis auctoritate Sedis Apoſtolicæ ſumus ſpecialiter deputati, velimus omnino, quantum poſſumus, integraliter conſervare.

Datum *Erfordie* VI. Kal. Septembr. anno Domini MCCC. viceſimo ſecundo.

Ex originali in Archivo FF. Auguſtinianorum Moguntiæ deſcripſit Cl. de Gudenus in Sylloge variorum Diplomatariorum Monumentor. Francof. A. 1728. *p.* 613.

MIN-

MINDENSIS ECCLESIÆ STATUTA

ANNO CHRISTI MCCXXX. Non. Decembris.

UNIVERSIS HANC PAGINAM INSPECTURIS, FRATER JOHANNES, ORDINIS PRÆDICATORUM, DOMINI PAPE POENITENTIARIUS, SALUTEM IN CHRISTO JESU.

AD *Mindensem Ecclesiam* à Venerabili Patre Ottone, sancti Nicolai in carcere Tulliano, Diacono Cardinali, Sedis Apostolice Legato, ad exequendum ibidem Visitationis, vel Inquisitionis Officium destinati, quedam in ea duximus salubriter ordinanda, que Statutis, & aliis amminiculis dignum duximus stabilire.

Imprimis igitur statuimus, ut Decem Obedientie, & octo Decime sicut sunt distincte per Prepositum, Custodem, Scholasticum, Cantorem B. & E. Canonicos Mindenses, auctoritate precedente Episcopi, & Capituli, & approbatione postmodum subsecuta, perpetuo sic maneant inconvulse: hoc ipsum de bannis volumus observari, qui dicte visitationis tempore de consensu ejusdem Episcopi, & Capituli in *quinque Archidiaconatus* rationabiliter sunt distincti, exceptis illis Prelaturis, Ecclesie sunt annexi.

II. Statuimus insuper, quod excepta obedientia Hemmincberen &c. que *Prepositure* perpetuo est annexa, cetere novem semper Superioribus post Decanum secundum ordinem assignentur. Si autem aliquem illorum novem contingit cedere, vel decedere, vel obedientiam perdere quolibet justo modo; ipso jure succedat in ea, qui priorem locum inter illos, qui decimas habent, noscitur obtinere, que & de non habentibus decimas, & illis, qui post eos inferiores fuerint, volumus observari. Id quod vacante obedientia Successor a Decano, vel Preposito, si decima illa fuerit, sine omni contradictione in continenti debeat investiri, hominio a recipiente requisito nullatenus aut recepto.

III. Statuimus etiam, quod nulla istarum obedientiarum, vel decimarum dividatur, vel duobus, vel pluribus assignetur, sed uni tantum & per ordinem simpliciter atque pure: & qui vacantem obedientiam vel decimam infra tres dies voluerit (*) acceptare, sibi imputet, nullam postmodum habiturus: prestabit autem Obedientiarius juramentum de indempnitate obedientie, & fideli amministratione Prebende, & quod eam de pinguibus possessionibus sive obedientiis expediat & persolvat, etsi dampnum in aliquibus sustineat, dummodo possessione vel fructu penitus non privetur. Tunc vero supercrescentes fructus in usus suos poterit convertere, cum Prebenda fratrum fuerit totaliter expedita.

IV. Item statuimus, ut Numerus viginti quatuor Canonicorum majorum inviolabiliter observetur. Ita quod nullus, nisi vacante Prebenda, quavis astutia eligatur ibidem aliquatenus nisi unus: quod si una vacante plures fuerint electi votis fratrum in plures divisis, ille Prebendam obtineat, quem sententia ab Ordinario promulgata dictaverit optinere, vel qui solus remanserit cedentibus aliis sine lite, omni pactione, omni arbitrio & quovis alio modo, penitus relegatis.

V. Item nullus eligatur ad Prebendam minor quatuordecim annis, nec in Prepositum, vel Decanum, seu ad alias Dignitates ejusdem Ecclesie aliquis assumatur, nisi ad minus viginti quinque annorum existat. Ut autem premissa Capitula firmius observentur, Prepositus, Decanus & Capitulum *Mindense* nostro inducti consilio ad perpetuam eorum observantiam se coram Nobis corporaliter juramento prestito astrinxerunt.

VI Post hec autem, que juramento firmata sunt, ut superius est premissum, quedam alia, que sequuntur, duximus statuenda: videlicet, ut nemo deinceps

(*) *forte:* noluerit.

inceps Canonicus in Ecclesia Mindensi emancipetur vel installetur, nisi prius prenotata Capitula & alias consuetudines Ecclesie Mindensis se juret inviolabiliter servaturum.

VII. Item statuimus de Archidiaconatibus, ut preter illos, qui dignitatibus sunt annexi, quinque alii non pravis, sed viris prudentibus & fidelibus Ecclesie Mindensis Canonicis conferantur, qui Archidiaconatus suos visitent per se ipsos, & Ecclesias cum vacaverint, *DIGNIS CONFERANT* sine *PRETIO* dato, quovis ingenio spectato.

VIII. Item DE PREPOSITURIS SANCTI MARTINI & S. Johannis Mindensis duximus observandum, videlicet ut nullis nisi discretis *MAJORIS ECCLESIE CANONICIS* conferantur.

IX. Item omnes residentiam faciant, vel pœnam a Nobis contra absentes statutam incurrant, scilicet, ut tempore absentie fructus Prebende non habeant, sed Decanns & Cellerarius colligant ad usus Capituli bona fide, nisi causa studii aut peregrinationis, vel Ecclesie negotii, aut sui officii ad Mindensem Ecclesiam pertinentis, sive infirmitatis causa, ex indulgentia Decani, vel totius Capituli ex probabili causa, sive solius Decani juxta modum hactenus observatum alicujus absentia valeat rationabiliter excusari.

X. Item statuimus, ut nullus Canonicorum sive de anno gratie, sive de bonis in Ecclesia acquisitis, CONCUBINE, AUT FILIIS SUIS possit ullo modo CONDERE testamentum. Et si fecerit, Ecclesiastica careat sepultura, & testamentum omnino irritum reputetur.

XI. Legatum quoque per manum Decani, Scholastici, Cellerarii, qui pro tempore fuerint, in communes usus Capituli redigatur.

XII. Item statuimus, ut si quis Canonicorum, vel Vicariorum chori de cetero cohabitare presumpserit concubine, vel extra domum eam publice procurare, si post trinam monitionem Decani, vel alicujus Canonici infra octo dies in Capitulo factam, non resipuerit, Prebenda ipsius, & quidquid a Mindensi Ecclesia in Beneficio obtinebat per manum Decani & Cellerarii ad communes usus Capituli fideliter colligatur; ilie vero ab ingressu Ecclesiæ, Officioque Divino interim sit suspensus, quoad usque vitium postpositum supradictum, & de culpa sua coram Decano & Capitulo condignam susceperit penam manifeste: pena simili puniendis, qui prefatum manutenere presumpserint testamentum.

XIII. Item statuimus, qrod precipue in Choro, Refectorio, & Dormitorio honeste, modeste & disciplinate se habeant: qui autem aliter se habeant, a Decano pro qualitate commissi graviter puniantur.

XIV. Ordinavimus etiam & statuimus, ut idem Decanus in hiis, que ad Prebendas & ad obedientias, & ad servitium pertinent, & ad Ecclesiasticam disciplinam, compellendi, coharctandi, puniendi plenariam habeat potestatem. Qui si fuerit negligens, & remissus, preter celestem vindictam, qua Eli percussus fuit, depositionis penam poterit formidare. Acta sunt hec Anno Domini MCCXXX. Non. Decembr.

Signum Fratris Johannis Ord. Predicatorum.

Lunig. Specilegii Ecclesiastici Continuatio III. Fortsetzung *pag.* 57.



MIN-

MINDENSIS Synodalis Constitutio

ANNO CHRISTI MCCLXXIX.

SUMMA. Volquinus Episcopus vetat, vivo substitui alium, loco non vacante.

VOLQUINUS, DEI GRATIA, MINDENSIS ECCLESIE EPISCOPUS, AD CERTITUDINEM PRESENTIUM, ET MEMORIAM FUTURORUM.

OLim a sanctis Patribus noscitur institutum, ut nullus ex Clero ordinetur in locum viventis, ne quis desiderare mortem proximi videatur, cum hoc etiam leges gentilium condempnare curarent. Sane Johannis de Beldersen Clericus, & alii quidam premisse constitutionis, aut contemptores, aut immemores, satagentes in locum viventium se institui in nostra Mindensi Ecclesia, de facto procuraverunt se ad Beneficia non vacantia installari. Ne igitur facti perversitas transeat presumptoribus in exemplum, Nos requisito consensu singulorum de Capitulo nostro statuimus, & habita ipsorum omnium unanimi voluntate, cum pene adjectione sanximus, ut quicunque talia de cetero superstitiosa adinventione presumpserit, idem presumtor, ut in eo, in quo deliquerit, puniatur, nullum Beneficium Ecclesiasticum, Prebendam videlicet, vel Ecclesiam in Mindensi civitate vel Dyocesi amplius consequatur: sed penitus cum spe de acquirendo Beneficio in predictis civitate & Dyocesi eo ipso sit privatus, quod locum viventis taliter affectare presumpsit. Hec quippe constitutio sub obedientia & fidei datione manualiter prestita a singulis, & omnibus Canonicis vallata & confirmata exstitit, nostro quoque ac supradicti Capituli Sigillis munita. Facta est hec constitutio Sabbato post Ascensionem Domini anno ejusdem MCCLXXIX.

(*S. Capit.*)

Lunig Spicil. Eccles. Continuat. III. pag. 58. Fortsetzung.

MINDENSIS SYNODUS

ANNO CHRISTI MCCXCIX.

Confirmatur à Metropolita Wichboldo, Coloniensi Archi-Episc.

SUMMA. Statuta Ludolfi, Mindensis Episcopi, contra Invasores Ecclesiarum corroborantur.

WICHBOLDUS, DEI GRATIA, SANCTE COLONIENSIS ECCLESIE ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER YTALIAM ARCHI-CANCELLARIUS; HONORABILIBUS VIRIS PREPOSITO, DECANO, ET CAPITULO MINDENSI, AC CLERO UNIVERSALI CIVITATIS ET DIOCESIS MINDENSIS, SALUTEM IN DOMINO.

SUa Nobis Venerabilis in Christo Frater LUDOLFUS, Episcopus Mindensis insinuatione monstravit, attentius nostri Officii debitum implorando, quod cum ipse alias de communi Prelatorum suorum & Capituli Mindensis consensu *in Synodo sua Generali*, pro vestro bono communi statuerit, ut omnes raptores rerum Ecclesiasticarum excommunicationis sententiam incidant ipso facto, quodque loca, ad que res hujusmodi deferuntur, quodam loci Plebano sciente, ibi-

ibidem fuerint, Ecclesiastico sint supposita interdicto. Preterea cum ipse similiter pro reformatione discipline, nec non equali distributione Prebendarum, & ob reverentiam rerum Ecclesiasticarum alienatarum Ecclesie Mindensis in aliis omnibus ipsa Ecclesia jam dudum defectus est perpessa varios, disciplina in eadem Ecclesia per vos Canonicos, prout antiquitus decenter servabatur, ut cum religione vestra in locis debitis incedatis, observari, & fructus Prebendarum vestrarum equali distributione inter singulos dividi, ac res Ecclesiasticas laycis de cetero ad FIRMAM non concedi, vel pignorare faciatis, cum per talia sepissime Ecclesie suis bonis justis defraudentur, & alienata infra mensem, nisi alienatores ex justa causa ulteriorem terminum ab ipso obtinuerint, recuperari mandarit, in contrarium facientes excommunicationis sententiam proferendo. Nos hujusmodi statutum & mandatum approbare & confirmare auctoritate Metropolitica curamus. Nos igitur advertentes, quod pium & salubre sit malorum insultibus obviare, & Ecclesiarum indempnitatibus precavere: premissum statutum per eundem Dominum Episcopum de raptoribus Ecclesiarum Dyocesis non sine deliberatione provida editum, immo & Episcopi ejusdem mandatum de disciplina, & equali distributione Prebendarum, ac bonis Ecclesie sue Mindensis non alienandis, & alienatis recuperandis emissum, prout ab eodem Episcopo rite & provide facta sunt, auctoritate Metropolitica confirmamus, & a vobis omnibus & singulis observari volumus & mandamus, harum nostrarum testimonio litterarum. Contrarium facientes omnipotentis Dei & beati Petri Principis Apostolorum indignationem se noverint graviter incursuros, nostramque sciant reverentiam pariter offendisse. In cujus rei testimonium presens scriptum conscribi, & nostri Sigilli munimine fecimus roborari. Datum apud Brule in octava beati Martini. Anno Domini MCCXCIX.

Lunig Spicil. Eccles. Contin. III. Fortsetzung *pag.* 58.

MOGUNTINÆ DIOECESIS SYNODUS

Anno Christi MCXXVII. Honorii II. Papæ III. Lotharii Regis II.

SUMMA. Adelbertus Archi-Episcopus Lege Synodali definit, S. Disibodo, de locis, ubi creverint fruges, dandam esse Decimam.

ADELBERTUS, DEI GRATIA, MOGUNTINUS ARCHI-EPISCOPUS, ET APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS.

NOtum esse cupimus omnibus tam future, quam presentis generationis Fidelibus, qualiter Antecessor noster, felicis memorie, Dnus RUTHARDUS Archi-Episcopus, inter cetera, que pro remedio anime sue, ac pro spe eterne retributionis contulit Fratribus in Cœnobio B. DISIBODI Deo militantibus, tradidit etiam Decimam omnium pertinencium ad Episcopalem Curiam, que sita est in monte B. Albani Martyris, excepta Dominicali terra Episcopatus S. Albani, S. Victoris, S. Marie in Campo, S. Nicomedis Martyris. Quam laudabilem ac Deo placitam traditionem Banni sui obligatione fratribus firmavit, Nos quoque auctoritate nostra firmamus.

Eandem vero Decimam exterius persolvendam, in agris scilicet, vineisque pro fecunditate aut sterilitate anni, & fundi, prout justicie regula exigit, & jam frequentior usus fere apud omnes obtinuit, succedente mutabilitate temporum plebs, ut semper in deterius prona est, postponens justiciam, collectis tantum frugibus & repositis, mensuram quandam ad placitum denominatam

natam persolvere usurpavit potius, quam elegit. Et hec abusio perniciosior dantibus, quam accipientibus, istis quidem in dampno temporalium rerum, illis vero in periculo animarum, multis annis perduravit, fratribus illi pro posse renitentibus, Nobisque annuatim de injuria sua proclamantibus.

Volentes ergo utrique provisum ac consultum esse, respectu Divine miseracionis, & assidua fratrum querela tandem devicti, totius controversie hujus finem hoc ordine fecimus. Quesita enim a Prelatis & Rectoribus Ecclesie nostre sententia & judicio, super hujusmodi causa & dissensione decretum est ab eis LEGE SYNODALI *in locis, ubi creverint fruges, dandam esse Decimam.*

Quod tandem cogente justitia, & rogatu quoque, & exhortacionis nostre efficacia, pace, & assensu illorum collaudatum, & confirmatum est.

Ne vero aliquorum presumpcio commutationem hanc de non legali ad legale, de injusticia ad justiciam tam rationabiliter factam infringere, vel infirmare imposterum audeat, sub anathemate interdicimus. Atque in signum & testimonium totius actionis hujus hanc chartam conscribi, & sigilli nostri impressione insigniri fecimus, proprie manus subscriptione roborantes eam. Sunt autem Testes hujus rei:

Fulbertus, Abbas S. Albani. Werenboldus, Abbas S. Jacobi. Adelhun, Abbas S. Disboti. Bernhelm, Abbas de Spanheim. Richardus, Major Prepositus. Cuno, Custos & Decanus de *Domo.* Thurimbertus, Magister Scolarum. Hartmannus, Cantor & Prepositus S. Mauricii. Godescalcus, Prepositus S. Mariæ in Campo. Heinricus, Bingensis Prepositus. Ludovicus, Prepositus de Franckenevort, & alii multi de Clero.

De Liberis autem: Eggebertus Comes. Adelbertus de Vehilbruccun. Wolfram de Sueneburc. Gerunc de Alveldunn.

De Ministerialibus & Urbanis.


Ernolt, Vice-Dominus. Warmunt Sculteтus. Ruthart Magister Monete. Emecho. Waltherc. Cunrad de Hepenhefle. Obbrecht. Luiffrit. Folbrecht. Otto, & frater ejus Luiffrit. Eigelwart, & frater ejus Dudo, & alii quamplures.

Acta sunt hec anno Dominice Incarnationis MCXXVII. Indictione V. Regnante Domino Lothario, hujus nominis tertio, anno Regni ejus secundo.

Signum Domini *ADELBERTI*, Moguntini Archi-Episcopi, & Apostolice Sedis Legati.

Data Moguntie per manum Godeschalci Capellani, VI. Kal. Martii.

De Gudenus Codicis Diplomatici Tom. I. No. XXVIII. pag. 65. 66. 67.



Mentio Synodi Magdeburgensis, quæ superest absque Actis, vel Statutis in ea Canonibus.

MCVII. *MAGDEBURGENSI in Provincia HALÆ Quadragesimali tempore ex more habuit Colloquium Synodale HENRICUS Archi-Episcopus X. Obiit anno eodem, XII. Kal. Maji, Feria II. Paschatis illucescente, antecedente Feria V. in Cœna Domini supra vires laborans, Chrismatis consecrationem cum toto illius diei Officio, sed sibi ultimo peregit. Sedit annos IV. Menses octo.*

Chronicon Magdeburgense Anonymi apud Meibomium Tom. II. Scriptorum Germaniæ pag. 321.

EBER-

EBERWINI, Wormatiensis Episcopi,
CONSTITUTIO *Canonica,*

Post Visitationem suæ Diœceseos factam a GERARDO Moguntino Metropolita, edita anno MCCCI.

De Præsentiis, tempore interdicti, & quandocunque Divinum non habetur officium, non percipiendis.

EBERVINUS, DEI GRATIA, EPISCOPUS WORMATIENSIS. DECANO ET CAPITULO ECCLESIE NOSTRE - - - SALUTEM, ET SINCERAM IN DOMINO KARITATEM.

CUm nuper Reverendus Pater, Dominus noster GERHARDUS, Archi-Episcopus *Maguntinus*, auctoritate Metropolitica in dicta nostra Ecclesia exercens Sancte Visitationis officium, inter cetera defectum, sive excessum hujusmodi notorium invenerit corrigendum sive reformandum; videlicet, quod eo tempore, quo Divina Officia in eadem Ecclesia non habentur, sive Ecclesiasticum servatur interdictum, cottidianas distributiones, sive presentias, que non solent, nisi presentibus in Divinis officiis certis temporibus ministrari, absentes tamen eas requirere & recipere non verentur, contra Statutum Sanctissimi Patris Nostri, Dni BONIFACII *Octavi*, quod incipit: *Alma* &c. editum super eo; dictus Dominus noster Archi-Episcopus in corrigendis & reformandis hujusmodi, & aliis defectibus & excessibus Nobis commiserit vices suas; Vobis universis & singulis auctoritate predicta in virtute sancte obedientie precipiendo districte mandamus, quatenus in hujusmodi cottidianis proventibus sive presentiis, certis temporibus, sicut premissum est, distribuendis & percipiendis secundum formam Constitutionis supradicte observetur, & observari faciatur inconvulse. Sic faciendum, si Canonicam effugere volueritis ultionem.

Datum *Wormatie* Anno Domini MCCCI. XIII. Kal. Februarii.

De Gudenus Cod. Diplomat. Tom. III. pag. 1.

Mentio Synodi Magdeburgensis
ANNI MCCCLXII.

THEODORICUS ex Monacho Cistercienfi in Cenya, Archi-Episcopus ab Innocentio VI. PP. provisus, anno secundo sui Præsulatus die S. Lucæ personaliter præsedit Synodo, assistentibus sibi Domino Ebronensi Episcopo, (. . . . .) & Abbatibus pluribus infulatis, in qua Synodo nil gravaminis actum est, sed pro pace & contra pestilentiam Missas & Suffragia idem Archi-Episcopus injunxit, ad hoc nihilominus suam indulgentiam largiendo.

Chronicon Magdeburgense Anonymi, editum a Meibomio Tom.II. Scriptorum Germaniæ pag. 343.

FINIS TOMI IV. CONCILIORUM GERMANIÆ Anno 1761. *Mense Decembri.*



